



Digitized by the Internet Archive  
in 2011 with funding from  
University of Toronto





COLLEGIUM  
SALMANTICENSIS

FR. DISCALCEATORUM

B. MARIAE DE MONTE CARMELI

Parenti suo Eliæ consecrati,

CURSUS THEOLOGICUS

Summam Theologicam Angelici Doctoris D. Thomæ complectens.

TOMUS OCTAVUS

PARS ALTERA TRACTATUS XIII. — DE VITIIS ET PECCATIS

ILLUSTRIS. ac REVERENDISS. IN CHRISTO PATRI D. D.

CAROLO AMABILI DE LA TOUR-D'AUVERGNE-LAURAGUAIS

ARCHIEPISCOPO BITURICENSI

DICATUS

EDITIO NOVA, CORRECTA



IN SOCIETATE GENERALI LIBRARIÆ CATHOLICÆ

PARISIIS

APUD VICTOREM PALMÉ

RECTOREM GENERALEM

25, via Grenella, 25

BRUXELLIS

APUD G. LEBROCQUY

SUCCESSORIS RECTOREM

5, foro Lovaniensi, 5

1877

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES  
10 ELMSELEY PLACE  
TORONTO 5, CANADA.

NOV 6 - 1931

1087

# INDEX DISPUTATIONUM

## ET DUBIORUM

### QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

#### TRACTATUS DECIMUS TERTIUS.

##### QUÆSTIO LXXIX.

De causis exterioribus peccati, in quatuor Articulos divisa.

- Art. 1. Utrum Deus sit causa peccati? 1  
Art. 2. Utrum actus peccati sit a Deo? 2  
Art. 3. Utrum Deus sit causa excæcationis et indurationis? 3  
Art. 4. Utrum excæcatio et obduratio semper ordinentur ad salutem ejus qui excæcatur et obduratur? 6

##### QUÆSTIO LXXX.

De causa peccati ex parte Diaboli, in quatuor Articulos divisa.

- Art. 1. Utrum Diabolus sit homini directe causa peccandi? 7  
Art. 2. Utrum Diabolus possit inducere ad peccandum, interius instigando? 8  
Art. 3. Utrum Diabolus possit necessitatem inferre ad peccandum? 9  
Art. 4. Utrum omnia peccata hominum sint ex suggestione Diaboli? 9

##### QUÆSTIO LXXXI.

De causa peccati ex parte hominis in quinque Articulos divisa.

- Art. 1. Utrum primum peccatum primi parentis traducatur per originem in posteros? 11  
Art. 2. Utrum etiam alia peccata primi parentis, vel proximorum traducantur in posteros? 13

#### *Disputatio XIV.*

De existentia, et traductione peccati originalis. 13

Dub. 1. Utrum detur peccatum originale ab Adamo in posteros per originem traductum? 14

Dub. 2. An et quomodo peccatum ab Adamo per originem transmissum sit posteris voluntarium? 26

Dub. 3. An et quæ sit causa efficiens physica peccati originalis. 38

Dub. 4. Utrum peccatum Adami fuerit causa demeritoria respectu nostri originalis? 64

Dub. 5. Utrum solum primum Adami peccatum potuerit esse causa nostri originalis? 69

Dub. 6. Qualiter expedienda sit triplex difficultas ex dictis emergens? 75

Art. 3. Utrum peccatum primi parentis transeat per originem in omnes homines? 82

#### *Disputatio XV.*

De extensione peccati originalis quantum ad debitum illud contrahendi. 85

Dub. 1. Quid importet, et quousque perduret debitum culpæ originalis? 91

Dub. 2. Utrum Beatissima Virgo Deipara potuerit eximi a debito culpæ originalis: et an ex meritis Christi? 107

Dub. 3. Utrum exceptio Deiparæ a debito culpæ originalis præjudicet ejus redemptioni? 111

Dub. 4. Utrum Beatissima Virgo Maria

habuerit debitum contrahendi culpam originalem? 142

Dub. 5. Quæ ex præmissis sententiis magis propitia sit causæ immunitatis Deiparæ? 173

Dub. 6. Quæ ex prædictis sententiis vera censenda sit : et qualiter contrariæ fundamentis occurrendum? 189

Art. 4. Utrum si aliquis ex humana carne formaretur miraculose, contraheret originale peccatum? 213

Art. 5. Utrum si Adam non peccasset, Eva peccante, filii originale peccatum contraherent? 216

#### QUÆSTIO LXXXII.

De originali peccato quantum ad suam essentiam in quatuor articulos divisa. 218

Art. 1. Utrum originale peccatum sit habitus? 218

Art. 2. Utrum in uno homine sint multa originalia peccata? 218

Art. 3. Utrum originale peccatum sit concupiscentia? 219

Art. 4. Utrum peccatum originale sit æqualiter in omnibus? 220

#### Disputatio XVI.

De essentia, et constitutivo peccati originali. 220

Dub. 1. Quænam privationes ex Adami peccato in posteros transierint? 221

Dub. 2. Utrum peccatum primi parentis transmiserit ad nos aliquid positivum in potentiis receptum? 229

Dub. 3. Utrum peccatum originale in ipsa animæ substantia vel in voluntate ponat aliquid positivum? 238

Dub. 4. Quid sit concupiscentia : et qualiter se habeat ad originale peccatum? 257

Dub. 5. Quæ sit propria et formalis ratio peccati originalis constitutiva? 273

Dub. 6. Quæ sit species atoma originalis culpæ? 298

#### QUÆSTIO LXXXIII.

De subjecto originalis peccati in quatuor Articulis divisa? 316

Art. 1. Utrum originale peccatum sit magis in carne, quam in anima? 316

Art. 2. Utrum peccatum originale sit per prius in essentia animæ quam in potentiis? 317

Art. 3. Utrum peccatum originale per prius inficiat voluntatem, quam alias potentias? 318

Art. 4. Utrum præfatæ potentiæ sint magis infectæ quam aliæ? 319

#### QUÆSTIO LXXXIV.

De causa peccati secundum quod unum peccatum alterius peccati causa est, in quatuor Articulis divisa. 320

Art. 1. Utrum cupiditas sit radix omnium peccatorum? 320

Art. 2. Utrum superbia sit initium omnis peccati? 323

Art. 3. Utrum præter superbiam, et avaritiam sint alia peccata specialia, quæ dici debeant capitalia? 324

Art. 4. Utrum convenienter dicantur septem vitia capitalia? 325

#### QUÆSTIO LXXXV.

De effectibus peccati, in sex Articulis divisa. 326

Art. 1. Utrum peccatum diminuat bonum naturæ? 326

Art. 2. Utrum totum bonum naturæ possit auferri per peccatum? 327

Art. 3. Utrum convenienter ponantur vulnera naturæ ex peccato consequentia, infirmitas, ignorantia, malitia et concupiscentia. 332

Art. 4. Utrum privatio modi, speciei et ordinis sit effectus peccati. 335

Art. 5. Utrum mors, et alii corporales defectus sint effectus peccati? 336

Art. 6. Utrum mors, et alii defectus sint naturales homini. 336

#### QUÆSTIO LXXXVI.

De macula peccati, in duos Articulos divisa. 337

Art. 1. Utrum peccatum causet aliquam maculam in anima? 337



Art. 2. Utrum macula maneat in anima post actum peccati. 338

QUÆSTIO LXXXVII.

De reatu pœnæ, in octo Articulos divisa. 345

Art. 1. Utrum reatus pœnæ sit effectus peccati? 345

Art. 2. Utrum peccatum possit esse pœna peccati? 346

Art. 3. Utrum aliquod peccatum inducat reatum æternæ pœnæ? 346

Art. 4. Utrum peccato debeatur pœna infinita secundum qualitatem? 347

Art. 5. Utrum omne peccatum inducat reatum pœnæ æternæ? 347

*Disputatio XVI.*

De reatu et pœna peccati in communi. 348

Dub. 1. Quid sit reatus et qualiter ad peccatum comparetur. 348

Dub. 2. Utrum peccatum per se possit habere rationem pœnæ? 357

Dub. 3. Utrum sufficienti ratione probeatur, deberi peccato mortali pœnam æternam lege iustitiæ? 374

Dub. 4. Utrum peccato mortali debeatur pœna infinita secundum quantitatem? 389

*Disputatio XVIII.*

De pœnis damni et sensus in speciali. 397

Dub. 1. Quæ dicatur pœna damni, et quæ pœna sensus : et an illa sit æqualis in omnibus? 397

Dub. 2. Qualiter substantiis incorporeis inferri valeat pœna sensus : in quo hæc pœna consistat? 408

Dub. 3. Utrum pueri decedentes cum solo peccato originali puniantur pœna sensus : aut ex pœna damni tristitiam patiantur? 440

Art. 6. Utrum reatus pœnæ remaneat post peccatum? 446

Art. 7. Utrum omnis pœna sit propter aliquam culpam? 447

Art. 8. Utrum aliquis puniatur pro peccato alterius? 449

QUÆSTIO LXXXVIII.

De peccato veniali et mortali in sex Articulos divisa. 450

Art. 1. Utrum veniale peccatum convenienter dividatur contra mortale? 450

Art. 2. Utrum peccatum veniale et mortale differant genere. 451

*Disputatio XIX.*

De distinctione peccati venialis a mortali. 451

Dub. 1. Quæ sit primaria differentia venialis culpæ a mortali? 451

Dub. 2. Utrum divisio peccati in mortale et veniale sit essentialis : et an analogæ, vel univoca? 466

Art. 3. Utrum peccatum veniale sit dispositio ad mortale? 476

Art. 4. Utrum peccatum veniale possit fieri mortale? 476

Art. 5. Utrum circumstantia possit facere de veniali mortale? 479

Art. 6. Utrum peccatum mortale possit fieri veniale? 480

QUÆSTIO LXXXIX.

De peccato veniali secundum se, in sex Articulos divisa. 481

Art. 1. Utrum peccatum veniale causet maculam in anima? 481

Art. 2. Utrum convenienter peccata venialia per lignum, fœnum, et stipulam designentur? 485

Art. 3. Utrum homo in statu innocentie potuerit peccare venialiter? 486

Art. 4. Utrum Angelus bonus vel malus possit peccare venialiter? 488

Art. 5. Utrum primi motus sensualitatis in infidelibus sint peccata mortalia? 489

Art. 6. Utrum peccatum veniale possit esse in aliquo cum solo originali? 490

*Disputatio XX.*

De impossibilitate peccati venialis cum solo originali. 490

Dub. 1. Utrum quilibet homo perveniens ad usum rationis teneatur statim sub culpa mortali in Deum se convertere : et qualis debeat esse ista conversio? 491

Dub. 2. Utrum peccatum veniale possit esse in aliquo cum solo originali? 510

LAUS DEO.

BQ  
6852



# INDEX LOCORUM

## SACRÆ SCRIPTURÆ

QUÆ IN HOC OCTAVO TOMO CONTINENTUR.

### EX VETERI TESTAMENTO.

#### EX GENESI.

1. *In principio creavit Deus cœlum et terram.* Disp. 15, n. 141.
2. *De ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas.* Disp. 14, n. 144.
2. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Disp. 14, n. 8, et sequentibus, et n. 141, et disp. 15, n. 170.
3. *Præcepit nobis Deus, ne comederemus, et ne tangeremus illud.* Disp. 16, n. 183.
3. *Eritis sicut dii scientes etc.* Disp. 16, n. 157.
3. *Comedit, et aperti sunt oculi amborum, cumque cognovissent se esse nudos etc.* Disp. 14, n. 10.
3. *Tulit de fructu etc. deditque viro suo, et comedit.* Disp. 16, n. 183.
3. *Cum audissent vocem Domini Dei deambulantis ad auram post meridiem etc.* Disp. 15, n. 9.
3. *De ligno de quo præceperam ne comederes, comedisti. Dedit mihi, et comedi.* Disp. 16, n. 183.
3. *Quia audisti vocem uxoris tuæ, et comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra etc.* Disp. 16, n. 170.
6. *Cuncta cogitatio cordis intenta est ad malum.* Disp. 16, n. 89.
8. *Sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Disp. 16, n. 89.
17. *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima ejus de Salmant. Curs. theolog. tom. VIII.*

*populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Disp. 14, n. 36.

#### EX EXODO.

9. *Induravit Dominus cor Pharaonis.* Quæst. 79, art. 3, n. 6.

#### EX LEVITICO.

19. *Ancilla pretio non redempta, nec libertate donata.* Disp. 15, n. 71.
25. *Si vendiderit possessiunculam, potest redimere : Si non redemerit, emptor possidebit eam.* Disp. 15, n. 71.

#### EX DEUTERONOMIO.

6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, etc.* Disp. 20, n. 18.
25. *Pro mensura peccati erit et plagarum modus.* Disp. 17, n. 76, et disp. 18, n. 7.

#### EX JOSUE.

22. *An parum vobis est quod peccastis in Beelphegor, et usque in præsentem diem macula hujus sceleris in vobis permanet ?* Quæst. 86, art. 2, n. 2.

#### EX I REGUM.

6. *Quare aggravatis corda vestra, sicut aggravavit Aegyptus.* Disp. 17, n. 64.

## EX 2.

12. *Ecce ego suscito super te malum.* Disp. 17, n. 46.

## EX 3.

18. *Ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari in Carmelum.* Disp. 15, n. 2.

## EX TOBIA.

4. *In ipsa initium sumpsit omnis perditio.* Disp. 16, n. 157.

## EX JUDITH.

16. *Dabit ignem et vermes in carnes eorum, ut urantur et sentiant usque in sempiternum.* Disp. 17, n. 56.

## EX JOB.

10. *Vadam, et non revertar ad terram tenebrosam etc.* Disp. 18, n. 27.  
 10. *Ubi umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Disp. 17, n. 56.  
 12. *In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia.* Disp. 15, n. 209.  
 14. *Et dignum ducis super hujusmodi aperire oculos tuos, et adducere eum tecum in judicium.* Ibid.  
 14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus est.* Disp. 14, n. 4, et disp. 15, n. 132.  
 15. *Non credet errore deceptus, quod pretio redimendus sit.* Disp. 15, n. 71.  
 18. *Immisit in rete pedes suos; in maculis ejus ambulat.* Quæst. 86, art. 2, n. 4.  
 20. *Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur.* Disp. 17, n. 57.  
 21. *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.* Disp. 17, n. 55.  
 41. *Æstimabit abyssum quasi senescentem etc.* Disp. 17, n. 59.

## EX PSALMIS.

40. *Sana animam meam quia peccavi tibi.* Quæst. 85, art. 3, n. 1.

48. *Homo cum in honore esset, non intellexit.* Disp. 14, n. 10.  
 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Disp. 14, n. 5, et disp. 15, n. 198.  
 68. *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum.* Disp. 17, n. 46.  
 85. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Disp. 15, n. 99 et 112.  
 118. *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas.* Disp. 16, n. 80.  
 143. *Qui redimisti David servum tuum de gladio maligno.* Disp. 15, n. 112.

## EX PROVERBIIS.

10. *In multiloquio non deerit peccatum.* Disp. 19, n. 52.  
 13. *Spes quæ differtur, affligit animam.* Disp. 18, n. 6.  
 15. *Stultus homo despicit matrem suam.* Disp. 15, n. 229.  
 22. *Fovea profunda os alienæ etc.* Disp. 15, n. 113.  
 24. *Septies in die cadit justus.* Disp. 15, n. 233.  
 27. *Laudet te alienus, et non os tuum, extraneus et non labia tua.* Disp. 15, n. 2.

## EX ECCLESIASTE.

7. *Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni.* Disp. 15, n. 144.  
 7. *Fecit ab initio hominem rectum.* Disp. 14, n. 10.  
 10. *Omnia obediunt pecuniæ.* Quæst. 84, art. 1, n. 2.

## EX CANTICIS.

1. *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Disp. 15, n. 9.  
 1. *Si ignoras te, o pulcherrima mulierum, egredere, et abi post vestigia gregum, etc.* Ibidem.  
 4. *Vulnerasti cor meum.* Disp. 15, n. 68.

## EX SAPIENTIA.

1. *Deus mortem non fecit neque lætatur in perditione viventium.* Disp. 17, n. 67.
2. *Excæcavit illos malitia eorum.* Disp. 17, n. 46.
2. *Deus creavit hominem inexterminabilem et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum, invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Disp. 14, n. 10, et n. 4.
6. *Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum.* Disp. 16, n. 80.
9. *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit sensum.* Disp. 16, n. 1.
11. *Omnia fecisti in numero, pondere, et mensura.* Quæst. 85, art. 4.
11. *Nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Disp. 17, n. 67.

## EX ECCLESIASTICO.

5. *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem.* Disp. 20, n. 3.
8. *Non te prætereant narratio seniorum, ipsi enim didicerunt a patribus suis.* Disp. 15, n. 209.
10. *Initium omnis peccati superbia.* Disp. 16, n. 153, et quæst. 84, art. 2, n. 1.
17. *Vestivit illum virtute etc.* Disp. 14, n. 10.
20. *Post concupiscentias tuas ne eas.* Disp. 16, n. 80.
34. *Dona iniquorum non probat altissimus, nec respicit.* Disp. 17, n. 70, et quæst. 87, art. 6.
40. *Jugum grave super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum.* Disp. 14, n. 5.

## EX ISAIA.

6. *Excæca cor populi hujus, et aures ejus agrava.* Disp. 17, n. 46.
24. *Congregabuntur congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere etc.* Disp. 18, n. 28.
33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante?* Disp. 18, n. 23.

52. *Venundati estis, et sine argento redimini.* Disp. 15, n. 71.
66. *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur.* Disp. 17, n. 56 et disp. 18, n. 23.

## EX JEREMIA.

2. *Duo mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas dissipatas, etc.* Disp. n. 63.
2. *Quomodo conversa es mihi in pravum vinea aliena? Si laveris te nitro, et multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me, etc.* Quæst. 86, art. 2, n. 2 et 4.

## EX EZECHIELE.

36. *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, mundabo vos. Et spiritum meum ponam in medio vestri, etc.* Quæst. 86, art. 2, n. 4.

## EX DANIELE.

13. *Concupiscentia subvertit cor tuum.* Disp. 16, n. 80.

## EX OSEA.

6. *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum: ibi prævaricati sunt omnes.* Disp. 14, n. 3 et 36.

## EX ZACHARIA.

1. *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.* Disp. 20, n. 2.

## EX NOVO TESTAMENTO.

## EX MATTHÆO.

1. *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Disp. 15, n. 3, et 131.
1. *Ipsæ enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Disp. 15, n. 162.
6. *Sed libera nos a malo.* Disp. 16, n. 81.

6. *Quærite primo regnum Dei, et justitiam ejus, etc.* Disp. 20, n. 2.
9. *Non est opus valentibus medico, sed male habentibus.* Disp. 15, n. 61 et 104, et 161 et 191.
9. *Non enim veni vocare justos, sed peccatores.* Disp. 15, n. 61, et 161 et 291.
15. *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt.* Disp. 15, n. 161 et 191.
20. *Venit Filius hominis dare animam suam in redemptionem pro multis.* Disp. 15, n. 69.
22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, etc.* Disp. 20, n. 18.
25. *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* Disp. 17, n. 56, et 59, et disp. 18, n. 23, et n. 103.
25. *Ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam.* Disp. 17, n. 56.
26. *Bonum ei erat, si natus non fuisset homo ille.* Disp. 15, n. 86.

## EX MARCO.

9. *Bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur etc.* Disp. 17, n. 56, et disp. 18, n. 23.
10. *Venit Filius hominis dare animam suam in redemptionem pro multis.* Disp. 15, n. 69.

## EX LUCA.

1. *Benedictus fructus etc.* Disp. 15, n. 132.
1. *Excultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Disp. 15, n. 162.
16. *Mortuus est dives, et sepultus est in inferno.* Disp. 17, n. 55.
16. *Quia crucior in hac flamma.* Disp. 18, n. 80.
19. *Filius hominis venit quærere, et salvum facere, quod perierat.* Disp. 15, n. 61, et 161, et 191.

## EX JOANNE.

1. *Illuminavit omnem hominem venientem in hunc mundum.* Disp. 20, n. 28.
3. *Nisi quis renatus fuerit.* Disp. 15, n. 166.
19. *Consummatum est, et inclinato capite, tradidit spiritum.* Disp. 15, n. 69.

## EX PAULO AD ROMANOS.

1. *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam etc.* Disp. 17, n. 46.
3. *Justitia Dei per fidem Jesu Christi in omnes et super omnes qui credunt in eum: non enim est distinctio, omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei.* Disp. 15, n. 156, et 157, et 189.
5. *Per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Disp. 15, n. 164.
5. *Commendat autem Deus charitatem suam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, etc.* Disp. 15, n. 66.
5. *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus.* Disp. 15, n. 165.
5. *Gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus.* Disp. 15, n. 164.
5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Disp. 14, n. 3 et 12, et disp. 156, et 170, et 189.
5. *Unius delicto multi mortui sunt.* Disp. 14, n. 146.
5. *Non sicut per unum peccatum, ita donum: nam judicium quidem ex uno in condemnationem etc.* Ibidem.
5. *Sicut unius delicto mors regnavit per unum etc.* Disp. 14, n. 146.
5. *Sicut per unius delictum in homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Disp. 15, n. 156, et 190, et disp. 14, n. 121.

5. *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.* Disp. 16, n. 171.
7. *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, etc.* Disp. 16, n. 89.
8. *Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, etc.* Disp. 15, n. 138.
8. *Corpus quidem propter peccatum mortuum est.* Disp. 14, n. 12.
9. *Miserebor cujus misereor, et misericordiam præstabo, cui miserebor.* Disp. 15, n. 84 et disp. 17, n. 46.
10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Disp. 20, n. 64 et 68.
13. *Qui diligit proximum, legem implevit.* Disp. 19, n. 29.
13. *Plenitudo legis est dilectio.* Disp. 19, n. 29.

## EX EPISTOLA I AD CORINTHIOS.

1. *Christus factus est nobis sanctificatio et redemptio.* Disp. 15, n. 114.
6. *Empti enim estis pretio magno.* Disp. 15, n. 108.
7. *De Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, etc.* Disp. 19, n. 6.
15. *Per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum: et sicut in Adam omnes moriuntur; ita in Christo omnes vivificabuntur.* Disp. 15, n. 160 et 191.

## EX 2 AD CORINTHIOS.

5. *Si unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus.* Disp. 15, n. 159 et 190.
5. *Non reputans illis delicta ipsorum,* n. 165.
5. *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum.* Disp. 15, n. 163.

## EX EPISTOLA AD GALATAS.

3. *Christus nos redemit.* Disp. 15, n. 71 et 107.
5. *Caro enim concupiscit adversus spiritum.* Disp. 16, n. 89.

5. *Spiritus concupiscit adversus carnem.* Disp. 16, n. 80.

## EX EPISTOLA AD EPHESIOS.

1. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius remissionem peccatorum.* Disp. 15, n. 71, et 105 et 107.
1. *Proposuit instaurare omnia in Christo.* Disp. 15, n. 11.
2. *Eramus natura filii iræ.* Disp. 2, n. 2 et disp. 14, n. 5 et 14 et 46.
2. *Reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso.* Disp. 15, n. 165.
5. *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi Ecclesiam gloriosam non habentem maculam aut rugam, etc.* Quæst. 86, art. 2, n. 4.

## EX EPISTOLA AD COLOSSENSIS.

1. *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum.* Disp. 14, n. 6.
1. *Complacuit per eum reconciliari omnia in ipsum.* Disp. 15, n. 164.
1. *Pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in cælis, sive quæ in terris, etc.* Disp. 15, n. 112.
1. *Cum essetis aliquando alienati et inimici, nunc reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem.* Disp. 15, n. 165.

## EX EPISTOLA I AD TIMOTHEUM.

1. *Finis præcepti est charitas.* Disp. 19, n. 29.
1. *Christus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere.* Disp. 15, n. 61 et 161 et 191.
2. *Qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Disp. 20, n. 28.
2. *Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Disp. 15, n. 69 et 108 et 162 et 163.
2. *Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit.* Disp. 16, n. 181.

4. *Qui est salvator omnium hominum.* Disp. 15, n. 162.

## EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

9. *Novi testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, etc.* Disp. 15, n. 163.  
11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et quia sperantibus in se remunerator est.* Disp. 20, n. 64.

## EX JACOBO.

1. *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua.* Disp. 16, n. 80.  
1. *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit generat mortem, etc.* Disp. 19, n. 52.  
2. *Quicumque totam legem servaverit, offendet autem in uno, factus est omnium reus.* Disp. 19, n. 10.

## EX EPISTOLA I PETRI.

1. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati, etc.* Disp. 15, n. 108.

## EX 2 PETRI.

1. *Maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut efficiamur divinæ consortes naturæ.* Disp. 18, n. 3.  
2. *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tar-*

*tarum. tradidit cruciandos.* Disp. 18, n. 28.

## EX EPISTOLA I JOANNIS.

1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Disp. 15, n. 233 et disp. 19, n. 52.

## EX JUDA.

*Angelos qui non servaverunt suum principatum, vinculis æternis sub caligine reservavit.* Disp. 18, n. 28.

## EX APOCALYPSI.

5. *Redemisti nos Deus in sanguine tuo.* Disp. 15, n. 108.  
14. *Sine macula sunt ante thronum Dei.* Quæst. 86, art. 2, n. 4.  
14. *Fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum, neque habebunt requiem die ac nocte.* Disp. 17, n. 56.  
18. *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit; tantum date illi tormentum et luctum.* Disp. 17, n. 95.  
20. *Apprehendit draconem et alligavit eum per annos mille, et misit eum in abyssum et clausit.* Disp. 18, n. 28.  
20. *Missus est diabolus in stagnum ignis et sulphuris, ubi et bestia et Pseudo-propheta cruciabuntur die ac nocte.* Disp. 18, n. 23.  
20. *Cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.* Disp. 17, n. 56.  
21. *Non intrabit in ea aliquid coinquinatum.* Disp. 18, n. 6.

LAUS DEO.





# TRACTATUS

## DECIMUS TERTIUS

(PARS ALTERA.)

### QUÆSTIO LXXIX

*De causis exterioribus peccati, in quatuor Articulos divisa.*

*Deinde considerandum est de causis exterioribus peccati. Et primo ex parte Dei. Secundo ex parte diaboli. Tertio ex parte hominis. Circa primum quærentur quatuor.*

#### ARTICULUS I.

*Utrum Deus sit causa peccati?*

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod Deus sit causa peccati. Dicit enim Apostolus Roman. 1, de quibusdam: Tradidit eos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt. Et glossa ibidem dicit, quod Deus operatur in cordibus hominum, inclinando voluntates eorum in quodcumque voluerit, sive in bonum, sive in malum: sed facere quæ non conveniunt, et inclinari secundum voluntatem ad malum, est peccatum: ergo Deus hominibus est causa peccati.

2. Præterea: Sapient. 14 dicitur: Creatura: Dei in odium factæ sunt, et in tentationem animæ hominum: sed tentatio solet dici provocatio ad peccandum: cum ergo creaturae non sint factæ nisi a Deo (ut in primo habitum est) videtur quod Deus sit causa peccati, provocans hominem ad peccandum.

3. Præterea: quicquid est causa causæ, est causa effectus: sed Deus est causa liberi arbitrii, quod est causa peccati: ergo Deus est causa peccati.

4. Præterea: omne malum opponitur bono: sed non repugnat divinæ bonitati, quod ipse sit causa mali pænæ: de isto enim malo dicitur Isa. 45, quod Deus est creans malum. Et Amos 3: Si est malum in civitate, quod Deus non fecerit: ergo etiam divinæ bonitati non repugnat, quod Deus sit causa culpæ.

Sed contra: Sapient. 11 dicitur: Nihil odisti eorum, quæ fecisti: odit autem Deus peccatum, secundum illud Sapient. 14: Odio est Deo impius, et impietas ejus: ergo Deus non est causa peccati.

Respondeo dicendum, quod homo dupliciter est causa peccati, vel sui, vel alterius. Uno modo directe, inclinando scilicet voluntatem suam, vel alterius ad peccandum. Alio modo indirecte, dum scilicet non retrahit aliquos a peccato. Unde Ezech. 3 speculatori dicitur: Si non dixeris impio, morte morieris, sanguinem ejus de manu tua requiram: Deus autem non potest esse directe causa peccati, vel sui, vel alterius: quia omne peccatum est per recessum ab ordine, qui est in Deum sicut in finem. Deus autem omnia inclinat, et convertit in se ipsum sicut in ultimum finem, sicut Dionysius dicit I cap. de divin. nomin. Unde impossibile est, quod sit sibi vel aliis causa discedendi ab ordine, qui est in ipsum; unde non potest directe esse causa peccati. Similiter etiam neque indirecte: contingit enim, quod Deus aliquibus non præbet auxilium ad evitandum peccata, quod si præberet non peccarent, sed hoc totum facit secundum ordinem suæ sapientiæ et justitiæ, cum ipse sit sapientia et justitia. Unde non imputatur ei, quod alius peccet sicut causæ pec-

cati: sicut gubernator non dicitur causa submersionis navis ex hoc, quod non gubernat navem, nisi quando subtrahit gubernationem, potens et debens gubernare. Et sic patet, quod Deus nullo modo est causa peccati.

Ad primum ergo dicendum, quod quantum ad verba Apostoli, ex ipso textu patet solutio: si enim Deus tradit aliquos in reprobum sensum: jam ergo reprobum sensum habent ad faciendum ea, quæ non conveniunt; dicitur ergo tradere eos in reprobum sensum, in quantum non prohibet eos, quin suum sensum reprobum sequantur, sicut dicimur exponere illos, quos non tucmur. Quod autem Augustinus dicit in lib. de gra. et libe. arbit. unde sumpta est glossa, quod Deus inclinat voluntates hominum in bonum et malum, sic intelligendum est, quod in bonum quidem directe inclinat voluntatem: in malum autem, in quantum non prohibet, sicut dictum est; et tamen hoc etiam contingit ex merito præcedentis peccati.

Ad secundum dicendum, quod cum dicitur: Creatura: Dei factæ sunt in odium, et in tentationem animæ hominum, hæc propositio, *in*, non ponitur causaliter, sed consequutive: non enim Deus fecit creaturas ad malum hominum, sed hoc consequutum est propter insipientiam hominum: unde subditur: Et in mœsculam pedibus insipientium, qui scilicet per suam insipientiam utuntur creaturis ad aliud, quam ad quod factæ sunt.

Ad tertium dicendum, quod effectus causæ mediæ procedens ab ea, secundum quod subditur ordini causæ primæ, reducitur etiam in causam primam: sed si procedat a causa mediæ, secundum quod exit ordinem causæ primæ, non reducitur in causam primam: sicut si minister faciat aliquid contra mandatum Domini, hoc non reducitur in Dominum sicut in causam. Et similiter peccatum, quod liberum arbitrium committit contra præceptum Dei, non reducitur in Deum sicut in causam.

Ad quartum dicendum, quod pœna opponitur bono ejus, qui punitur, qui privatur quocumque bono; sed culpa opponitur bono ordinis, qui est in Deum: unde directe opponitur bonitati divinæ, et propter hoc non est similis ratio de culpa et pœna.

Conclusio est negativa: Quæ optime demonstratur in littera. Debetque accipi ut sonat, absolute et sine distinctione penes *directe* vel *indirecte*: *per se*, vel *per accidens*, etc. Cujus veritati non obstat, quod Deus sit causa entitatis, actualitatis, et aliorum,

quæ in peccato habent se de naturali, ut dicitur art. sequenti : quia verba, quæ significant actionem, sicut significat hoc, quod est *causare peccatum*, non appellant, neque applicant significatum suum supra materiale termini, cui junguntur ; sed supra formale : ut si quis dicat, se fecisse statuam, sensus est, quod fecerit non lignum, quod est materia statuæ ; sed statuæ formam, seu statuam ipsam formaliter. Quod ergo Deus causet entitatem, et alia, quæ in peccato omnino materialia sunt, nequaquam sufficit ut verificetur hæc propositio *Deus est causa peccati* ; quandoquidem non causat ejus formale, quod est malitia et deformitas. Et ideo prædicta propositio absolute et sine distinctione est semper neganda : et opposita absolute et sine distinctione asserenda.

Quod si apud Patres vel Scripturam aliquæ reperiantur loquutiones, in quibus causalitas erga peccatum videatur Deo tribui : interpretari debent vel de concursu ad materiale dumtaxat, vel solum per modum permissionis, aut alio simili : ita ut omnis verus influxus in malitiam a divina causalitate penitus abigat. Non autem licitum nobis erit hujusmodi loquutiones imitari : quia non omnia possumus omnes : nec quicquid Spiritui Sancto placuit circa modum loquendi permissumque est Patribus vel ad oppositam hæresim firmiter evertendam, vel ob alios fines ; modo cum utrinque errores imminent, licere nobis existimandum est. Debemus igitur quod scriptum reperimus, pie et reverenter exponere ; in his autem, quæ scribimus, vel loquimur, quantum fas sit, a sensu improprio, aut minus formali calamum et linguam cohibere. Quod satis edocemur a D. Thoma in solut. ad 1 hujus art. ubi pro exponendo magistro suo Augustino acceptavit sensum minus rigorosum, et minus formalem : a quo tamen ipse abstinet in corpore articuli, et alibi, dum ut magister loquitur, et ex propriis doctrinam tradit. Plura dicenda essent supra hunc articulum ad examinandum quam peccatum habeat causam : et unde ea ortum ducat. Sed id jam præstitimus disp. 12, quæ est de potentia peccandi. Errores vero hæreticorum tribuentium Deo causalitatem erga peccatum, referunt, et impugnant Medina, Curiel, Alvarez, et alii expositores D. Thomæ in præsentem, quos poteris consulere.

## ARTICULUS II.

*Utrum actus peccati sit a Deo?*

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod actus peccati non sit a Deo. Dicit enim Augustinus in lib. de perfect. justitiæ, quod actus peccati non est res aliqua : omne autem, quod a Deo est, est res aliqua : ergo actus peccati non est a Deo.

2. Præterea : homo non dicitur esse causa peccati, nisi quia homo est causa actus peccati : nullus enim intendens malum, operatur, ut Dionysius dicit 4, cap. de divi. nomin. sed Deus non est causa peccati, ut dictum est : ergo Deus non est causa actus peccati.

3. Præterea : aliqui actus secundum suam speciem sunt mali, et peccata, ut ex supradictis patet : sed quicquid est causa alicujus, est causa ejus, quod convenit ei secundum suam speciem : si ergo Deus esset causa actus peccati, sequeretur quod esset causa peccati : sed hoc non est verum, ut ostensum est : ergo Deus non est causa actus peccati.

Sed contra : actus peccati est quidam motus liberi arbitrii : sed voluntas Dei est causa omnium motionum, ut August. dicit 3, de Trinit. ergo voluntas Dei est causa actus peccati.

Respondeo dicendum, quod actus peccati et est ens, et est actus, et ex utroque habet, quod sit a Deo : omne enim ens, quocunque modo sit, oportet quod derivetur a primo ente, ut patet per Dionysium 5 cap. de divi. nomin. omnis autem actio causatur ab aliquo existente in actu, quia nihil agit, nisi secundum quod est actu : omne autem ens actu reducitur in primum actum, scilicet Deum, sicut in causam, qui est per suam essentiam actus. Unde relinquunt, quod Deus sit causa omnis actionis, in quantum est actio : sed peccatum nominat ens, et actionem cum quodam defectu : defectus autem ille est ex causa creata, scilicet libero arbitrio, in quantum deficit ab ordine primi agentis, scilicet Dei. Unde defectus iste non reducitur in Deum sicut in causam ; sed in liberum arbitrium : sicut defectus claudicationis reducitur in tibiam curvam sicut in causam ; non autem in virtutem motivam : a qua tamen causatur quicquid est motionis in claudicatione : et secundum hoc Deus est causa actus peccati, non est tamen causa peccati : quia non est causa hujus, quod actus sit cum defectu.

Ad primum ergo dicendum, quod August. nominat ibi rem id, quod est res simpliciter, scilicet substantiam : sic enim actus peccati non est res.

Ad secundum dicendum, quod in hominem sicut in causam reducitur non solum actus, sed etiam ipse defectus : quia scilicet non subditur ei, cui debet subdi, licet hoc ipse non intendat principaliter, et ideo homo est causa peccati : sed Deus sic est causa actus, quod nullo modo est causa defectus concomitantis actum, et ideo non est causa peccati.

Ad tertium dicendum, quod sicut dictum est supra, actus et habitus non recipiunt speciem ex ipsa privatione, in qua consistit ratio mali ; sed ex aliquo objecto, cui conjungitur talis privatio : et sic ipse defectus, qui dicitur non esse a Deo, pertinet ad speciem actus consequenter, et non quasi differentia specifica.

**Conclusio :** *Deus est causa actus peccati ; non tamen est causa peccati : quia non est causa hujus, quod actus sit cum defectu.*

Hic etiam opus erat longa disceptatione, ut plene innotesceret ; quo pacto Deus ad entitatem actus, et alia, quæ in peccato sunt de materiali, concurrat : an scilicet solo concursu simultaneo terminato immediate ad effectum : an vero etiam concursu prævio physice præmovente, et prædeterminante efficaciter ad illum voluntatem creatam, sicut concurrat ad actus bonos. Sed huic etiam disputationi supersedendum est. Tum ut omnino pareamus summorum

Pontificum decretis, quibus utriusque partis defensoribus interdicitur tractatus, vel disputationes super hac re typis mandatas in lucem edere. Tum etiam quia quicquid ad præsens necessarium esse poterat, fuisse tradidimus tom. 2, in tract. de volunt. Dei disp. 10, agentes de divinis prædictionibus: quarum infallibilitatem et efficaciam indispensabiliter consequitur ad extra præmotio physica efficax ex natura rei, qua voluntas creata physice a Deo præmovetur, et applicatur ad actum decreto ejus prædeterminatum, absque ullo præjudicio libertatis. Unde quicquid illic dub. 7 de prædictis prædictionibus dictum fuit quantum ad attingentiam materialis peccati, asserimus hic de præmotionibus, seu prædeterminationibus physicis ad prædictum materiale in voluntate creata receptis: sine quibus certitudo et efficacia divinorum decretorum nequaquam ad actum prædeterminatum pertingeret. Quomodo autem ex hoc prævio et efficaci Dei concursu ad materiale peccati materialiter sumptum, nullatenus inferatur concursus illius ad malitiam, imo potius per talem concursum divina causalitas a malitia penitus retrahatur, explicuimus etiam ibidem a num. 158 et in hoc tract. disp. 6, a num. 86. Numero autem 51, explicuimus solutionem ad 3 hujus art. ut non militet contra nostram sententiam de constitutivo peccati actualis per positivum; ut primo aspectu sonare videbatur.

ARTICULUS III.

*Utrum Deus sit causa excæcationis et indurationis?*

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod Deus non sit causa excæcationis et indurationis. Dicit enim Augustinus lib. 83 quæst. quod Deus non est causa ejus, quod homo sit deterior: sed per excæcationem et obdurationem fit homo deterior: ergo Deus non est causa excæcationis et obdurationis.

2. Præterea: Fulgentius dicit, quod Deus non est ultor illius rei, cujus est actor: sed Deus est ultor cordis obdurati secundum illud Eccles. 3: Cor durum male habebit in novissimo: ergo Deus non est causa obdurationis.

3. Præterea: idem effectus non attribuitur causis contrariis: sed causa excæcationis dicitur esse malitia hominis, secundum illud Sap. 2: Excæcavit enim eos malitia eorum. Et etiam diabolus, secundum illud 2 ad Corint. 4: Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium: quæ quidem causæ videntur esse contrariæ Deo: ergo Deus non est causa excæcationis et obdurationis.

Sed contra est, quod dicitur Isaia 6: Excæca cor populi hujus, et aures ejus ægrava. Et Roman. 9 dicitur: Cujus vult miseretur, et quem vult indurat.

Respondetur dicendum, quod excæcatio et obduratio duo important. Quorum unum est motus animi humani inhærentis malo, et aversi a divino lumine: et quantum ad hoc Deus non est causa excæcationis et obdurationis, sicut non est causa peccati. Aliud autem est subtractio gratiæ, ex qua sequitur, quod mens divinitus non illuminetur ad recte videndum, et cor hominis non emolliatur ad recte vivendum: et

quantum ad hoc Deus est causa excæcationis et obdurationis. Est autem considerandum, quod Deus est causa universalis illuminationis animarum, secundum illud Joan. 1: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: sicut sol est universalis causa illuminationis corporum; aliter tamen et aliter. Nam sol agit illuminando per necessitatem naturæ: Deus autem agit voluntarie per ordinem suæ sapientiæ. Sol autem licet quantum est de se, omnia corpora illuminet; si quod tamen impedimentum inveniat in aliquo corpore, relinquit illud tenebrosum: sicut patet de domo, cujus fenestræ sunt clausæ: sed tamen illius obscuræ nullo modo causa est sol; non enim suo judicio agit, ut lumen interius non immittat, sed causa ejus est solum ille, qui claudit fenestram. Deus autem proprio judicio lumen gratiæ non immittit illis, in quibus obstaculum invenit. Unde causa subtractionis gratiæ est non solum ille, qui ponit obstaculum gratiæ, sed etiam Deus, qui suo judicio gratiam non apponit: et per hunc modum Deus est causa excæcationis, et aggravationis aurium, et obdurationis cordis: quæ quidem distinguuntur secundum effectus gratiæ, quæ et perficit intellectum dono sapientiæ, et affectum emolliat igne charitatis. Et quia ad cognitionem intellectus maxime deserviunt duo sensus, scilicet visus, et auditus, quorum unus deservit inventioni, scilicet visus; alius discipline scilicet auditus: ideo quantum ad visum ponitur excæcatio; quantum ad auditum, aurium aggravatio; quantum ad affectum, obduratio.

Ad primum ergo dicendum, quod cum excæcatio et induratio ex parte subtractionis gratiæ sint quedam pœnæ, ex hac parte eis homo non fit deterior, sed deterior factus per culpam, hæc incurrit, sicut et ceteras pœnæ.

Ad secundum dicendum, quod obiectio illa procedit de obduratione, secundum quod est culpa.

Ad tertium dicendum, quod malitia est causa excæcationis meritoria, sicut culpa est causa pœnæ: et hoc etiam modo diabolus excæcare dicitur, in quantum inducit ad culpam.

Prima conclusio: *Si excæcatio et induratio sumantur secundum quod important motum animi inhærentis malo, et aversi a divino lumine, non est Deus causa illarum; sicut non est causa peccati.*

Secunda conclusio: *Deus est causa excæcationis et indurationis, quatenus important subtractionem gratiæ, ex qua subtractione sequitur ut mens non illuminetur ad recte videndum, et cor non emolliatur ad recte vivendum.*

*Commentarius.*

1. Circa primam conclusionem nota, quod excæcatio et induratio, prout in ea accipiuntur, sunt formaliter peccatum: et ideo eadem ratione, qua in primo articulo negavit D. Thom. Deum esse causam peccati, negat hic esse causam prædictæ excæcationis et indurationis. Unde si constaret, nomina excæcationis et indurationis significare dumtaxat prædictum motum, quo voluntas malo inhæret, et a Deo avertitur, superflueret hic articulus post præcedentes, ubi remota fuit a Deo omnis causalitas in peccatum. Ideo vero necessarius est, quia prædicta nomina etiam satis proprie accipiuntur pro subtractione et denegatione auxiliorum gratiæ, juxta sensum secundæ

assertionis : satisque oportebat nomina ipsa exponere, et significata distinguere : specialiusque declarare, num eodem vel diverso modo discurrendum sit de secundo significato, sicut de primo. In quo vero differant excæcatio, et induratio, atque etiam aggravatio, sive priori, sive posteriori modo sumantur, explicat D. Thom. in fine corporis.

Dubita-  
tio.

Circa secundam conclusionem potest dubitari, cujus gratiæ sit illa subtractio, seu denegatio, quæ dicitur esse a Deo : an scilicet solius gratiæ actualis, sive auxiliorum, quibus voluntas creata excitatur, et movetur a Deo ad recte operandum, et peccata deserenda : an vero etiam gratiæ habitualis sanctificantis animam ? Videtur enim hujus carentia non posse esse a Deo : quia ut disp. 16, dub. 5, dicemus ; talis carentia est aversio ab illo et constitutiva culpæ habitualis, cujus Deus nequit esse causa.

2. Verum enimvero quantum est ex hoc capite non satis excluditur prædicta carentia a ratione excæcationis et indurationis, etiam quatenus ponuntur Dei effectus : quia ut dicemus dub. cit. num. 129, talis carentia secundum diversas rationes et est culpa, et est pœna, ac proinde quantum ad primam rationem potest esse effectus Dei ; et quantum ad secundam aversio et recessus ab illo. Verum est autem, nomina excæcationis et indurationis magis supponere pro denegatione auxiliorum, quam pro denegatione vel carentia gratiæ habitualis. Et ideo quamvis omnes peccatores careant hujusmodi gratia ; non tamen omnes simpliciter *excæcati* aut *indurati* dicuntur : quia non omnibus desunt auxilia constituentia in eo statu, ut possint facile ad gratiam redire. Ex quo fit, quod non quælibet denegatio auxiliorum constituat prædictam excæcationem vel indurationem : sed cum in tantum peccatori denegantur, oblatis præsertim resurgendi occasionibus, et admonitionibus non paucis, ut quasi nec pungatur damnationis timore : nec terreatur minis : nec divinis pollicitationibus moveatur ; sed in suis sordibus quasi exanimis et supinus permittatur jacere : adeo ut specialiter digito Dei opus sit, ut inde ad pœnitentiam revocetur. Quando vero denegatio auxiliorum efficacium ad hunc gradum secundum magis vel minus non pertingit, non ita absolute et simpliciter dicenda est excæcatio vel induratio : licet quælibet, ad quam sequitur culpa mortalis, aut permanentia in illa, possit ita nuncupari non simpliciter,

sed secundum quid et inchoative : quatenus ex se ad excæcationem et indurationem tendit ; nisi divina misericordia et gratia impediatur.

Dubita-  
tio.

3. Secundo potest dubitari, quo pacto Deus ad prædictam excæcationem et indurationem concurrat ? Expositores enim D. Thomæ hoc loco varios concurrendi modos ex Augustino et aliis Patribus adducunt : qui tamen majori ex parte ad concursum permissivum reducuntur : vixque alium concursum magis directum, aut magis positivum agnoscunt : sicut nec differentiam quantum ad hoc inter prædictam excæcationem vel indurationem, et inter peccatum : ut videre est apud Medinam, Alvarez, Curielem, et alios. Verum licet ita dicendum sit loquendo de excæcatione et induratione juxta sensum primæ conclusionis (qui est frequens in Patribus) quo pacto diximus esse formaliter peccatum : loquendo tamen de illis juxta sensum secundæ, prout D. Thom. in præsentī loquitur, omnino aliter est asserendum. Quia excæcatio vel induratio in hoc posteriori sensu non est culpa, sed pœna : pœna autem non est a Deo solum permissive, sed directe et positive (saltem moraliter, ut statim dicemus) positive quippe ab illo taxatur, et decernitur in punitionem, et reparationem præcedentis culpæ : ergo, etc.

Esse vero ita asserendum juxta mentem D. Thom. D. Thomæ, patet tum ex illis verbis, quæ habet in corp. : *Deus autem proprio judicio lumen gratiæ non immittit illis, in quibus obstaculum invenit : unde causa subtractionis gratiæ est non solum ille, qui ponit obstaculum gratiæ, sed etiam Deus, qui suo judicio gratiam non apponit. Et per hunc modum Deus est causa excæcationis, aggravationis aurium, et obdurationis cordis, etc.* Constat autem Deum non se habere solum permissive respectu effectus, quem proprio judicio decernit. Tum etiam quia si Deus respectu excæcationis et indurationis in sensu, quo loquimur, haberet se tantum permissive, non tribueret ei absolute D. Thom. rationem causæ respectu illarum : sicut eam non tribuit respectu peccati in primo articulo : neque in hoc tribuit, sed potius absolute denegat respectu excæcationis et indurationis in sensu illo priori. Unde qui in expositione præsentis articuli causalitatem Dei in excæcationem et indurationem ad solam permissionem reducit : vel non distinguit cum ipso D. Thoma duas illas rationes culpæ et pœnæ, quæ in prædictis debent distinguui :

distingui : vel loquitur extra mentem S. Doctoris.

**Objectio.** 4. Sed objicies : quia prædicta denegatio gratiæ, vel auxiliorum, constituens excæcationem et indurationem, ea solum ratione potest dici esse a Deo, quatenus ipse potest conferre auxilia ut impediatur, et non confert : at hoc non sufficit ad rationem veri effectus, neque arguit majorem concursum quam permissivum : ergo hoc dumtaxat modo dicendus est Deus causa excæcationis et indurationis. Major videtur perspicua. Minor autem probatur. Tum quia etiam respectu peccati negat Deus auxilia, quæ si conferret, impediret illud : et tamen non idcirco tribuitur ei aliquis influxus in peccatum, sed sola permissio, ut videre est art. 1 hujus quæst. Tum etiam, quia ut aliqua omissio vel carentia censeatur alicui voluntaria, sitque proinde ejus effectus, non sufficit facultas ad impediendam illam, nisi adsit obligatio impediendi : ut docet D. Thom. cit. art. 1, et explicuimus in tract. de voluntario disp. 4, dub. 2; cum igitur Deo nulla sit obligatio impediendi excæcationem vel indurationem, non est quo pacto censeantur illi voluntariæ, aut reducantur in ipsum tanquam in causam, ex eo quod non impediat.

**Diluitur.** Huic objectioni, omissis pro nunc aliis solutionibus, quæ infra disp. 17, dub. 2, examinantur, respondetur negando majorem. Plus enim aliquid habet Deus respectu excæcationis et indurationis, qua ratione sunt pœna, quam non conferre auxilia, quibus vitarentur : videlicet discernere et diffinire talem pœnam, denegareque prædicta auxilia ex animo et intentione puniendi illud subjectum per talem negationem. In quo quamvis nullus importetur influxus physicus, adhuc indirectus; importatur tamen quædam causalitas moralis sufficiens, ut Deus dicatur auctor ipsius pœnæ : hujusque inflictio illi tribuatur, quatenus eam approbat, definit, et determinat. Quod potest exemplo declarari. Si enim Petrus v. g. casu extra propriam patriam reperiretur, sed ad quam redire non posset sine auxilio non debito alicujus judicis, is autem in pœnam cujusdam criminis negaret tale auxilium, volens et discernens ut exul permaneret, exilioque illo puniretur : jure diceretur prædictus judex punire Petrum tali exilio, et esse causa et auctor illius pœnæ : non propter aliquem influxum physicum in illam adhuc indirectum ; sed quia eam definivit et decrevit,

ex ejusque intentione auxilium ad redeundum in patriam denegavit. Qui enim hoc modo disponit circa aliquem effectum, in quem physice non influit, moraliter se habet ac si influeret : et ita merito dici potest causa ejus moralis. Imo si prædicta pœna sumatur non jam quantum ad substantiam, sed quantum ad denominationem *definitæ* et *decretæ*, potest dici judex causa ejus physice : quia talis denominatio physice est, saltem in genere causæ formalis, ab actu quo talis pœna diffinitur, et decernitur. Hoc autem modo Deus se habet ad excæcationem et indurationem, qua ratione sunt pœna : adeoque merito potest dici earum causa, et non solum permittens.

5. Ad minorem vero objectionis dicendum est, quod licet denegatio auxiliorum præcise sumpta non importet majorem concursum, quam permissionem, ut tamen procedit ex intensione pœnæ infligendæ, una cum decreto decernente ipsam pœnam, ejusque ablationem impediende, induit rationem causæ saltem moralis : sicut dicitur causa alicujus effectus ille, qui ita consulit, præcipit, vel approbat illum, ut ex hac approbatione, præcepto, vel consilio ablatio ejus impediatur.

Ad primam probationem respondetur, Deum circa peccatum ideo habere se solum permissive, quia neque illud decernit, neque approbat : neque ex intentione ut sit vel permaneat, auxilia subtrahit : sed ut aliquid sibi oppositum, omninoque extra objectum suæ voluntatis illud detestatur : unde nullo pacto potest dici ejus causa. Secus autem respectu excæcationis, et cujuscunque alterius habentis rationem pœnæ : quod proinde secundum hanc rationem cedit sub prædicto objecto, et est aliquid a divina voluntate decretum, et volitum, capaxque ut in ipsam refundatur, et ab ea emanet. Propterea vero pœna ista, de qua loquimur, non emanat physice de facto, quia cum sit negatio et carentia, non indiget emanatione, sed adest se ipsa, eo ipso quod non impediatur : quamvis non se sola absque decreto judicis habeat proprie rationem pœnæ.

6. Ad secundum concedimus non sufficere solam facultatem impediendi aliquam omissionem vel carentiam, ut talis carentia aut omissio tribuatur omissenti sive physice, sive moraliter. Imo ut censeatur ei voluntaria physice et rigore, sitque hoc modo ejus effectus, omnino exigitur vel debitum, vel præexistencia et interruptio

actus : ut explicuimus loco cit. ubi loquebamur de hoc voluntario physico. Cæterum ut talis omissio vel carentia dicatur effectus moraliter, tribuaturque hoc modo non impediendi, satis est una cum prædicta facultate, quod sit volita, et decreta ab illo, et quod ipse subtrahat auxilia, quibus impediretur, ex intentione ut permaneat, et per illam subjectum puniatur. Nam eo ipso qui talia auxilia denegat, quamvis debita non sint, adimplet suam voluntatem in permanentia et conservatione illius carentiæ : consequiturque effectum a se intentum, qui est punire culpam per bonorum privationem, undecunque hæc physice oriatur, vel sine ortu adsit. In quo æquivalenter præstat idem, ac si talem privationem ex opposito actu, vel ex ejus debito physice causaret. Et quia hoc modo contingit in excæcatione et induratione, prout habent rationem pœnæ, non autem in peccato, merito hoc excluditur omnino a causalitate Dei, et solum permitti ab eo dicitur, illæ vero inter divinos effectus absolute numerantur.

Animadvertimus iterum, SS. Patres agentes de excæcatione mentis, induratione cordis, et aurium aggravatione, multoties loqui de illis, secundum quod habent rationem culpæ : et ideo excludunt eas ab omni vera causalitate Dei, relinquuntque dumtaxat sub permissione. De quo plura D. Augustinus serm. 88 de tempore in illud Exod. 9: *Induravit Dominus cor Pharaonis*, et alibi. Quamvis quod ibi ait, scilicet *Pharaonem non divina potentia, sed divina patientia credenda est obdurasse*, et similia, sufficienter possunt exponi etiam de induratione ut pœna : quia per tales loquutiones non excluditur causalitas moralis, quam diximus ; sed ad summum causalitas physica, ut recte consideranti patebit. Quinimo cum S. Doctor ait, Deum ideo dici *indurare aliquem*, quia indurare permittit, potest intelligi non de nuda permissione, sicut est respectu peccati ; sed vel de permissione habente secum prædictam causalitatem moralem : vel de permissione sumpta pro patientia et tolerantia, qua Deus induratum sustinet, non immittens ei flagella et supplicia, quibus emolliatur, flectatur, et ad pœnitentiam revocetur. Cum quo optime staret aliquis Dei influxus in ipsam obdurationem.

Duplex alia difficultas posset hic agitari : prima, utrum aliqui peccatores in hac vita in tantum excæcationis et indurationis perveniant, ut de lege ordinaria non possint

ab statu illo egredi ? Secunda, utrum Deus omnibus peccatoribus concedat sufficientia auxilia, ut possint a peccato resurgere ? Sed prima difficultas reservanda est 3 parti, ubi tractatur a D. Thoma quæst. 86, art. 1 et negative resolvitur : imo esset manifestus error vel hæresis oppositum adstruere, ut probat Alvar. in præsentia disp. 169, num. 8. Secunda spectat ad materiam de gratia, ubi ad plenum examinabitur : præmittemus vero aliquid infra disp. 20.

#### ARTICULUS IV.

*Utrum excæcatio et obduratio semper ordinentur ad salutem ejus qui excæcatur et obduratur ?*

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod excæcatio et obduratio semper ordinentur ad salutem ejus, qui excæcatur et obduratur. Dicit enim Augustinus in Enchir. quod Deus cum sit summe bonus, nullo modo permittet fieri aliquod malum, nisi posset ex quolibet malo elicere bonum : multo igitur magis ordinat ad bonum illud malum, cujus ipse est causa : sed excæcationis et obdurationis Deus est causa, ut dictum est : ergo hæc ordinantur ad salutem ejus, qui excæcatur et obduratur.

2. Præterea : Sapient. 1, dicitur, quod Deus non delectatur in perditione impiorum : videretur autem in perditione eorum delectari, si eorum excæcationem in bonum eorum non converteret ; sicut medicus videretur delectari afflictione infirmi, si medicinam amaram, quam infirmo propinat, ad ejus sanitatem non ordinaret : ergo Deus excæcationem convertit in bonum excæcorum.

3. Præterea : Deus non est personarum acceptor, ut dicitur Act. 10, sed quorundam excæcationem ordinat ad eorum salutem, sicut quorundam Judæorum, qui excæcati sunt, ut Christo non crederent, et non credentes occiderent, et postmodum compuncti converterentur, sicut de quibusdam legitur Act. 2, ut patet per Augustinum in lib. de quæstionibus Evangelii : ergo Deus omnium excæcationem convertit in eorum salutem.

Sed contra : non sunt facienda mala, ut veniant bona, ut dicitur Rom. 3, sed excæcatio est malum : ergo Deus non excæcat aliquos propter eorum bonum.

Respondeo dicendum, quod excæcatio est quoddam præambulum ad peccatum : peccatum autem ad duo ordinatur, ad unum quidem per se, scilicet ad damnationem : ad aliud autem ex divina misericordia, vel providentia, scilicet ad sanationem, in quantum Deus permittit aliquos cadere in peccatum, ut peccatum suum agnoscerent, humiliarentur et convertantur, sicut Augustinus dicit in lib. de natur. et grat. unde et excæcatio ex sui natura ordinatur ad damnationem ejus, qui excæcatur (propter quod ponitur etiam reprobationis effectus) sed ex divina misericordia excæcatio ad tempus ordinatur medicinaliter ad salutem eorum, qui excæcantur. Sed hæc misericordia non omnibus impenditur excæcatis, sed prædestinatis solum, quibus omnia cooperantur in bonum, sicut dicitur Roman. 8. Unde quantum ad quosdam excæcatio ordinatur ad sanationem : quantum autem ad alios, ad damnationem, ut Augustinus dicit in 3 de quæstionibus Evangelii.

Ad primum ergo dicendum, quod omnia mala, quæ Deus facit, vel permittit fieri, ordinantur in aliquod bonum ; non tamen semper in bonum ejus, in quo est malum : sed quandoque ad bonum alterius, vel etiam totius universi, sicut culpam tyrannorum ordinat in bonum martyrum, et pœnam damnatorum ordinat ad gloriam justitiæ suæ.

Ad secundum dicendum, quod Deus non delectatur in perditione hominum quantum ad ipsam perditionem, sed ratione suæ justitiæ, vel propter bonum, quod inde provenit.

Ad tertium dicendum, quod hoc, quod Deus aliquorum excæcationem ordinat in eorum salutem, misericordiam est, quod autem excæcat aliorum ordinat ad eorum damnationem, justitiæ est : quod autem misericordiam quibusdam impendit,

impedit, et non omnibus, non facit personarum acceptionem in Deo, sicut in primo dictum est.

Ad quartum dicendum, quod mala culpæ non sunt facienda, ut veniant bona: sed mala pœnæ sunt inferenda propter bonum.

Prima conclusio: *Excœcatio et induratio ex sua natura tendunt ad condemnationem ejus, qui excœcatur et induratur: ex divina vero providentia et misericordia sæpe ordinantur ad ejus sanationem.*

Secunda conclusio: *Excœcatio et induratio in prædestinatis ordinantur ad eorum sanationem; in reprobis vero ad condemnationem.*

Nonnihil difficultatis est circa primam conclusionem: quia in præsentī fit sermo de excœcatione et induratione, non ut habent rationem culpæ, sed pœnæ, ut ex præced. art. et commentario constat: pœna autem cum sit bona, et a Deo, non videtur per se ordinari ad damnationem, sicut ordinatur peccatum, eo quod habeat rationem mali. Sed respondetur, in damnatione duo reperiri: alterum ipsum statum malitiæ, et obstinationis in peccato, qui est malus, et Deo summe displicet: alterum vero ipsam æternam punitionem, quæ est bona, et divinæ justitiæ effectus. Licet ergo excœcatio (idem est de induratione) sumpta pro pœna, eo quod est bona, et a Deo, non ordinetur per se ad damnationem ut dicentem illud prius, bene tamen ut dicentem hoc posterius: quia sic bonum non ordinatur ad malum, sed ad bonum. E contra vero peccatum non ordinatur ex se ad damnationem ut dicentem illud posterius, sed ut dicentem aliud prius: quia malum ex se non tendit nisi ad malum. Neque ex

hac doctrina inferas, quod sicut omne peccatum tendit per se ad damnationem secundum priorem illam rationem, quam diximus, ita omnis pœna tendat per se ad illam secundum posteriorem. Sunt enim aliquæ pœnæ, quæ potius sunt medicinæ: et tales pœnæ per se ad salutem tendunt. Verificatur autem prædicta doctrina, quod scilicet pœna tendit per se ad damnationem, in spiritualibus, uti est induratio, et quælibet privatio gratiæ et virtutum: nam istarum carentia semper, quantum est ex se, ducit ad damnationem: et ob id nequit licite desiderari, etiam secundum eam rationem, secundum quam non est culpa, sed pœna, ut disp. 11, num. 45 tetigimus.

Circa secundam conclusionem ingerit etiam difficultatem, an illa misericordia, per quam excœcatio ordinatur ad sanationem, solum impendatur prædestinatis? Nam videtur, quod etiam multoties impendatur reprobis. Sunt enim aliqui istorum, qui postquam semel excœcati fuerunt, illuminantur et ad gratiam trahuntur, licet tandem relapsi damnentur. Ad hoc potest dici, vel quod D. Thom. non loquitur omnino universaliter, sed regulariter et ut in plurimum: raro enim reprobi semel excœcati ad lucem redeunt. Vel potest dici non loqui de quolibet excœcatione, sed de finali: a qua nullus reprobis respiscit. Vel denique quod licet aliqui reprobi post excœcationem illuminentur; nunquam tamen ea illuminatio conducit cum effectu ad æternam salutem: sed vergit iterum in majorem damnationem, et est reprobationis effectus.

## QUÆSTIO LXXX

*De causa peccati ex parte Diaboli, in quatuor Articulos divisa.*

*Deinde considerandum est de causa peccati ex parte Diaboli. Et circa hoc quærentur quatuor.*

### ARTICULUS I.

*Utrum Diabolus sit homini directe causa peccandi?*

Ad primum sic proceditur. Videtur quod Diabolus sit homini directe causa peccandi: peccatum enim directe in effectu consistit. Sed Augustinus dicit 4 de Trinit. quod Diabolus suæ societati malignos affectus inspirat: et Beda

super Act. dicit, quod Diabolus animam in affectum malitiæ trahit: et Isidorus dicit in lib. de summo bono, quod Diabolus corda hominum occultis cupiditatibus replet: ergo Diabolus directe est causa peccati.

2. Præterea: Hieronymus dicit, quod sicut Deus est perfectior boni; ita Diabolus est perfectior mali: sed Deus est directe causa bonorum nostrorum: ergo Diabolus est directe causa peccatorum nostrorum.

2. Præterea: Philosophus dicit in quodam cap. Ethicæ

Eudemica, quod oportet esse quoddam principium extrinsecum humani consilii : consilium autem humanum non solum est de bonis, sed etiam de malis : ergo sicut Deus movet ad consilium bonum, et per hoc directe est causa boni ; ita Diabolus movet hominem ad consilium malum, et per hoc sequitur, quod Diabolus directe sit causa peccati.

Sed contra est, quod Augustinus probat in 1 et 3, de libe. arbit. quod nulla re fit mens hominis serva libidinis nisi propria voluntate : sed homo non fit servus libidinis nisi per peccatum : ergo causa peccati non potest esse diabolus.

Respondeo dicendum, quod peccatum actus quidam est : unde hoc modo potest esse aliquid directe causa peccati, per quem modum aliquis directe est causa alicujus actus, quod quidem non contingit nisi per hoc ; quod proprium principium illius actus movet ad agendum ; proprium autem principium actus peccati est voluntas, quia omne peccatum est voluntarium : unde nihil potest directe esse causa peccati, nisi quod potest movere voluntatem ad agendum. Voluntas autem, sicut supra dictum est, a duobus moveri potest. Uno modo ab objecto, sicut dicitur, quod appetibile apprehensum movet appetitum. Alio modo ab eo, quod interius inclinatur voluntatem ad volendum, hoc autem non est nisi vel ipsa voluntas, vel Deus, ut supra ostensum est. Deus autem non potest esse causa peccati, ut dictum est. Relinquitur ergo, quod ex hac parte sola voluntas hominis sit directe causa peccati ejus. Ex parte autem objecti potest intelligi, quod aliquid moveat voluntatem tripliciter. Uno modo, ipsum objectum propositum, sicut dicimus, quod cibus excitat desiderium hominis ad comedendum. Alio modo, ille qui proponit vel offert hujusmodi objectum. Tertio modo, ille qui persuadet objectum propositum habere rationem boni, quia et hic aliquatenus proponit proprium objectum voluntati, quod est rationis bonum, verum vel apparens. Primo igitur modo res sensibiles exterius apparentes movent voluntatem hominis ad peccandum : secundo autem et tertio modo vel Diabolus, vel etiam homo potest incitare ad peccandum, vel offerendo aliquid appetibile sensui, vel persuadendo rationi. Sed nullo istorum modorum potest aliquid esse directa causa peccati : quia voluntas non ex necessitate movetur ab aliquo objecto nisi ab ultimo fine, ut supra dictum est. Unde non est sufficiens causa peccati, neque res exterius oblata, neque ille, qui eam proponit, neque ille, qui persuadet : unde sequitur, quod Diabolus non sit causa peccati directe vel sufficienter, sed solum per modum persuadentis, vel proponentis appetibile.

Ad primum ergo dicendum, quod omnes illæ auctoritates, et si quæ similes inveniantur, sunt referendæ ad hoc, quod Diabolus suggerendo, vel aliqua appetibilia proponendo, inducit ad affectum peccati.

Ad secundum dicendum, quod similitudo illa est attendenda quantum ad hoc, quod Diabolus quodammodo est causa peccatorum nostrorum, sicut Deus est aliquo modo causa bonorum nostrorum : non tamen attenditur quantum ad modum causandi ; nam Deus causat bona interius movendo voluntatem, quod Diabolo convenire non potest.

Ad tertium dicendum, quod Deus est universale principium omnis interioris motus humani : sed quod determinatur ad malum consilium voluntas humana, hoc directe quidem est ex voluntate humana, et a Diabolo per modum persuadentis, vel appetibilia proponentis.

**Conclusio :** *Diabolus non est causa peccati directe, sive sufficienter ; sed solum per modum persuadentis, et proponentis appetibile.*

Circa titulum nota, adverbium illud *directe* idem esse ac *sufficienter*, nihilque aliud importare : ut constat ex corp. art. et ex conclusione. Quare cum in hac dicitur, Diabolum non esse directe causam peccati, solum negatur quod sit causa sufficienter illud inferens : aut ita movens et trahens voluntatem, ut eam infallibiliter peccare faciat : sicut Deus efficaciter et infallibiliter facit bene operari. Aliter sumitur prædic-

tum adverbium infra art. 4 et in aliis locis, ut ibi adnotabimus. Nota etiam, quod hic D. Thom. non determinat omnem modum, quo Diabolus ad peccandum incitat ; sed dumtaxat modum concurrendi externum, qui est etiam communis hominibus ? et ideo dicit, quod solum concurrat per modum persuadentis, vel proponentis appetibile. Præter quem modum habet etiam alium sibi proprium, qui est interius instigando, de quo art. sequenti. In solutione ad 3 ne existimes excludi a divina motione determinationem ad malum consilium pro materiali ; sive quoad entitatem etiam secundum rationem differentialem : solum enim excluditur determinatio ad malum consilium formaliter ut verba sonant, adeoque ad ipsam deformitatem et malitiam. Quod autem divina motio nedum concommittans, sed et prædeterminativa et efficax usque ad materiale cujuslibet peccati pertingat, satis alibi ostendimus.

## ARTICULUS II.

*Utrum Diabolus possit inducere ad peccandum, interius instigando ?*

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod Diabolus non possit inducere ad peccandum, interius instigando. Interiores enim motus animæ sunt quedam opera vitæ : sed nullum opus vitæ potest esse nisi a principio intrinseco, nec etiam opus animæ vegetabilis, quod est infimum inter opera vitæ : ergo Diabolus secundum interiores motus non potest hominem instigare ad malum.

2. Præterea : omnes interiores motus secundum ordinem naturæ a sensibus exterioribus oriuntur : sed præter ordinem naturæ aliquid operari est solius Dei, ut in primo dictum est : ergo Diabolus non potest in interioribus motibus hominis aliquid operari, nisi secundum ea, quæ in exterioribus sensibus apparent.

3. Præterea : interiores actus animæ sunt intelligere et imaginari : sed quantum ad neutrum horum potest Diabolus aliquid operari, quia ut in primo habitum est, Diabolus non imprimit in intellectum humanum : in phantasiam etiam videtur, quod imprimere non possit, quia formæ imaginatæ tanquam magis spirituales sunt digniores, quam formæ, quæ sunt in materia sensibili, quas tamen Diabolus imprimere non potest, ut patet ex his, quæ in primo habita sunt : ergo Diabolus non potest secundum interiores motus inducere hominem ad peccatum.

Sed contra est, quia secundum hoc nunquam tentaret hominem, nisi visibiliter appetendo ; quod patet esse falsum.

Respondeo dicendum, quod interior pars animæ est intellectiva et sensitiva, intellectiva autem continet intellectum et voluntatem : et de voluntate quidem jam dictum est quomodo ad eam Diabolus se habet. Intellectus autem per se quidem movetur ab aliquo illuminante ipsum ad cognitionem veritatis : quod Diabolus circa hominem non intendit ; sed magis obtenebrat rationem ejus ad consentiendum peccato : quæ quidem obtenebratio provenit ex phantasia et appetitu sensitivo. Unde tota interior operatio Diaboli esse videtur circa phantasiam et appetitum sensitivum, quorum utrunque commovendo potest inducere ad peccatum : potest enim operari ad hoc, quod imaginationi aliqua formæ imaginariæ præsentetur. Potest etiam facere, quod appetitus sensitivus concitetur ad aliquam passionem. Dictum est enim in 1 lib. quod natura corporalis spirituali naturaliter obedit ad motum localem : unde et Diabolus omnia illa causare potest, quæ ex motu locali corporum inferiorum provenire possent,



possent, nisi virtute divina reprimatur. Quod autem aliqua formæ representantur imaginationi, sequitur quandoque ad motum localem: dicit enim Philosophus in lib. de somno et vigilia, quod cum animal dormierit, descendente plurimo sanguine ad principium sensitivum, simul descendunt motus, sive impressiones relicte ex sensibilibus motionibus, quæ in sensibilibus speciebus conservantur, et movent principium apprehensivum, ita quod apparent, ac si tunc principium sensitivum a rebus ipsis exterioribus immutaretur: unde talis motus localis spirituum vel humorum procurari potest a Dæmonibus, sive dormiant, sive vigilent homines: et sic sequitur, quod homo aliqua imaginetur. Similiter etiam appetitus sensitivus concitatur ad aliquas passiones secundum quandam determinatum motum cordis et spirituum: unde ad hoc etiam Diabolus potest cooperari. Et ex hoc quod passiones aliqua concitantur in appetitu sensitivo, sequitur quod et motum sive intensionem sensibilem prædicto modo reductam ad principium apprehensivum magis homo percipiat: quia ut Philosophus in eodem lib. dicit, amantes modica similitudine in apprehensionem rei amate moventur. Contingit etiam ex hoc, quod passio est concitata, ut id, quod proponitur imaginationi, iudicetur prosequendum: quia ei, qui a passione detinetur, videtur esse bonum id, ad quod per passionem inclinatur. Et per hunc modum interius diabolus inducit ad peccandum.

Ad primum ergo dicendum, quod opera vitæ semper, etsi sint ab aliquo principio intrinseco, tamen ad ea potest cooperari aliquod exterius agens, sicut etiam ad opera animæ vegetabilis operatur calor exterior, ut facilius digeratur cibibus.

Ad secundum dicendum, quod huiusmodi apparatus formarum imaginabilium non est omnino præter ordinem naturæ, nec est per solum imperium, sed per motum localem, ut dictum est. Unde patet responsio ad tertium: quia formæ illæ sunt a sensibus acceptæ primordialiter.

### Conclusio est negativa.

Litera hujus articuli nihil præferat difficultatis, quod vel expositione vel disputatione indigeat. Continet vero doctrinam valde utilem ad dignoscendum modum, quo dæmones in nobis aliqua operantur: deprehendendasque cum eorum, tum propriæ phantasie illusiones. Ob idque merito commendatur a Cajetano, pro iis præsertim, qui mysticis occupantur: quique directioni religiosarum animarum incumbunt: ne divinitati tribuentes, quod naturæ vel dæmonis est, errent, errareque alios faciant. Habes autem eandem doctrinam latius et expressius traditam quæst. 3 de mal. art. 4, cujus litera consulenda est: quia si quid ad rem plene capiendam in præsentem desiderari posset, abunde suppeditabit.

### ARTICULUS III.

*Utrum diabolus possit necessitatem inferre ad peccandum?*

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod diabolus possit necessitatem inferre ad peccandum. Potestas enim major potest necessitatem inferre minori: sed de diabolo dicitur Job. 41: Non est potestas super terram, quæ ei valeat comparari: ergo potest homini terreno necessitatem inferre ad peccandum.

2. Præterea: ratio hominis non potest moveri nisi secundum ea, quæ exterius sensibus proponuntur, et imaginationi representantur: quia omnis nostra cognitio ortum habet a sensu: et non est intelligere sine phantasmate, ut dicitur in lib. de anima: sed diabolus potest movere imaginationem

hominis (ut dictum est), et etiam exteriores sensus. Dicit enim Augustinus in lib. 83, quæst. quod serpit hoc malum, scilicet quod est a diabolo, per omnes aditus sensibiles dat se figuris, accommodat se coloribus, adhaeret sonis, infundit se saporibus: ergo potest rationem hominis ex necessitate inclinare ad peccandum.

3. Præterea: secundum Augustinum nonnullum peccatum est, cum caro concupiscit adversus spiritum: sed concupiscentiam carnis diabolus potest causare, sicut et cæteras passiones eo modo quo supra dictum est: ergo ex necessitate potest inducere ad peccandum.

Sed contra est, quod dicitur 1 Petri ult. Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens, circuit quaerens quem devoret, cui resistit fortes in fide: frustra autem talis admonitio daretur, si homo ei ex necessitate succumberet: non ergo potest homini necessitatem inducere ad peccandum.

Respondeo dicendum, quod diabolus propria virtute, nisi refrænetur a Deo, potest aliquem inducere ex necessitate ad faciendum aliquem actum, qui de suo genere peccatum est: non autem potest inducere necessitatem peccandi. Quod patet ex hoc, quod homo motivo ad peccandum non resistit nisi per rationem, cujus usum totaliter impedire potest, movendo imaginationem, et appetitum sensitivum, sicut in arreptitiis patet: sed tunc ratione sic ligata, quicquid homo agat, non imputatur ei ad peccandum; sed si ratio non sit totaliter ligata, ex ea parte qua est libera, potest resistere peccato sicut supra dictum est. Unde manifestum est, quod diabolus nullo modo potest necessitatem inducere homini ad peccandum.

Ad primum ergo dicendum, quod non qualibet potestas major homine potest movere voluntatem hominis: sed solus Deus, ut supra habitum est.

Ad secundum dicendum, quod illud, quod est apprehensum per sensum vel imaginationem, non ex necessitate movet voluntatem, si homo habeat usum rationis, nec semper huiusmodi apprehensio ligat rationem.

Ad tertium dicendum, quod concupiscentia carnis contra spiritum, quando ratio ei actualiter resistit, non est peccatum, sed materia exerceandæ virtutis: quod autem ratio ei non resistat, non est in potestate diaboli: et ideo non potest inducere necessitatem peccati.

Conclusio est negativa: Quam ita evidenter convincit ratio articuli, ut superflua sit alia probatio. Solutio ad 3 confirmat doctrinam, quam tradidimus supra disp. 10, num. 79. Continet vero difficultatem, quam movet et diluit Cajetanus: an scilicet concupiscentia seu tentatio carnis contra spiritum aliquando sit omnino immunis a peccato propter rationis resistentiam? De quo quid tenendum, diximus disp. cit. num. 128 usque ad 134.

### ARTICULUS IV.

*Utrum omnia peccata hominum sint ex suggestione diaboli?*

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod omnia peccata hominum, sint ex suggestione diaboli. Dicit enim Dionysius 4 cap. de divi. nomini. quod multitudo dæmonum causa est omnium malorum et sibi et aliis.

2. Præterea: quicumque peccat mortaliter, efficitur servus diaboli, secundum illud Joan. 8: Qui facit peccatum, servus est peccati: sed ei aliquis in servitute addicitur, a quo est superatus, ut dicitur 2 Petri 2: ergo quicumque facit peccatum, superatus est a diabolo.

3. Præterea: Gregorius dicit, quod peccatum diaboli est irreparabile, quia cecidit nullo suggerente: si igitur aliqui homines peccarent per liberum arbitrium, nullo suggerente, eorum peccatum esset irremediabile; quod patet esse falsum: ergo omnia peccata humana a diabolo suggeruntur.

Sed contra est, quod dicitur in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus: Non omnes cogitationes nostræ male a diabolo excitantur; sed aliquoties ex nostri arbitrii motu emergunt.

Respondeo dicendum, quod occasionaliter quidem et indirecte diabolus est causa omnium peccatorum nostrorum, in quantum induxit primum hominem ad peccandum, ex cuius peccato in tantum vitata est humana natura, ut omnes ad peccandum proclives simus: sicut diceretur esse causa combustionis lignorum, qui ligna siccaret; ex quo sequeretur, quod facile incenderentur. Directe autem non est causa omnium peccatorum humanorum, ita quod singula peccata persnadeat. Quod Origenes probat ex hoc, quia etiam si diabolus non esset, homines haberent appetitum ciborum, et venereorum, et similia: qui posset esse inordinatus, nisi ratione ordinaretur, quod subiacet libero arbitrio.

Ad primum ergo dicendum, quod suggestio dæmonum est causa omnium malorum nostrorum secundum primam originem, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod non solum fit servus alicujus, qui ab eo superatur, sed etiam qui ei voluntarie se subijcit: et hoc modo fit servus diaboli, qui motu proprio peccat.

Ad tertium dicendum, quod peccatum diaboli fuit irremediabile, quia nec aliquo suggerente peccavit, nec habuit aliquam pronitatem ad peccandum ex præcedenti suggestione causatam: quod de nullo hominis peccati dici potest.

Prima conclusio: *Diabolus est causa omnium nostrorum peccatorum occasionaliter et indirecte: in quantum induxit primum hominem ad peccandum: ex cuius peccato ita vitata est humana natura, ut omnes ad peccandum proclives simus.*

Secunda conclusio: *Non est nobis diabolus causa omnium peccatorum directe, ita quod singula persuadeat.*

#### Commentarius.

1. Longe aliter sumit hic D. Thom. adverbium *directe*, quam articulo primo, ubi accepit illud pro *sufficienter*, ut explicuimus: et ideo negavit, quod diabolus sit nobis directe causa alicujus peccati. In præsentī vero dicitur directe causare omne illud peccatum, ad quod determinate inducit etiam si in id sufficienter non pertrahat. Et propterea non negatur, quod diabolus directe sit causa aliquorum peccatorum: negatur vero, quod sit directe causa omnium: seu quod omnia, quæ committimus, ex aliqua ejus in nobis suggestionē proveniant: quasi nos plura, aut saltem aliqua ex nobis ipsis, et ex concupiscentiæ fomite; absque tentatione diaboli perpetremus.

Varii errores. 2. Sciendum est tamen, varios circa hoc extitisse hæreticorum errores. Quidam enim putaverunt, nullum in mundo futurum esse peccatum, si dæmones defuissent, qui tentatione sua homines ad peccandum impellerent. Ex quo inferebant, nullum peccatum tribuendum esse nostro libero arbitrio, sed potius dæmoni, cuius suggestionē fit. Hunc errorem tribuit Alfonsus de

Castro lib. 12 adversus hæreses verbo *Peccatum* hæresi 3, Valentino, et Manichæo, Armenis, et aliis. Secundus fuit error Joviniani, qui, teste D. Hieronymo lib. 2 contra illum, existimavit, diabolum nunquam tentare illos, qui vere sunt baptizati in aqua et Spiritu Sancto, sed dumtaxat infideles et peccatores. Tertius error, referente eodem Castro lib. 14 verbo *Tentatio*, fuit Petri Abailardi: contra quem scribit D. Bernardus epist. 189 et 190 et 191. Fuit autem hic error, quod diabolus non aliter homines ad peccandum inducit, nisi contactu aliquorum lapidum, herbarum, vel similium, quorum virtutes novit aptas esse ad diversa vitia excitanda, alternando sic vel aliter humores corporales. Omnes vero huiusmodi errores impugnantur sufficienter doctrina hujus articuli, et quæst. 3 de mal. art. 5, quæ unanimiter adstruitur a Patribus et Theologis. Neque exstant prædictis erroribus alicujus momenti fundamenta, quæ referre et diluere opus sit. Videatur Alvarez disp. 170, ubi omnes illos impugnat, Scripturæque, et Patrum testimoniis veritatem confirmat.

3. Unam autem prætermittere non possumus rationem dubitandi contra secundam conclusionem. Nam si dæmones omittunt tentare nos in aliquibus peccatis; vel id omittunt, quia tentare nolunt, quamvis possent; vel quia tentare nequeunt, quamvis vellent? Non primum: quia cum dæmones ita sint obstinati in malo, admodumque homines exosos habeant, vellent proculdubio ut in omnibus suis actibus liberis peccarent, sicut ipsi dæmones in suis omnibus peccant: unde quod non tentent illos in omnibus, non erit defectu voluntatis. Neque etiam videtur secundum: quia non apparet ex quo capite prohibeantur tentare nos in omnibus et singulis actibus malis, sicut tentant in multis.

Respondetur, prædictam omissionem pro-venire ex secundo capite non ex primo. Et ad probationem dicendum est, quod sicut dæmones vellent quidem tentare nos in omnibus, non solum cum prave agimus, sed etiam cum bene operamur, ita ut nunquam bene operemur: et vellent tentare vehementissime, ita ut non nisi difficillime eorum tentationes vincere possemus: prohibentur tamen ab utroque divina providentia erga nos, media honorum Angelorum custodia et cura, juxta illud D. Gregorii homil. 34 in Evang. de sanctis Angelis, *quorum potestate virtutes adversæ refrænantur, ne corda hominum tantum tentare prævaleant,*

Dubitandi ratio.

Solutio.

D. Greg.

*valeant, quantum volunt, etc.* ob idque sæpe in bonis actibus nihil pravæ suggestionis sentimus : sic eadem divina providentia, et Angelorum cura prohibentur multoties a munere nos tentandi, adhuc cum a carne vel mundo ad male agendum incitatur, eorumque incitationibus consentimus : adeoque stat, ut tentatione horum hostium aliqua peccata perpetremus nulla existente diaboli suggestionem.

Secundo respondetur ex Alvarez citata disp. 170 satis esse ad salvandam D. Thomæ conclusionem, videlicet non omnia peccata

ex suggestionem diaboli provenire, quod non omnia ex tali suggestionem sicut ex prima radice oriantur : sed aliqua a propria concupiscentia, vel aliunde excitentur : quamvis in omnibus undecunque excitatis, adsit statim diabolus coadjuvans illam tentationem, et ea utens ad peccatum vivacius suggerendum, persuadendumque efficacius. Sed placet magis prior solutio : quia quod nos absque interventu et suggestionem diaboli peccata aliqua operemur, magis consonat dictis Sanctorum, et communi doctrinæ.

## QUÆSTIO LXXXI.

*De causa peccati ex parte hominis in quinque Articulos divisa.*

*Deinde considerandum est de causa peccati ex parte hominis. Cum autem homo sit causa peccati alteri homini exterius suggerendo sicut et diabolus, habet quemdam specialem modum causandi peccatum in alterum per originem : unde de peccato originali dicendum est.*

*Et circa hoc tria consideranda occurrunt. Primo de ejus traductione. Secundo de ejus essentia. Tertio de ejus subjecto. Et circa primum quærentur quinque.*

Inter causas peccatorum extrinsecas ultima est homo, quatenus potest ad alienum peccatum concurrere. Quod præstat dupliciter : vel consulendo, et suggerendo, proponendoque ex parte objecti : vel ut principium generationis culpam simul cum natura traducens. De primo modo causalitatis non fuit opus D. Thomæ specialem quæstionem pro homine instituere, quia communis est etiam dæmoni, de quo quæst. præced. actum fuit : nisi quod homo proponendo solum, et excitando, vel alliciendo exterius id præstat ; dæmon vero etiam interiorius suggerendo, et commovendo passiones, et phantasmata per humorum alterationem, ut Ang. Doctor ibi explicuit. Secundus autem proprius est solius hominis : et non cujuscunque, sed primi parentis : qui cum esset a Deo constitutus caput naturæ humanæ, totam illam in se peccando vitiavit, et sic vitiatam, atque adeo una cum ipso peccato in cæteros, per seminalem propagationem ab ipso descendentes, transfudit. Ob idque hujusmodi peccatum cum natura descendens dicitur *peccatum originale, et peccatum naturæ*, quia non propria voluntate committitur, sed per originem ex peccato primi

parentis quasi hæreditario jure simul cum natura participatur. Et quia hic modus causalitatis specialissimus est, pluraque importat, quæ Theologi scire tenentur, agit de eo ex professo D. Thom. tum in præsentibus, ubi idem præstant omnes ejus expositores. Tum etiam 4, contra Gentes a cap. 50, usque ad 53. Et in quæstionibus de mal. quæst. 4 et 5. Nec non in 2, dist. 30 et sequentibus, ubi cum Magistro materiam versant Bonavent. Scotus, Durand. Ricard. Capreol. et cæteri scholastici.

### ARTICULUS I.

*Utrum primum peccatum primi parentis traducatur per originem in posteros?*

Ad primum sic proceditur. Videtur quod primum peccatum primi parentis non traducatur ad alios per originem. Dicitur enim Ezechiel. 18: Filius non portabit iniquitatem patris : portaret autem, si ab eo iniquitatem traheret : ergo nullus trahit ab aliquo parentum per originem aliquod peccatum.

Præterea : accidens non traducitur per originem, nisi traducto subjecto, eo quod accidens non transit de subjecto in subjectum : sed anima rationalis, quæ est subjectum culpæ, non traducitur per originem, ut in primo ostensum est : ergo neque aliqua culpa per originem traduci potest.

Præterea : omne illud, quod traducitur per originem humanam, causatur ex semine : sed semen non potest causare peccatum, eo quod caret rationali parte animæ, quæ sola potest esse causa peccati : ergo nullum peccatum potest trahi per originem.

Præterea : quod est perfectius in natura, virtuosius est ad agendum : sed caro perfecta non potest inficere animam sibi unitam, alioquin anima non posset emundari a culpa originali, dum est carni unita : ergo multo minus semen potest inficere animam.

Præterea : Philosophus dicit in 3 Ethic. quod propter naturam turpes, nullus increpat, sed eos qui propter desidiam, et negligentiam. Dicuntur autem natura turpes, qui habent turpitudinem ex sua origine : ergo nihil, quod est per originem, est increpabile, neque peccatum.

Sed contra est, quod Apostolus dicit Romæ. 5 per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit : quod non potest intelligi per modum imitationis, vel incitationis propter hoc, quod dicitur Sapient. 2, invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum : restat ergo, quod per originem a primo homine peccatum in mundum intravit.

Respondeo dicendum, quod secundum fidem Catholicam est tenendum, quod primum peccatum primi hominis originaliter transit in posteros : propter quod etiam pueri mox nati deferuntur ad baptismum tanquam ab aliqua infectione culpæ abluendi. Contrarium est autem hæresis Pelagiana, ut patet per Augustinum in plurimis suis libris. Ad investigandum autem qualiter peccatum primi parentis originaliter possit transire in posteros, diversi diversis viis processerunt. Quidam enim considerantes, quod peccati subjectum est anima rationalis, posuerunt, quod cum semine rationalis anima traducatur, ut sic ex infecta anima infectæ animæ derivari videantur. Alii vero hoc repudiant tanquam erroneum, conati sunt ostendere, quomodo culpa animæ parentis traducitur in prolem, etiam si anima non traducatur, per hoc quod corporis defectus traducuntur a parente in prolem : sicut leprosus generat leprosum, et podagricus podagricum, propter aliquam corruptionem seminis, licet talis corruptio non dicatur lepra, vel podagra. Cum autem corpus sit proportionatum animæ, et defectus animæ redundent in corpus, et e converso : simili modo dicitur, quod culpabilis defectus animæ per traductionem seminis in prolem derivatur, quamvis semen actualiter non sit culpæ subjectum. Sed omnes hujusmodi viæ insufficientes sunt : quia dato quod aliqui defectus corporales a parente transeant in prolem per originem, et etiam aliqui defectus animæ ex consequenti propter corporis indispositionem, sicut interdum ex fatuis fatui generantur : tamen hoc ipsum, quod est ex origine aliquem defectum habere, videtur excludere rationem culpæ, de cuius ratione est, quod sit voluntaria. Unde etiam posito, quod anima rationalis traduceretur, ex hoc ipso quod infectio animæ prolis non esset in ejus voluntate, amitteret rationem culpæ obligantis ad pœnam, quia ut Philosophus dicit in 3 Ethic. nullus improperebit caeco nato, sed magis miserebitur. Et ideo alia via procedendum est dicendo, quod omnes homines, qui nascuntur ex Adam, possunt considerari ut unus homo, in quantum conveniunt in natura, quam a primo parente accipiunt, secundum quod in civibus omnes homines, qui sunt unius civitatis, reputantur quasi unum corpus, et tota civitas quasi unus homo. Sicut etiam Porphyrius dicit, quod participatione speciei plures homines sunt unus homo. Sic igitur multi homines ex Adam derivati, sunt tanquam multa membra unius corporis : actus autem unius membri corporalis, puta manus, non est voluntarius voluntate ipsius manus, sed voluntate animæ, quæ primo movet membrum. Unde homicidium, quod manus committit, non imputaretur manui ad peccatum, si consideraretur manus secundum se ut divisa a corpore, sed imputatur ei in quantum est aliquid hominis, quod movetur a primo principio motivo hominis. Sic igitur inordinatio, quæ est in isto homine ex Adam generato, non est voluntaria voluntate ipsius, sed voluntate primi parentis, qui movet motione generationis omnes, qui ex ejus origine derivantur, sicut voluntas animæ movet omnia membra ad actum. Unde peccatum, quod sic a primo parente in posteros derivatur, dicitur originale : sicut peccatum, quod ab anima derivatur ad membra corporis, dicitur actuale, et sicut peccatum actuale, quod per membrum aliquid committitur, non est peccatum illius membri, nisi in quantum illud membrum est aliquid ipsius hominis, propter quod vocatur peccatum humanum. Ita peccatum originale non est peccatum hujus personæ, nisi in quantum hæc persona recipit naturam a primo parente : unde et vocatur peccatum naturæ secundum illud Ephes. 2. Eramus natura filii iræ.

Ad primum ergo dicendum, quod filius non dicitur non

portare peccatum patris, quia non punitur pro peccato patris, nisi sit particeps culpæ : et sic est in proposito. Derivatur enim per originem culpa a patre in filium, sicut et peccatum actuale per imitationem.

Ad secundum dicendum, quod etsi anima non traducatur, quia virtus seminis non potest causare animam rationalem, movet tamen ad ipsam dispositionem : unde per virtutem seminis traducitur humana natura a parente in prolem, et simul cum natura naturæ infectio. Ex hoc enim fit iste, qui nascitur, consors culpæ primi parentis, quod naturam ab eo sortitur per quamdam generativam motionem.

Ad tertium dicendum, quod etsi culpa non sit actu in semine, est tamen ibi virtute humanæ naturæ, quam concomitatur talis culpa.

Ad quartum dicendum, quod semen est principium generationis, quæ est proprius actus naturæ, ejus propagationi deserviens : et ideo magis inficitur anima per semen, quam per carnem jam perfectam, quæ jam determinata est ad personam.

Ad quintum dicendum, quod illud, quod est per originem, non est increpabile, si consideretur iste, qui nascitur secundum se : sed si consideretur prout refertur ad aliquod principium, sic potest esse ei increpabile, sicut aliquis, qui nascitur, patitur ignominiam generis ex culpa alicujus progenitorum causatam.

*Conclusio : Secundum Fidem Catholicam tenendum est primum peccatum primi hominis originaliter transire in posteros.*

Notandum est circa literam, quod cum D. Thom. impugnans duos priores modos explicandi peccati originalis traductionem, ait defectus provenientes per originem non habere rationem culpæ, loquitur de origine, habito respectu dumtaxat ad proximos parentes, vel etiam ad primum ut fuit sicut cæteri persona particularis : quorum proinde voluntas non reputatur voluntas filiorum, neque ratione illius censetur istis voluntarium, quod per originem accipiunt. Si autem origo consideretur in ordine ad primum parentem, ut fuit a Deo constitutus caput naturæ, continebatque cæterorum voluntates, non negat Ang. Doctor posse habere rationem culpæ, quod hoc modo accipitur per originem ; sed potius utitur prædicta ratione ad id explicandum tam in corp. quam in solut. ad 5.

Circa solutionem ad tertium observa modum loquendi D. Thomæ : non enim dixit absolute culpam contineri virtualiter in semine ; sed contineri in illo virtute humanæ naturæ, quam comitatur culpa : ne putaremus inesse semini aliquam specialem continentiam respectu peccati originalis præter ipsam continentiam naturæ humanæ, quam tale peccatum comitatur, nisi per gratiam sanetur. Nam eo ipso quod semen contineat, et communicet naturam ut ab Adamo descendente, atque adeo ut destitutam justitia originali, quam ille amisit, continet etiam, et communicat prædictum peccatum consistens in ea destitutione, ut infra dicemus. Unde nequaquam esset juxta mentem

Ang. Doctoris addere semini propter prædic-  
tam continentiam aliquam intensionem,  
vel qualitatem, vel aliquid aliud positivum,  
quod non habeat secundum se, aut quod in  
statu naturæ puræ non haberet.

ARTICULUS II.

*Utrum etiam alia peccata primi parentis, vel proximo-  
rum traducantur in posteros?*

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod etiam alia  
peccata vel ipsius primi parentis, vel proximorum parentum  
traducantur in posteros. Pœna enim nunquam debetur nisi  
culpæ: sed aliqui puniuntur iudicio divino pro peccato pro-  
ximorum parentum, secundum illud Exod. 20. Ego sum Deus  
zelotes, visitans iniquitatem parentum in filios in tertiam,  
et quartam generationem. Iudicio etiam humano in crimine  
læsæ majestatis filii exheredantur pro peccato parentum:  
ergo etiam culpa proximorum parentum transit in posteros.

Præterea: magis potest transferre in alterum id, quod ha-  
bet aliquis a se ipso, quam id quod habet ex alio, sicut ignis  
magis potest calefacere, quam aqua calefacta: sed homo  
transfert in prolem per originem peccatum, quod habet ab  
Adam: ergo multo magis peccatum, quod ipse commisit.

Præterea: ideo contrahimus a primo parente peccatum  
originale, quia in eo fuimus sicut in principio naturæ, quam  
ipse corruptit: sed similiter fuimus in proximis parentibus  
sicut in quibusdam naturæ principis, quæ etsi sit corrupta,  
potest adhuc magis corrumpi per peccatum, secundum illud  
Apocal. ultim. qui in sordibus est, sordescat adhuc: ergo  
filii contrahunt peccata proximorum parentum per originem,  
sicut et primi parentis.

Sed contra. Bonum est magis diffusum, quam malum: sed  
merita proximorum parentum non traducuntur ad posteros:  
ergo multo minus peccata.

Respondeo dicendum, quod Augustinus hanc questionem  
movet in Enchirid. et insolutam relinquit. Sed si aliquis di-  
ligenter attendit, impossibile est, quod aliqua peccata pro-  
ximorum parentum, vel etiam primi parentis præter primum,  
per originem traducantur. Cujus ratio est, quia homo gene-  
rat sibi idem in specie, non autem secundum individuum:  
et ideo ea quæ directe pertinent ad individuum, sicut perso-  
nales actus, et quæ ad eos pertinent, non traducuntur a pa-  
rentibus in filios. Non enim Grammaticus traducit in filium  
scientiam grammaticæ, quam proprio studio acquisivit: sed  
ea quæ pertinent ad naturam speciei, traducuntur a parenti-  
bus in filios, nisi sit defectus naturæ, sicut oculatus generat  
oculatum, nisi natura deficiat: et si natura sit fortis, etiam  
aliqua accidentia individualia propagantur in filios, perti-  
nentia ad dispositionem naturæ, sicut velocitas corporis, bo-  
nitas ingenii, et alia hujusmodi. Nullo autem modo ea, quæ  
sunt pure personalia, ut dictum est: sicut autem ad perso-  
nam pertinet aliquid secundum se ipsam, et aliquid ex dono  
gratiæ: ita etiam ad naturam potest aliquid pertinere se-  
cundum se ipsam, scilicet quod causatur ex principis ejus,  
et aliquid ex dono gratiæ. Et hoc modo justitia originalis,  
sicut in primo dictum est, erat quoddam donum gratiæ toti  
humanæ naturæ divinitus coliatum in primo parente, quod  
quidem primus homo amisit per primum peccatum. Unde si-  
cut illa originalis justitia traducta fuisset in posteros simul  
cum natura, ita etiam inordinatio opposita. Sed alia peccata  
actualia, vel primi parentis, vel aliorum non corrumpunt  
naturam, quantum ad id quod naturæ est: sed solum quan-  
tum ad id quod personæ est, id est, secundum pronitatem  
ad actum: unde alia peccata non traducuntur.

Ad primum ergo dicendum, quod pœna spirituali, sicut  
Augustinus dicit epist. ad Avit. nunquam puniuntur filii pro  
parentibus, nisi communicent in culpa, vel per originem,  
vel per imitationem, quia omnes animæ immediate sunt  
Dei, ut dicit Ezech. 18, sed pœna corporali interdum iudicio  
divino, vel humano puniuntur filii pro parentibus, in quan-  
tum filius est aliquid patris secundum corpus.

Ad secundum dicendum, quod illud, quod habet aliquis  
ex se, magis potest traducere, dummodo sit traducibile:  
sed peccata actualia proximorum parentum non sunt tradu-  
cibilia, quia sunt pure personalia, ut dictum est.

Ad tertium dicendum, quod primum peccatum corrumpit  
naturam humanam corruptione ad naturam pertinente: alia  
vero peccata corrumpunt eam corruptione pertinente ad so-  
lam personam.

*Conclusio est negativa.*

In toto hoc articulo valde notanda est  
distinctio inter illa, quæ sunt propria na-  
turæ, et ea, quæ sunt propria personæ: et  
qualiter non solum naturæ propria dicantur,  
quæ ex ejus principis oriuntur, uti sunt  
proprietates, et passiones; sed etiam quæ  
divinitus alicui supposito pro tota natura  
conceduntur, ut Adamo concessa fuit justitia  
originalis. Hinc enim valde dependet  
cognitio originalis culpæ, et cur solum pri-  
mum Adæ peccatum traducatur ad posteros,  
non autem reliqua peccata ipsius Adæ,  
etiamsi alia mortalia successu temporis com-  
mitteret, neque etiam peccata proximorum  
parentum. Ad quod sit.

DISPUTATIO XIV.

*De existentia, et traductione peccati  
originalis.*

Quamvis ærumnæ, et miseriæ, quas ab  
exordio vitæ in cunctis Adæ filiis humana  
natura patitur, signa præbeant non modica  
originalis culpæ; nunquam tamen homi-  
num intellectus, nisi Fidei, et Theologiæ  
præceptis institutus, radicem hanc malorum  
valuit detegere. Unde existentia rei, quæ  
in aliis materiis ut quid per se notum sup-  
poni consuevit, in hac de originali peccato  
prolixo examini exponitur. Et quod de pec-  
catis in communi superfluum esset inqui-  
rere, an nimirum existant de facto (unicui-  
que nostrum testimonium perhibente consi-  
cientia sua, quam sæpe delinquat) de hoc  
peculiari peccato, quod ad nos per originem  
a primo parente transfunditur, necesse est  
investigare. Non quasi humana ratio suis  
innixa principis existentiam, aut traduc-  
tionem prædicti peccati demonstrare præ-  
sumat, sed ea dumtaxat, quæ circa hoc fides  
docet, et quæ ex fidei deducta principis Pa-  
tres, et Theologi tradiderunt, aut si quæ  
ulterius deduci poterunt, pro viribus expla-  
nare, et ab Hæreticorum erroribus, aliisque  
impugnationibus immaculata tueri. Casus  
enim originalis culpæ, et ejus notitia omnino  
dependet ex cognitione Decretorum, et ordi-  
nationis Dei circa primum hominis statum,  
et circa pactum cum eo in tali statu initum:  
de quibus non nisi per revelationem divi-

nam nobis constare poterit. Quocirca potissimæ probationes pro statuendis assertionibus erunt loca Scripturæ, Conciliorum, et Patrum, per quæ nobis divina revelatio innotescit: nec aliis rationibus communiter utemur, nisi quæ ex fidei principiis, prædictisque testimoniis vim, et efficaciam sortiuntur. Id quod præ oculis haberi cupimus: quia in hac materia, ut in alia aiebat magnus Gregorius, nisi fides credat, ratio non explicat.

Nomine vero *peccati originalis* in hujus, et sequentium disputationum titulis, ut ex illis non obscure habetur, non intelligimus illum actum, quo primus parens deliquit, quique fuit in eo primum peccatum actuale, et solet dici *originale originans*: sed illum effectum de genere peccati habitualis, qui ad posteros inde transivit, inficitque, et maculat immediate animam pueri, ubi primo concipitur, soletque appellari *originale originatum*. Hoc enim spectat potissime ad hunc tractatum: nam de illo priori agit ex professo D. Thom. 2, 2, quæst. 161, usque ad 165, de quo si quid necesse fuerit propter connexionem doctrinæ hic adjungere, non absolute eo nomine utemur, sed cum addito et explicatione sufficienti, ut æquivocationi locus non pateat.

### DUBIUM I.

*Utrum detur peccatum originale ab Adamo in posteros per originem tractum?*

In enodatione hujus difficultatis non omnia neque testimonia, neque rationes, quæ existentiam, et traductionem peccati originalis persuadere possunt, sed tantum selectiora adducemus, ut brevitati consulamus.

#### § I.

##### *Sententia catholica.*

2. Dicendum ergo est dari originale peccatum a primo parente in posteros per originem tractum. Hæc conclusio est de fide in multis Conciliis diffinita, præsertim in Arausicano can. 2, in Milevitano canon. etiam 2, in Palestino, cujus meminit Augustinus epist. 209, et lib. 2 contra Julia. cap. 2, in Toletano 6, can. 1, et in 12, can. 2, nec non in Florentino in litteris sanctæ unionis: ac denique in Tridentino ses. 5, toto decreto de peccato originali, præsertim can. 2, ubi ita habetur: *Si quis Adæ præva-*

*ricationem sibi soli, et non ejus propagini asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam eum perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum mortem, et pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animæ: anathema sit: cum contradicat Apostolo dicenti: per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

Eandem veritatem tradidere ex summis Pontificibus Zozimas in epist. ad Episcopos orbis, ut refert Augustinus epist. 157, Leo primus, epist. 86, Innocentius primus, ut refert idem Augustinus ibidem, et lib. 1 contra Julia. cap. 2, Gregorius lib. 7 epistolat. epist. 57, et alii. Docentque communiter omnes sancti Patres, ex Græcis Basilius super psal. 32, Athanasius de incarnatione verbi, Cyrillus Jeresolym. catech. 2, et Alexandrinus lib. 1, in Genes. Justinus martyr dialogo cum Tryphone, Irænæus lib. 5, cap. 17 et 19, Nazianzenus orat. 41 in S. Pascha, Chrysostomus homil. de Adam et Eva, Theodoretus ad psal. 50, Damascenus lib. 2 fidei, cap. 28 et alii plurimi. Similiter ex Latinis Cyprianus epist. 59, Hilarius Pictav. ad Psal. 118, Ambrosius lib. de Tobia, cap. 9 et ad Psal. 48 et lib. 1 de pœnitent., cap. 2, Hieronymus ad cap. 41, Ezechiel, Augustinus innumeris in locis. Prosper lib. 3, de vita contemplat. et respons. 1, ad capita objectionum Vincentii, Fulgentius de gratia Jesu Christi cap. 31, et de fide ad Petrum cap. 16 et alii plures: quos sequuti sunt omnes scholastici cum Magistro in 2, dist. 30, D. Thom. ibidem, et 4, contra gent. cap. 50 de mal. quæst. 4, art. 1, ad Roman. 5, lect. 3, et cum omnibus suis expositibus in hac quæst. 81. Verba autem prædictorum Patrum refert thesaurus catholicus Ludovici Cocc. tom. 2, lib. 2, art. 2, nosque brevitate causa omittimus.

3. Probatur sacræ scripturæ testimoniis. Et primo ex illo Pauli ad Rom. 5: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Quo testimonio utuntur communiter Patres, et Concilia ad intentum præsens, quoniam apertissimum est, et per illud D. Augustinus lib. 2 de nupt. et concupisc. cap. 28, respondet Pelagio neganti peccatum originale in parvulis, et in hunc modum

Zozim.  
Leo  
prim.  
Innoc.  
Prim.  
Gregor.  
Basil.  
Athanas.  
Cyrill.  
Jeresol.  
Cyrill.  
Alexand.  
Justin.  
Irenæus.  
Nazianz.  
Chrys.  
Theodor.  
Damasc.  
Cyprian.  
Hilar.  
Pictav.  
Ambros.  
Hieron.  
August.  
Prosper.  
Fulgent.  
Magist.  
D. Thom.  
Ludov.  
Cocc.  
Rom. 5.

C. Araus.  
can. 2.  
C. Milev.  
can. 2.  
C. Palest.  
C. Tolet.  
C. Flor.  
C. Trid.  
ses. 5.

modum quærenti : *Non peccat iste, qui nascitur, non peccat iste, qui genuit, non peccat ille, qui condidit, per quas igitur rimas inter tot præsidia innocentix peccatum fingis ingressum ?* Sic hæreticus. Sed Augustinus : *Quid quærit (ait) latentem rimam, cum habeat apertissimam januam ? Per unum hominem ait Apostolus, per unius delictum, ait Apostolus, per unius hominis inobedientiam, ait Apostolus : quid quærit amplius, quid quærit apertius : quid quærit inculcatius ?*

D. Aug.

Pelagianorum effugium.

Effugium vero, quod prædicto testimonio Pelagiani adhibebant, dicentes, verba Apostoli non esse intelligenda de peccato originali, sed de actuali, quod, aiunt, intrasse in mundum per Adam, transisseque ad posteros, non origine, sed imitatione, in quantum omnes, qui peccant, illius peccatum imitantur, juxta illud Oseæ 6 : *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum.* Hoc igitur Pelagianorum effugium impugnat recte D. Thom. 4, contra gent. cit. cap. 50, ubi sic ait : *Non potest autem dici quod per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit per modum imitationis, quia sic peccatum non pervenisset nisi ad eos, qui peccando primum hominem imitantur et cum mors per peccatum in mundum intraverit, non perveniret mors nisi ad eos, qui peccant in similitudinem primi hominis peccantis. Sed ad hoc excludendum Apostolus subdit, quod regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ. Non ergo intellexit Apostolus, quod per unum hominem peccatum in mundum intraverit per modum imitationis, sed per modum originis.* Potestque impugnatio hæc fulciri, quia Apostolus eodem modo ait, mortem intrasse in mundum, pervenisseque ad omnes, sicut intravit, et pervenit peccatum : atque adeo sicut mors pervenit non solum ad adultos, sed etiam ad parvulos, qui sæpe in illa ætate decedunt, sic peccatum debuit ad omnes etiam parvulos pervenire. Non autem pervenit ad istos per imitationem : parvuli enim nullo actuali peccato Adamum imitantur : igitur pervenit peccatum ad illos alio modo, scilicet per propagationem.

Oseæ. 6.

Impugnatur D. Thom.

Alia impugnatio ex Ang. Doctor.

Sap. 2.

4. Deinde impugnat Ang. Doctor prædictum effugium : quia si tantum secundum imitationem Apostolus loqueretur de introitu peccati in mundum, potius dixisset per diabolum peccatum intrasse in mundum ; quam per unum hominem : sicut expresse dicitur Sapient. 2 : *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum ; imitantur*

autem illum, qui sunt ex parte illius. Quæ sane impugnatio (quæ sumpta fuit ex Augustino lib. 1 de peccat merit. et remis. et aliis locis) majorem vim habet, si animadvertatur, quod Paulus loquitur non de quocumque ingressu peccati in hunc mundum, sed de primo : alias non magis tribuisset illum primo homini, quam cæteris peccatoribus : at loquendo de ingressu per imitationem, non potest dici fuisse primo per hominem, siquidem prius fuit per diabolum : ergo non loquitur de tali ingressu. Deinde Apostolus non solum dixit peccatum intrasse in mundum per unum hominem, sed addit *in quo omnes peccaverunt* : hoc autem nequit intelligi per imitationem : nam teste Augustino serm. 14 de verb. Apost. non dicimur omnes peccasse in diabolo, dum ille peccavit, quamvis omnes, qui peccant, diaboli sint imitatores. Plus ergo importare debent prædicta verba *in quo omnes peccaverunt*, quam ingressum peccati per imitationem ; neque id potest esse aliud, nisi ingressus peccati per originem : quatenus cum omnes essemus originaliter in Adamo, ipseque constitutus fuisset caput totius naturæ, merito ejus voluntas reputata est voluntas nostra, ac proinde merito ejus peccatum dicimur omnes, qui in illo eramus, cum illo, et in illo commisisse.

D. Aug.

Secundum testimonium est illud Job 14 : *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine ? non ne tu, qui solus es ?* Qui locus, ut observat Ang. Doctor loco cit. ex 4 contra gent. necessario intelligendus est de immunditia spirituali, quæ est per culpam. Tum quia tribuitur soli Deo, quod possit ab ea mundare. Tum etiam quia præmiserat Job : *Et dignum ducis super hujusmodi aperire oculos tuos, et adducere eum tecum in judicium* : judicium autem non est de immunditia corporali : cum ergo talem immunditiam contrahat puer in ipsa sua conceptione virtute humani seminis, plane fit dari aliquod peccatum ad nos per generationem, seminalemque propagationem traductum. Confirmatque hanc intelligentiam lectio septuaginta, qui ita vertunt : *Quis enim mundus erit a sorde ? At nemo, et si unus dies sit vita ejus super terram.*

Ang. Doct.

Job loco cit.

Septuag. interpret.

5. Tertio patet ex illo psal. 50 : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Quem locum intelligunt communiter sancti Patres de peccato originali, quod, etsi unum sit,

Psal. 50.

vocatur tamen in plurali *iniquitates*, et *peccata*, quia causa est, et radix omnium aliorum peccatorum. Et merito prædictus locus de peccato originali intelligitur, quia cum David de legitimo matrimonio fuerit conceptus, et natus, nullum aliud peccatum in ejus conceptione, aut nativitate intercessisset, nisi solum originale, ut D. Thom. loco cit. recte observavit. Omittimus alia testimonia, quæ veritatem nostræ assertionis: cujusmodi est illud ad Ephesios 2: *Eramus natura filii iræ*, hoc est, eramus peccatores, et Dei inimici non propria voluntate, sed voluntate Adami, quæ fuit voluntas naturæ, et cum natura ad nos ejus inordinatio descendit, ut explicat Augustinus lib. 6 contra Julia. Et illud Ecclesiastici 40: *Jugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum*. Jugum enim hoc impositum filiis Adæ a die exitus nihil aliud designat, nisi peccatum originale, et mala, quæ cum illo contraximus. Hæc igitur, et plura alia testimonia, quæ adduci poterant, omittimus, quia adducta sufficiunt ad convincendam catholicam veritatem.

## § II.

*Rationes pro Catholica sententia.*

Rationes efficaces pro assertionem, ut supra observavimus, nequeunt ex solis naturæ principiis desumi: sed junctis illis, quæ fides apertius docet, quibusque adhuc ipsi hæretici non audebunt contradicere, possunt aliquæ efformari. Estque satis fundamentalis illa, quam D. Thom. loco cit. ex. 4 contra gent. his verbis proponit: *Baptismus, et alia sacramenta Ecclesiæ sunt quædam remedia contra peccatum, ut infra patebit; exhibetur autem baptismus secundum communem Ecclesiæ consuetudinem pueris recenter natis: frustra igitur exhiberetur nisi in eis esset aliquod peccatum. Non est autem in eis peccatum actuale, quia carent usu liberi arbitrii sine quo nullus actus homini in culpam imputatur. Oportet igitur dicere in eis esse peccatum per originem tractum: cum in operibus Dei, et Ecclesiæ nihil sit vanum, et frustra.*

6. Huic tamen rationi respondebant Pelagiani baptismum dari infantibus, non ut a peccato mudentur, sed ut ad regnum Dei perveniant, quo nullus pervenire potest, nisi prius renatus sit ex aqua, et Spi-

ritu Sancto, ut dicitur Joan. 3. Sed hoc effugium facile præcluditur a D. Thoma: quia quod infantes non renati per baptismum a regno Dei excludantur, non aliunde habere possunt, nisi quia maculati sunt, et inquinati aliquo peccato, atque adeo peccato originali: solum enim peccatum a regno Dei, et ejus visione excludit. Et ratio est, quia finis constitutus a Deo omnibus rationalibus creaturis est prædicta visio, seu regnum, in quo earum beatitudo consistit: nulla autem creatura excluditur a consequitione sui finis, nisi ex aliquo peccato proportionato tali creaturæ: ut videre est in cæteris creaturis irrationabilibus, quarum nulla a suo fine deficit, nisi ex aliquo peccato, ut sic dicamus naturali, quod sit aliquis naturalis defectus. Cum igitur peccatum proprium creaturæ rationalis in quantum talis, sit peccatum rationis, seu morale, consequens est, ut nulla a prædicto fine deficiat, nisi propter hujusmodi peccatum. Eo præsertim, quia quicumque excluditur a regno Dei, eo ipso damnatur ad æternum supplicium: nullus autem ita damnatur, nisi propter culpam in eo existentem: ergo quod parvuli non baptizati a regno Dei excludantur, contingit illis ratione alicujus peccati.

Deinde idem effugium præcluditur ex D. Augustino lib. 2 de peccato orig. cap. 40, et lib. 1 de nuptiis, cap. 20. Nam parvuli cum baptizantur, eruuntur a potestate tenebrarum, ut dicitur ad Colossenses 1: *Qui eripuit nos a potestate tenebrarum*, etc. Et ideo exorcizantur, renuntiant diabolo, et exufflantur: igitur ante baptismum habebant peccatum, per quod manebant sub tali potestate: diaboli enim potestati non subduntur, nisi peccatores, et rei criminis: cum ergo peccatum illud non sit actuale propria infantium voluntate commissum, debet esse originale. Adde baptismum appellari lavacrum regenerationis, et renovationis, ut habetur ad Ephes. 4 et ad Titum 3. Cumque non sit lavacrum solius corporis, ut est per se notum, ad id quippe non indigeret determinata verborum forma, et virtute passionis Christi, quam habent omnia sacramenta; oportet, ut sit lavacrum animæ, mundans eam spiritualiter in Christo, regenerando a spirituali sorde, et peccato, quod ex Adamo per generationem contraxit.

7. Aliud fuit quorundam insipientissimorum Pelagianorum effugium, qui cum negarent in parvulis peccatum originale; adstruebant

Ephes. 2.

D. Ang.  
Eccle-  
sia. 40.Præclu-  
ditur a  
D. Thom.Iterum  
præclu-  
ditur ex  
D. Aug.

Colos. 1

Prima  
ratio.  
D. Thom.Evasio  
ad ver-  
sario-  
rum.Delirium  
aliud.



adstruebant in illis quædam peccata actualia a propria persona commissa, pro quorum expiatione baptismo indigebant.

Hoc tamen inane delirium non est necesse alia ratione impugnare, quam verbis Augustini serm. 7 de verb. Apost. ita illud rejicientis: *Ecce infantes in suis utique operibus innocentes sunt, nihil secum, nisi quod de primo homine traxerunt, habentes, quibus propterea est Christi gratia necessaria, ut in Christo vivificentur, qui in Adam mortui sunt: ut quia inquinati sunt generatione, purgentur regeneratione. Ipsos ergo testes citabo. Responde mihi, quare moriuntur? quoniam peccant? Ubi peccaverunt, rogo, quando peccaverunt, quomodo peccaverunt? Bonum, et malum quid sit nesciunt. Peccatum accipiunt, qui præceptum non capiunt? Proba mihi peccatores infantes. Quid dixisti? Vere quia oblitus es quod fuisti. An quia plorant peccant? Quia motibus quasi mutorum animalium molestias repellunt; voluptates accipiunt? Si motus isti peccata sunt, ampliores peccatores in baptismo fiunt, quia cum baptizantur, vehementissime reluctantur. Quare illis in tanta reluctatione non imputatur peccatum, nisi quia nullum est adhuc voluntatis arbitrium. Sed aliud dico. Isti, quia nati sunt, ut arbitraris, peccaverunt, nam si non peccarent, inquis, non morerentur. Quid de illis dicis, qui utero moriuntur? O angustia! Et ipsi, inquit, peccaverunt, ideo moriuntur. Mentiris, an falleris? Contradicit Apostolus nondum natis, nec aliquid agentibus boni, aut mali. Magis Apostolum audio, quam te, magis Apostolo credo, quam tibi, nondum natis, nec aliquid agentibus boni, aut mali. Si autem hoc testimonium refellis, vade potius ad illas vagationes, et dic, quia in cælo peccaverunt, et inde in corpora præcipitantur.*

8. Secunda ratio simul desumpta ex his, quæ sensu, rationeque percipimus, et ex his, quæ in sacris literis edocemur, est hujusmodi. Nam genus humanum communiter incurrit aliquas pœnas, tam corporales, ut mortem, famem, sitim, etc. quam spirituales, uti est debilitas rationis, ob quam homo difficulter veri cognitionem assequitur, multotiesque in errores labitur: et adhuc difficilius bestiales appetitus superat; ab illis autem sæpesæpius vincitur, et obnubilatur: ergo signum est prædictum genus humanum communiter aliquod peccatum incurrisse: communis enim pœna communem ostendit præcessisse, culpam: cum ergo hoc peccatum commune humano

generi, non fuerit actuale, quandoquidem infantes, quos etiam prædicta pœna comprehendit (multi enim in illa ætate decedunt): omnis actualis culpæ sunt expertes, erit utique originale ab Adam in totum genus humanum per originem tractum. Quæ ratio vim accipit ex illo Genes. 2: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Ex hoc enim aperte constat, mortem pœnam fuisse pro primo Adami peccato inflictam: atque adeo non aliter ad ejus posteros transcendisse, nisi quia prædictum peccatum omnes illos comprehendit.

9. Sed huic rationi forte aliquis occurret, mortem, et aliquos defectus, quos humana natura communiter sustinet, non esse proprie pœnales: sed potius naturales, ex necessitate materiæ consequentes. Quod sane effugium adhibuisse aliquando Pelagium, et si postea revocaverit testatur D. Augustinus Epist. 106, ratioque illi patrocinari videtur: nam cum corpus humanum ex contrariis constet, necessario est corruptibile: ipseque sensibilis appetitus naturaliter tendit in ea, quæ sunt secundum sensum delectabilia, quæ sæpe etiam sunt contraria rationi. Similiter intellectus possibilis, cum sit in potentia ad omnia intelligibilia nullum eorum habens actu, sed illa ex sensibilibus debeat acquirere, ex propria natura habet, ut difficulter ad scientiam veritatis perveniat, facillimeque possit alio deviare.

Quod confirmari potest: quia si homo fuisset conditus in pura natura, ubi neque haberet gratiam, neque peccatum, nihilominus esset mortalis, omnibusque prædictis defectibus subjaceret: tunc autem non essent proprie pœnales, sed pure naturales: quia pœna non haberet locum, ubi non præcessisset culpa, et demeritum: igitur neque modo est ratio, cur proprie pœnales dicantur. Illa vero sententia Genes. cap. 2, *quocumque die comederis, etc.* non videtur accipienda de morte corporali, sed de spiritali morte animæ, ut intellexit Philo. lib. allegor. et Eucherius lib. 1 commentar. in Genes. Tum quia quoad vitam temporalem Adamus post esum ligni vetiti multo tempore supervixit; cum tamen prædicta sententia statim post peccatum deberet adimpleri; siquidem in ea dicitur, *quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Tum etiam (ait Augustinus Eugubinus intendens mortem corporalem non esse pœnam illius peccati), quia per Christum in baptisate liberamur tam a culpa, quam a pœna, quas pro peccato originali incur-

rimus ; non autem liberamur a morte corporali : ergo talis mors non est pœna illius peccati.

Doctrina  
pro tunc-  
da ratio-  
ne.

10. Hæc tamen non enervant nostram rationem. Pro cujus majori intelligentia observandum est, quod licet homo præcise secundum se, et secundum naturam suam spectatus sit corruptibilis, et mortalis, subjaceatque supradictis et aliis defectibus, tam ex parte corporis, quam ex parte animæ, et ideo si in sua pura natura absque ullo gratiæ privilegio conderetur, omnes, vel fere omnes illos, quos nunc ex vi culpæ originalis patitur, naturaliter, et independenter ab aliqua culpa sustineret, essentque proinde tunc defectus naturales, et non pœnales: attamen Deus de facto noluit humanam naturam in illa sua puritate, seu nuditate creare, sed ut dicitur Ecclesiastes 7 : *Fecit ab initio hominem rectum*, præditum scilicet gratia, et justitia originali : per cujus dona id efficiebatur, ut quoad non peccaret, sed ratio superior, et voluntas per obedientiam, et amorem essent Deo subjectæ, corpus quoque plene subjectum esset animæ, et ab ea per quandam vim divinitus collatam, simul et externa protectione adjuncta, ab omni læsione, et corruptione præservaretur. Similiterque vires sensitivæ plene subicerentur rationi, neque in aliquid contra, aut præter ejus jussu moverentur.

Eccle.7

Suadetur  
ex Scrip-  
tura.

Quod quidem ita factum esse ostendit prædictus locus Ecclesiastes, ubi dicitur Deum fecisse hominem rectum : hoc est perfectum, et integrum, tam secundum corpus, ut non moreretur, neque pateretur, quam secundum animam, ut ratio in omnibus perfecte appetitui dominaretur. Unde Chaldæus sic vertit : *Creavit Dominus Adamum illum primum fortitudine, et justitia præstantem*. Quod enim dicit *præstantem fortitudine*, ostendit vim animæ concessam ad continendum corpus, servandumque immune ab omni nocimento, et passione corruptiva. Quod vero dicit *justitia*, designat robur, et efficaciam rationis ad regendum appetitum, dominandumque illi perfecte, ne contra judicium, et rectitudinem ipsius rationis extolleretur. Quo etiam spectat illud Sapient. 2 : *Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum : invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum*. Et Ecclesiast. 17 : *Vestivit illum virtute*, etc. Psal. 48 : *Homo cum in honore esset non intellexit*. Quibus locis adjuncta Patrum, et interpretum communi glossa, manifeste ostenditur

Sap.2.

Eccle17.  
Psal.48.

Deum in illo primo statu condidisse hominem in natura sana, et integra, immortalis, et impassibili, dignaque maxima aestimatione, et honore, propter dona divinitus collata, quæ postmodum invidia diaboli peccando amisit.

Idem suadet locus Genes. 2 : *Quocumque die comederis, morte morieris*. Ut enim observat D. Thom. 4, contra gent. cit. cap. 50, frustra homini mors ut pœna peccati apponeretur, si ipse ante peccatum eodem modo, ac nunc, erat mortalis, proindeque etiam non peccando moriturus. Et Genes. 3 : *Comedit, et aperti sunt oculi amborum, cumque cognovissent se esse nudos*, etc. Quod enim per peccatum, et non antea cognoverint se nudos, satis ostendit habuisse ante illud tegumenta innocentiae, et justitiæ originalis, quæ omnes naturales defectus, et inordinatos motus, eos comprimendo, et relegando, ita contegebant, ut nullus appareret, neque de facto esset, ex quo verecundarentur : e contra vero post peccatum prædictum tegumen amisisse, spoliatosque, et destitutos donis justitiæ originalis per experientiam prædictorum defectuum, et motuum inordinatorum propriam nuditatem cognovisse, et erubuisse.

Genes.2  
D.Thom.

Genes.3

11. Et quamvis hujus rei, utpote ex facto, et libera Dei ordinatione dependentis, non habeamus rationem naturalem demonstrativam, probabilem tamen, et valde congruentem adducit D. Thom. 4, contra gent. cap. 52, ex suavi, et communi lege divinæ providentiæ. Ad quam, inquit, spectat, ut singulis perfectionibus congrua perfectibilia in sua institutione coaptet : ac proinde quod conjungens corpori animam rationalem, quæ est incorruptibilis, et superioris naturæ, ita coaptaret, et disponderet illud, ut nihil in eo esset contradicens, aut repugnans animæ : sed hæc illi tam in ordine ad esse, quam in ordine ad agere perfecte dominaretur : si quod vero hujus domini impedimentum ex materiæ defectu contingeret, speciali ipsius Dei beneficio tolleretur. Hoc autem perfectum dominium animæ in corpus necessario importat ea, quæ a justitia originali præstari diximus, ut intuitu patebit : igitur attendita, et præsupposita suavitate divinæ providentiæ, debuit homo cum prædicta justitia, et non aliter in sua prima conditione institui.

D.Thom.

Cæterum quia dona, quæ Deus gratiose tribuit viatoribus, licet ex se non dicant amissibilitatem, recipiunt tamen illam ex parte voluntatis ejus, cui conferuntur : quia liberum

liberum hominis arbitrium, attenta ejusdem divinæ providentiæ suavitate, postulat non statim confirmari in gratia; sed habere electionem circa bonum, et malum: debuit prædicta justitia primo homini pro se, et pro sua posteritate conferri sub eo pacto, ut videlicet tandiu illa potirentur, quandiu ipse Adamus per peccatum a Deo non averteretur: si vero peccaret, illam pro se, et pro sua posteritate amitteret. Et hoc pactum (sive fuerit expressum, et formale; sive solum virtuale, et implicitum, quod non refert) continetur in illa comminatione primo parenti facta: *Quocunque die comederis ex eo, morte morieris*. In quibus verbis manifeste denotatur, Adamum (cum quo Deus tanquam cum naturæ capite, atque adeo tanquam cum tota natura humana agebat) si impositam sibi legem observaret, nequaquam neque corpore, neque anima moriturum: si vero delinqueret, necessitatem, et debitum moriendi incursum: atque adeo amissurum pro se, et pro sua posteritate illa dona, quæ mortem, et reliquos defectus impediabant.

12. Ex his facile impugnatur evasio adhibita nostræ rationi. Nam licet respectu hominis conditi in pura natura, seu secundum se spectati mors, et alii defectus naturales essent, propter compositionem ex contrariis, et materiæ conditionem; non tamen respectu illius ut justitia originali præditi: quin potius ipsi hoc modo sumpto repugnabant: ergo cum de facto homo creatus fuerit cum prædicta justitia, ut Scriptura sacra nos docet, nequeunt tales defectus aliter evenire, quam per peccatum justitiam illam auferens: cumque sint communes toti generi humano, necessario arguunt peccatum originale omnibus commune.

Ratio vero, et confirmatio, quæ in prædicta evasione affertur, solum convincunt, prædictos defectus fore naturales respectu hominis conditi in pura natura, et secundum se spectati, secus autem supposita creatione illius in justitia originali, ut evenit de facto. Neque verum est, prædictam Genesis sententiam: *Quocunque die comederis, morte morieris*, intelligi solum de morte spirituali. Tum quia hic sensus alio excluso, contradicit Apostolo ad Roma. 5: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors*, etc. ubi manifeste sermo est de morte corporali: siquidem distinguitur a peccato, quod est mors spiritualis, et ponitur effectus ipsius.

Et cap. 8: *Corpus quidem propter peccatum mortuum est*: ecce qualiter ipsa mors corporis, et non tantum mors animæ dicitur introducta fuisse propter peccatum, atque adeo in pœnam illius. Et ideo D. Augustinus lib. de peccat. merit. cap. 4, explicans prædictum locum ait, Apostolum consulto dixisse corpus mortuum esse propter peccatum, ne aliquis crederet, ideo mortuum, quia de terra sumptum, et ex contrariis coalescens. Quamvis enim hæc esset sufficiens mortis causa, si homo in pura natura conderetur; de facto tamen quia conditus est in justitia originali mortalitatem impediens, et vitam perpetuo illæsam conservante, nequaquam mors illi conveniret, nisi adfuisset peccatum tollens ipsam justitiam.

13. Nec refert, quod Adamus post commissum peccatum multo tempore supervixerit: quia verba illa: *Quocunque die comederis, morte morieris*, non ita intelligenda sunt, ut mors statim deberet executioni mandari: sed quia statim atque homo deliquit, mansit morti obnoxius, seu moriendi necessitati addictus, ut exponit D. Thom. Thom. 4 contra gent. cap. 50. Unde tempus illud *quocunque die* non est referendum ad verbum *morieris*, quasi eadem die, in qua comederet, esset moriturus; sed ad verbum *comederis*; ac si dixerit, *si comederis, quocunque die comedas, tandem morieris*. Potestque addi ex Pereira tom. 1 in Genes. Adamum statim ac peccavit, cœpisse mori, quia cœpit cruciari doloribus, et miseriis, quæ sunt quædam inchoata mors: et ex illis etiam, sicut ex ipsa morte in facto esse deducitur existentia peccati communis Adamo, et ejus posteritati: siquidem etiam isti cruciatus, miseriæ, et dolores habent rationem communis pœnæ, et ita indicant culpam communem, quam consequuntur.

Ad aliud vero, quod additur ex Eugubino, respondetur ex D. Thoma in 2, dist. 31, quæst. 1, art. 2 ad 1, quod licet homo per Christum liberetur tam a culpa, quam a pœna, quam per originale incurrit, non tamen ita ut utrumque statim plene assequatur: sed in hac vita per baptismum manet liber a tota illa culpa, et a reatu pœnæ æternæ: in patria vero liberabitur perfecte ab omni alia pœna, et defectu. Unde immortalitas, et libertas ab omnibus miseriis, quam in futura vita assequemur, vere sunt effectus passionis, et meritorum Christi, sicut remissio, et condonatio culpæ in hac vita.

Satisfit rationi, et confirmationi.  
Locus Genes. exponit de morte corporali.  
tom. 5.

D. Aug.

D. Thom.

Pereira.

D. Thom.

Qualiter per Christum liberemur a pœna originalis culpæ.

D. Thom.

Secundo respondetur ex eodem D. Thoma in 2, dist. 32, quæst. 1, art. 2 ubi ait : *Peccatum originale est primo et per se infectio naturæ, et per consequens inficit personam, secundum quod dispositio naturæ in personam redundat : et secundum hoc duplex pœna originali debetur. Una, in quantum personam inficit, scilicet carentia divinæ visionis : visio enim divina actum quemdam designat, actus autem omnis personæ est : quia actus in individuo sunt, ut Philosophus dicit. Unde et carentia visionis ad personam referenda est, cum opposita sint circa idem. Alia pœna debetur sibi, in quantum naturam inficit : sicut necessitas moriendi, passibilitas, rebellio carnis ad spiritum, et hujusmodi : quæ omnia ex principiis naturæ causantur, et speciem totam consequuntur, nisi miraculose aliter contingat. Dicendum est ergo, quod baptismus infectionem originalis mundat, secundum quod infectio naturæ in personam redundat : et ideo per baptismum illa pœna tollitur, quæ personæ debetur, scilicet carentia divinæ visionis : non autem baptismus removet infectionem naturæ, secundum quod ad naturam per se refertur ; sed hoc erit in patria, quando nostra natura perfectæ libertati restituatur : et ideo oportet, quod remaneat illa pœna post baptismum, quæ culpæ originali debetur, secundum quod naturam inficit : et hujusmodi est fomes, necessitas moriendi, et hujusmodi.*

Ephes. 2.

Ex quibus non solum manet probata prima conclusionis pars, dari scilicet peccatum originale commune Adamo, et ejus posteris, sed etiam secunda, videlicet prædictum peccatum traduci, et communicari per originem : qui est æque communis consensus Theologorum, sanctorum Patrum, et totius Ecclesiæ. Tum quia Scripturæ testimonia utrunque convincunt. Tum etiam quia cum tale peccatum statim ex ipsa conceptione parvulo insit, nec tunc possit fieri recursus ad aliquem actum, vel usum liberi arbitrii ipsius parvuli, nulla alia prædictæ communicationis via excogitari potest, nisi ejus generatio, per quam accipiendo naturam simul accipit culpam. Tum denique quia peccatum originale dicitur peccatum naturæ juxta illud ad Ephes. 2 : *Eramus natura filii iræ*, eo quod commissum fuit ab Adamo, secundum quod erat caput, vicesque gerebat totius naturæ humanæ, et secundum quod pro se, et pro tota illa justitiam originalem acceperat : unde debuit tale peccatum posteris communicari eo modo, quo communicantur illa, quæ sunt naturæ propria : hæc autem communicantur per generationem,

per quam communicatur ipsa natura, ergo, etc. Sed de hoc iterum redibit sermo dub. 3, ubi examinabitur causa efficiens peccati originalis tam moralis, quam physica, tam principalis, quam instrumentalis.

## § II.

*Oppositus error et aliqua ejus fundamenta.*

15. Contrarium errorem negantem peccatum originale ab Adamo in posteros transfusum sectati sunt Pelagiani : ut refert D. Augustinus lib. 1 retract. cap. 9, et lib. de bono persever. cap. 11 et 12, et sæpenu-mero in libris contra Julia. et alibi. Tenue- runt etiam prædictum errorem Sarraceni, et aliqui Hæbreorum, quos adducit Burgen- sis addit. 2 ad 6 cap. Exodi, et addit. etiam 2 ad Roman. 5. Similiter Armeni, Albanenses, Albigenses, Anabaptistæ, Abailar- dus, Erasmus, et alii hæretici : ut videre est apud Castrum de hæresibus verbo *peccatum* hæresi 1 et apud Bellarm. lib. 4 de statu peccati cap. 2 et alios. Quamvis autem omnes Ecclesiæ Patres perpetuo veritatem Catho- licam defenderint, non defuere hæretici, qui aliquorum, ut Basilii, Chrysostomi, Ambrosii, et aliorum nonnulla testimonia, in quibus minus clare loquuntur, in suum errorem assumerent. De quo legendus est Sixtus Senens. lib. 5 Bibliot. ubi annotat. 177 usque ad 180, et lib. 6, annotat. 236 usque ad 239, prædictos Patres ab ea impos- tura liberat, et eorum verborum legitimum sensum tradit.

Legendus est etiam D. Augustinus lib. 1 contra Julia. cap. 3, ubi rem optime tractat ; prædictorumque Patrum, et aliorum testi- moniis veritatem confirmat. Tandemque respondet ad quædam verba Chrysostomi primo aspectu difficilia, quæ Julianus pro se adducebat ex homil. ad Neophytos tom. 5, nempe : *Hac de causa infantes baptizamus, cum non sint coinquinati peccato, ut eis detur, vel addatur sanctitas, justitia, etc.* Horum verborum occasione multa dicit Augustinus ostendens Chrysostomum nequaquam a Catholica veritate, et a communi reliquorum Patrum sententia discedere. *Absit* (inquit) *ut Constantinopolitanus Joannes de baptis- mate parvulorum, eorumque a paterni chiro- graphi liberatione per Christum tot, ac tantis coepiscopis suis, maximeque Romano Innocentio, Carthaginensi Cypriano, Cappa- doci Basilio, Gregorio Nazianzeno, Gallo Hilario, Mediolanensi resistat Ambrosio.* *Alia*

Pelag. Sarrac. Armeni. Alban. Abigens. Anabap. Abail. Erasm. Burgen- Cast.

Bellarm.

Sixt. Senens.

D. Aug.

*Alia sunt in quibus inter se aliquando etiam doctissimi, atque optimi regulæ Catholicæ defensores, salva fidei compage, non consonant, et aliis alio de una re melius aliquid dicit, et verius. Hoc autem unde nunc agimus ad ipsa fidei pertinet fundamenta. Et inferius: Hoc sensit, hoc credidit, hoc didicit, hoc docuit et Joannes. Sed tu ejus verba in vestrum dogma convertis. Peccata dixit parvulos non habere, sed propria. Unde illos innocentes merito nuncupamus, secundum id, quod ait Apostolus, nondum natos nihil egisse boni, sive mali: non secundum id quod ait, per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, etc. Comparans ergo eos Joannes majoribus, quorum propria peccata dimittuntur in Baptismo, dixit illos non habere peccata. Non sicut verba ejus ipse posuisti, non coinquinos esse peccato: dum vis utique intelligi non eos peccato primi hominis inquinatos.*

Hæc ait acutissimus Doctor Augustinus increpans Hæreticum, quod non ipsissima Chrysostomi verba adduceret, quæ juxta vetustiores codices sic habent: *Infantes baptizamus quamvis peccata non habentes, etc.*, sed ex aliquo minus legitimo interprete lectionem illam desumpsisset: *Infantes baptizamus, cum non sint coinquinati peccato. Unde prosequitur: Sed peccato non inquinatos dicere maluistis, ut unum primi hominis peccatum veniret in mentem. Sed suspicionibus non agamus, et hic vel Scriptoris error, vel varietas putetur interpretis: ego ipsa verba Græca, quæ a Joanne dicta sunt, ponam: διὰ τοῦτο καὶ τὰ παῖδια βαπτίζομεν, καὶ τοὶ ἁμαρτήματα οὐκ ἔχοντα, quod est Latine, ideo et infantes baptizamus quamvis peccata non habentes. Vides certe non ab eo dictum esse parvulos non coinquinos esse peccato, sive peccatis: sed non habere peccata, intellige propria, et nulla contentio est. At inquires (prosequitur tacitam Hæretici replicam rejiciens) cur non ipse addidit propria? Cur putamus, nisi quia disputans in Catholica Ecclesia non se aliter intelligi arbitrabatur: tali quæstione nullus pulsabatur, vobis nondum litigantibus, securius loquebatur.*

16. Ex qua August. doctrina habemus debitam explicationem ad quævis testimonia, quæ ex Patribus, vel aliis probatis Doctoribus adduci poterunt, quæ externa specie peccatum omne a parvulis rejicere videantur. Nam vel loquuntur de peccato proprio, propria scilicet ipsius parvuli voluntate commisso, vel si etiam de peccato ab Adamo descendente aliquando loquantur, debent intelligi de Adamo ut persona

particulari, operanteque per suam voluntatem, ut erat voluntas personalis, et sibi propria: quo pacto nihil ad nos transmissit; non autem prout erat caput naturæ, et voluntate capitali deliquit.

In eundem quoque errorem videtur posse assumi locus Pauli I ad Corinth. 7, ubi filios Christianorum, et fidelium appellat Sanctos: non autem tales essent, si peccato originali macularentur. Sed huic testimonio Apostoli duplici via occurrit D. Thom. ibidem dicens: *Quod ait, alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem Sancti sunt, hoc legitur dupliciter. Uno modo de filiis nascituris: alio modo de jam natis. Primo modo sic, alioquin, scilicet si disceditis, et vos aliis copulatis, filii vestri, qui de hac copula nascerentur, immundi essent, scilicet spurii, quia non de legitimo matrimonio. Nunc autem si permanetis, Sancti sunt, id est mundi, quia legitimis conjugis nati. Juxta quam solutionem Apostolus non loquitur de munditia, et sanctitate gratiæ, quæ opponitur peccato; sed de munditia, et sanctitate legali, quæ cum peccato componitur, tantumque excludit illegitimitatem.*

*Secundo modo (prosequitur D. Thom.) legitur sic alioquin, scilicet si disceditis, filii vestri jam nati immundi essent, id est in infidelitate remanerent, sequentes scilicet majorem partem, quæ tunc erat infidelium: nunc autem si permanetis, Sancti sunt, id est Christiani fiunt. Juxta hanc autem expositionem sermo est de munditia, et sanctitate pertinente ad ordinem gratiæ: dicuntur vero filii Christianorum Sancti, non quia ita nascantur; sed quia inter Christianos permanentes, in proximo est, ut baptizentur, et ejusmodi sanctitatem accipiant.*

17. Deinde ratione arguitur contra Catholicam sententiam. Quoniam alioqui proximi parentes vacantes generationi proli læthaliter delinquerent, etiam si legitimo matrimonio conjuncti essent, propter nocuum peccati originalis proli exinde sequutum: et qui per copulam fornicariam commiscerentur, peccarent duplici peccato, alio quidem luxuriæ, sive contra castitatem: alio vero contra charitatem propter prædictum nocuum: hoc autem communiter rejicitur, ergo, etc.

Nec refert, si dicas labem peccati originalis non transfundi in posteros virtute carnalis generationis secundum se sumptæ, seu quatenus est a proximis parentibus; sed prout est ab Adamo, importatque respectum ad illum, secundum quod fuit caput

Locus Pauli cum duplici exposit.

D. Thom.

Propria verba D. Chrysostomi.

Arguitur ratio.

Solutio communis.

naturæ humanæ, suoque primo peccato totam illam infecit. Unde prædicta macula non in parentes proximos, sed in solum Adamum, ut peccato illo pro tota natura delinquentem, debet refundi.

Impugnatur.

Nam contra est. Tum quod Adamus jam non operatur secundum se, neque communicat aliquid puero modo nascenti, nisi mediis proximis parentibus: ergo saltem ut instrumentum Adami, et in virtute illius debent ipsi parentes proximi ad communicationem peccati originalis concurrere: ac proinde debent concursu illo peccare: siquidem quisquis ad peccatum concurrat, eo ipso peccat. Tum etiam quia proximi parentes per suam generationem, et secundum quod est ab ipsis, communicant naturam humanam privatam, et destitutam justitia originali: igitur communicant peccatum originale consistens in tali privatione, et destitutione. Tum denique quia saltem Adamus non posset a peccato excusari, quoties vacaret generationi: quandoquidem media tali generatione, et secundum quod ab illo erat, communicabat filiis immediate a se genitis originale peccatum.

Doctrina pro tueda communi solut.

18. Respondetur sustinendo communem et veram solutionem inter arguendum datam. Ut vero impugnationibus occurramus, animadvertendum est, peccatum originale (ut infra dicemus) aliquid importare de materiali et aliquid de formali. De materiali namque importat concupiscentiam, seu pronitatem ad bonum sensibile contrarium rationi, et etiam carentiam illius perfectionis, quam justitia originalis tribuebat, quatenus hæc carentia consideratur in vi solius negationis, præscinditque a ratione voluntaria: uti esset in statu naturæ puræ. Pro formali vero dicit carentiam ejusdem justitiæ originalis non adæquate, sed secundum principale ejus munus justificandi animam, et rectificandi rationem cum Deo, quatenus prædicta carentia consideratur formalissime in ratione privationis voluntariæ.

Alia doctrina.

Deinde nota semen humanum, quod est instrumentum in generatione, posse considerari dupliciter: vel prout est ab hac determinata persona, scilicet proximo parente tanquam a causa principali proxima, et immediata; ab Adamo vero non nisi ut a causa mediata, et remota: vel secundum quod dicit quemdam respectum, aut quasi respectum ad voluntatem Adami, secundum quod fuit voluntas capitis naturæ, et ut talis per suum primum peccatum amisit volun-

tarie justitiam originalem, pro se, et pro suis posteris, et ex vi talis amissionis omne semen communicativum naturæ humanæ a se processurum reliquit destitutum quadam vigorositate, qua polleret in ordine ad traducendam cum prædicta natura justitiam originalem, prout dub. 3 latius declarabitur: qui quidem respectus non ad voluntatem, vel actionem proximi parentis, sed ad ipsam voluntatem Adami, et ad ejus primum peccatum immediate, et per se terminatur. Nam sicut in omissione voluntaria actus debiti intelligimus quemdam respectum ad voluntatem, ex qua emanavit, et ad illud, quod fuit causa talis omissionis: eoque respectu secluso, nequit ommissio ut voluntaria intelligi: ita in illa privatione vigorositatis relicta ex voluntate Adami, et ex primo peccato in semine humano, intelligimus prædictum respectum ad eandem voluntatem, et ad prædictum peccatum, ex quibus talis privatio, ejusque voluntarietas ortum duxit.

19. Semen ergo primo modo consideratum est proprium instrumentum generantis proximi: et ideo quidquid agit modo illo, tribuitur principaliter ipsi generanti: at vero secundo modo acceptum, est instrumentum solius Adæ; et non utcumque, sed ut primo peccantis per modum capitis naturæ, illoque peccato totam humanam naturam coinquantis per privationem originalis justitiæ: unde quod isto modo causat, in solum Adamum, ejusque voluntatem ut sic delinquentem refunditur: habetque se ista causalitas respectu generantis proximi, et ejus influxus pure concomitanter, et omnino per accidens.

Ex quo fit (et est tertio observandum) Adamum ad generationem pueri modo nascentis dupliciter comparati: uno modo sicut causam mediatam, et remotam, adhuc in ratione causæ principalis, quæ suum influxum exercet mediis proximis parentibus, ut causa principali proxima, et immediata, medioque semine istorum, prout ab illis, atque adeo quatenus est instrumentum eorum, immediate, et mediate ipsius Adami. Alio vero modo comparatur sicut causa immediata, omninoque proxima in ratione causæ principalis: cujus proinde influxus non derivatur ad prolem mediis proximis parentibus, neque medio semine, secundum quod accipit ab illis, sed dumtaxat medio prædicto semine, secundum quod immediate est instrumentum ipsius Adæ, importatque respectum supra explicatum ad ejus voluntatem,

Observatio alia

tatem, ut per modum capitis delinquentem. Quare quod modo isto per semen communicatur proli, omnino est extra causalitatem proximorum parentum, non solum principalem, sed etiam instrumentalem.

20. His suppositis (quæ adhuc sunt inferius magis declaranda) ad primam impugnationem respondetur, Adamum mediis proximis parentibus solum communicare proli humanam naturam, et peccatum originale, quantum ad materiale num. 17 explicatum: quoad formale vero ibidem dictum non concurrunt proximi parentes; sed causa principalis est sola voluntas Adami, ut per modum capitis deliquit: instrumentum vero, medio quo illa voluntas suum influxum, et malitiam originalem communicat, est semen ab Adamo mediate, vel immediate descendens, non secundum aliquid, quod accipiat a proximis parentibus, sed secundum illam voluntariam privationem vigoris nuper explicatam, quæ in ipso semine ex prædicta voluntate Adami, ejusque peccato sine ulla alia causa principali resultat quantum ad suum formale, scilicet quantum ad rationem voluntarii, et privativi. Ex eo autem quod proximi parentes concurrant ad materiale peccati originalis, non sequitur, quod peccent, aut communicent malitiam: quia totus eorum influxus sistit in illo materiali materialiter sumpto. Sicut ex eo quod Deus per suum influxum concurrat ad materiale peccati actualis, non ideo peccat, neque concurrat ad malitiam: quia talis influxus in prædicto materiali materialiter accepto sistit.

Ad secundam impugnationem respondetur, proximos parentes per suam generationem, ut est ab illis, communicare naturam humanam ut connotantem carentiam justitiæ originalis; et ad summum communicare etiam prædictam carentiam, secundum quod præcise consideratur in ratione negationis, quo pacto spectat ad materiale peccati originalis; nequaquam tamen communicare prædictam carentiam secundum quod est voluntaria, et privativa: secundum quam rationem constituit formaliter prædictum peccatum. Hæc enim ratio *voluntarii*, et *privativi* solum provenit ab Adamo medio semine ut instrumento ejus immediato.

21. Diximus, proximos parentes ad summum communicare prædictam carentiam, quatenus habet rationem negationis: quia adhuc secundum istam rationem non est necesse, quod refundatur in illos, neque in aliam causam effectivam: quoniam nega-

tiones, quæ in hac ratione sistunt, nulla indigent causa; sed sufficit non adesse formas, quarum sunt negationes, ut illas concipiamus et de eis tanquam de existentibus loquamur. Unde quemadmodum in pura natura homo communicaret per generationem naturam humanam carentem, seu non associatam justitia originali, neque hæc carentia esset tunc alicui voluntaria (alias esset peccaminosa) neque aliquam causam effectivam illi assignaremus, sicut nec modo assignamus causam effectivam harum negationum, *hominem non esse Angelum, Angelum non esse Deum, equum non esse rationalem*, et similibus: ita in statu naturæ lapsæ licet proximi parentes communicent naturam non associatam seu carentem gratia, et justitia originali, non ideo hæc carentia prout consideratur præcise in ratione negationis, qua ratione ad materiale peccati originalis spectat, debet refundi in ipsos parentes, vel in aliam causam effectivam, sed est absque ulla causa.

Ad ultimam impugnationem negatur antecedens: et ad probationem respondetur, Adamum duplicis personæ munus gessisse: nempe et personæ communis, quæ per modum capitis ex persona omnium posterorum, quorum in se voluntates continebat, operabatur: idque habuit usque ad esum ligni vetiti inclusive: et personæ particularis a cæteris condistrictæ, quæ suo tantum nomine agebat: quod præstitit in reliquis actionibus post prædictum esum. Quia ergo communicatio originalis culpæ non spectabat ad Adamum nisi ut personam communem, non debuit refundi in illum ut exercentem postea actum generationis, sed præcise ut per illum esum delinquentem: neque proinde talis generatio fuit transfusiva culpæ, quatenus erat ab Adamo, ut tunc operante, sed ut respiciebat primum ejus peccatum, et in virtute illius agebat: sicut de reliquis genitoribus posteris et eorum generationibus supra dictum est.

22. Tertio arguitur, iterumque præcedens doctrina impugnatur. Quia licet proximi parentes directe non concurrant ad peccatum originale transfundendum, possunt saltem illud impedire abstinendo a generatione: igitur nisi abstineant, ut illud impediunt, imputabitur illis tanquam voluntarium indirecte. Patet consequentia: nam ex lege charitatis tenetur, unusquisque vitare alienum malum, quando id est in sua potestate, et si non vitet, censeatur velle indirecte tale malum. Quod præcipue locum

Tertiæ  
impug-  
nationi  
occurri-  
tur.

Argu-  
mentum  
tertium,

habet in malis pertinentibus ad animam, quale est peccatum.

Et confirmatur. Nam qui dat operam rei illicitæ tenetur de damno subsequuto, etiam si ex malitia alterius, et præter ejus intentionem, sequatur: ergo saltem fornicarius, qui per copulam illicitam generat, tenebitur de peccato originali sequuto in prole: ac proinde committet duplex peccatum, aliud contra charitatem ratione hujus damni, et aliud contra temperantiam ratione luxuriæ.

Respondetur negando consequentiam. Ad probationem vero dicendum est, non semper teneri hominem cessare ab actione propria propter alienum malum prævisum: quia potest habere justam causam prosequendi jus suum, etiam cum periculo aut certitudine talis mali: præsertim cum hoc non ex vi suæ actionis, sed aliunde consequitur, sicut in præsentis contingit: bonum enim commune naturæ humanæ, quod in propagatione ejus consistit, dat unicuique justam causam vacandi generationi, etiam si sciat damnum aliquod in prole sequendum; dummodo hoc non ex vi generationis prout ab isto generante, sed aliunde sequatur, ut in peccato originali contingit.

23. Adde, neminem posse juste conqueri de illo, a quo accipit primum *esse*, etiam si cum tali *esse* malum aliunde jungatur: sicut nemo conqueritur de Deo, quod illum creaverit, sciens, et prævidens fore peccatis inquinandum. Tum quia unusquisque naturaliter amat *esse* absolute; et consequenter etiam naturaliter amat dantem tale *esse*, nullamque habet causam querendi de illo, sine quo non esset. Tum etiam quia licet *esse*, junctum peccato ratione ipsius peccati absolute sit pejus, minusque eligibile, quam *non esse*; ex alio tamen capite potest esse eligibilius habere *esse*, etiam cum præscientia peccati, sine electione tamen ipsius peccati, quam absolute *non esse*. Quia conservato *esse* manet remedium contra peccatum, et spes evadendi de illo, manetque suppositum capax beatificandi, et consequendi summum bonum; *esse* vero destructo omnis hujus boni spes, et capacitas perit: et talis spes facit eligibilius *esse*, etiam præviso, et connotato, non tamen electo peccato, quam absolute *non esse*. Quæ est doctrina D. Thomæ infra quæst. 83, art. 1 ad 5 et in opusc. de præscient. et prædest. cap. 7, D. Bonaventuræ in 2, dist. 30, art. 1, quæst. 2 ad 2 et aliorum. Potissimeque locum habet in peccato originali (quidquid sit de actuali) quia in ejus contractione nihil jam de novo con-

tra Deum committitur sed illud dumtaxat contrahitur, quod non subest potestati hominis vitare. Sed circa hoc videri potest Greg. Mart. infra quæst. 83, art. 1, dub. 5, ubi hanc ipsam difficultatem ex professo tractat, an scilicet melius, et optabilius sit esse cum peccato sive personali, sive originali, quam non esse? Et etiam Granados tract. 8, disp. 2, sect. 3. Si ergo ille, qui gignitur, licite eligeret *esse*, connotato, et præviso peccato originali, propter prædictam spem, non est cur conqueratur de suo genitore, quia dedit illi *esse* cum præscientia, et sine electione prædicti peccati.

24. Ad confirmationem respondetur, antecedens non esse verum, si universaliter intelligatur: quia etiam in opere alias illicito potest inveniri sufficiens ratio, ut nocumentum prævisum non imputetur: ut si quis sumeret cum inani gloria, vel alia prava circumstantia potionem necessariam, vel satis utilem ad sanitatem, ex qua per accidens sequitur pollutio, non imputatur illi hujusmodi nocumentum: quia licet talis actio ratione illius circumstantiæ sit illicita; secundum substantiam tamen habet sufficientem rationem non curandi de prædicto nocumento: nimirum illa necessitas, vel utilitas ad sanitatem: juxta id, quod supra disp. 10, dub. 5 dicebamus. Quia ergo quælibet humana generatio secundum substantiam considerata habet necessitatem, vel utilitatem respectu boni communis propagationis humanæ, eaque necessitas, vel utilitas est sufficiens ratio non curandi de nocumento peccati originalis, fit, ut licet alias talis generatio sit illicita, non ideo debeat prædictum nocumentum generanti imputari, neque propter illud ea actio aliquam malitiam recipere. Quod autem dici solet danti operam rei illicitæ imputari nocumentum etiam per accidens sequutum, debet intelligi, quando opus est illicitum ex ordine ad ipsum nocumentum: vel saltem quando non adest sufficiens motivum excusans ipsum opus secundum substantiam consideratum ab imputatione talis nocumenti.

25. Quarto probatur argumento, quod sibi objicit D. Thom. 4 contra gent. cap. 51. Nam quod consequitur aliquid secundum suam originem naturalem, est illi naturale: sed quod est naturale, non potest esse peccatum; cum hoc potius sit contra naturam: ergo nequit ab Adamo in alios peccatum per originem derivari.

Dices non derivari illud peccatum per originem

Greg.  
Mart.

Granad.

Solutio  
confir-  
matio-  
nis.

D. Thom.

D.  
Bonav.

Ultimu  
argu-  
mentum  
D. Thom.



lutio. originem absolute sumptam, sed in quan-  
 mpu- tum est vitiata. Verum contra hanc solu-  
 natur- tionem plura sibi opponit Ang. Doctor loco  
 multi- citato. Tum quia defectus in opere naturæ  
 piter. non nascitur, nisi propter defectum, et cor-  
 ruptionem alicujus principii naturalis: sicut  
 quod partus evadat monstruosus, ortum  
 habet ex aliqua corruptione in semine re-  
 perta: non est autem assignare respectu  
 totius humanæ generationis corruptionem  
 alicujus principii naturalis: ergo neque per  
 illam potest aliquis defectus universalis,  
 sicut est peccatum originale, descendere.  
 Tum etiam quia peccata, quæproveniunt in  
 operibus naturæ per corruptionem alicujus  
 principii, non fiunt semper, vel frequenter,  
 sed ut in paucioribus: ergo si per vitiatam  
 originem peccatum a primo parente deriva-  
 retur, non in omnes posteros, sed in pau-  
 ciores descenderet. Tum denique quia filii  
 non assimilantur necessario parentibus,  
 nisi in iis, quæ sunt de ratione speciei: et  
 propterea dicitur, quod homo generat sibi  
 similem in natura: quod autem etiam in  
 aliquibus accidentibus, illis præsertim, quæ  
 pertinent ad animam, filius assimiletur  
 patri, omnino evenit contingenter: ergo  
 cum peccatum non sit de ratione speciei  
 naturæ humanæ, sed accidens commune, et  
 ad animam pertineat, nulla est ratio, quare  
 a primo parente per generationem in om-  
 nes posteros necessario descendat.

mpu- 26. Respondetur, veram quidem esse so-  
 natio- lutionem datam: nam peccatum originale  
 es eno- per naturalem originem traduci ortum ha-  
 intur. bet ex eo, quod natura, quæ est generatio-  
 nis principium, destituta est justitia origi-  
 nali, pro tota illa primo parenti collata: et  
 ex hac parte prædicta natura potest dici  
 corrupta. Unde quia generatio instituta est  
 ad naturam ipsam traducendam, debuit  
 per illam traduci prædicta corruptio et de-  
 fectus, in quo peccatum originale situm est.  
 Quare ad primam impugnationem in con-  
 trarium respondetur, defectum in opere  
 naturæ posse provenire vel propter defec-  
 tum alicujus naturalis principii ex natura  
 ipsa profluentis; vel propter carentiam  
 alicujus doni gratis concessi toti naturæ  
 in primo parente, et ab eo per peccatum  
 pro se, et pro tota posteritate deperditi:  
 licet ergo in natura humana nullum prin-  
 cipium ex ipsa natura profluens corruptum  
 sit, propter quod humanum semen in or-  
 dine ad traducendum peccatum originale  
 sit vitiatum; datur tamen defectus cujusdam  
 gratuiti doni toti naturæ in sua constitutione

concessi: quod quidem donum ea ratione  
 dici poterat *naturale*, quia pro tota natura  
 cum ea propagandum primo ejus supposito  
 collatum fuit. Ex defectu igitur hujus prin-  
 cipii adest in humano semine quædam cor-  
 ruptio, et defectus, scilicet vigoris, quo  
 polleret in statu naturæ integræ ad attin-  
 gendam (modo infra explicando) justitiam  
 originalem proli communicandam: ratio-  
 neque hujus defectus attingit naturam hu-  
 manam ut privatam prædicta justitia, at-  
 que adeo attingit peccatum originale in tali  
 privatione consistens.

27. Ad secundam impugnationem con-  
 cedendum est antecedens de operibus na-  
 turæ convenientibus per corruptionem ali-  
 cujus principii naturalis, hoc est, ex  
 intrinsicis naturæ profluentis: negandum  
 vero de operibus, quæ sequuntur ex defectu  
 principii gratuiti nuper explicati. Et ideo  
 neganda est consequentia, quia defectus  
 prædicti principii, supposito peccato Ada-  
 mi, semper datur in humano semine in  
 omnibus generationibus descendentibus  
 ab ipso Adamo, et ita non mirum, quod  
 peccatum originale ex defectu illo prove-  
 niens semper, et in omnibus contingat.

Ad ultimam respondetur, quod cum pri-  
 vatio, et forma, cujus est privatio, invicem  
 sibi correspondeant, ea ratione filii parenti-  
 bus in peccato originali assimilantur, quia  
 secluso tali peccato, assimilarentur in ori-  
 ginali justitia, quæ cum natura a parenti-  
 bus in filios deberet propagari. Licet enim  
 donum hujus justitiæ ad rationem speciei  
 humanæ, ut quid ortum ex suis principiiis,  
 non pertineat, ex divina tamen gratia da-  
 tum fuit primo homini, ut ab eo in totam  
 speciem derivaretur, et ita omnes posteri  
 ipsi primo homini quoad prædictum donum  
 similes nascerentur. Quare etiam in pri-  
 vatione talis boni, quæ similiter totam  
 naturam, et speciem humanam comitari  
 debet, oportet, quod omnes homines suis  
 parentibus similes generentur.

28. Omittimus alia argumenta, quæ con-  
 tra veritatem in hoc dubio stabilitam pos-  
 sent efformari: vel quia directius militent  
 contra conclusiones in sequentibus statuen-  
 das, ibique commodius proponuntur, et  
 diluentur: vel quia ex doctrina tradita, aut  
 etiam tradenda facilem habebunt solu-  
 tionem.

Post præsens dubium solet a quibusdam  
 aliud excitari, an scilicet peccatum origi-  
 nale, de quo hucusque dictum est, vere, et  
 proprie peccatum sit, aut potius peccati

Dubium  
 aliud re-  
 mittitur.

ratio, et nomen æquivoce illi convenient? Sed nos hoc dubium prætermittimus: quoniam ejus decisio non alia requirit principia, nisi quæ in præcedenti tradidimus. Testimonia enim, et rationes allatæ si quam vim habent, convincunt procul dubio de peccato vere, et proprie dicto: neque aliunde quam ex prædictis testimoniis, et rationibus suaderi potest, peccatum originale vere et proprie esse peccatum. Quod si conferendo illud cum peccato actuali inquiras, an convenient univoce, vel solum analogice, aut æquivoce: et an prædicta convenientia sit Logica, vel Moralis? non esset quæstio superflua: sed ejus decisio constabit disp. 16, num. 77, ubi erit argumentum de convenientia, vel inconvenientia cum peccato habituali, ad cuius genus potius quam ad genus actualis originale spectat. Unde neque inter peccatum originale, et actuale negari poterit illa convenientia, quæ inter habituale personale, et ipsum actuale invenitur, neque ad aliquid potest major requiri, quia nec nos, nec alii plus de ratione peccati, et malitiæ tribuere originali cupimus, quam omnes tribuunt peccato habituali personali.

## DUBIUM II.

*An et quomodo peccatum ab Adamo per originem transmissum sit posteris voluntarum?*

29. Ex duobus quæ titulus inquirat, primum, videlicet an prædictum peccatum voluntarium sit? potius deberet supponi: quia nec ratio peccati, quam ei tribuimus, sine voluntario consistere valet: nec nos aliunde efficacius probare possumus prædictum peccatum posteris Adami voluntarium esse, nisi quia in illis peccatum est. Quare in hoc dubio ne rem actam agamus, potius in explicando modum, et possibilitatem prædicti voluntarii, quam in suadendo ejus existentiam laborandum esset. Verum quia contra talem existentiam vix aliud, quam ex impossibilitate confici valet argumentum, ac proinde quidquid ad istam ab intellectu removendam conducat, in illius erit probationem, de utroque dubium quæritur. Cujus decisio non tam prolixis argumentis, quam animadversionibus, et distinctionibus, quibus prædicti voluntarii modus, et conditio innotescat, tradenda est.

## § I.

*Prælibantur aliqua pro dubii decisione.*

30. Sciendum est ergo, voluntarium, quod ad peccatum requiritur, indispensabiliter importare ordinem, et respectum ad voluntatem, sicut ad principium, a quo procedit, non quaecumque, sed aliquo modo conjunctum: nam propterea diffinitur, *quod est ab intrinseco cum cognitione*: quare repugnat esse alicui voluntarium, quod ex voluntate prorsus aliena, nulloque modo sua ortum duxerit. Est autem duplex voluntarium: aliud consistens in actuali voluntatis exercitio, sive positivo, sive privativo: quod dicimus, *voluntarium formale*: quo pacto se habent omnes actus, et omissiones, quæ voluntas elicit, vel imperat. Aliud vero, quod se habet ut terminus, et effectus prædicti exercitii, importatque respectum ad voluntatem non omnino immediate, sed mediante voluntario formali, medio quo processit. Et quamvis hoc posteriori modo possit dici *voluntarium* omne, quod est voluntatis effectus, adhuc tamen inter hujusmodi effectus est discrimen: nam aliis convenit per se, et intrinsece talis processus a voluntate, respectusque in illam, sicut convenit actibus ab ea elicitis: et ideo neque in rerum natura poni valent, nisi ex influxu, consensu, et approbatione voluntatis, neque postquam semel existunt, possunt conservari, vel concipi sine respectu ad illam, et ad prædictum consensum non retractatum, dependenterque ab illo ut termino connotato per se. Hujusmodi est illud pondus internum, quo trahitur voluntas in rem amatam, et se habet ad actum amoris, sicut verbum ad intellectionem, de quo late diximus in tract. de Trinit. disp. 3 a num. 113. Et etiam est hujusmodi peccatum habituale, quod actuali transacto remanet, et denominat habitualiter *peccatorem*. Unde in his ratio voluntarii terminativi invenitur per se, et intrinsece. Aliis vero totum hoc convenit per accidens, et extrinsece, quia videlicet de facto habeant esse a voluntate, possent tamen, saltem quantum est ex se, alia via produci, possuntque, postquam semel producta sunt, sine respectu ad illam permanere. Et hoc modo dicuntur *terminative voluntarii* omnes effectus, qui per influxum voluntatis ad extra ponuntur, et etiam habitus tam virtutum, quam vitiorum, qui voluntarie producuntur ad intra.

Voluntarium ad peccatum requisitum quid importet?

Duplex voluntarium.

Utriusque voluntarii discrimen. Ex quo etiam fit, hæc voluntaria per accidens, postquam producta sunt, eodem modo permanere, retractata voluntate, atque non retractata : quia solum dependent ab ea in fieri ; postmodum vero non amplius jam illam respiciunt. At voluntaria per se statim pereunt adhibita retractatione, quia dependent a voluntate tam in fieri, quam in conservari : et ideo sicut ea nolente non fierent, ita ipsa renuente, et priorem consensum revocante, evanescent. Et ratio est, quia, ut nuper diximus, respectus, quem hæc voluntaria per se afferunt, non est ad voluntatem nude sumptam, sed mediante consensu illo per quem ab ea processerunt, prout alis consensus integer, et illæsus connotatur : quare sicut posita retractatione cessat prædicta connotatio, sic etiam cessat, et destruitur terminus illius respectus, et consequenter ipse respectus, et voluntarium per illum constitutum perire debent.

Discrimen voluntarii per se. 31. Deinde nota, omne peccatum, quod intrinsece est tale, esse de genere voluntarii per se et intrinseci, quia moralitas, quæ per bonitatem et malitiam dividitur, indispensabiliter fundatur supra voluntarii rationem. Quocirca dixit D. Augustinus voluntarium adeo esse de ratione peccati, ut si voluntarium non esset, eo ipso peccati rationem amitteret. Cæterum non eodem modo omnia peccata habent esse voluntaria : sed peccatum actuale formaliter, et per modum exercitii : quia consistit in actu, vel omissione elicitis, vel imperatis a voluntate. Peccatum vero habituale non est exercitium, sed terminus ex eo relictus, a quo homo etiam postquam peccatum actuale transivit, permanenter denominatur peccator. Unde tale peccatum non debet esse voluntarium formaliter, sed terminative per modum effectus respicientis per se voluntatem a qua processit, et voluntarium formale, seu peccatum actuale, medio quo processit. Unde fit, quod quia peccatum originale originatum, de quo in præsentis est sermo, non est peccatum actuale uti fuit peccatum originale originans existens in Adamo, sed potius habituale ex ipso Adamo peccato in posteris relictum, eosque habitualiter, et permanenter peccatores denominans, consequenter debet esse intrinsece voluntarium, non formaliter, sive per modum exercitii ; sed terminative dumtaxat, ut effectus per se respiciens voluntatem Adamo, a qua processit, primumque ejus peccatum, medio quo processit. Cæterum, quia voluntarium per se etiam terminative

dictum debet esse suo modo ab intrinseco, valde hic urget, quo pacto voluntas Adamo possit dici intrinseca respectu peccati originalis existentis in hoc puero, ac proinde ipsum peccatum non solum Adamo, sed ipsi etiam puero voluntarium sit.

32. Pro quo est tertio observandum, voluntatem dupliciter dici alicujus : vel physice, qui realiter existit in illo : vel moraliter, quia licet sit in alio supposito, et physice separata continet tamen in se voluntatem, et consensum illius, cujus dicitur voluntas, et hac ratione censetur moraliter illi unita, et quasi ipsius propria : sicut voluntas mandatarii dicitur voluntas mandantis, et quicquid ille ex mandato agit, dicitur ab hoc fieri, quia iste per mandatum transulit consensum suum in illum, virtuteque hujus translationis ille, qui mandat, consentit, ratumque habet omne illud, in quod consentit mandatarius : atque adeo quamvis voluntas utriusque physice sit distincta, et separata ; moraliter tamen ita sunt unitæ, ut pro una, eademque reputentur : et non refert an id, quod ex mandato faciendum est, fiat ab hoc, vel ab illo, ut æque censeatur voluntarium respectu mandantis. Quod frequenter evenit in communitatibus, ubi particulares in ordine ad communitatis negotia committunt principi, vel prælato suum consensum, et virtute hujus commissionis ipsa voluntas prælati, vel principis censetur voluntas omnium, ita ut quidquid ab illo factum fuerit, ab omnibus fieri dicatur, et voluntarium omnibus judicetur.

33. Cæterum hæc translatio proprii consensus in alienam voluntatem multipliciter fieri potest. Nam aliquando fit per actum proprium illius suppositi, cujus consensus in alium transfertur, sicut in exemplis adductis. Aliquando vero fit etiam sine ullo consensu proprio talis suppositi per solam voluntatem principis, qui ratione supremæ potestatis habet sufficiens dominium, et facultatem transferendi voluntates plurium in unam alicujus ut in capitalem : ita ut quicquid ab isto prout manus capitis gerente factum fuerit, ab illis etiam fieri, et approbari censeatur : sicut videmus in supremo legislatore creato, cujus jussu voluntates minorum, et aliorum, qui sui compotes non sunt, transferuntur in voluntatem curatoris, vel tutoris, etiam illorum consensu inexpectato, ut constat ex l. Cum plures § quæ bona fide, ff. de administ. et peric. tutor. Similiter voluntates filiorum imuberum censentur a jure contineri in

Voluntas dicitur alicujus dupliciter.

Duplex modus transferendi dominium.

voluntate patris : adeo ut is possit pro eis testari, non tantum in bonis, quæ ab ipso testatore accipiunt, sed in omnibus, quæ aliunde acquisierint. *L sed si plures § ad substitutos ff. de vulg. et pupil. substit.*

34. Quod si in legislatore, et principe creato hæc invenitur facultas, a fortiori, multoque amplior concedenda est Deo omnium supremo principi, rerumque omnium, et voluntatum auctori : ita ut omnium quorumlibet voluntates (saltem dum ipsi per actum proprium non reluctantur) possit in unam alicujus ut in capitalem transfundere: illosque omnes ea lege adstringere, ut firmum, ratumque habeant quicquid ab isto ex omnium persona actum fuerit : ac proinde quod ejus voluntas, quatenus sic, et per modum capitis se gesserit, omnium voluntas censeatur. Et ratio est, quoniam Deus ex se habet majus et excellentius dominium nostrarum voluntatum, quam quælibet humana potestas, et quam nos ipsi, juxta illud D. Augustini de correct. et gra. cap. 14, *magis habet Deus in sua potestate hominum voluntates, quam ipsi suas*: si igitur nos, et etiam suo modo humanus legislator potest unam voluntatem quoad consensum in aliam transfundere, cur non Deo præstantiori dominio, altiorique modo id licebit? Eo præsertim quia sicut Deus, ex eo quod summe potens est, potest in omnes effectus omnium causarum, et in omnes eorum modos possibles, ita quia est summe Dominus, debet esse potens ad omnis dominii translationem, et secundum omnem modum possibilem. Unus autem modus est, ut voluntates plurium sicut membrorum transfundat cum debitis conditionibus in voluntatem alterius tanquam capitis : ita ut quod ab isto pro ut gerenti munus capitis volitum, vel actum fuerit, sicut ab omnibus volitum, et factum habeatur : ac proinde si inordinatum, et peccaminosum sit, omnibus ut eorum culpa imputetur. Nulla est ergo ratio, cur negemus Deo potentiam, et facultatem ad prædictam translationem.

35. Tandem observa, quod sicut Deus potuit, sic de facto posuit in Adamo omnium posterorum voluntates, easque cum voluntate Adami ita copulavit, et univit, ut una ipsius voluntas omnium voluntas censeretur, unusque ejus consensus, aut dissensus pro omnium consensu, vel dissensu haberetur : non quidem in ordine ad omnia, sed in ordine ad illa, quæ ad conservationem, vel amissionem justitiæ originalis sibi et omnibus in ipso concessæ pertinebant : quo-

niam pro his dumtaxat decrevit Deus prædictam voluntatum transfusionem, et unionem. Unde ex tunc mansit Adamus non tantum caput naturale suorum posterorum, quod ei quasi per naturam competebat, quatenus ratione generationis erat illorum naturale principium ; sed etiam caput morale, hoc est, in ordine ad consensum, vel dissensum : quod quidem accepit ex superaddita, et libera Dei ordinatione. Non enim ex eo dumtaxat quod esset naturale principium, munus moralis capitis obtineret, nisi accederet prædicta Dei ordinatio : ut patet in aliis parentibus proximis, qui licet sint principium naturale suorum filiorum, non idcirco habent esse caput morale, saltem eo modo quo fuit Adamus : imo neque alio usque dum legis, vel superioris ordinatio accedat.

36. Tunc autem prædictam capitis moralis dignitatem accepit Adamus, quando impositum fuit illi præceptum, ne gustaret de ligno vetito sub eo pacto, et conditione, ut si obediret, non tantum ipse justitia originali potiretur, sed ex eo ad omnes ejus posterios transiret, illamque quasi hæreditario jure possiderent : si secus autem, pro se et pro tota posteritate prædictam justitiam amitteret. Quod quidem ita factum esse, prædictumque pactum Deum cum Adamo ut capite nostro, atque adeo et nobiscum omnibus, prout eramus in illo, iniisse, licet ratione naturali demonstrari non possit (quoniam res est de facto, et dependens ex libera Dei voluntate) convincitur tamen satis manifeste : tum testimoniis sacræ Scripturæ, cujusmodi est illud Genes. 17 : *Masculus, Gen. 17. cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima ejus de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Quod sane pactum non fuit aliud, nisi quod Deus in paradiso pepigit cum Adamo, et nobiscum in illo, quodque, illo prævaricante, omnes nos prout in illo existentes transgressi sumus, ut exponit D. Augustinus lib. 16 de civit. D. Aug. Dei, cap. 77. Quo etiam sensu intelligit illud Psal. 118 : *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ, quia (inquit) in paradiso cum primo parente legem transgressi sunt.* Oseæ quoque 6 dicitur : *Ipsi sicut Adam Oseæ. 6. transgressi sunt pactum, ibi prævaricati sunt omnes.* Quæ verba de prædicto pacto, quod in paradiso eum Adam transgressi sumus, intelligunt D. Hieronymus, P. N. Cyrillus, Hieron. D. Prosper, et alii super prædictum locum : idque sonant verba illa *ibi prævaricati sunt omnes*, scilicet in paradiso, ubi prævaricatus fuit

D. Aug.

Potuit  
Deus  
et de  
facto  
omnium  
voluntates  
in  
unam  
Adami  
transfudit.

Quando  
acce-  
perit  
dignita-  
tem ca-  
pitis ?

Gen. 17.

D. Aug.

Psal. 118.

Oseæ. 6.

Hieron.  
Cyrillus  
Prosper

fuit Adam. Et idem explicat Apostolus ad Roma. 5: *In quo omnes peccaverunt*. Ex quibus, et aliis Scripturæ locis deduxit Concilium Trid. ses. 6, Adamum sibi et nobis justitiam et sanctitatem amisisse: non autem eam nobis amisisset, si pro se tantum, et non etiam pro nobis sub prædicto pacto illam accepisset.

37. Tum etiam id suadetur testimoniis sanctorum Patrum, qui frequenter asserunt nos fuisse in Adamo, quando peccavit, atque una cum ipso peccatum illud commisisse, ob idque tale peccatum illius simul et nostrum fuisse, ut videre est apud Augustinum lib. 1 de peccat. merit. et remis. cap. 10, ibi: *Manifestum est alia cuique esse propria peccata, in quibus hi tantum peccant, quorum peccata sunt; aliud hoc unum, in quo omnes peccaverunt, quando omnes ille unus homo fuerunt*. Et lib. 3: *In Adam omnes tunc peccaverunt, quando in illa natura insita, qua cunctos generare poterat, omnes unus ille homo erat*, et lib. 3 de Nuptiis et concup. cap. 5: *Per unius illius (nempe Adami) voluntatem malam omnes in eo peccaverunt, quando omnes ille unus fuerunt, de quo propterea singuli peccatum originale traxerunt*.

Epist. 106 ad Paulin. *Tu et quisquis hæc patitur, etc. nondum quidem evidenter in se ipso, sed in illo homine latenter ibi erat, quando cibus vetitus tangebatur*, etc. Similia habent Basilius homil. 1. de laudib. jejunii, Orig. ad Roma. 5, Nazianzenus orat. de Christi nativ., Ambrosius lib. de fide resurrect. cujus testimonium referens Augustinus lib. 2 de peccat. orig. cap. 41: *Lapsus sum (inquit) in Adam, ejectus de paradiso in Adam, mortuus in Adam, quomodo revocarer ad vitam. nisi me in Adam inveniret, ut in illo culpæ obnoxium, morti deditum, ita et in Christo justificatum*, etc. Tandem

D. Bernardus serm. 1. de dominica prima post octav. Epipha. de culpa originali sic loquitur: *Aliena est, quia in Adam omnes nescientes peccavimus: nostra, quia etsi in alio nos tamen peccavimus, et nobis justo Dei judicio imputabatur, sed occulto*. Quæ testimonia, et eorum loquutiones aliter verificari nequeunt, nisi quia Deus omnium nostrum voluntates in una Adami voluntate sicut in capitali constituit, ut ita illa esset quasi voluntas totius naturæ, pro omnibus supponens: ejusque proinde consensus, vel dissensus ab omnibus, ac si proprius esset, firmus, ratusque haberetur.

38. Denique ipsum suadetur, quia supposita traductione peccati originalis, quam

fides docet, necessario quærenda est aliqua via, qua voluntarium ejus explicetur, illaque est præferenda, quæ ad id magis consona, et accommodata censeatur: non est autem excogitabilis alia via ad prædictum voluntarium declarandum ita consona, sicut ista, quam eligimus, ut intuenti constabit: debet igitur ea præferri: ac proinde quicquid necessarium fuerit, ut de facto subsistat, debemus credere fuisse a Deo factum.

## § II.

*Declaratur ex præjactis fundamentis modus voluntarii in peccato originali repertus.*

Dicendum igitur est, peccatum originale ad posteros Adami descendens esse illis per se, et intrinsece voluntarium, non formaliter per modum exercitii, sed terminative per modum effectus; non quidem physice ex ordine ad propriam uniuscujusque voluntatem, sed moraliter ex ordine ad voluntatem Adami, quatenus fuit voluntas capitis continentis ex Dei institutione voluntates ipsorum. Prima hujus assertionis pars, nimirum prædictum peccatum esse voluntarium per se et intrinsece, supponenda potius videbatur ex dubio præcedenti (ut hujus initio animadvertimus) quam hic probanda; quia supposita existentia peccati originalis, perspicue habetur, debere esse per se voluntarium, cum juxta communem Theologorum, et Philosophorum sententiam nullum, quod intrinsece peccatum est, sicut est originale, sine voluntario per se, et intrinseco valeat consistere. Ob hoc igitur et quia ex dicendis pro reliquo assertionis veritas hæc novam lucem, et confirmationem accipiet, non immoramur circa ejus probationem.

39. Secunda autem pars, videlicet non esse voluntarium formaliter, seu per modum exercitii, etiam liquet: quia hic modus voluntarii proprius est solius peccati actualis consistentis in actu, vel actuali omissione; peccata vero habitualia solum sunt voluntaria *terminative*, tanquam effectus per se peccati actualis: et ideo permanent etiam, postquam omne voluntatis exercitium cessavit: ac peccatum originale non est de genere peccati actualis, sed de genere habitualis: non enim consistit in aliquo actu, vel actuali omissione a pueris exercita, ut est per se notum; sed in termino, et effectu in illis ex peccato Adami relicto: igitur

Assertio  
trimen-  
bris.

Prima  
pars sup-  
ponitur.

Ad  
Rom. 5.

Conc.  
Trid.

Idem  
suade-  
tur tes-  
timoniis  
Patrum.

D. Aug.

Idem.

Basil.  
Origen.  
Nazian.  
Ambros.  
D. Aug.

D. Bern.

non debet esse voluntarium primo illo modo, sed hoc posteriori.

Confir-  
matio.

Et confirmatur : quia non debet esse nobis magis voluntarium peccatum originale, quod ex Adamo accipimus, quam ipsi Adamo peccatum suum habituale, in quo post esum ligni vetiti remansit, aut quam peccata nostra habitualia, quæ per proprios actus incurrimus : sed neque Adamo, neque nobis peccata habitualia sunt aliter voluntaria, quam per modum termini : ergo, etc.

Objectio. Dices : peccatum originale est formaliter peccatum, et non tantum terminative : ergo non terminative dumtaxat, sed formaliter debet esse voluntarium. Patet consequentia : nam cum voluntarium sit de ratione peccati, eadem debet esse utriusque conditio, et mensura.

Solutio. 40. Respondetur primo negando consequentiam : quia aliunde sumitur ratio peccati, ac ratio voluntarii, quamvis illa hanc supponat : et ideo non est necesse utriusque denominationem eodem modo alicui convenire, ut explicuimus supra disp. 5, num. 117, ubi diximus aliqua, quæ solum denominantur *voluntaria in causa*, denominari *peccata absolute*, et in se. Et disp. 13, dubio 5, vidimus aliqua, quæ formaliter sunt peccata, non esse voluntaria ; nisi solum interpretative. Quare non mirum si peccatum originale, et cætera habitualia denominentur *peccata formaliter*, et absolute ; quamvis solum *terminative voluntaria* dicantur.

Solutio  
alia.

Secundo respondetur, peccati nomen posse accipi dupliciter : vel omnino stricte pro eo quod est directe et immediate contra legem, diffiniturque *dictum, factum, vel concupitum*, etc. et hoc modo habituale non dicitur peccatum formaliter, quia non est formaliter, dictum, factum, aut concupitum, sed effectus et terminus prædictæ operationis. Vel potest sumi latius pro omni eo, quod est de linea mali repugnantis rationi, redditque subjectum offensum Deo, et invisum : et hoc modo dicitur formaliter tam de habituali, et originali, quam de actuali, similiter etiam voluntarium potest sumi vel stricte, pro eo quod immediate, et cum actuali cognitione habet esse ab intrinseco, ut sonat diffinitio Aristotelis : et hoc modo id solum potest dici formaliter voluntarium quod est actualis processio, et exercitium voluntatis, seu potentiæ appetitivæ : vel cum aliqua latitudine pro omni eo, quod oritur, et dependet per se

a principio voluntario, importatque ad illud intrinsecum respectum : et hoc modo dicitur formaliter tam de exercitio, quam de termino. Unde hac ratione etiam peccatum originale, et cætera habitualia possent dici *voluntaria formaliter* : atque adeo eo proportionali modo, quo dicuntur *formaliter peccata*, possunt etiam dici *formaliter voluntaria* ; et eo modo quo dicuntur *voluntaria terminative*, possunt quoque dici *terminative peccata*. Voluimus autem in præcedentibus uti prima acceptione, ut distingueremus modum voluntarii convenientis peccato originali ab eo quod convenit actuali, qui modus non ita bene distinguitur appellando utrunque *voluntarium formaliter*. E contra vero loquendo de peccato usi sumus acceptione magis lata, juxta quam omnia possunt dici *peccata formaliter* : quia adhuc manet sufficiens inter ea distinctivum penes *actuale, et habituale, vel originale*.

41. Superest declaranda, et suadenda tertia pars assertionis, videlicet peccatum originale esse nobis formaliter voluntarium ex ordine ad voluntatem Adami (quod enim non sit voluntarium physice ex ordine ad voluntatem propriam est per se notum). Probatur ergo : quoniam prædictum peccatum processit ex voluntate Adami, ex primoque ejus peccato, quatenus continebat voluntates suorum posterorum, et earum consensus, atque adeo quatenus erat moraliter voluntas ipsorum : igitur est eis moraliter voluntarium. Consequentia patet : nam sicut de ratione voluntarii in communi est procedere a voluntate conjuncta, seu a voluntate ejus in quo est, ita de ratione voluntarii moralis est procedere a voluntate moraliter conjuncta, seu quæ moraliter judicetur voluntas illius, in quo invenitur : si ergo voluntas Adami, qua primo peccavit, moraliter fuit voluntas posterorum, nequit non quod ex tali voluntate in ipsis procedit, esse illis moraliter voluntarium. Antecedens autem probatur. Quia Adamus ex vi pacti cum Deo in paradiso initi de traductione, vel amissione justitiæ originalis pro se, et pro tota posteritate, fuit constitutus morale caput generis humani, fueruntque ex vi illius pacti voluntates suorum descendendum in ipsam Adami voluntatem ut in capitalem *transfusæ* : hoc autem, et nihil aliud requiritur, ut talis voluntas *censeatur moraliter voluntas ipsorum posterorum*, et ut pro illis supponat : ergo, etc.

Probatio  
tertiæ  
parti  
asserti-  
onis.

Doctrina pro confirmatione. 42. Confirmatur, et explicatur animadvertendo, quod semel Adamo constituto a Deo capite naturæ humanæ, consequenter omnes ejus posterii constituti sunt membra illius capitis, atque adeo ex illo tanquam ex capite, et ex his quasi ex membris intelligimus coalescere communitatem humanam in modum corporis mystici, et cujusdam totius : uti coalescunt aliæ communitates ex principe, vel superiori, sicut ex capite, et ex inferioribus, sicut ex membris : ac proinde tam Adamus, quam cæteri habent considerari dupliciter : vel ut personæ particulares divisæ et separatæ : vel ut partes illius totius, caputque et membra prædicti corporis, morali quadam unione copulati. Unde duplex voluntas debet in unoquoque illorum distingui : alia, quæ convenit illi ut personæ particulari, quæ erit voluntas propria, et personalis : alia, quæ convenit illi ut parti prædicti totius, quæ debet esse voluntas totius naturæ communis pro omnibus suis suppositis : cumque hæc communis voluntas non posset physice in omnibus illis existere, oportuit, ut esset in primo sicut in capite naturæ, indeque omnia alia moveret, et dirigeret. Ex quo etiam fit, quod sicut illud, quod procedit a voluntate propria, et personali uniuscujusque, est illi voluntarium ut personæ particulari, ita quod procedit a voluntate totius naturæ humanæ existente in primo ejus supposito, debet esse singulis voluntarium, quatenus sunt membra illius totius, partesque et inferiora ipsius naturæ.

Confirmatur ratio.

Hinc ergo confirmatur et explicatur nostra ratio. Quia peccatum originale non convenit posteris Adami, quatenus sunt personæ particulares, saltem per se primo ; sed ut sunt partes et membra humanæ naturæ, constituuntque cum Adamo tanquam membra cum capite unam communitatem humanam : ergo ut prædictum peccatum sit eis prout sic voluntarium, sufficit, quod procedat a voluntate ejus, qui gerit munus capitis naturæ, prædictæque communitatis. Imo nulla alia ratione poterat esse illis prout sic voluntarium : quia respectu illorum formalissime ut partium prædictæ communitatis, et naturæ, non est alia voluntas nisi voluntas capitis naturæ in primo ejus supposito existens. Talis fuit autem voluntas Adami, dum primo peccavit : tunc quippe pro se et pro tota humana natura donum justitiæ originalis acceperat ; illudque pro se, et pro tota natura amisit : in quo manifeste gessit munus capitis naturæ.

Igitur prædictum peccatum habet esse omnibus illis voluntarium per voluntatem capitis naturæ, atque adeo voluntarietate morali.

43. Desumpsimus vero totam hanc doctrinam ex D. Thoma quæst. 4 de mal. art. 1, in corp. cujus verba, quia rem optime elucidant, nolumus prætermittere. Præmissit autem duo notabilia : primum hoc modo. *Considerandum est, quod aliquis homo singularis dupliciter potest considerari : uno modo, secundum quod est quædam persona singularis : alio modo, secundum quod est pars alicujus collegii, et utroque modo ad eum potest aliquis actus pertinere. Pertinet enim ad eum in quantum est singularis persona ille actus, quem proprio arbitrio, et per se ipsum facit : sed in quantum est pars collegii, potest ad eum pertinere actus aliquis, quem per se ipsum non facit, nec proprio arbitrio : sed qui fit a toto collegio, vel a pluribus de collegio, vel a principe collegii : sicut illud, quod princeps civitatis facit, dicitur civitas facere, ut Philosophus dicit. Hujusmodi enim collegium hominum reputatur quasi unus homo, ita quod diversi homines in diversis officiis constituti sunt quasi diversa membra unius corporis naturalis, ut Apostolus inducit de membris Ecclesiæ 1 ad Corinth. 12. Sic ergo tota multitudo hominum a primo parente humanam naturam accipientium, quasi unum collegium, vel potius sicut unum corpus unius hominis consideranda est : in qua quidem multitudine unusquisque homo, et ipse Adam potest considerari, vel quasi singularis persona, vel quasi aliquod membrum hujus multitudinis, quæ per naturalem originem derivatur ab uno.*

Secundum notabile præmittit sic : *Est Idem. autem considerandum, quod primo homini in sua institutione datum fuerat divinitus quoddam supernaturale donum, scilicet originalis justitia, per quam ratio subdebatur Deo, et inferiores vires rationi, et corpus animæ. Hoc autem donum non fuerat datum primo homini, ut singulari personæ tantum : sed ut cuidam principio totius humanæ naturæ, ut scilicet ab eo per originem derivaretur in posteros. Hoc autem donum acceptum primus homo per liberum arbitrium peccans amisit eo tenore, quo sibi datum fuerat, scilicet pro se, et pro tota sua posteritate. Defectus ergo hujus doni totam ejus posteritatem consequitur : et sic iste defectus eo modo traducitur in posteros, quo modo traducitur humana natura.*

44. Ex his itaque paulo inferius sic conclu- Idem.

dit: Si ergo consideretur iste defectus hoc modo per originem in istum hominem derivatus, secundum illud quod iste homo est quædam persona singularis, sic hujusmodi defectus non potest habere rationem culpæ, ad cuius rationem requiritur, quod sit voluntaria: sed si consideretur iste homo generatus sicut quoddam membrum totius humanæ naturæ a primo parente propagatæ, ac si omnes homines essent unus homo, sic habet rationem culpæ propter voluntarium ejus principium, quod est actuale peccatum primi parentis.

Idem. Quod etiam alio exemplo satis accommodato ita confirmat. Sicut si dicamus, quod motus manus ad homicidium perpetrandum, secundum quod manus per se consideratur, non habet rationem culpæ: quia manus de necessitate movetur ab alio: si autem consideretur ut est pars totius hominis, qui voluntate agit, sic habet rationem culpæ, quia sic est voluntarius. Sicut ergo homicidium non dicitur culpa manus, sed culpa totius hominis: ita hujusmodi defectus non dicitur esse peccatum personale, sed peccatum totius naturæ: nec ad personam pertinet, nisi in quantum natura inficit personam.

Animad- 45. Advertendum est tamen circa prædicta exempla, et præcipue circa ultimum versio. non tenere in omnibus: sed in hoc quod sicut illa percussio facta per manum est voluntaria, non per voluntatem existentem in manu, sed per voluntatem totius hominis, cujus manus est pars: ita peccatum originale a pueris contractum habet esse voluntarium, non per voluntatem physice in illis existentem; sed per voluntatem totius humanæ communitatis cujus illi sunt partes: quæ quidem voluntas existit in primo supposito naturæ, scilicet in Adamo. Unde non inde inferre licet alias paritates inter exemplum, et rem, de qua agitur: ut quia percussio non est voluntaria intrinsece, sed extrinsece, neque est distinctum peccatum ab eo quod residet in voluntate: ita peccata puerorum non sint intrinsece voluntaria, neque distincta numero a peccato existente in Adamo. Hæc igitur inferre non licet, quia ex incapacitate manus provenit, quod in ea (sicut neque in aliis membris externis) non sit intrinsece voluntarium: cujus tantum sunt capaces potentiæ immanentes, et ipsa anima in quantum spiritualis est.

Et propter eandem rationem actiones prædictorum membrorum non efficiunt distinctum numero peccatum ab eo, quod

est in voluntate: quia ad hanc diversitatem saltem requiritur distinctio penes voluntarium intrinsecum. Anima autem rationalis, etiam dum primo puer generatur, capax est voluntarii intrinseci per modum termini, et consequenter distincti numero peccati ab eo, quod fuit in Adamo: unde intrinsece debet illud in se suscipere: quia voluntas totius unicuique parti tribuit plus, minusve de ratione voluntarii, aut peccati, juxta quod est capax.

46. Tandem probatur ex eodem D. Thoma: quia sicut peccatum, quod est per se primo personæ, et non naturæ, debet esse voluntarium voluntate personali, ita quod per se primo est peccatum naturæ, et non personæ, debet esse voluntarium non per voluntatem personæ, sed per voluntatem naturæ: sed peccatum originale est hujusmodi, et ideo destruxit justitiam originalem, quæ fuit donum concessum in Adamo toti humanæ naturæ: ob idque ab Apostolo ad Ephes. 2, peccatum naturæ vocatur, *eramus natura filii iræ*: ergo non debet alio modo esse voluntarium, quam per voluntatem naturæ, seu per voluntatem existentem in primo ejus supposito, tanquam in capite totius naturæ.

Adduxit vero Ang. Doctor hanc etiam rationem in 2, dist. 30, quæst. 1, art. 2, ubi ita habet: *Oportet quod secundum hoc quod aliquid rationem culpæ habet, secundum hoc ratio voluntarii in ipso reperiat: sicut autem est quoddam bonum, quod respicit naturam, et quoddam, quod respicit personam: ita etiam est quædam culpa naturæ, et quædam personæ: unde ad culpam personæ requiritur voluntas personæ, sicut patet in culpa actuali, quæ per actum personæ committitur: ad culpam vero naturæ non requiritur, nisi voluntas in natura illa. Sic ergo dicendum est, quod defectus illius originalis justitiæ, quæ homini in sua creatione collata est, ex voluntate hominis accidit: et sicut illud naturæ donum fuit, et fuisset in totam naturam propagatum, homine in justitia persistente: ita etiam et privatio illius boni in totam naturam perducitur, quasi privatio, et vitium naturæ: ad idem enim genus privatio et habitus referuntur: et in quolibet homine rationem culpæ habet ex hoc, quod per voluntatem principii naturæ, id est, primi hominis inductus est talis defectus.*



## § III.

*Objectiones adversus traditam  
veritatem.*

47. Adversus ea quæ tradidimus militant nonnullæ objectiones, ex quarum solutione magis veritas declarabitur. Objicies ergo primo, transfusionem illam voluntatum, cui innititur prædictum voluntarium morale, esto in ordine ad alia posset admitti, non tamen habere locum in ordine ad effectus adeo intimos, sicut est peccatum. Præsertim cum ea transfusio non proprio actu, sed sola superioris potestate fit : quia ratio peccati nequit inveniri absque aliquo inordinato consensu illius, qui peccat : at in prædicto voluntario non adest talis inordinatus consensus ex parte illius, cujus voluntas transfunditur in aliam : ergo non sufficit ut peccatum ita commissum imputetur ei, cujus voluntas dicitur transfundi. Neque exempla tutoris et patris ad id explicandum allata, favent prædictæ doctrinæ : quia neque voluntas patris vel tutoris ita continet voluntatem filiorum aut minorum, ut si pater vel tutor peccatum committat, filii aut minores illo maculentur. Imo etiamsi per proprium actum suum consensum quis alii committat, ut mandans committit mandatario, non ex eo quod iste in executione mandati delinquat, imputabitur illi ad culpam, si in tradenda commissione culpa non fuit. Cum ergo transfusio illa nostrarum voluntatum in Adamum a solo Deo facta fuerit, absque omni prorsus nostræ voluntatis consensu, non apparet, qua ratione culpa nostra possit esse, quam ille commisit.

Confirmatur : quia transferre unius vel plurium voluntates in unam aliam, etiam quoad peccandi facultatem, sine illorum consensu, neque conservato eis loco reclamandi, manifeste cedit in eorum detrimentum, et perniciem : siquidem independenter a sua voluntate exponuntur periculo peccati et damnationis : cum ergo Deus nihil in detrimentum suarum creaturarum operetur, non est dicendum fuisse ab illo pro hominibus de facto ita statutum.

48. Respondetur ad objectionem negando antecedens, loquendo de transfusione voluntatum in unam aliquam, quæ sit voluntas primi suppositi naturæ, qualis fuit voluntas Adami : et de peccato quod sit peccatum naturæ, sicut est originale. Cum enim Deo, utpote omnium creatori plenis-

simum sit dominium quarumlibet voluntatum, omnesque earum motus et actus eminentissime contineat, non est cur ei repugnet aliquas inter se moraliter unire, et earum consensus in unam, quam voluerit, transferre in ordine ad effectus quantumcunque intimos : sufficitque nullam in hoc adesse implicationem, sicut re vera non adest, ut sit Deo concedendum.

Diximus loquendo de transfusione a Deo facta : quia apud homines fatemur, non adesse facultatem uniendi alienas voluntates in ordine ad effectus ita intimos, sicut necesse est ad peccandum, sed solum in ordine ad alios magis externos, qui humanæ potestati subduntur. Ratio vero est : quia peccatum non contingit nisi per aversionem a fine ultimo, vel immediate si sit mortale, vel dispositive sit sit veniale : unde ille dumtaxat potest unam voluntatem cum alia unire, taliter quod peccatum unius alii imputetur, qui potest illas ad prædictum finem ordinare, et circa talem ordinationem quicquid voluerit disponere : quod esse proprium solius Dei manifeste constat.

49. Diximus etiam in unam aliquam quæ sit voluntas primi suppositi naturæ : quia licet prædicta voluntatum transfusio potius sit aliquid morale, quam physicum, immediateque ex libera Dei ordinatione dependeat ; est tamen satis probabile requirere pro fundamento virtuales continentiam physicam illarum voluntatum, quæ transfunduntur in eo, in quem transfusio fit. Unde nec Deus saltem secundum communem cursum operando posset omnes voluntates humanas in alium transfundere, quam in Adamum omnium protoparentem, qui tanquam primum naturæ suppositum omnia alia physice virtualiter continebat. Et ratio est : quia prædicta transfusio est talis conditionis, ut ratione ejus verificetur, actum procedentem a voluntate unius personæ procedere quoque ab alia, atque adeo requirit, quod una aliquo modo sit alia : cumque non sit illa formaliter, oportet ut sit ea virtualiter, eo quod virtualiter ipsam continet.

Addit Curiel in præsentis dub. I, quia vel peccante illo homine, in quem aliorum voluntates transfusæ sunt, isti dicentur peccare, vel quatenus sunt in eo, vel quatenus sunt in seipsis ? Non primum, quia cum non contineantur in illo, sed potius sint ab eo separati, non est quo pacto in ipso esse dicantur. Neque secundum, quia in se ipsis nullum esse habent, ut supponimus : nulla igitur esset ratio, cur tale peccatum eis im-

Alia et  
al a  
additio.

putaretur. Adde etiam, peccatum unius nulla alia via posse in alium transire, ita quod vere et intrinsece hujus peccatum sit, nisi per generationem, qua communicata natura destituta gratia, communicatur culpa originalis in ea gratiæ destitutione consistens: solus ergo ille, qui fuerit caput naturale, et posteriorum genitor, poterit in eos peccatum transmittere, atque adeo fieri caput eorum morale per prædictam continentiam voluntatum. Adde rursus, peccatum, quod potest aliena voluntate committi, solum posse esse peccatum naturæ: personalia enim indispensabiliter postulant procedere a voluntate propriæ personæ: at naturæ peccatum nequit aliter quam cum ipsa natura, atque adeo a generante illam traduci: solus ergo ille, qui fuerit caput naturale, et naturæ in aliis propagator, poterit per modum capitis moralis peccatum in eos transmittere. Videatur Curiel in præsentibus dub. 2, et Greg. Mart. dub. 4.

Postre-  
ma ani-  
madver-  
sio.

50. Tandem diximus de peccato quod sit peccatum naturæ, sicut est originale, etc. quia hoc dumtaxat committi potest aliena voluntate, quæ sit voluntas naturæ: alia vero cum personalia sint, omnino postulant committi voluntate propria et personali. Hacque ratione in exemplis, quæ ad hoc declarandum adduci solent, nunquam invenietur, quod una voluntas possit ita transfundi in aliam, ut peccatum istius illi imputetur, nisi ex parte voluntatis transfusæ adfuerit proprius consensus inordinatus: in quo potius quam in actu alterius peccatum ejus consistet: quia cum omnia hujusmodi peccata personalia sint, nequeunt aliter quam propria, et personali voluntate committi. Ex quibus liquet prædicta exempla non adduci ut omnino adæquata rei, de qua agimus: quia modus voluntarii in peccato originali repertus adeo est specialis, et sibi proprius, ut nusquam alibi inveniatur: deserviant tamen similia exempla ad aliquam ejus explicationem, et ut supposita fide de existentia talis peccati, suadeant non esse impossibile, aut inintelligibile.

Consenti-  
ente  
Adamo  
in pec-  
catum.  
omnes  
consen-  
tunt.

51. Ad aliud autem, quod tangitur in objectione, videlicet non posse reperiri peccatum sine inordinato consensu illius, qui peccat, respondetur ita esse: sed sicut peccatum originale non committitur voluntate personali, et physice propria, sed voluntate capitis, quæ moraliter censetur voluntas membrorum, ita non requirit consensum aliquem per propriam, et personalem voluntatem exhibitam, sed sufficit inordina-

tus consensus per voluntatem capitis, qualis fuit in Adamo, quando pro omnibus deliquit. Talis enim consensus eo ipso quod fuit capitis, quodammodo fuit proprius uniuscujusque membri: et ita non defuit consensus posteriorum Adami, dum ipse ut caput omnium pro omnibus consensit. Et ideo dicit D. Thom. cit. quæst. de mal. D. Thom. art. 1, solvens simile argumentum, quod erat decimum nonum, quod *peccatum primi hominis est quodammodo peccatum commune totius humanæ naturæ: et ideo cum aliquis punitur pro peccato primi parentis, non punitur pro peccato alterius, sed pro peccato suo. Suum et non alterius* dixit, quia quod est a voluntate capitis, quæ moraliter est voluntas membrorum, moraliter censetur proprium uniuscujusque membri, et ab eo non alienum.

52. Ad confirmationem negandum est antecedens: potius enim Deus in illa voluntatum transfusione, posteriorum Adami bono et commoditati valde providit: idque pro illis disposuit, quod ipsi prudentissime eligerent, si adessent, et propria voluntate uterentur. Quis enim posteriorum Adami rogatus, *an vellet, ut originalem justitiam nulli eorum debitam ipse Adamus pro se, et pro tota posteritate acciperet, exindeque ad omnes sine ipsorum labore descenderet, sub ea tantum conditione, ut facillimo præcepto obediret: secus illam pro se et pro cunctis amissurus, non Dei stipulationem libenter acceptaret, suumque consensum quoad id Adamo tribueret?* Præsertim cum ex una parte credere debuissent, communem patrem naturali amore omnium filiorum saluti, sicut unumquemque propriæ prospecturum: ex alia vero animadverterent ablatas esse fere omnes peccandi causas, valdeque copiosa gratiæ auxilia pro vitando peccato fuisse illi concessa: insuperque eum in amœnissimo loco, felicissimo, et valde tranquillo statu, summa rerum copia, cunctis illis juxta nutum fluentibus, esse constitutum, ut ita ab omni inopia et difficultate liber facillimo negotio imposito sibi præcepto satisfaceret. Si ergo hæc animadvertentes interrogati fuissent, an vellent manere sine justitia originali, aut non nisi magno cum labore eam acquirere (sicut contingeret casu quo prædicto Dei pacto, et voluntatum suarum transfusioni resisterent) an potius annuentes cum modico periculo justitiam non debitam amittendi, maximæ spei illam sine ullo labore hæreditandi se exponere, quis dubitat omnes libentissime consensuros; aut

Solutio  
confir-  
matio-  
nis.

aut saltem æquum et rationi valde consentaneum esse eos consentire? Valde enim rationi consentaneum est, maximam spem tanti boni detrimento incerto et cum circumstantiis jam dictis præferre. Id igitur quod Deus præsciebat posteros Adami jure approbare debuisse, recte pro approbato habere potuit: et quod ratio exigebat, ut eligerent, jure voluit pro eis statuere: et sicut illi consensum præbendo ut Adamus pro omnibus stipulationem admitteret, non inordinate agerent, sed sibi utiliter consulerent: ita Deus præveniendo eorum consensus, et pro executis habendo, paterne egit, eorumque bono, et utilitati amicabiliter providit.

53. Secundo objicies, de ratione voluntarii esse, ut procedat ab intrinseco, et a principio conjuncto, debetque hæc conditio convenire omni voluntario per se, sive sit voluntarium formaliter, sive terminative, ut supra explicuimus: sed peccatum originale in successoribus Adami non est ab intrinseco, neque ab aliquo principio eis conjuncto: igitur non est eis voluntarium. Minor probatur: quia principium prædicti peccati non est aliud, quam voluntas Adami, et primum ejus peccatum, ex quo originale nostrum tanquam terminus emanavit: illa autem voluntas et peccatum omnino sunt nobis extrinseca, ergo, etc.

Confirmatur: actus, quo Adamus peccavit, non fuit nobis voluntarius formaliter et in actu, sed ad summum in potentia: ergo neque peccatum originale inde resultans erit nobis actu voluntarium per modum termini. Conséquencia liquet: quia voluntarium terminative supponit voluntarium formale, a quo processerit: nec sufficit istud esse voluntarium uni, et illud esse voluntarium alteri; sed utrumque debet esse tale respectu ejusdem: alias non verificabitur de voluntario terminativo, quod sit ab intrinseco. Antecedens vero probatur: tum quia actus, quo Adamus peccavit, non fuit capitalis; sed personalis, ob idque illa voluntas prius infecit personam ipsius Adami, quam naturam, ut docet D. Thom. 3 p. quæst. 8, art. 5 ad 1 et quæst. 69, art. 3 ad 5. Cum tamen voluntas, quæ per modum capitis se habet, prius attingat naturam quam personam. Tum etiam quia prædictum peccatum solum potuit esse nobis voluntarium eo modo, quo continebamur in Adamo: at non continebamur actu in illo, sed solum in poten-

tia: igitur solum in potentia potuit nobis esse voluntarium.

54. Ad objectionem occurrunt aliqui, concessa majori, negando minorem: quia (inquiunt) voluntas Adami, ex qua peccatum originale procedit, non fuit voluntas ejus tantum, sed etiam suorum posterorum, eo quod erat voluntas capitis, ac proinde voluntas etiam membrorum: unde quod ex tali voluntate in nobis procedit, non est dicendum ab extrinseco, sed potius ab intrinseco, quia unicuique est ab intrinseco, quod procedit ab ejus voluntate, sive personali, sive capitali. Hanc tamen solutionem impugnat Curiel in præsentibus dub. 2, intendens voluntatem Adami, etiam prout erat voluntas capitis, non posse dici intrinsecam suis posteris, prout habent esse in se ipsis, quo pacto afficiuntur originali peccato: idque ad longum probat, affirmans, oppositum modum dicendi ex ignorantia procedere: nec tamen ipse explicat, qua ratione prædictum peccatum ab intrinseco sit: arbitratur enim ad rationem voluntarii per modum termini id non requiri.

Sed si distinctione utamur, credimus prædictam solutionem esse sustinendam: quia sicut *voluntarium*, ita *intrinsecum* dicitur dupliciter, nimirum *physice* et *moraliter*. Intrinsecum physice est quicquid re ipsa inhæret subjecto denominato. Intrinsecum vero moraliter dicitur, quod juxta communem æstimationem ita se habet, et idem præstat ac si inhæreret. Hoc autem posteriori modo voluntas Adami in quantum capitalis recte dici potest nobis intrinseca, quatenus sumus membra ejus, et partes humanæ naturæ: quia ita reputata est nostra prædicta voluntas quoad munus conservandi, vel amittendi originalem justitiam, ac si nobis inhæreret: ejusque consensus, vel dissensus quoad prædictum munus ita pro consensu, vel dissensu nostro habuit supponere, ac si a nobis eliceretur. Quocirca D. Thom. quæst. 4 de mal. art. 1 ad 5, loquens de peccato originali in nobis existente ait, quod licet relatum ad personam secundum personalia ipsius habeat rationem existentis ab alio; non autem si referatur ad naturam, sic enim est quasi a principio intrinseco. Impugnationes vero factæ a Curiel procedunt de intrinseco physice, neque contra hujusmodi intrinsecum morale vim habent. Sicut ergo ad peccatum originale in nobis relictum satis est voluntarium morale, ut explicuimus num. 41, ita ad hujusmodi

Aliquorum solutio.

Impugnatur a Curiel.

Defenditur per distinctionem.

D. Thom.

voluntarium sufficit esse ab intrinseco moraliter, vel (quod in idem redit) sufficit quod procedat a voluntate Adami, quatenus reputata est nostra, atque adeo nobis moraliter intrinseca.

Solutio  
confirmatio-  
nis.

55. Ad confirmationem respondetur negando antecedens: ille enim actus Adami moraliter fuit actus noster, utpote elicitus a voluntate, quæ reputabatur nostra: atque adeo moraliter fuit nobis ab intrinseco, et voluntarius per modum exercitii. Quare ad primam probationem dicendum est, prædictum actum utrumque habuisse, et personalem, et capitalem esse: et sicut in quantum personalis infecit personam, ita in quantum capitalis naturam. Quia vero ratio personalis per prius fuit in illo, quia actiones per se primo sunt suppositorum, prius infecit personam, et deinde naturam: quo contra se habet peccatum originale, quod quia non est actus, sed prava naturæ dispositio per modum habitus, prius infecit naturam, quam personam: et hoc dumtaxat vult D. Thom. locis in confirmatione citatis.

Ad secundam respondetur, peccatum Adami fuisse nobis voluntarium per modum actus, et non tantum in potentia, si hæc cadant supra ipsum voluntarium: ad hoc autem non fuit necesse, quod essemus tunc actu et formaliter in ipso Adamo; sed sufficit quod fuerimus in eo virtualiter ratione continentiæ physicæ in ejus virtute generativa, et etiam moraliter ratione divini decreti constituentis illum caput nostrum, et in ejus voluntate omnium nostrorum voluntates statuentis: hoc enim satis fuit: tum ut ipse Adamus in illa operatione pro nobis supponeret, adeoque talis operatio esset per modum actus secundi voluntaria nobis, prout eramus in illo: tum etiam ut peccatum originale inde resultans sit nobis voluntarium per modum termini, ut sumus in nobis.

Replica.

56. Sed urgebis: quia si solum peccavimus in Adamo, quatenus eramus in illo, non autem ut in nobis ipsis existentes, quippe in nobis tunc nullo modo eramus, non debemus contrahere peccatum originale, quatenus in nobis ipsis, sed præcise ut fuimus in eo contenti: et consequenter neque prædictum peccatum erit intrinsece physice in nobis, sed ad summum moraliter: neque erit aliud numero ab illo, quod fuit intrinsece in Adamo. Hoc autem manifeste repugnat communi doctrinæ, et ei, quam tradit Concilium Trid. ses. 5, decreto

Conc.  
Trid.  
ses. 5.

de peccato orig. can. 2, ergo, etc. Sequela probatur: quia peccatum originale eo modo debet esse nobis voluntarium per modum termini, quo per modum actus fuit voluntarium peccatum actuale Adami a quo procedit: ergo si istud solum fuit nobis voluntarium prout fuimus in ipso Adamo, illud quoque erit nobis voluntarium eodem modo, atque adeo non ut sumus in nobis.

Respondetur negando sequelam: nos enim peccatum actuale Adami solum potuimus committere una cum ipso Adamo, sicut eramus tunc quando commissum fuit, atque adeo secundum esse dumtaxat, quod habuimus in illo: peccatum vero originale inde resultans utroque modo debuimus contrahere, et ut eramus tunc, et ut sumus modo quando per generationem ad nos descendit: cumque modo simus extra Adam, et in rerum natura per nos ipsos, debemus prædictum peccatum in nobis contrahere. Et sane hæc est natura voluntarii capitalis, ut quod per modum actus fuit in capite et membris ut habentibus esse in illo, descendat postmodum per modum termini ad eadem membra ut sunt in se ipsis. Tum quia voluntarium capitale infecit totam naturam et communitatem in capite contentam; ibique contractum est debitum, ut cum ipso natura transiret: unde sicut natura ita infecta descendit postmodum ad membra in se ipsis, ita descendere debet prædicta infectio, prædictumque voluntarium. Tum etiam quia voluntarium capitale operatur in membris juxta eorum capacitatem et statum; et ideo dum solum habent esse in capite, in eo dumtaxat terminum suum producit: quando vero accipiunt esse in se ipsis, producit quoque in eis prædictum terminum. Neque id est intellectu difficile: præsertim quando terminus producendus, et multiplicandus est tantum privativus, sicut est peccatum originale: quia tunc sufficit auferri a capite perfectionem quam acceperat membris communicandam, ut eo ipso quandocumque membra in esse ponantur, simili perfectione careant, inficianturque proinde in se ipsis ejus privatione.

57. Quod ergo in proposita replica dicitur, *peccatum originale eo modo debere esse nobis voluntarium per modum termini, quo peccatum Adami voluntarium fuit per modum actus*, verum est si ly eo modo solum dicat conditionem et modum tenentem se ex parte ipsius voluntarii, ut quod sit capitale, vel personale: secus autem si supra subjectum

subjectum *quod* utriusque voluntarii appellet : ut sic enim neganda est paritas : quia sicut terminus alicujus actionis derivari solet in plura subjecta, in quæ non derivatur ipsa actio secundum se, præsertim cum formaliter est actio immanens, et virtualiter transiens, sicut est peccatum actuale, ita voluntarium per modum termini extendi potest ad plura subjecta physice informanda, in quibus non sit physice voluntarium per modum actus.

Tertia objectio.

Tertio objicitur : quia pueri contrahunt peccatum originale non tantum ut sunt partes naturæ, et communitatis humanæ, verum etiam ut sunt particulares personæ : sed ut contrahant hoc secundo modo, non requiritur voluntarium personale : ergo neque ut contrahant primo requiritur voluntarium naturæ. Minor constat, et major suadetur. Tum quia pueri ante baptismum secundum utramque rationem habent esse Deo invisibili ejusque inimici. Tum etiam quia per baptismum potius mundantur ut personæ particulares, quam ut partes naturæ : imo ut partes naturæ non omnino mundantur, siquidem remanet in eis vis ad communicandum filiis peccatum originale simul cum natura, ergo, etc. Confirmatur : quia si prædictum peccatum esset voluntarium parvulis adhuc voluntate naturæ, possent vituperari, et increpari propter illud : condignitas enim vituperii, et increpationis consequitur tanquam proprietas ad peccatum propter voluntarii rationem : atqui parvulus non est dignus vituperio neque reprehensione propter tale peccatum : quis enim increpavit pueris, quod ita nascuntur, cum nullus eorum possit aliter nasci ? nullo igitur modo est illis voluntarium.

Confirmatio.

Enodatio objectio nis.

58. Ad objectionem respondetur ita esse, quod pueri etiam ut personæ particulares peccatum originale contrahunt; non tamen per se primo, secundo, et ex consequenti: contrahunt enim primario ut partes naturæ, exinde vero infectio simul cum natura ad personas descendit : unde quia voluntarium ad peccatum requisitum sequitur conditionem subjecti quod inficit primario, non vero ejus quod inficitur secundo, satis est ad prædictum peccatum, etiam ut attingit personam, voluntarium naturæ, sine quo tamen neque naturam neque personam prædicto modo attingeret.

Replica.

Nec refert si urgeas, quod baptismus prius abluit personam a culpa originali, quam naturam : ergo et ipsa culpa prius debet personam, quam naturam inficere.

Respondetur negando consequentiam ; imo potius vice versa procedendum est. Culpa enim originalis aufert perfectionem quæ primario data est naturæ, ut cum natura ad personas descenderet : unde privatio talis perfectionis, quæ est ipsa culpa, debet per eodem gradus, atque adeo a natura ad personas descendere. Cæterum justificatio facta in baptismo tribuit perfectionem, videlicet gratiam sanctificantem pro hac dumtaxat numero persona, atque adeo personam ipsam primario respicientem, naturam vero non, nisi ut est talis personæ et quoniam gratia eodem ordine culpam aufert, prius mundat personam, quam naturam.

Solvitur.

Ad confirmationem D. Thomas in præsententi art. ad 5, videtur concedere pueros posse increpari, et vituperari ob culpam originalem, si consideretur quatenus sunt partes naturæ dicuntque ordinem ad protoparentem ut ad principium, in quo omnes peccaverunt, quo pacto prædictum peccatum est *illis* voluntarium. Secus vero, ait, si considerentur ut particulares personæ. Atque idem clarius docet quæst. 4 de mal. art. 1, unde argumento 4, desumpto ex Philosopho, videlicet quod nulli defectui ex origine contracto debetur increpatio et pœna, quæ tamen peccato debetur : ergo nullus talis defectus habet rationem peccati : respondet *dicendum quod ei; quod est per originem contractum, non debetur pœna et increpatio, si referatur ad personam, quia sic non habet rationem voluntarii: sed si referatur ad naturam, sic habet rationem voluntarii, ut dictum est, et hoc modo debetur ei increpatio et pœna.*

Confirmationis solutio.

D. Thom.

59. Addit autem Vasquez, quod cum non quævis increpatio contra peccatum originale fieri possit, distinguendum est : quia vel increpatio consistit in sola *pœna damni* : et hac digni sunt pueri propter prædictum voluntarium. Vel consistit in *pœna sensus*, et afflictionis : et hoc genere increpationis digni non sunt. Quare cum increpatio, quæ verbis fit, et habet rationem contumeliæ, potius sit pœna sensus, locum contra pueros non habet. Hæc ille. Sed et nos addimus, pœnam damni impropriissime appellari *increpationem* : unde si aliquo modo non omnino improprie pueri propter originale digni sunt increpatione et opprobrio, ad pœnam sensus spectare debet. Nec verum est, hujusmodi pœnam locum contra pueros non habere, quia licet hoc ita sit loquendo de statu futuræ vitæ (de quo dicemus infra)

Additio ex Vasq.

Alia additio.

in hac tamen sicut affliguntur morbis et aliis pœnalitatibus, quæ ad pœnam sensus pertinent, idque totum cadit sub demerito prædicti peccati, possent etiam saltem quantum est ex hoc capite verborum contumeliis et increpationibus puniri.

Alia ratio ad intentum.

Sed alia ratione nullus hominum posterorum Adami pueros propter originale peccatum increpabit, quia cum sit omnibus commune, nemo aliis jure objicere potest, quod ipse eodem prorsus modo contraxit, ne sibi dicatur, *hypocrita, quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem in tuo non advertens?* Et hoc est, quod dicit D. Anselmus lib. de conceptu virgin. 28: *Non juste redarguit homo hominem cum culpa nasci, sine qua ipse non extitit, et de qua non nisi per alium sanatur.* At ab Angelis, qui ab originali prorsus alieni sunt, posset totum genus humanum, et unusquisque nostrum exprobrari propter illud, non ut personæ particulares, sed ut partes naturæ unitæ et copulatæ in voluntate primi parentis, ut D. Thom. dixit.

D. Ansel.

Ultima objectio.

Denique objicies: quia non apparet, quæ via peccatum originale modo in pueris resultat, ex Adami voluntate, ejusque influxu proveniat, aut quam causam effectivam habeat: et multo minus quomodo tale peccatum, quod, ut infra dicemus, privativum quid est, conservet ordinem et respectum ad prædictam voluntatem, sine quo respectu, juxta superius dicta, nequit ejus voluntarium intelligi? Hujus tamen objectionis solutio pendet ex decisione dubii sequentis.

### DUBIUM III.

*An et quæ sit causa efficiens physica peccati originalis.*

60. Licet sæpe dixerimus, peccatum nostrum originale ex primo Adami peccato procedere, atque adeo istud esse causam illius effectivam, placuit id cum pluribus Theologis ex professo dubitare: tum ut modus prædictæ causalitatis innotescat: tum etiam ut difficultatibus inde emergentibus satisfiat. Et quia causa efficiens alia est moralis, et alia physica, alia principalis, et alia instrumentalis, de istis omnibus est aliquid examinandum: quod non totum in hoc dubio, sed etiam sequenti præstabimus. Ne vero in æquivoco laboremus, sciendum est, *causam moralem* in præsentem eam dumtaxat a nobis nuncupari, quæ non per se exequitur effectum, sed moraliter ad illum

concurrit; nempe quia merito, vel demerito, precibus, consilio, præcepto, aut quovis alio excitandi, et persuadendi modo voluntatem alienam inducit, ut effectum executioni mandet. Nomine vero *causæ physicæ* intelligimus omnem aliam, quæ ex vi sua, seu ex vi influxus ab ea præstiti, atque adeo non mediante aliena voluntate effectum infert. Nec refert an talis influxus sit vera et rigorosa actio de prædicamento actionis vel qualitatis proindeque vera et rigorosa causalitas: aut sit tantum emanatio et resultantia, quæ non differt re ipsa ab effectu, ut connotat terminum primarium, ex quo resultat: et propterea solum dicitur causalitas secundum quid. Neque etiam refert an ipse effectus secundum se spectet ad ordinem physicum, vel moralem, positivum, vel privativum. Dum enim modo explicato (hoc est) ex vi influxus præstiti a tali causa, et non mediante aliena voluntate effectus in rerum natura ponatur, numeranda est ejus causalitas inter physicas, et non inter morales: quia iste modus causandi proprius est causæ physicæ.

Deinde nota divisionem causæ in principalem, et instrumentalem propriam esse solius causæ physicæ: quia moralis raro vel nunquam admittit eam partitionem. Ex quibus causa principalis dicitur, quæ ratione sui effectum continet: instrumentalis vero, quæ virtute aliena eum producit. Tandem nota, in peccato originali posse considerari aliquid per se, scilicet ipsam malitiam, et inordinationem, quæ Deo repugnat, redditque animam illi exosam et inimicam: et aliquid concomitanter, pœnam videlicet et miserias, quas Deus pro tali peccato infligit.

#### § 1.

*D. Thomæ sententia, et prima ejus ratio.*

61. Dicendum itaque est peccatum originale secundum rationem culpæ habere causam efficientem physicam saltem eo modo, quo privationes illam habent: esseque hujusmodi causam principalem, et præcipuam primum Adami peccatum, in quantum fuit peccatum capitis, seu ipsum Adamum in quantum per modum capitis naturæ humanæ peccato illo deliquit. Hæc conclusio, quatenus in ea asseritur, prædictum Adami peccatum esse causam effectivam et præcipuam nostri originalis, a nemine Catholicorum, quem viderimus, negatur, nec posset sine

Causa efficiens quotuplex, et de qua in præsentem sermo.

sine errore negari. Sed etiam quantum ad id quod asseritur de causalitate physica, est communior inter Theologos, illamque tñentur D. Bonaventura in 2, dist. 31, art. 1, quæst. 1, Driedo de capt. tract. 2, cap. 2, parte 3, Alvarez lib. 6 de auxil. disp. 44, num. 18, et in præsentī disp. 171, Greg. Mart. dub. 4, conclus. 3, Montes. infra quæst. 83, disp. 3, num. 33. Debentque hoc idem tueri quotquot asserunt, semen ab Adamo decisum effective instrumentaliter attingere traductionem peccati originalis, quos infra referemus: imo Curielem, Zumiel, et alios ex iis, qui pro contraria sententia adduci solent, credimus in re ab hac non dissentire, quia nomine *causalitatis moralis*, quo ipsi utuntur, non intelligunt causalitatem per modum demeriti, consilii, suasionis, etc. quam dumtaxat nos in præsentī *moralem* vocamus, sed resultantiam et emanationem ex natura rei, independentemque ab aliena voluntate: quam nos ad physicam reducimus; illi vero quia non est proprie actio, *moralem* appellant.

Sed quidquid sit de hoc, sententia nostra est D. Thomæ infra quæst. 83, art. 1, in corp. ubi sic ait: *Aliquid potest esse in aliquo dupliciter: uno modo sicut in causa vel principali, vel instrumentali: alio modo sicut in subjecto. Peccatum ergo originale omnium hominum, fuit quidem in ipso Adam sicut in prima causa principali secundum illud ad Roma. 5, in quo omnes peccaverunt. In semine autem corporali est peccatum originale sicut in causa instrumentali: eo quod per virtutem activam seminis traducitur in prolem simul cum natura humana. Et in solut. ad 2: Peccatum originale causatur ex semine sicut ex causa instrumentali: non autem oportet, quod aliquid sit principalius in causa instrumentali, quam in effectu, sed solum in causa principali: et hoc modo peccatum originale potiori modo fuit in Adam, in quo fuit secundum rationem actualis peccati. Et ad 4: Infectio originalis peccati nullo modo causatur a Deo, sed ex solo peccato primi parentis per carnalem generationem, etc.*

Ubi D. Thom. manifeste loquitur de causa principali physica: quoniam loquitur de illa secundum quod per instrumentum seminis, et generationis carnalis ad peccatum originale concurrat: causa autem, quæ per instrumentum physicum concurrat, in quantum ita concurrat, non est moralis sed physica: nam causa moralis non influit immediate per instrumentum, sed media voluntate aliena ut causa principali. Idem-

que confirmat S. Doctor exemplo, quo utitur in corpore ejusdem articuli his verbis: *Hoc modo ex voluntate primi parentis peccatum originale traducitur in posteros per quandam generativam motionem: sicut a voluntate alicujus hominis derivatur peccatum actuale ad alias partes ejus, etc.* Atqui causalitas voluntatis in derivando peccatum actuale ad alias partes hominis, ut ad appetitum, intellectum, etc. non est moralis sed physica ex vi proprii et realis influxus: ergo similiter debet esse physica causalitas Adami in traducendo ad posteros originale peccatum.

62. Ratione vero sic suadetur. Quoniam peccatum originale est aliquis effectus (saltem eo modo quo privationes effici dicuntur) positus a parte rei in unoquoque posteriorum Adami: igitur debet dari aliqua causa quasi primaria, ex cujus influxu illud qualecumque esse, quod habet, in rerum natura effective ponatur: atque adeo quæ per modum causæ physicæ propria virtute ipsum attingat: sed nulla alia potest assignari, nisi Adamus per suum primun peccatum, ergo, etc. Antecedens est per se notum: peccatum enim originale non est aliquid increatum, neque habens esse a se adhuc in ratione defectus; sed ut ipsum nomen ostendit, originatum et causatum ab aliquo. Ex quo etiam prima consequentia liquet: quia neque ratio effectus, neque ratio originis potest intelligi sine respectu ad causam, non tantum materialem aut formalem, sed etiam effectivam, a qua (ut dicitur in ejus diffinitione) incipiat motus et influxus, per quem talis effectus in rerum natura collocatur. Quod si talis causa non propria virtute, sed ut mota ab alia, et per modum instrumenti operetur, recurrendum erit ad illam, ex qua sit talis virtus, atque adeo quæ propria virtute, et per modum causæ principalis id præstet. Et de hac (neque enim abeundum est in infinitum) procedit nostrum argumentum. Minor autem constat: quia cum talis causa non sit puer, in quem peccatum originale traducitur: neque proximi parentes, ut omnes Catholici supponunt, nulla alia potest assignari præter voluntatem Adami ratione illius actus, quo per modum capitis ex persona omnium posteriorum primo deliquit.

Confirmatur: quia peccatum originale non utcumque est effectus, sed per modum voluntarii per se et intrinseci, licet *terminativi*, ut dubio præcedenti vidimus: sed de ratione voluntarii terminativi est, ut

D. Bona.  
Driedo.  
Alvar.  
Greg.  
Mart.  
Montes.

D. Thom.

Idem.

Prima  
ratio  
assertio-  
nis.

Confir-  
matio.

procedat a voluntate tanquam a causa physica medio aliquo actu ejus physico, qui sit voluntarius formaliter : alias non conveniret illi diffinitio, scilicet *quod est ab intrinseco cum cognitione* : igitur assignanda est voluntas, a qua prædictum peccatum modo dicto procedat : non est autem alia assignabilis nisi voluntas Adami per suum primum peccatum, ergo, etc.

Evasio  
ad ratio-  
nem.

63. Dices, sufficere influxum moralem ad hoc, ut ex voluntate, et peccato Adami resultet in ejus successoribus originalis culpa : quia cum hæc tantum sit quædam carentia et privatio justitiæ originalis, per solam connotationem illius primi peccati auferentis a tota natura talem justitiam resultat in unoquoque nostrum, sine influxu reali et physico. Eo præsertim quia causa, quæ jam non est sicut peccatum illud Adami, nequit, realiter et physice aliquem influxum præbere. Ad confirmationem vero dici posset, non omne voluntarium esse voluntarium physice, sed aliqua tantum moraliter : inter quæ dubio præced. numeravimus ipsum peccatum originale : et etiam omissiones peccaminosæ dicuntur *voluntariæ* non *physicæ*, quasi terminent realem voluntatis influxum, sed *interpretative* vel *moraliter* : quia voluntas potuit illas prohibere ponendo actus oppositos, et non prohibuit.

Ad confir-  
mationem.

Præcluditur.

Sed contra est ; quia vel efficacia illius actus, quo Adamus peccavit, pertingit re ipsa ad hunc effectum, qui est peccatum originale, vel non? Si primum, nihil deest quominus sit causa ejus physica : quia nomine *causæ physicæ* in præsentia non aliam intelligimus, nisi illam, cujus influxus sua efficacia ad effectum pertingit : ita quod ex vi talis influxus sufficienter, et sine alterius causæ principalis adminiculo, effectus in rerum natura collocetur. Si secundum, necessario quærenda est alia causa efficiens, cujus efficacia modo dicto attingat talem effectum, illumque extra se ponat. Cumque hoc posterius dici nequeat : nulla quippe excogitabilis est talis causa ; dicendum est primum.

Major impu-  
gnatio.

64. Deinde Adamus per suum primum peccatum aliquo modo influxit effective in peccata originalia posteriorum secundum rationem malitiæ, ut omnes Theologi fatentur : at non per modum causæ moralis : ergo per modum causæ physicæ. Minor probatur. Tum quia causa moralis non præbet ex vi sua sufficientem influxum in effectum, quo illum executioni mandet, sed tantum ad id movet et excitat alienam vo-

luntatem : constat autem Adamum ad nostrum peccatum secundum rationem malitiæ non hoc modo concurrere : quia nulla est alia voluntas, quam moveat et excitet ad ejus productionem. Tum etiam quia causa moralis alicujus effectus semper debet habere comitem causam ejus physicam, nempe illam voluntatem, quam allicit, et movet, ut illum executioni mandet : ergo, quicquid sit de causalitate morali Adami in nostrum peccatum, debet necessario concedi aliqua causa physica, quæ ad illud secundum rationem malitiæ executive concurrat : hujusmodi vero causa non est alia excogitabilis præter ipsam Adami voluntatem per suum primum peccatum, ut intuitu patebit : ergo, etc.

Nec refert quod peccatum originale sit tantum privatio : quia privationes sicut alioquo modo habent esse in rerum natura, ubi antea non erant, ita eo modo quo sunt, postulant fieri physice et executive ab aliqua causa, ex cujus influxu suum qualequale esse ; vel potius *non esse* ad extra consurgat : ut videre est in privationibus naturalibus : sicut est privatio frigiditatis in aqua, visus in animali, et similes, quæ licet sint carentiæ, suo tamen modo fieri dicuntur ab eodem efficiente, a quo producantur formæ impossibiles cum illis, quarum sunt carentiæ : privatio enim frigiditatis vere fit a producente calorem, et privatio visus a ponente obicem destructivum visus. Neque hujusmodi causalitates aliquis *morales* appellavit, aut ad lineam causalitatis physicæ non reduxit. Quamvis quia non est ibi vera et rigorosa actio immediate terminata ad privationem, sed resultantia ex vi actionis præcedentis, non vocentur absolute et simpliciter *causalitates*, sed secundum quid, et diminute.

Impu-  
gnantur  
alia con-  
tenta in  
evasio-  
ne.

65. Neque verum est, peccatum Adami fuisse dumtaxat connotatum in ordine ad auferendam justitiam originalem a tota natura, ponendamque privationem in suis posteris, ut dicitur in prædicta evasione : quia nudum connotatum nisi simul habeat rationem causæ, non sufficit ad effectum sive positivum, sive privativum de novo ponendum, neque potest esse tota ratio hujus positionis, sed conditio dumtaxat illius, quod est vera ratio et causa talis positionis : impossibile quippe est, ut intelligamus aliquid, quod non est a se, poni de novo in rerum natura ; et quod non intelligamus causam, in cujus influxum reducatur. Et multo minus sufficit, aliquid esse connotatum,



connotatum, ut dicamus effectum inde procedere: ob idque plura connotant prædictum Adami peccatum, ut ejus pœnitentia, satisfactio, redemptio, etc. quæ minime ex ipso ortum ducunt, sed potius illud destruant. Cum ergo peccatum nostrum originale juxta communem sensum ex Adami peccato procedat, et hoc fuerit tota ratio cur ad nos pervenerit, non est dicendum esse dumtaxat connotatum, sed causam verè et realiter influentem. Quo pacto vero Adami peccatum, cum modo non existat physice, possit physice causare, inferius constabit.

Evasio confirmationi adhibita etiam corruit. Tum quia perspicuum est ad rationem voluntarii non sufficere causalitatem moralem: pœna enim causatur moraliter a voluntate, siquidem causatur ab ea demeritorie per culpam, et non idcirco est voluntaria, imo contra voluntatem. Tum etiam quia quod dubio præcedenti diximus esse aliqua voluntaria moraliter, et non physice, non est intelligendum respectu voluntatis, a qua accipiunt voluntarii rationem, secundum se considerata: ab hac enim omne voluntarium debet physice procedere: sed facta collatione ad personam, cui attribuuntur. Quatenus voluntas, a qua voluntarium procedit, aliquando existit physice in tali persona, et tunc dicitur *voluntarium physicum*: aliquando autem existit in alio supposito, sed quia hoc vices illius gerit, reputatur moraliter talis voluntas, ac si esset in illa persona, cujus tale suppositum vices gerit; et moraliter voluntas ejus vocatur: et ex hoc ipsum voluntarium a tali voluntate physice procedens dicitur respectu prædictæ personæ *voluntarium morale*.

66. Ex quo fit, quod licet peccatum originale non dicatur voluntarium physice respectu nostri, sed tantum moraliter, quia non est a voluntate physice nobis inhærente, sed a voluntate Adami, quæ moraliter reputata est nostra; respectu tamen ipsius Adami, et voluntatis ejus, prout erat voluntas capitis, non est dicendum voluntarium moraliter (nisi forte quoad rationem intrinseci) sed physice, quia physico modo, et per physicum influxum ab ea ortum ducit. Diximus nisi forte quoad rationem intrinseci, quia cum de ratione voluntarii sit, et quod procedat a voluntate, et quod sit ei intrinsecum, aliquando hoc posterius non convenit physice, sed solum moraliter, sicut in casu nostro, ubi voluntas Adami moraliter tantum est nobis, nostroque ori-

ginali peccato intrinseca. Hoc tamen non tollit, quominus talis voluntas sit causa physica prædicti voluntarii, quia ratio causæ physicæ non attenditur penes intrinsecum, vel extrinsecum respectu effectus, sed penes modum procedendi ab illa, nimirum executive, et ex natura rei, et non mediante aliena voluntate, ut supra animadvertimus.

Quod autem dicitur de omissionibus, potius est pro nobis: omissiones enim physice, et executive, ac per realem influxum procedunt a voluntate; quamvis non immediate, et directe illum terminent; sed indirecte, et mediante actu impossibili cum actu omissio. Unde quicquid ibi est causalitatis, et emanationis ad genus causæ physicæ spectat. Neque tales omissiones consueverunt dici *voluntariæ moraliter*; solent tamen appellari *voluntariæ interpretative*: non quia ratio voluntarii indirecti in eis reperta morali modo fiat, aut interpretativa sit; sed quia communiter explicatur per actum positivum, quo quis vult omittere: qui sane actus quia sæpe non datur, interpretamur illum, philosophamurque eodem modo, ac si formaliter daretur: quia res ita se habent, ac se haberent, si daretur: et super hujusmodi actum, quem interpretamur, non vero supra ipsam omissionem, aut ejus voluntarium cadit immediate denominatio *interpretativi*.

## § II.

### *Ratio alia pro assertione.*

67. Secundo probatur conclusio ratione desumpta ex D. Thoma locis supra citatis, Quoniam ita se habuit peccatum actuale Adami, quatenus fuit peccatum capitis, respectu nostri originalis, sicut idem peccatum, ut fuit personale proprium, respectu peccati habitualis relictum in ipso Adamo, et sicut peccatum nostrum actuale respectu habitualis, quod in nobis relinquit: sed peccatum illud ut personale fuit causa efficiens physica peccati habitualis Adami, et nostrum peccatum actuale physice etiam causat habituale in nobis: ergo prædictum peccatum ut capitale fuit similiter causa efficiens physica peccati originalis ad nos transmissi. Major constat a paritate rationis: sicut enim eadem est comparatio voluntatis capitalis ad membra, ac personalis ad personam, ita eodem modo se habere debet peccatum actuale ut capitale, seu ut

Omissiones physice sunt a voluntate.

Secunda assertio nis ratio.

commissum prædicta voluntate capitali ad peccata habitualia membrorum, quæ sunt nostra originalia, sicut habuit se idem peccatum actuale, ut fuit personale, commissumque prædicta voluntate ut Adami propria ad peccatum habituale personale, et proprium ipsius Adami : et sicut peccatum actuale personale uniuscujusque ad peccatum ejusdem habituale personale. Minor vero probatur : quia prædictum peccatum Adami ut personale physice expulit ab eo originalem justitiam, physiceque causavit in illo talis justitiæ privationem, in qua privatione peccatum ejus habituale consistebat; sicut etiam peccatum nostrum actuale physice causat in nobis peccatum habituale, quia physice expellit gratiam, in cujus privatione consistit.

68. Confirmatur : nam qui physice causat formam, vel actum expulsivum alterius formæ debitæ, physice etiam causat privationem formæ expulsæ : sicut qui physice causat calorem expellentem frigiditatem debitam aquæ, physice etiam causat privationem ipsius frigiditatis : et qui physice ponit obicem destructivum visus debiti animali, physice causat cæcitatem, quæ est privatio visus : et universaliter loquendo non est alius modus causandi physice aliquam privationem (saltem per modum causæ principalis) nisi quia physice causatur ob expellens formam debitam, et media hac expulsionem privationem inducens : sed Adamus quatenus per modum capitis deliquit, physice, causavit sua voluntate formam expulsivam justitiæ originalis a se et a suis posteris : igitur physice causavit in se, et causat in illis privationem talis justitiæ, atque adeo peccatum originale. Minor suadetur. Tum quia Adamus dum sic deliquit, physice causavit primum illud peccatum actuale : quod sicut in quantum personale expulit justitiam originalem a propria persona, ita in quantum capitale habet excludere, vel impedire illam, ut erat toti posteritati debita : igitur causavit physice formam seu obicem expellentem a tota ipsa posteritate prædictam justitiam. Tum etiam quia per illud peccatum effecta est in Adamo, et in tota natura humana quædam prava dispositio, sive corruptio virium sensitivarum, quæ dicitur *concupiscentia*, per quam vires istæ immoderate tendunt ad bona sensibilia, caroque adversus spiritum rebellat : propterea enim hujusmodi concupiscentia in Scriptura non semel vocatur *peccatum*, quia ex peccato originali est, et

ad peccatum inclinatur, ut declarat Concilium Trid. sess. 5, decreto de peccato orig. Et etiam in ipso corpore effecta est ex vi prædicti peccati quædam indispositio, sive corruptio, ratione cujus non perfecte subditur animæ, neque ab ea continetur, ut non ad corruptionem et interitum tendat : sed ad hanc pravam dispositionem et corruptionem ex parte corporis et virium sensitivarum, sequitur in anima privatio justitiæ originalis, sicut ad contrariam rectitudinem, et dispositionem optimam in primo statu sequeretur ipsa justitia : ergo, etc.

Conc.  
Trid.

### § III.

*Prior modus declarandi causalitatem peccati Adami in nostra originalia.*

69. Verum quia efficacia hujus rationis omnino percipi non valebit, nisi ostendatur via, per quam influxus physicus illius primi Adami peccati post tot millia annorum, totque successivas generationes ad puerum modo nascentem et ejus animam perveniat : atque ita justitiam originalem physice in ea impediatur, vel excludatur, operæ pretium erit accuratius illam investigare. Quocirca duplex se offert modus dicendi, alter communior, quem in hoc § alter vero specialior, quem in sequenti proponemus.

Ad primi ergo intelligentiam sciendum est, quod quia Adamo data fuit justitia originalis non pro se tantum, sed sub eo pacto ut si in innocentia permaneret, in omnes posteros, qui per seminalem propagationem ab eo descenderent, simul cum natura, et per ipsum generationis actum (modo inferius declarando) illam propagaret, consequenter ejus virtuti generativæ et semini superadditus fuit vigor necessarius et sufficiens ad ejusmodi propagationem. Certum est enim potentiam generativam hominis, et ejus semen suæ relictæ naturæ, omnique alio destituta solum habere vim ad humanam naturam secundum se communicandam : atque adeo pro communicanda cum illa prædicta justitia, nova et peculiaris virtus, novusque et specialis vigor necessario fuere illis superaddenda. Quæ est doctrina D. Thomæ quæst. 4 de mal. art. 1 D. Thomæ ad 9 et in 2, dist. 30, quæst. 1, art. 2 ad 4 et dist. 20, quæst. 2, art. 3, ibidemque ad Annib. art. 4 et 4, contra gent. cap. 52, rat. 5 et 10 et opusc. 2, cap. 187. Sicut ergo per primum

Doctrina  
pro hoc  
modo  
dicendi.

primum Adami peccatum ablata fuit physice ab illo pro se et pro tota posteritate ipsa originalis justitia, sic a virtute ejus generativa, et semine ablatum fuit vigor, quo pollebat. Unde dixit D. Thom. loco cit. de mal. quod *ex peccato primi parentis destituta est caro ejus illa virtute, ut ex ea posset decidi semen, per quod originalis justitia in alios propagaretur. Et sic in semine defectus hujus virtutis est defectus moralis corruptionis: et ex hoc etiam est ibi virtus ad similem imperfectionem, sicut est ibi virtus ad productionem humanæ naturæ in prole generata.*

70. Fuitque hæc privatio vigoris in semine, et virtute generativa effectus prædicti peccati physico modo eo proportionali quo ipsa privatio justitiæ originalis. Nam quia talis vigor consequbatur ad ipsam justitiam ut communicandam, ad nihilque aliud ponebatur in semine, nisi ut propagationi illius deserviret eo modo, et in eodem genere causæ, quo primum peccatum expulit ab Adamo prædictam justitiam, ejusque communicationem abstulit, debuit etiam expellere talem vigorem: frustra enim sublata illa tam pro Adamo, quam pro posteris, iste in alicujus semine remaneret. Ex quo fit, quod sicut carentia justitiæ originalis in Adamo non fuit nuda carentia, uti esset in pura natura, sed privativa et voluntaria, privativa quidem, quia erat carentia formæ debitæ; voluntaria vero, quia per actum voluntarium fuit inducta: ita carentia prædicti vigoris in semine utrumque illud habuit. Quia talis vigor et erat debitus ex vi pacti, ex quo debita erat communicatio prædictæ justitiæ, ad quam ordinabatur, et ex eodem actu voluntario ejus expulsio ortum duxit.

Fit etiam, quod quemadmodum in statu innocentiae esset consideranda in illo semine duplex ratio, alia naturalis et quasi propria, secundum quam esset instrumentum generantis in ordine ad naturam secundum se communicandam: alia quasi supernaturalis, seu divinitus superaddita, secundum quam se haberet tanquam instrumentum Dei in ordine ad propagandam cum natura originalem justitiam: ita post peccatum debemus etiam considerare in eodem semine duplicem rationem, nempe illam naturalem, secundum quam habebat esse instrumentum naturæ in ordine ad illam secundum se communicandam; hæc enim ratio, sicut et cætera pure naturalia non sunt amissa per peccatum. Aliam vero voluntariam et privativam ortam ex præ-

dicto peccato Adami, secundum quam erat quasi instrumentum ipsius peccati, vel Adami ut sic peccantis in ordine ad communicandum defectum originalis justitiæ. Sicut igitur medio prædicto semine secundum suam positivam et naturalem rationem tanquam naturæ instrumento communicata fuit filiis Adami ejus natura; ita medio eodem semine secundum illum defectum ex peccato ortum tanquam instrumentum ipsius peccati communicatus eis fuit defectus voluntarius prædictæ justitiæ, in quo consistit peccatum originale.

71. Videmus enim in causalitatibus hanc Declaratur doctrina exemplis. servari conditionem, quod defectus cujuslibet principii redundat in effectum, et similem defectum in eo inducit. Sicut potentia visiva defectuosam elicit defectuosam visionem: et semen deficiens ab illa virtute, quæ necessaria est ad productionem tibiæ recte deambulantis, producit tibiæ claudam, hoc est privatam sanitatem requisitam ad recte deambulandum: iterumque ab hac tibiæ clauda, seu privata sanitatem procedit motus cum claudicatione: et quod in omnibus istis effectibus perfectionis est, tribuitur perfectioni causæ: quicquid vero est carentiæ et imperfectionis, in ejus defectum reducitur. Cum ergo vis generativa et semen Adami, quod est proximum generationis principium, ex ejus peccato contraxerit defectum voluntarium vigoris requisiti ad communicandam originalem justitiam, necesse est ut ex tali defectu emanet in prole defectus voluntarius ipsius justitiæ, atque adeo peccatum originale.

Quod etiam potest declarari: tum ex eo, quod in primo hominis statu contingeret: tunc enim eo ipso quod semen polleret prædicto vigore a Deo concesso, effective tanquam instrumentum ipsius Dei (modo inferius declarando) justitiam originalem induceret: ergo quia de facto per peccatum voluntarie fuit privatum tali vigore, debuit ratione hujus privationis tanquam instrumentum ipsius peccati effective inducere privationem ipsius justitiæ. Tum etiam nam si peccatum originale esset aliquid positivum, eo ipso quod in semine daretur vis positiva ex peccato Adami descendens, effective in virtute talis peccati illud attingeret: ergo supposito quod sit privativum (ut disputatione 16 ostendemus) eo ipso quod in eodem semine detur privatio supradicti vigoris descendens ex prædicto peccato Adami, attinget illud effective; eo modo, quo privationes attingi et fieri di-

cuntur. Patet utrobique consequentia : nam ubi affirmatio est causa affirmationis, negatio vel privatio erit causa vel privationis vel negationis in eodem genere causæ : et sicut se haberet semen vigens ad justitiæ introductionem, debet se habere semen vigore destitutum ad ejus defectum introducendum.

72. Eodem ergo et simili modo per generationem uniuscujusque successorum Adami descendit prædictum peccatum a filiis ad nepotes et ab his ad pronepotes, et deinceps. Quia cum unusquisque a suo antecessore accipiat naturam medio semine prædicto vigore ex vi peccati Adami destituto, ac proinde voluntarie privatam originali justitia, tam secundum ea, quæ corpus, quam secundum ea, quæ animam perficiebant, ipse quoque pro generandis successoribus efformat semen simili modo destitutum, communicativumque naturæ cum eadem privatione. Neque enim destituta natura justitia originali quoad omnia prædicta posset efformare semen non destitutum supra dicto vigore : neque per semen ita destitutum aliter communicari natura, quam orbata tali justitia : cumque in nulla generatione hujusmodi defectus in natura vel semine reparatur, oportet ut per omnes transeat, semperque defectus seminis generantis effective inducat defectum prolis genitæ : et ad hunc defectum prolis iterum sequatur defectus in semine pro successiva generatione : ac proinde quod unusquisque ita ex Adamo descendendum, et accipiat per vitiatum semen patris naturam et semen vitiatum, et per semen, quod vitiatum accepit, naturam et semen vitiatum communicet : sicque ab uno in alterum prædictus defectus justitiæ originalis tam quoad animam, quam quod corpus simul cum natura perpetuo propagetur : sitque talis defectus omnibus et singulis voluntarius ex vi primi peccati Adami, unde trahit originem, et a quo primum semen, medioque isto secundum, et sic reliqua voluntariam illam privationem vigoris acceperunt, ut per eam in virtute talis peccati, et tanquam ejus instrumenta defectuose generent.

#### § IV.

##### *Prima objectio contra hunc modum dicendi.*

Objectio.

73. Contra hunc tamen modum dicendi arguit non pauca, ex quorum solutione magis elucidabitur. Objicies ergo primo

cum Gregorio Mart. in præsentis dub. 5, falso supponi semen in statu justitiæ originalis pollere aliquo vigore superaddito in ordine ad eam propagandam, quo postmodum per peccatum privaretur : ruit ergo præcedens doctrina hujusmodi enixa fundamento. Antecedens suadetur. Tum quia ita videtur docere D. Thom. 1 p. quæst. D. Thom. 100, art. 1 ad 2, ubi negat justitiam originalem, seu gratiam in illo statu transfundendam fore ab Adamo in posteros virtute seminis, *sed fuisset* (inquit) *collata homini statim cum habuisset animam rationalem : sicut etiam statim cum corpus est dispositum, infunditur a Deo anima rationalis : quæ tamen non est ex traduce.*

Tum etiam (arguit Martinez) quia si semen talem virtutem physicam haberet ad causandam justitiam originalem in genito, semen esset sacramentum, nihil enim amplius ponimus in sacramentis novæ legis, quam virtutem physicam instrumentalem, ad causandam gratiam justificantem, a qua non distinguebatur realiter prædicta justitia.

74. Respondetur negando antecedens : nostra enim doctrina est expressa D. Thomæ quæst. 4 de malo, et aliis locis, quæ citavimus num. 69. Eamque tradunt Ferrara 2, contra gent. cap. 52, Lira super ad Roma. 5, et alii. Unde ad locum ex 1 p. respondetur primo cum Bannez ibidem, animadvertendo, quod justitia originalis prout importabat perfectionem entitative et ut quod spiritale, residebatque in anima, non tantum perficiebat illam absolute et secundum se, hoc est in ordine ad actus, qui ab ipsa anima independenter a corpore poterant exerceri, sed etiam in quantum erat forma corporis et radix perfectionum illius, atque adeo quantum ad unionem cum ipso corpore. Unde fiebat, ut anima non tantum uniretur corpori, et perficeret illud per suam vim informativam naturalem, sed etiam per ipsam originalem justitiam. Et sicut ex vi prioris unionis resultant ab anima in corpore proprietates et perfectiones naturales, quibus corpus correspondet animæ secundum suam naturalem conditionem : ita ex vi posterioris resultabant a justitia originali in eodem corpore perfectiones quodammodo supernaturales, uti erat illa qualis qualis impassibilitas et immortalitas, quæ in primo statu homini conveniebat, et plena subjectio virium sensitivarum ad rationem, aliaque hujusmodi, quibus idem corpus consonabat justitiæ

Greg. Mart.

Solutio

Ferrara Lira.

justitiæ originali animæ, seu ipsi animæ ut per talem justitiam perfectæ.

Hoc supposito respondetur, quod sicut anima rationalis dupliciter potest attingi per aliquam actionem, vel entitative et secundum substantiam : et hoc modo attingitur a solo Deo per creationem : vel quantum ad unionem cum corpore : et hoc modo attingitur etiam a generante medio semine secundum suam naturalem virtutem, qua generans medio illo et disponit materiam et producit ipsam actualem unionem. Ita justitia originalis residens in anima poterat dupliciter attingi : vel ut perficiebat eam absolute et secundum se, et hoc modo solius Dei erat effectus : hocque dumtaxat intendit D. Thom. loco ex 1<sup>o</sup> p. adducto. Vel quatenus perficiebat eandem animam formalissime ut unitam, et informantem corpus, atque adeo quantum ad unionem ejusdem justitiæ originalis cum corpore : et hoc modo attingeretur a generante per semen ratione vigoris supra explicati. Quia generans non utcumque uniret animam corpori, sed ut habentem ipsam justitiam originalem : atque adeo eo proportionali modo quo communicaret proli animam ratione unionis, communicaret etiam prædictam justitiam.

Alia solutio.

75. Secundo respondetur, justitiam originalem ultra perfectionem simpliciter supernaturalem, quam ponebat in anima et in potentiis ejus (quæ juxta veriore sententiam non distinguebatur saltem secundum substantiam a gratia nostra justificante : et virtutibus per se infusis) ponere etiam perfectiones in corpore, quibus efficiebatur quodammodo impassibile : et secundum se animæ, ac secundum vires sensitivas rationi perfecte subiciebatur. Quæ sane perfectiones licet possent dici *supernaturales* respective ad corpus humanum, quia non erant debitæ ex principiis suæ naturæ : absolute tamen non transcendebant totum naturæ ordinem saltem entitative : sicut de dotibus corporis gloriosi diximus tract. de beatitud. disp. 5, a num. 42. Cum ergo D. Thom. ait prædictam justitiam non esse ex traduce, loquimur de illa quantum ad perfectionem absolute supernaturalem, quam ponebat in anima : et ideo utitur nomine *gratiæ* potius quam nomine *justitiæ originalis*. Cum quo optime stat ut secundum illud, quod ponebat non omnino transcendens ordinem naturæ, produceretur virtute seminis pollentis supradicto vigore. Et hoc intendit aliis locis citatis num. 69, præsertim in 2, dist.

20. quæst. 2, art. 3 ; nam distinguit inter justitiam originalem, et justitiam gratuitam seu gratiam, quæ est merendi principium : et hanc dicit infundi a solo Deo ; illam vero propagari a generante, sicut propagatur peccatum originale. Idemque ad Annibald. art. 4, cum posuisset argumentum, quod Adamus peccando transmisit peccatum in posteros: ergo si non peccasset, transmisisset gratiam, etc. respondet : *Di-* D. Thom.  
*endum quod peccatum originale est peccatum naturæ principaliter, et personæ consequenter ; sed donum gratiæ e converso se habet, et ideo non est simile Simile autem est de justitia originali, quæ naturam in statu innocentiam consequatur, per quam inferiora in statu illo suis superioribus obediabant : unde et justitia fuisset a parentibus in filios propagata, sicut et nunc peccatum originale.*

Per quod patet ad secundum ex Gregorio Mart. quia sive hujus, sive prioris solutionis doctrinam teneamus, non habetur quod in statu justitiæ originalis inesset semini virtus, quæ modo inest sacramentis novæ legis : hæc enim attingunt effective gratiam sanctificantem entitative et secundum substantiam : quam tunc generans vel nullo modo attingeret, licet attingeret alios effectus pertinentes ad justitiam originalem juxta secundam solutionem : vel ad summum juxta primam attingeret illam quantum ad unionem cum corpore, sicut attingit animam ; non vero entitative, sicut Sacramenta attingunt.

76. Si autem interroges, utrum in hac justitiæ originalis propagatione generans se habuisset una cum semine vigoroso per modum causæ instrumentalis : vel potius ut causa principalis utens semine tanquam instrumento ad illam propagationem ? Respondetur si sermo sit de aliis genitoribus post Adamum, neutro modo debuisset concurrere, sed habituros se solum de materiali tanquam subjectum vel causa illius virtutis seu actionis, quam Deus vel Adamus assumeret ut instrumentum ad prædictum effectum. Eo proportionali modo quo aqua calefacta ad calefaciendum vel urendum neque concurrat ut causa principalis, neque ut instrumentalis ; sed præcise est subjectum caloris, qui se habet ut virtus, vel instrumentum ignis. Et ratio est, quia generans proximum in illo casu non haberet majorem influxum in justitiam originalem neque magis per se concurreret, quam modo, ad originale peccatum : ad hoc autem non concurrat ut causa effec-

Occurrit interrogatio.

tiva, neque principalis, neque instrumentalis, alias peccatum in ipsum refundetur, ut a num. 19 dicebamus : sed habet se dumtaxat de materiali, quatenus præcise continet, vel ministrat semen, quod Adamus pro instrumento assumit ad illud efficiendum.

Si autem de Adamo loquamur, non est dicendum habiturum se præcise ut subjectum, et de materiali; sed aliquo modo per se ut causam effectivam : nam illa justitiæ originalis propagatio per se dependeret ab Adami voluntate ut in innocentia permanente, quam dependentiam non haberet respectu posterorum. Prædicta vero Adami causalitas non tam esset physica, quam moralis : quatenus Deus non nisi dependenter ab ejus voluntate ut observante pactum, et conservante innocentiam tribueret cuilibet semini mediate, vel immediate ab eo deo prædictum vigorem. Atque adeo Deus esset causa principalis physica, et Adamus quasi causa moralis, semen autem esset instrumentum elevatum physice a Deo, et moraliter ab Adamo : eodemque proportionali modo propagatio justitiæ originalis Deo, et Adamo tribueretur ; non autem cæteris genitoribus, nisi valde materialiter, sicut dicitur de eis, quod traducunt peccatum.

*Replica.* Nec refert si urgeas, Adamum eodem modo transferre nunc in posteros peccatum originale, atque tunc transferret justitiam : ergo si respectu istius solum se haberet ut causa moralis, etiam respectu peccati debet hanc dumtaxat causalitatem exercere.

*Diluitur.* 77. Respondetur enim negando antecedens. Nam sicut homo in hoc statu per actum meritorium non causat physice effective augmentum gratiæ, sed solum moraliter et meritorie, e contra vero cum peccat, physice per actum peccaminosum expellit gratiam, et causat peccatum habituale : ita Adamus licet respectu justitiæ originalis solum habuisset rationem causæ moralis, respectu ejus privationis, seu peccati originalis debet habere rationem causæ physice. Et ratio est fere eadem utrobique : quia ad hoc ut peccatum actuale physice causet habituale, vel originale, sufficit oppositio, quam habet ex natura rei cum gratia, et cum prædicta justitia : nam eo ipso ad præsentiam illius debent istæ physice expelli, in qua expulsionem peccatum habituale, vel originale consistit. Ad causandam vero physice gratiam, vel justitiam per modum causæ principalis necessaria erat virtus ac-

tiva æqualis perfectionis naturaliter insidens, et a propria natura dimanans, ut alibi ostendemus, quæ neque Adamo respectu justitiæ originalis, neque alicui creaturæ respectu gratiæ potest competere.

Adde, quod tam respectu gratiæ, quam respectu justitiæ originalis datur propria causa physica, nempe Deus, et ideo non est necesse hominem sic concurrere : at respectu peccati nulla est alia causa physica principalis : et ita debet homo prædictam causalitatem exercere, ne detur effectus proprius in rerum natura sine ulla physica causalitate. Adde secundo, quod in propagatione justitiæ originalis ideo Adamus non se haberet ut causa principalis physica, quia non ipse, sed Deus immediate elevaret instrumentum talis propagationis, nempe semen per prædictum vigorem ; quod si Adamus ad hanc elevationem physice concurreret, nihil deficeret, quominus esset causa principalis physica in prædicta propagatione. Cum ergo in ordine ad traductionem peccati ipse dumtaxat, atque adeo per modum causæ principalis elevet instrumentum media infectione, quam communicat semini, ob nullam rationem potest non se habere in hujusmodi traductione ut causa physica principalis.

## § V.

### *Alia objectio contra eundem dicendum.*

78. Objicies secundo : quia per hoc quod semen descendens ab Adamo careat prædicto vigore, solum ponitur in illo insufficientia ad causandum justitiam originalem; non autem ponitur sufficientia et vis ad causandum physice originale peccatum : ergo non recte declaratur hac via prædicta causalitas. Antecedens probatur multipliciter. Tum quia in statu naturæ puræ etiam careret tali vigore, et non idcirco induceret similem defectum. Tum etiam quia instrumentum debet habere a causa principali vim activam, per quam effectum ejus attingat : semen autem nullam vim activam recipit ex peccato Adami, sed solam privationem illius vigoris, quæ cum sit carentia, nullius est efficientiæ vel activitatis : et esto aliquam haberet, esset dumtaxat respectu alterius similis privationis, non autem respectu peccati originalis, quod longe majorem privationem includit. Præterea instrumentum per virtutem in se receptam debet suo

suo modo continere in actu effectum causæ principalis, qui in præsentis est originale peccatum : res autem adeo physica et materialis nequit actu continere peccatum, quod est quid morale. Eo præsertim quia si semen peccatum contineret, efficeretur ab eo peccaminosum et culpabile, sicut efficitur anima, quod nemo dixit. Ad hæc : semen cum sit corporeum, nequit animam, quæ spiritualis est, attingere, neque aliquid in ea producere : cum ergo peccatum immediate sit in ipsa anima, non videtur posse attingi per semen. Denique licet in primo semine immediate deciso ab Adamo illa privatio vigoris posset esse effectus sui peccati, quia dum hoc ab eo justitiam expulit, potuit a virtute generativa ipsius prædictum vigorem excludere : at in reliquis seminibus mediate decisis non apparet, quomodo prædictum peccatum, quod nunquam eis coexistit, aliquam privationem inducat.

79. Respondetur negando antecedens : per illam enim privationem vigoris adest in semine sufficiens vis ad attingendum effective suo modo peccatum originale : quia cum hoc etiam sit privativum, sufficit ad illius efficientiam vis, ut ita dicamus, privativa. Nam si virtus positiva causæ inducit perfectionem positivam in effectu, non est cur privatio virtutis causæ non inducat in effectu imperfectionem privativam, quia ubi affirmatio est causa affirmationis, negatio debet esse causa negationis, ut numero 71 dicebamus. Diximus *ad attingendum effective suo modo*, etc. videlicet indirecte, et per resultantiam cujusdam termini secundarii, quo pacto efficitur originale peccatum. Nam efficientia primaria et directa alicujus causæ semper est per aliquid positivum. Hujusmodi autem directa et primaria efficientia in nostro casu terminata fuit immediate ad solum peccatum actuale Adamo, ex quo originalia nostra modo dicto resultant.

Quare ad primam probationem dicendum est in statu naturæ puræ neque vigorem illum fuisse debitum semini, neque justitiam originalem proli, et ita neutrius carentia haberet rationem privationis, sed negationis dumtaxat. Unde licet concederemus, carentiam vigoris in semine fore tunc suo modo effectivam carentiæ justitiæ originalis, non ideo fuisset ullo modo effectiva peccati, ad quod requiritur carentia privativa. Diximus *licet concederemus*, etc. quia revera negatio, quæ ad lineam privationis non pertingit, nullo modo fit,

neque indiget aliquo, a quo ponatur in rerum natura, ut in hac disputatione num. 21 dicebamus. Quod est intelligendum, quando res, cujus est negatio, de facto immediate non extiterat, sicut in casu, de quo loquimur : eo quod tunc nullum est oppositum, ex quo talis negatio fiat juxta ea, quæ in tract. de voluntar. disp. 4, dub. 2, diximus. Et propter eandem rationem nullo etiam modo potest esse ratio efficiendi aliam negationem. Atque adeo in prædicto statu naturæ puræ neque carentia vigoris in semine, neque negatio justitiæ in prole essent alicujus causæ effectus, neque una respectu alterius esset aliquo modo effectiva. Cæterum rebus ut nunc a Deo dispositis, tam carentia originalis justitiæ in omnibus posteris Adamo, quam carentia vigoris in semine cujuslibet ad illam traducendam habet rationem privationis, quia utrumque erat debitum ex vi pacti initi in paradiso cum Adamo. Unde utraque privatio potest, et debet habere causam suo modo effectivam : et illa, quæ est privatio justitiæ debet habere rationem peccati, et fieri ab alia, quæ est privatio vigoris, ut explicuimus.

80. Ad secundam probationem respondetur, respectu effectus, qui est tantum privatio, quale est peccatum originale, non requiri in instrumento majorem virtutem, quam privativa, uti est carentia prædicti vigoris in semine, quia sicut se haberet ipse vigor ad traducendam justitiam originalem, habet se defectus vigoris ad defectum justitiæ traducendum. Neque obest quod privatio illius justitiæ, in qua peccatum consistit, sit major privatio, seu sit privatio majoris perfectionis, quam privatio vigoris. Quia sicut in positivis non requiritur, quod virtus instrumenti adæquet formaliter perfectionem effectus, nam hoc proprium est solius causæ principalis : ita in privativis non est necesse, quod defectus instrumenti formaliter adæquet defectum in effectu productum. Unde sicut vigor ille residens in semine licet formaliter non adæquaret justitiam originalem, posset illam per modum instrumenti transfundere : sic defectus ejusdem vigoris etiam si formaliter sit minor, quam defectus ipsius justitiæ originalis, potest eum per modum instrumenti communicare. Habet enim se (ut dicebamus) defectus vigoris ad justitiæ defectum, sicut ipse vigor haberet se ad justitiam.

Ad tertiam dicas, semen defectuosum

Enodatur.

Ad primam probationem.

Ad secundam.

Ad tertiam.

ratione privationis continere peccatum originale eo proportionali modo, quo ratione naturalis virtutis continet naturam humanam, et sicut ratione vigoris contineret originalem justitiam, scilicet virtualiter. Neque huic continentiae obest, semen esse quid physicum et materiale: sicut neque id obest continentiae naturae; neque continentiae justitiae originalis obsesset: quia licet peccatum non possit esse in re ita materiali formaliter tanquam in subjecto, aut tanquam in causa effectiva principali, bene tamen virtualiter sicut in causa instrumentali, ut explicat D. Thom. in praesenti art. 1 ad 3 et in 2, dist. 30, quaest. 1, art. 2 ad 4 ibi: *Dicendum quod licet semen non habeat in se infectionem culpae in actu; habet tamen in virtute, sicut etiam patet, quod ex semine leprosi generatur filius leprosus, quamvis in ipso semine non sit lepra in actu: est enim in semine virtus aliqua deficiens, per cujus defectum contingit defectus leprae in prole. Similiter ex hoc ipso quod in semine est talis dispositio, qua privatur illa impassibilitate, et ordinabilitate ad animam, quam in primo statu corpus humanum habebat, sequitur, quod in prole, qua est susceptiva originalis peccati, efficiatur originale peccatum in actu.*

Quare autem licet peccatum praedicto modo contineatur in semine, non proprie ibi habeat rationem peccati, neque proinde denominet illud peccaminosum, docet in simili S. Doctor dist. 31, sequenti quaest. 1, art. 1 ad 4, ubi sic ait: *Illam infectionem, quae est in semine sic non habet rationem culpae ante infusionem animae, sicut nec poenae: oportet enim esse idem subjectum culpae et poenae: et ideo sicut in rebus irrationabilibus non proprie est poena, quae de se ordinem ad culpam habet, ita etiam nec in semine poena potest esse (atque adeo nec culpa) sed est defectus quidam in quantum similitudo naturae generantis in semine virtualiter manet per modum etiam quo lepra in semine leprosi non est aegritudo. Si tamen poena esset, posset esse causa culpae non in quantum huiusmodi, sed secundum quod ex culpa causatur: virtus enim causae manet in effectu. Unde quia per peccatum primi hominis ista infectio consequuta est in tota natura humana, ideo ubi invenit subjectum susceptivum culpae, habet rationem culpae in actu sicut in puero jam nato: ubi vero hoc non invenit, sicut in semine, manet in tali infectione virtus culpae, ut sic causa culpae esse possit.*

81. Ad quartam probationem respondet

Ang. Doctor cit. art. 2, ex dist. 30, in solut. ad 5, his verbis: *Dicendum, quod anima non inficitur per infectionem corporis tanquam corpore agente in animam, sed per quandam colligationem unius ad alterum: quia forma recipitur in materia secundum conditionem ipsius materiae, cum omne, quod est in altero, sit in eo per modum recipientis: et ideo ex hoc ipso quod corpus illa virtute privatur, qua perfecte erat subieibile animae, sequitur etiam, quod anima illa virtute careat, qua perfecte corpus subditum regat: et talis defectus originalis justitiae culpa est naturae, prout consideratur consequens ex voluntate alicujus habentis naturam, ex quo natura traducta est.* Consonatque huic solutioni D. Thomae alia, quam tradit D. Bonaventura in 2, dist. 31, art. 1, quaest. 3, ubi rem ita declarat: *Prænotandum est, quod tripliciter dicitur aliquid agere in alterum: uno modo per prædominantiam, sicut contrarium agit in suum contrarium. Alio modo per influentiam, sicut corpus superius agit in hæc inferiora. Tertio modo per colligantiam, sicut quando duo ita sunt unita, quod unum trahit ad se alterum, et communicat alteri proprietates suas. Cum ergo dicimus carnem inficere animam, hoc intelligitur quantum ad tertium modum agendi propter colligantiam, quam habet ad animam, propter quam dum deorsum tendit, eam secum trahit: ut enim dicit Gregorius, qui labenti innilitur, necesse est ut cum labente labatur.*

Sensus autem doctrinae utriusque sancti Doctoris non est, quod actio corporea nullo modo possit attingere animam rationalem: nam actio generativa sicut attingit unionem illius cum corpore, attingit etiam ipsam animam formaliter in ratione partis, et extremi unibilis. Vult ergo D. Thom. actionem seminis, quatenus traductiva est originalis culpae, non attingere animam directe et immediate tanquam terminum primarium, vel tanquam subjectum talis termini; sed attingere immediate solam infectionem corporalem, quae in carne praecedit: indeque nova actione resultare in anima, eo ipso quod corpori ita infecto uniatur, infectio spiritualis, quae est privatio originalis justitiae propter adaequationem, seu collimitationem, quae debet esse animae ad corpus. Itaque licet demus, unionem inter illa esse tantum conditionem necessariam, ut resultet in anima praedicta privatio, quia aliter non efficeretur pars humanae naturae descendens ab Adamo, et consequenter sicut non esset illi debita justitia



justitia originalis (hæc enim soli prædictæ naturæ debetur) ita ejus carentia non haberet rationem privationis : at vero illa corporalis infectio præcedens unionem, per accessum ad quam anima maculatur, et incurrit talem privationem, non est conditio dumtaxat, sed terminus suo modo in executione primarius actionis peccati transductivæ, ex quo effective resultat in anima ipsa privatio tanquam terminus secundarius. Sicut ex dispositionibus, quas generans introducit in materia per actionem generativam seu alterativam, resultat effective in anima unio ejus ad corpus.

82. Unde non obest si urgeas. Tum quod anima in eodem instante, in quo creatur, unitur corpori : at in instante creationis nequit inquinari peccato, alias istud refundetur in Deum : ob hanc enim rationem Angelus in primo instante peccare non valet, quia defectus incipiens cum *esse* rei reducitur in creatorem. Tum etiam quod in re spirituali, ut est anima rationalis, et Angelus, nullum agens extrinsecum præter Deum per modum causæ principalis potest aliquid efficere : quippe ad hoc necessarius est illapsus in talem rem, qui est solius Dei proprius, de quo late diximus in tract. de Angel. disp. 14, a numero 29. Ergo cum peccatum originale immediate afficiat animam, non poterit a generante extrinseco effective attingi.

Respondetur enim ad primum ex D. Thoma in 2. dist. 32, quæst. 2, art. 1 ad 2, ubi sic ait : *Dicendum quod non est simile de anima et de Angelo : Angelus enim creatus est non ut forma alterius corporis : unde non poterat ex parte materiæ defectus incidere : sed oportebat, quod si in principio creationis peccati maculam habuisset, quod ex parte creantis esset : anima vero creatur ut actus cujusdam corporis, ex cujus conjunctione potest aliquam maculam contrahere : nec sequitur, quod maculæ illius Deus principium sit.* Videatur etiam quæst. 16 de mal. art. 4 ad 21. Adde, quod respectu peccati originalis præcedit debitum ex parte pueri tale peccatum contrahentis, quod quidem debitum contraxit in Adamo : et quia Deus non tenetur remittere hoc debitum, non tenetur etiam prædictum peccatum impedire ; neque ex eo quod non impediatur, debet in eum reduci : secus vero in Angelis, in quibus nullum præcessit tale debitum. Vide (si placet) quæ diximus in tract. de Angel. disp. 11, num. 13, ubi hanc replicam diluimus.

83. Ad secundum respondetur, doctrinam illam procedere in causalitate directa, et respectu effectus positivi, quia hæc postulant illapsus agentis in animam ; non autem respectu alicujus privationis, quæ induci potest per resultantiam ex aliqua dispositione, quam generans producit in carne. Certum est enim quod generans, etiam si sit agens extrinsecum, attingit animam rationalem quantum ad unionem mediis dispositionibus corporalibus. Unde si ex hac unione vel secundum se, vel ratione alicujus ex dispositionibus sequatur aliqua privatio in anima, sicut contingit in præsentem, consequenter poterit talem privationem attingere. Adde, ad inducendam in anima prædictam privationem duo tantum requiri, nimirum quod ille, a quo inducitur, sua actione privaverit naturam humanam justitia originali : et rursus quod sua etiam actione anima efficiatur actu pars talis naturæ, nam eo ipso attinget, et inquinabit illam prædicta privatio. Constat autem utrumque hoc posse fieri ab Adamo ratione sui peccati, et ratione seminis infecti. Quod quidem locum non habet respectu alterius agentis extrinseci, ut intuenti patebit.

Ad ultimam denique probationem constat est dictis : nam sicut Adamus suo peccato causavit in proprio semine privationem voluntariam prædicti vigoris : ita media hæc privatione causare potuit similem privationem in semine filii, cui etiam talis vigor debebatur ; et media ista aliam in semine nepotum, et sic de reliquis. Sicut qui causaret in aliquo semine privationem virtutis necessariæ ad producendam tibiam sanam, media illa privatione causaret in ipsa tibia privationem sanitatis, et media ista privationem rectitudinis in motu progressivo : et si alii effectus inde successive procederent cum debito alicujus perfectionis dependentis a prædicta rectitudine, transiret in eos similis privatio ex vi ejusdem causæ.

84. Sed urgebis, quod licet Adamus, durante justitia originali, per suum semen vigorosum causaret illam in filiis ; at non causaret in eorum semine similem vigorem : non enim talis vigor, erat proprietas dimanans a justitia originali, ut ita fieret ex vi ejusdem actionis ; sed accidens ab ea separabile, unde posset in aliquo casu inveniri sine illa, ut infra admittemus : et ideo ubicumque inveniretur, a solo Deo causaretur : ergo neque amissa per peccatum justitia habuit causare in semine filiorum privationem talis vigoris. Patet

consequentia. Nam sicut ubi affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis: ita ubi affirmatio non est causa affirmationis, negatio non erit causa negationis: si ergo vigor in semine Adæ non fuisset causa vigoris in semine filiorum, negatio seu privatio illius non erit causa privationis istius.

Enervatur.

Respondetur negando consequentiam. Nam regula illa *ubi affirmatio est causa affirmationis, negatio, etc.*, communiter recipitur: alia vero nempe *ubi affirmatio non est causa affirmationis, negatio, etc.*, sæpissime fallit. Homo enim expellit a se physice gratiam per omissionem actus debiti: ac proinde negatio talis actus est causa efficiens physica negationis gratiæ; et tamen affirmatio non est causa affirmationis, quia per positionem talis actus non producitur physice gratia.

85. Sed ad rem nostram licet prædictus vigor respectu justitiæ originalis sumptæ secundum se, vel ut erat perfectio personalis, non esset proprietas adeo rigorose, ut nulla ratione posset ab ea separari, et ideo posset in aliquo successore Adami (quamvis non intenta suavi Dei providentia, ut dicemus num. 153), sine illa inveniri, habebat tamen nexum ex natura rei cum prædicta justitia, ut erat perfectio naturæ cum ea propaganda. Quia talis vigor ad hoc dumtaxat erat institutus, ut justitia illa per eum communicaretur. Hoc autem sufficit, ut quicumque prædictam justitiam secundum hanc posteriorem rationem physice ab aliquo expulerit, expulerit etiam physice ab ejus semine, per quod communicanda erat, talem vigorem: cum iste propter prædictum nexum sine illius communicabilitate nequeat conservari. Quia ergo Adamus per suum peccatum physice exclusit a se justitiam originalem secundum utramque rationem, physice etiam exclusit a proprio semine vigorem, quo erat communicanda filiis, propter prædictum nexum: et media hac proprii seminis privatione physice causavit in filiis privationem ejusdem justitiæ: quia semen privatum et infectum non potuit non infectam et privatam naturam illis communicare. Rursusque per hanc privationem justitiæ originalis in filiis causavit physice in eorum semine propter eundem nexum aliam privationem vigoris, quo erat communicanda nepotibus: sicque in perpetuum privatio vigoris in semine genitoris physice infert privationem justitiæ originalis in genito, et hæc privationem vi-

goris in ejus semine, et ista iterum privationem justitiæ originalis in successore, et sic de reliquis: sine eo quod pro omnibus hujusmodi privationibus aliam causam principalem assignare oporteat præter peccatum Adami, ex quo prima privatio suum esse privativum, et voluntarii rationem immediate accepit: per eamque ad secundam privationem, et per hanc ad tertiam, et per istam ad quartam, et ita in reliquas pertransivit.

## § VI.

*In eundem dicendi modum tertia objectio.*

86. Tertio in eundem dicendi modum, et præcipue adversus confirmationem nostræ rationis factam num. 68 objicies: quia non apparet quæ sit illa prava dispositio ex parte corporis inducta per peccatum Adami: aut quo pacto physice ex illa sequatur in anima prolis privatio justitiæ originalis. Vel enim esset aliquid positivum? Et hoc non, quia in nobis ante rationis usum nullo est forma positiva, quæ sit impossibilis cum gratia, vel justitia originali, uti deberet esse illa dispositio, ut prædictam justitiam expellat: præterquam quod homo in natura lapsa antequam actualiter peccet, nihil positivum habet, quod non haberet in statu naturæ puræ, in quo nulla ejus dispositio per generationem accepta similem privationem, aut aliam quamcunque peccaminosam induceret. Vel esset aliquid privativum? Et neque hoc dici potest: quia eadem esset difficultas de hac privatione, et de obice, per quem causaretur, atque de privatione justitiæ originalis.

Tertia objectio principalis.

Adde, prædictam dispositionem, quæcumque sit, solum dispositive, quod est de genere causæ materialis, posse causare aliquid in anima: nam in genere causæ efficientis potius omnes dispositiones corporis sunt animæ effectus: ergo talis dispositio nihil conducit ad præsens, ubi sermo est tantum de causalitate effectiva.

87. Respondetur, dispositionem illam pro materiali esse aliquid positivum, quia importat ipsam corporis humani compositionem ex contrariis, unde habet, ut in corruptionem tendat, et non plene subdatur animæ in ordine ad esse; et etiam ipsas vires sensitivas secundum se, et absque rationis fræno, vel retinaculo præcisive spectatas: pro formali vero dicit privationem illius perfectionis, quæ oriri deberet a justitia

Solutio

justitia originali, per quam et corpus perfecte subderetur animæ quantum ad esse, et vires sensitivæ ad rationem quantum ad operari. Ad hanc ergo dispositionem ex parte corporis ut coalescentem tam ex illo materiali, quam ex isto formali sequitur in anima privatio justitiæ originalis. Quia cum unusquisque recipiatur ad modum recipientis, et forma materiæ coaptetur, talis concursit in anima perfectio, vel imperfectio, qualis in materia præcedit dispositio. Atque adeo in corpore prave disposito per corruptionem, et privationem illius perfectionis, quam justitia originalis communicat vel præexigit, nequit non sequi anima prave affecta per corruptionem, et privationem ipsius justitiæ. Quæ est doctrina D. Thomæ ad Roman. 5, lect. 3, ubi sic ait: *Licet in semine non sit anima, est tamen in semine virtus dispositiva corporis ad animæ receptionem; quæ cum corpori infunditur, etiam ei suo modo conformatur, eo quod omne receptum est in recipiente per modum recipientis: et exinde videmus, quod filii assimilantur parentibus non solum in defectibus corporalibus, sicut leprosus generat leprosum, et podagricus podagricum; sed etiam in defectibus animæ, sicut iracundus iracundum, et amentes ex amentibus nascuntur: quamvis enim pes, qui est subjectum podagræ, non sit in semine, nec anima, quæ est subjectum iræ, vel amentis; est tamen in semine virtus formativa corporalium membrorum, et dispositiva ad animam.* Sane si ad optimam corporis dispositionem ex vigoroso semine, qualem tribuebat, vel præexigebat justitia originalis, sequeretur in anima optima perfectio, quæ esset ipsa originalis justitia; non est cur ad privationem, et defectum talis dispositionis per infectum semen in corpore inductæ non sequatur in anima privatio talis perfectionis: eandem enim proportionem habet privatio corporis ad privationem animæ, quam perfecta corporis dispositio ad animæ perfectionem.

88. Quare ad utramque probationem pro prima parte dicas, convincere prædictum positivum non esse impossibile cum justitia originali, neque inferre ejus privationem sumptum præcise secundum se, et omnino materialiter: quo pacto inveniretur in statu naturæ puræ: secus autem ut subter suum materiale modo explicatum. Et licet in natura pura esset carentia ejusdem perfectionis; quia tamen talis perfectio non erat debita, sicut modo est, non haberet ejus carentia rationem privationis,

quam modo habet, et secundum quam prædictum formale constituit; sed negationis dumtaxat, quo pacto non spectat ad illud, sed potius ad materiale.

Ad primam vero probationem pro secunda parte dicendum est, hoc privativum, quod est formale in prædicta dispositione, sufficienter causari ex privatione vigoris in semine generantis; neque in ipso genito oportet illi assignari aliam causam.

Ad illud, quod additur, respondetur, dispositiones requisitas ex parte corporis ad introductionem formæ substantialis duplices esse: alias concomitantes, quæ sunt simul cum illa in instante generationis: et istæ solum se habent materialiter dispositive; hocque dumtaxat modo in introductione animæ rationalis concurrunt ad ejus unionem, et ad intromissionem peccati: de illisque loquitur non semel D. Thom. cum ait animam inquinari peccato originali propter infectionem, et pravam dispositionem corporis, cui infunditur, ut videre est quæst. 4, de mal. art. 2 ad 11. Aliæ autem sunt proxime antecedentes instans generationis, quæ immediate terminant actionem alternativam, ab eisque tanquam a termino prius producto resultat in prædicto instante ipsa forma, vel secundum substantiam si sit materialis, vel quantum ad unionem si sit spiritualis. Hujusmodi ergo dispositiones non sunt ab anima in genere causæ efficientis, sed potius e converso. Unde in casu nostro sicut effective concurrunt ad unionem illius cum corpore, concurrunt etiam in eodem genere ad privationem justitiæ originalis, quæ virtute earum ex prædicta unione resultat.

89. Cui doctrinæ favet D. Thom. quæst. 83, sequenti art. 3 ad 2, et in præsentis art. 4 ad 2, ubi ait, quod caro non inficit animam, nisi in quantum est principium activum in generatione. Ac si diceret non illam carnem vel dispositionem, quæ est in corpore genito, et consequitur ad rationem animæ, quasi per eam facta vel constituta, in quaque ultimate sistit generatio, inducere effective peccatum originale: sed illam, quæ præcedit, et effective infert prædictam unionem, quæque una cum semine generantis, et prout stat sub ejus motione vel terminatione, habet esse generationis principium.

Per quod manet soluta alia objectio, quæ tangitur etiam a D. Thoma, cur nimirum si anima ex unione ad carnem inficitur, cum permaneat ista unio etiam post justificatio-

Brevis  
alia  
objectio.

nem, non permaneat infectio? Respondetur enim ex modo dictis, carnem, ex qua effective anima maculatur, non esse illam, quæ manet in genito unita ipsi animæ, sed quæ præcedit, cujus influxus in ipso instante generationis finitur. Quod si ad carnem, quæ unita manet, argumentum extendas, quatenus ipsa dispositive concomitanter se habet ad animam, num. præcedenti diximus hujusmodi dispositiones concomitantes etiam concurrere ad peccatum originale materialiter dispositive.

Dicendum est cum Cajet. in præsentī art. 4, prædictas dispositiones non inficere adhuc dispositive, nisi ut stant sub motione generativa, vel saltem sub connotatione peccati Adami non retractati: quia sic dumtaxat important ordinem ad ipsum Adamum ut moventem per generationem infectam, quo dumtaxat modo peccatum transfundit. Unde quia talis motio et connotatio sistit in instante generationis, vel saltem in duratione immediate antecedenti instans justificationis; ibi etiam sistere debet prædicta causalitas. Adde, carnem solum inficere animam, prout specialiter pertinet ad naturam, quod habet, dum est sub influxu generationis, aut saltem sub prædicta connotatione: postmodum vero manet jam prædicta caro ut omnino determinata ad suam personam, et sic non inficit. Quod D. Thom. recte explicuit D. Thom. quæst. 4 de malo art. 1 ad 7, ubi sic ait: *Peccatum originale per se loquendo est peccatum naturæ, non personæ; nisi ratione naturæ infectæ: actus autem generationis proprie deservit naturæ, quia ordinatur ad conservationem speciei: sed carnem jam esse animæ unitam pertinet ad constitutionem personæ: et ideo caro magis causat originale peccatum, prout consideratur in via generationis, quam prout est jam unita.* Non negat absolute D. Thomas, carnem etiam unitam posse causare originale peccatum in anima; sed ait, magis hoc illi competere, prout consideratur in via generationis. Quia prout sic nequit non connotare peccatum Adami, ex vi cujus inficit: eum tamen postquam jam est unita, possit statim prædictam connotationem amittere, et amittat de facto adveniente justificatione. Vide disp. sequenti dub. 1 a num. 20, ubi agitur de permanentia et extinctione debiti culpæ originalis.

## § VII.

*Causalitas effectiva peccati Adami in originalia nostra alia via explicatur.*

90. Secundus modus explicandi prædictam efficientiam supponit aliqua animadversione digna. Primum est, peccatum Adami, ex quo commissum fuit ab illo ut gerenti munus capitis fuisse quoque peccatum omnium peccatorum, qui in illo tanquam in capite morali continebantur: ita quidem ut omnes illos æque immediate comprehenderit, nec respexerit nepotem Adami mediante filio, aut mediante nepote, et filio pronepotem, sed unumquemque ita æqualiter et immediate, ac si vel solus ipse in Adamo contineretur, vel immediate et independenter ab altero esset ab illo processurus, solaque voluntas Adami inter ipsum Adamum, et unumquemque ex posteris interjaceret. Deus enim constituens Adamum caput eorum morale, æque immediate voluntates omnium, atque adeo sine dependentia unius ab alio, et sine ordine ullo, quantum ad hoc, prioritatis, vel posterioritatis, in eum transfudit. Aliter non solus Adamus rationem capitis haberet, sed inter illum et nos alia intermedia capita jacuisent. Quare ordo, qui in physica continentia servatur, juxta quam Adamus immediate solum continebat filios, et mediis filiis nepotes, mediisque illis et istis pronepotes, et sic reliquos, de materiali omnino se habuit ad continentiam moralem, secundum quam omnes et singuli æque immediate illi attinebant, erantque omnes velut filii, nemo nepos, pronepos, etc. Omnes ergo æque immediate in illo peccavimus, et ad omnes æque immediate peccatum pertinuit.

91. Deinde est supponendum, quodcumque peccatum mortale, dum non retractatur, physice expellere vel impedire gratiam a supposito, cujus est peccatum: quia ex natura rei, quando ita manet, est impossibile cum illa in tali supposito, adeo ut neque de potentia absoluta possint coexistere, et quæ hoc modo sunt impossibilia physice se excludunt, quippe independenter ab actu libero alienæ voluntatis ex ipsis rerum naturis, earumque effectibus formalibus talis exclusio ortum habet. Atque hinc etiam fit, ut sicut tale peccatum, dum actu committitur, gratiam præexistentem physice expellit, aut non præexistentem impedit, introducitque de novo, si non inveniat

Doctrina pro hoc modo dicend

V

Doctrina alia

ejus

ejus privationem : ita donec postmodum ir retractatum manet, physice conservat talem privationem, et quasi habitualiter eam causat : causaretque semper actualiter, quoties sine illa prædictum suppositum inveniret. Quippe non minus repugnat postmodum poni, vel conservari gratiam in tali supposito, nisi retractatio advenerit, quam repugnabat, dum peccatum actu committeretur.

Possumusque id exemplo explicare. Nam si Deus Petrum v. g. manentem habitualiter in peccato, quod commiserat, et non retractaverat, annihilaret, rursusque eundem numero Petrum sine gratia reproduceret, proculdubio consurgeret iterum in eo illa privatio gratiæ, et peccatum habituale, in quo fuit annihilatus : alias posset saltem hac via aliquis sine gratia ab statu peccati mortalis exire, cujus oppositum docent communiter discipuli D. Thomæ. Tunc ergo si quæramus, cujus causæ influxu prædicta privatio, seu peccatum habituale, quod durante annihilatione non fuit, postmodum reviviscat? Cum hujusmodi causa Deus per suam reproductionem non fuerit, nulla alia poterit assignari, nisi peccatum actuale præteritum non retractatum. Atque adeo dicendum est, hujusmodi peccatum sic ir retractatum apud Deum manens, semper habere vim non solum conservandi, sed etiam causandi de novo prædictam privationem : causaturumque de facto, si forte suppositum, a quo commissum fuit, de novo ad rerum naturam perveniret.

92. Si vero postules, ubi maneat peccatum actuale, postquam actu transiit, ut possit eam causalitatem exercere? Respondetur manere in Dei appetitione, seu abominatione offendens illum, et separans a persona offendente, prohibensque ab elargitione gratiæ ; a quo quasi loco nunquam recedit, usque dum per poenitentiam, vel gratiam, saltem virtualiter retractetur. Quandiu autem ibi manet, eandem oppositionem, et impossibilitatem habet cum gratia collata supposito, a quo commissum fuit, ac cum physice erat in tali supposito, actuque ab illo committebatur : quia utrobique eorum simultas pugnat ex natura rei, ita ut neque Deus de potentia absoluta efficere valeat, ut dum peccatum ir retractatum manet, etiam si actu præterierit, prædictum suppositum sit Deo acceptum per gratiam : aut si ei acceptum existit, non jam illud formali vel virtuali retractatione a Dei abominatione deleverit.

Diximus formali vel virtuali retractatione, etc. quia dupliciter potest fieri hæc retractatio : vel formaliter, ut cum adest proprius actus peccatum delectans : vel virtualiter, ut cum sine tali actu virtute alicujus sacramenti infunduntur gratia et charitas, quibus anima et voluntas manent habitualiter conversæ in Deum ut in ultimum finem, a quo per peccatum fuerant aversæ. Utrovis autem modo fiat, delebitur omnino peccatum quantum ad culpam et offensam : quia impossibile est, ut anima sit conversa in Deum, per peccatum in ejus abominatione permaneat : alias talis anima esset simul objectum amoris Dei simpliciter per gratiam, et simpliciter objectum odii ratione peccati.

Et licet (ut per hoc tacita objectio diluatur) etiam post retractationem in Dei abominatione permaneat, semperque Deus odio illud prosequatur, non tamen est jam ibi ut peccatum illius suppositi, a quo fuit commissum : quia sicut per retractationem factum fuit ei involuntarium, ita fuit factum non suum : amisitque, ut sic loquamur, suitatem et attinentiam erga tale suppositum, quam per solum voluntarii rationem retinebat : unde jam non habet majorem contradictionem cum gratia in eo supposito, quam in alio.

93. Tertio nota, quod et si Adamus primum illud peccatum a se commissum postea retractaverit ; aliter tamen et aliter utrobique se gessit. Nam commissit illud ut gerebat munus capitis, et ita ex persona omnium posterorum : fuitque proinde peccatum uniuscujusque, non secus ac si cuncti unusquisque suo actu deliquissent, ut num. 90 dicebamus. In retractatione vero non jam gessit munus capitis, quippe eam dignitatem peccando amisit : sed poenituit dumtaxat ut persona particularis, delevitque prædictum peccatum, ut præcise erat culpa personalis ipsius. Quatenus vero ad posteros attinebat, eratque peccatum ipsorum, ir retractatum et indeletum permansit, permanebitque donec ab unoquoque pro se propria voluntate, vel gratiæ infusione formaliter, aut virtualiter retractetur. Et hoc explicuit D. Thom. ad Roma. 5, lect. 3, ubi ait, quod *quamvis peccatum Adæ deletum fuerit per suam poenitentiam juxta illud Sapientiæ 10, eduxit illum a delicto suo? non tamen ejus poenitentia delere potuit peccatum posterorum, quia ejus poenitentia fuit per actum personalem, qui ultra ejus personam non se extendebat.*

Explicatur  
exemplo.

Tacita  
objectio  
diluatur.

Alia  
doctrina.

Satisfit  
interrogationi.

D. Thom.

Quare de prædicto peccato in ordine ad successores Adami, antequam retractetur ab eis, eodem modo philosophandum est quoad præsens atque in ordine ad ipsum Adamum, antequam ab illo retractaretur : et non secus ac de quolibet peccato personali respectu suppositi, a quo committitur, ante retractationem. Sicut ergo peccatum mortale, quod quis modo committit, quando non retractatur, manet semper in Dei abominatione, indeque a supposito, cujus peccatum est, expellit gratiam, et causat in eo vel conservat ejus privationem, in qua consistit peccatum habituale personale : ita prædictum Adami peccatum, quatenus fuit posterorum, mansit etiam post illius pœnitentiam in Dei abominatione impediens omnes illos a receptione justitiæ originalis promissæ, atque adeo causans in unoquoque, eo ipso quod in rerum natura ponatur privationem talis justitiæ constitutivam originalis culpæ. Tandiuque ibi pro exercenda prædicta causalitate, efficiendaque in unoquoque vel conservanda illa privatione permanebit, quousque ab illo, quatenus ipsi attinet, vel per proprium actum, vel per infusionem gratiæ retractetur.

Diximus eo ipso quod in rerum natura ponatur, etc. quis alias propositio erit de subjecto non supponente. Quippe in supposito, quod nondum est, nequit causari de facto privatio; sicut nec de facto aliqua forma ab eo excludi vel impedi. Quocirca licet peccatum Adami, ex quo fuit capitale, semper habuerit vim impediendi quoad sufficientiam omnibus suis posteris originalem justitiam; non tamen potest dici impedire eam alicui de facto, et secundum efficaciam, donec ipse in rerum natura sit : quia hæc existentia est necessaria conditio, ut vis illa impeditiva ad exercitium transeat.

94. Ex his apparet non difficilis via, ut intelligamus, qualiter peccatum Adami in unoquoque ex suis posteris, dum primo concipitur, causat physice privationem justitiæ originalis, atque adeo originalem culpam. Quia prædictum peccatum, quatenus attinet ad Adami posteros, mansit in Dei abominatione irretractatum, tandiuque ita pro illis permanebit, quousque ab unoquoque pro se media propria justificatione retractetur, quod ante instans generationis, aut in ipsomet (saltem de lege communi) fieri nequit : sed dum sic manet, physice expellit ab eis, eo ipso quod ponatur in rerum natura, justitiam originalem : ergo saltem pro instante, in quo unusquisque

concepitur, causat physice in eo talis justitiæ privationem. Consequentia sequitur ex præmissis, quarum veritas habetur ex prænotatis.

Et confirmatur : quia peccatum Adami, quatenus ad hunc puerum attinuit, quando a puero ipso non retractatur, ita se habet in ordine ad excludendam ab eo originalem justitiam, et taliter cum ea est impossibile, ac si esset personale, ejusdem pueri voluntate commissum : sed in hoc casu etiam si actu præterisset, physice expelleret prædictam justitiam, et physice causaret, vel conservaret ejus privationem : sicut personale nostrum, non modo quando actu est, physice expellit gratiam, et ejus privationem inducit; sed etiam cum præterierit, dum non retractatur, physice conservat talem privationem; imo et de novo eam induceret, si absque illa et sine gratia suppositum inveniret, ut patet in casu reproductionis posito num. 91, ergo, etc.

#### § VIII.

*Objectio aliquibus fulcita adversus hunc dicendi modum : et ejus enervatio.*

95. Sed dices, neque in peccato capitali Adami respectu nostri originalis, neque in personali præterito respectu habitualis probari ex dictis causalitatem physicam, sed morale dumtaxat : quia unumquodque causat, sicut existit : illa autem existentia, quam peccatum præteritum sive capitale sive personale habet in Dei appetitione, et abominatione dum non retractatur, solum est morale, et appetitiva : igitur nequit inde physicam causalitatem exercere. Ad hæc : peccatum Adami non habet excludere justitiam originalem ab hoc puero, nisi in quantum fuit peccatum ejusdem pueri contenti in ipso Adamo, seu quatenus ad illum attinuit : sed non fuit peccatum talis pueri, neque attinuit ad eum physice, sed solum moraliter : quia hoc dumtaxat modo voluntas Adami, et ejus actus potest dici voluntas, et actus posterorum, ut dubio præced. num. 41 dicebamus : ergo eo dumtaxat modo, nempe moraliter habet excludere prædictam justitiam.

Confirmatur ; quia ita se habet peccatum actuale præteritum manens in Dei abominatione respectu expulsionis gratiæ, vel justitiæ originalis, sicut merita præcedentia, quæ in ejus acceptatione perseverant, habent se respectu infusionis, vel augmenti gratiæ :

Confir-  
matur  
objectio

gratiæ : sed merita solum exercent causalitatem moralem, ergo, etc. Eo præsertim quia sicut merita causant alliciendo divinam voluntatem, ut gratiam communicet, sic peccatum causat provocando eandem divinam voluntatem, ut gratiam auferat : ergo utrobique est sola causalitas moralis. Neque videtur simile de peccato personali, dum actu committitur : quia tunc existit physice in eodem supposito, ubi resultat habituale, unde non mirum si physice in illum influat : peccatum vero Adami neque est, neque unquam fuit physice in suis posteris, ubi ponitur originale, neque etiam alibi habet jam existentiam physicam : et ita non est quo pacto physicum influxum præstet. Idemque dicendum erit de peccato personali præterito, quia neque istud habet jam alicubi physicam existentiam.

86. Verum hæc non sic urgent, ut propter illa prædictus modus dicendi sit derelinquendus. Quare negato objectionis antecedente, ad probationem dicendum est, existentiam causæ non requiri ad causandum ut causalitatem, vel rationem agendi, sed ut conditionem : non est autem necessarium, ut semper conditio et causalitas ad eundem ordinem pertineant : ut patet in Sacramentis, quæ physice, et realiter causant gratiam ; et tamen significatio, quæ ad id est necessaria conditio, non est quid physicum, sed morale, vel ens rationis. Et quamvis causalitas effectiva physica in ordine ad effectus positivos semper necessario fundetur in physica existentia causæ ; attamen in ordine ad privationes perspicuum debet esse sufficere aliquando existentiam moralem. Et ratio est, quoniam ille modus existentia sufficit ad prædictam causalitatem, qui satis est, ut ex natura rei repugnet, formam debitam alicui subjecto, poni in ipso : quippe eo ipso sequitur in illo ex natura rei, atque adeo physice privatio talis formæ : ad hoc autem satis est existentia moralis, ut patet in casu nostro : existente enim moraliter in Dei abominatione peccato alicujus non retractato, ex natura rei repugnat dari in eo gratiam, vel justitiam originalem.

Per quod patet ad illud, quod additur : nam quod peccatum sit hujus suppositi, et illi attineat, etiam est conditio, ut causalitatem circa illud exercent : et ideo non tollit quominus causalitas sit physica, quamvis prædicta conditio sit moralis.

97. Ad confirmationem negandum est antecedens. Tum quia merita non inferunt

gratiam ex natura rei, sed dumtaxat alliciendo divinam voluntatem, ut eam libere communicet : ed ideo possunt, et manent sæpe in acceptione Dei sine tali communicatione : peccatum autem quantumcunque præteritum, dum non retractatur, ex natura rei infert privationem gratiæ in supposito, cui attinet, ita ut implicet tale suppositum habere gratiam in sensu composito non retractationis. Unde licet illa causalitas, quia non executive neque necessario, sed mediante aliena voluntate libera effectum attingit, sit moralis ; hæc tamen propter oppositam rationem debet esse physica. Tum etiam quia idcirco merita non causant physice gratiam, quia datur alia causa physica principalis, et adæquata, nempe divina voluntas, quæ physice eam producit : cum ergo respectu peccati originalis secundum rationem malitiæ non sit excogitabilis alia causa physica principalis præter peccatum Adami non retractatum, hocque sit totalis, et adæquata illius ratio, fatendum est prædictam causalitatem physicam esse, et non tantum moralem.

Neque verum est quod additur in prædicta confirmatione, videlicet peccatum illud causare privationem gratiæ provocando divinam voluntatem ad ejus ablationem, sicut merita causant gratiam ad ejus communicationem alliciendo : nam licet hoc dici posset loquendo de prædicta privatione in quantum habet rationem pœnæ, eo quod pœna potest a Deo causari ; secus tamen loquendo de illa ut habet rationem culpæ habitualis, sicut nunc de ea loquimur. Nam sicut quantum ad hanc rationem nequit ullo modo a Deo procedere, ita neque divina voluntas potest circa illam ut sic quovis modo efficiendam ab aliquo provocari. Quare peccatum Adami manens in Dei abominatione, non mediante aliqua motione erga voluntatem divinam, sed immediate ratione sui, et ratione impossibilitatis, quam ex natura rei, et ex ipsis effectibus formalibus habet cum gratia, et cum justitia originali in quolibet ex suis posteris ; excludit illam, et causat immediate in eis privationem constitutivam originalis culpæ. Unde etiam si fingeremus, prædictam justitiam, et gratiam neque in se, neque in collatione, neque in ablatione dependere a Deo ; adhuc non posset intelligi peccatum quantumcunque præteritum manere irretractatum, et non expellere gratiam a supposito, cujus peccatum esset : alias tale suppositum esset simul offensum et invisum

Disparitas inter peccatum, et merita in ordine ad causandum.

utio.

utio  
fir-  
io-  
s.

Deo per peccatum; et acceptum per gratiam. Cum ergo tunc non haberet locum causalitas moralis seu per provocationem voluntatis divinæ ad gratiæ ablationem, dicendum est adesse inter prædicta impossibilitatem ex natura rei, et ratione hujus physice se excludere.

98. Neque etiam est alicujus momenti, quod opponitur ab exemplo de peccato personali, dum actu committitur: quia quod hujusmodi peccatum physice tunc expellat gratiam, non oritur saltem per se primo ex identitate subjecti physici: imo non omnino habent idem subjectum, siquidem gratia est immediate in anima, et peccatum actuale in voluntate: neque etiam ex existentia physica; sed ex impossibilitate, quam habet tale peccatum appetitum a Deo tanquam ipsius offensa cum effectu formali gratiæ in supposito offendente. Unde quia hæc ratio æque vim habet, sive peccatum actu physice existat, sive solum moraliter modo explicato, non est cur non teneat similitudo inter exemplum, et rem, de qua agimus.

Adde, in exemplo peccatoris annihilati, et reproducti non posse esse recursum ad existentiam physicam peccati actualis, sed ad solam moralem in Dei abominatione: et nihilominus ex vi illius physice et ex natura rei resurgit peccatum habituale, in quo fuit annihilatus.

99. Quod si quis instet, omnes hujusmodi causalitates dicendas esse *morales* potiusquam *physicas*. Tum quia effectus, de quo agitur, scilicet malitia habitualis, præcise est quid morale: atque adeo etiam causalitas debet ad hunc ordinem pertinere. Tum etiam quia nomen *causalitatis physice* sonat influxum positivum, et realem, qui præstari nequit a causa, quæ physice non existit. Animadvertat sane, nomen et ordinem causæ et causalitatis, an scilicet dicenda sit *moralis*, vel *physica*, non attendi ex effectu in esse rei sumpto, ut initio dubii animadvertimus: nam effectus, qui in esse rei est aliquid physicum, potest causari moraliter: sicut gratia et gloria causatur a meritis, et pœna, a demeritis: et similiter effectus in esse rei moralis potest causari physice; sicut peccatum actuale, et ejus malitia, quæ est aliquid morale, causatur physice a voluntate peccantis; attenditur ergo ex modo causandi: nimirum quia causa executive, et ex natura rei, independenterque a motione alterius voluntatis effectum infert: vel non ita, seu movendo, vel alliciendo

talem voluntatem ad prædictam executionem.

Neque etiam prædicta causalitas in introductione privationum debet venari per se primo ex perfectione vel imperfectione resultantiæ, qua privatio immediate attingitur: sed ex influxu circa obicem ex natura rei impeditivum formæ debitæ, inductivumque talis privationis. Tum quia non est alius modus causandi physice aliquam privationem, nisi quia talis obex physice attingitur. Tum etiam quia cum prima et principalis causalitas in eo processu inventa immediate erga obicem sit, quo semel posito, sine nova actione sequitur ex natura rei talis privatio, ex illo utique, et ex attingentia immediata ipsius attendi debet nomen, et dignitas causæ, et causalitatis erga cæteros effectus inde subsequentes. Cum ergo influxus voluntatis Adami in suum primum peccatum fuerit in toto rigore physicus, prædictumque peccatum ut non retractatum fuerit obex, ex quo in tota posteritate per resultantiam ex natura rei inducta est privatio originalis justitiæ, non est cur non omnis hæc sequela, et causalitas *physica* dicenda sit, et in physico ordine collocetur.

Nec propterea circa voces nimium contendemus: dummodo concedatur, quod efficaciter probatum est, videlicet Adamum per tale peccatum, propter impossibilitatem ex natura rei, executive gratiam expellere a quolibet suorum posterorum esseque prædictum peccatum in hac expulsione ut habente rationem culpæ rationem sufficientem, et adæquatam, ita ut ad nullam aliam causam principalem prædictæ culpæ effectivam pro ejus introductione opus sit recurrere: sive talem influxum *physicum*, sive *moralem* appelles. Credimus autem modum loquendi, quem elegimus, communior esse aptioremque ad rem declarandam.

## § IX.

### *Duo corollaria doctrinæ præcedentis.*

100. Ex hucusque probatis colligere licet nonnulla, quæ ad complementum hujus dubii conducunt. Primo ergo colligitur semen descendens ab Adamo non esse dumtaxat conditionem in ordine ad propagandum peccatum originale, neque requiri solum ex parte subjecti; quatenus sine illo non daretur in rerum natura suppositum capax talis peccati: sed habere etiam in ipsum peccatum

Unde causalitas dicenda sit physica, vel moralis?

Coro  
riu  
prin



peccatum influxum effectivum (saltem eo modo quo privationes efficientiam terminant) non ut causam principalem, sed ut instrumentum peccati Adami. Quæ est doctrina D. Thomæ in præsentī art. 1 et expressius infra quæst. 83, art. 1, in corpore. *In semine corporali (inquit) est peccatum originale sicut in causa instrumentali: eo quod per virtutem activam seminis traducitur in prolem simul cum natura humana.* Et ad 2: *Peccatum originale causatur ex semine sicut ex causa instrumentali.* Et quæst. 4, de mal. art. 1 ad 15: *Duplex est causa: una principalis, quæ agit per propriam formam: et hæc est nobilior, quam effectus. Alia est causa instrumentalis, quæ non agit per formam propriam, sed in quantum est mota ab alio: et hanc non oportet nobiliorem esse effectu: hoc autem modo semen carnale est causa naturæ humanæ in prole, et etiam culpæ originalis in anima ejus.* Idem dicit ad 16, et quæst. 25, de verit. art. 6. Necnon in 2, dist. 18, quæst. 2, art. 1 ad 3, et dist. 30, quæst. 1, art. 2 ad 4, et dist. 31, quæst. 1, art. 1 ad 2, aliisque in locis. Quorum verba adeo expressa sunt pro hac doctrina, ut omnem rejiciant contrariam explicationem. Et præter Montes. tuentur illam auctores, quos num. 61, pro conclusione adduximus. Necnon Cajet. in præsentī art. 1. Nuno 3, p. quæst. 86, art. 2 et alii.

Et quidem juxta primum modum declarandi causalitatem peccati Adami, quem explicuimus § 3, ratio est perspicua. Nam semen descendens ab Adamo attingit effective in prole pravam illam dispositionem, carnisque infectionem, ex qua peccatum originale resultat: igitur attingit effective hujusmodi peccatum juxta ibidem dicta. Cumque id non præstet ut causa principalis, quia non propria virtute, sed per infectionem, et privationem ex peccato Adami contractam: oportet ut sit causa instrumentalis agens in virtute talis peccati. Neque hac via incedendo insurget alicujus momenti difficultas, quæ § 4 et 5 et 6, soluta non sit.

101. Sed juxta aliam viam, quam § 7 proposuimus, est non levis objectio. Quia peccatum Adami manens in Dei abominatione irretractatum immediate per se ipsum excludit ab ejus posteris justitiam originalem propter oppositionem cum illa ex natura rei: atque adeo immediate per se ipsum inducit talis justitiæ privationem: ergo neque semen, neque aliud quid influit in eam instrumentaliter. Patet consequentia. Nam ubi causa principalis immediate

per se ipsam effectum producit, non est locus instrumento, medio quo illum attingat.

Eo vel maxime quia causa, quæ semel per ipsam immediate præbet sufficientem influxum, ut effectus consistat, et iterum per instrumentum alium influxum sufficientem præstat, habet se sicut duplex causa totalis, et adæquata, a qua nequit simul procedere idem numero effectus: cum ergo peccatum Adami per se ipsum, ut manet irretractatum in Dei abominatione, sufficienter ex vi suæ impossibilitatis expellat justitiam originalem, inducatque ejus privationem, et similiter per semen defectuosum alium sufficientem influxum præstet ad prædictam privationem inducendam; non videtur dicendum, quod talis privatio possit utraque via explicata ad prolem pervenire.

Dices, prædictum peccatum expellere immediate a semine generantis vigorem, quo propaganda erat justitia originalis, et medio semine privato illo vigore expellere a prole ipsam justitiam. Sed contra: quia oppositio peccati non retractati per prius, et immediatius se habet ad justitiam, quam ad vigorem: huic enim non opponitur nisi propter illam, in quantum talis vigor ad propagandam ipsam justitiam ordinatur: ergo ex vi talis oppositionis prædictum peccatum immediatius, vel æque immediate excludit justitiam originalem ab anima prolis, quam vigorem a semine generantis. Patet consequentia. Nam cum prædicta exclusio præcise sit ratione oppositionis, debet ipsius oppositionis ordinem sequi. Ad hæc: peccatum Adami eo modo opponitur justitiæ originali in unoquoque ex suis posteris, sicut attinet ad illum: sed attinet æque immediate ad omnes, media dumtaxat voluntate Adami, in qua omnes æque immediate peccaverunt, ut animadvertimus num. 90; ergo æque immediate, hoc est, cum illa interjacentia voluntatis Adami, non vero seminis hujus, et illius opponitur justitiæ originali uniuscujusque, et eam expellit. Non igitur in hac expulsionem locum habet instrumentum.

102. Urget hæc objectio; sed cum doctrina corollarii adeo sit expressa D. Thomæ, et illi, quam § 7 tradidimus, saltem magna probabilitas negari non debeat; quærenda est via æque probabilis, per quam in concordiam reducantur. Sane qui assereret eundem numero effectum posse procedere immediate a duplici causa, nempe principali, et instrumentali: sive (quod idem est) ab

Evasio.

Impugnatur.

Prima solutio.

una causa principali duplici influxu, altero immediato, et altero per instrumentum, sicut etiam a duplici instrumento adæquato ejusdem causæ principalis, non ita facile impugnabitur : Deus enim etiam si ad producendam gratiam assumat aliquando instrumentum, medioque illo influat, influit etiam adhuc tunc immediate per se ipsum non minus totali, et sufficienti influxu, quam dum sine instrumento concurrit. Et duo instrumenta adæquata, et totalia, ut duplex Sacerdos unusquisque per sua verba potest concurrere ad unam numero Hostiam consecrandam. Quia cum instrumentum agat virtute causæ principalis, illique subordinetur, quodammodo se habet ut causa alterius ordinis, et non videtur ponere in numero cum illa : atque ita nec refert an sit unum vel plura; dummodo ex parte causæ principalis unitas conservetur. Quare communis regula Thomistarum, quod idem numero effectus non potest a duplici causa totali procedere, restringenda videtur ad solas causas principales, neque extendenda ad instrumenta, sive collata inter se, sive cum ipsa causa principali.

Elucidatur. 103. Quod si hæc doctrina universaliter loquendo non mediocrem subit probabilitatem, potiori jure illam obtinere debet, quando effectus esset privativus sicut in casu nostro. Adest enim ratio specialis, ut privationes a communi illa regula excipiantur. Nam quia privatio est defectus formæ debitæ, potest ex duplici capite oriri : vel ex parte principii : cui si desit perfectio ad illam formam producendam, quicquid sit de alio impedimento, effectus evadet privatus tali forma : et hoc modo in nostro casu privatio justitiæ originalis procedit a semine defectuoso, seu a peccato Adami medio tali semine. Vel potest oriri ex parte alicujus oppositi cum ea forma incompossibilis : ratione cujus (quicquid sit de perfectione, aut imperfectione principii) effectus tali forma privaretur : et hoc modo prædicta privatio justitiæ procedit immediate a peccato Adami non retractato. Et quia isti sunt modi concurrendi satis diversi : nam in primo incipit causalitas a defectu, terminaturque ad formam expellendo illam : in secundo vero incipit a contrarietate cum forma, et media ista contrarietate terminatur ad privationem, idcirco licet uterque ad genus efficientis pertineat, quasi constituunt duplicem speciem causæ sub tali genere ; sicut receptiva et dispositiva constituunt duas species sub genere

causæ materialis. Unde sicut non repugnat eundem effectum dependere ab una causa receptiva, et ab alia dispositiva, etiamsi unaquæque in sua specie adæquata sit : ita non repugnat, quod eadem privatio ab una causa effectiva tanquam a principio deficienti, et ab alia tanquam ab impediendo ortum ducat. Eo præsertim quia privatio semper oritur a sua causa ex vi alicujus oppositionis cum forma, qua privat, vel privativæ, sicut semen defectuosum opponitur justitiæ originali : vel contrariæ, sicut opponitur illi peccatum Adami non retractatum : unde quia diversus modus oppositionis habet se quasi distinctum genus causæ, etiam si utrumque ad effectivum pertineat, non mirum, quod una et eadem privatio, possit a prædictis duobus oppositis immediate procedere.

104. Secundo respondetur, prædictas causas non esse adæquatas respectu peccati originalis : quia neutra sine alia præbet influxum ad illud sufficientem : neque enim peccatum Adami irretractatum habet expellere per modum oppositi justitiam originalem ab isto puero, nisi dependenter a generatione per semen defectuosum : neque hoc semen talem expulsionem causat, nisi dependenter a prædicto peccato non retractato ut opposito tali justitiæ. Atque ita cessat objectio, quæ adhuc respectu effectus positivi non nisi in causis adæquatis vim habet. Pro cujus intelligentia nota, peccatum Adami non opponi justitiæ originali in hoc puero, nisi ut applicatum ipsi, seu in quantum habet esse peccatum ejusdem pueri, moraliterque illum afficit, illique unitur : alias non esset cur tale peccatum potius opponeretur cum justitia illius ante retractationem, quam postea : aut cur potius cum justitia in puero descendente ab Adamo quam in non descendente. Proximum ergo fundamentum ex quo intelligimus immediate resultare in anima pueri privationem justitiæ originalis, neque est aliquid existens in puero præcise secundum se, neque peccatum Adami secundum se sumptum, sed prædicta affectio, et unio moralis peccati erga puerum. Unde quia privatio non aliter causatur, quam ad positionem fundamenti, ex quo resultat, quidquid necessarium est, et effective concurrit ad illam unionem, concurrit necessario effective ad ipsam privationem.

Deinde nota, non omnes quomodolibet contentos in Adamo peccasse in illo, neque

Alia solutio

Doctrina.

Doctrina alia

proinde omnes esse talis conditionis, ut prædictum peccatum ad eos pertineat : sed illos dumtaxat, qui secundum determinationem vel absolutam, vel conditionalem divinorum decretorum erant ab illo processuri per semen infectum. Unde si Deus nunc aliquem ex his, qui in Adamo tunc physice continebantur, alia via quam per prædictum semen produceret, ut revera posset, iste neque fuisset de numero illorum, qui peccaverunt, neque peccatum illud quantumcunque irretractatum modo ad eum attineret, ac proinde neque privationem justitiæ originalis in illo induceret. Et hoc est quod ait Concilium Tridentinum sess. 6, cap. 3, verbis illis : *Revera homines nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti*. Non alia ratione nisi quia licet sit eadem numero persona, quæ facta per prædictum semen totum id haberet, dum tamen ita non sit, nihil est, per quod peccatum Adami illi applicetur, moraliterque ipsi uniatur : atque adeo hujusmodi semen indispensabiliter requiritur ad efficiendam talem unionem.

Conc.  
Trid.

105. Ex his ergo liquet veritas nostræ solutionis, et qualiter neque peccatum Adami irretractatum se solo, neque semen infectum se solo sufficiat ad inducendam in aliquo privationem justitiæ originalis : atque adeo quod neutrum sine altero concurrat ut causa adæquata. Quia fundamentum, ex quo immediate resultat illa privatio, essentialiter claudit et peccatum non retractatum pro hoc supposito, et applicationem ad illud, seu unionem moralem cum illo : sed hoc totum intelligi nequit sine ipso peccato, quod ita applicatur, et sine actione seminis, per quam fit applicatio, et unio : ergo utriusque concursus indispensabiliter requiritur ad prædictum fundamentum, atque adeo neutrum sine altero habet esse causa adæquata privationis.

Cui solutioni addi etiam potest, quod semen causat privationem justitiæ originalis initiative : quia causat in corpore illam pravam dispositionem, ad quam ex natura rei consequitur (licet divinitus impediri possit) privatio justitiæ originalis in anima : peccatum vero irretractatum causat hujusmodi privationem completive, quia supposita prava illa dispositione in corpore efficit omnino infallibiliter privationem justitiæ originalis in anima, ita ut neque de potentia absoluta possit non esse in sensu composito irretractationis. In quo eo ipso splendet aliquid effectus correspondentis prædicto

peccato ut non retractato, quod non responderet præcise semini infecto : nimirum illa omnino infallibilis illatio, seu infallibilitas illationis privationis justitiæ originalis in anima : quæ non esset ita infallibilis præcise ex vi seminis infecti : quia saltem de potentia absoluta posset componi oppositum cum prædicta infectione ; secus autem cum non retractatione.

106. Dices forte, semen esse dumtaxat conditionem, quatenus sine illo non dabitur suppositum, a quo peccatum Adami justitiæ originalem expellat. Sed contra : quia prædictum semen non tantum concurrat ad constituendum suppositum, a quo expellenda est prædicta justitia, quo pacto esset solum conditio : sed etiam ad efficiendam unionem moralem peccati cum tali supposito, ex qua unione (ut diximus) privatio justitiæ resultat : sed quod effective concurrat ad fundamentum privationis, effective se habet ad illam et non tantum ut conditio, ergo. Deinde aliter concurrat semen ut infectum per privationem vigoris, quam supra diximus, quam secundum suam naturalem virtutem : sed secundum hanc concurrat ut conditio, sine qua non daretur fundamentum prædictæ privationis : ergo ut infectum non est tantum conditio, sed causa instrumentalis. Adde, unionem illam moralem, quam diximus esse fundamentum privationis, necessario requirere aliquam causam effectivam immediate influentem : sed non datur alia nisi prædictum semen ut infectum, ergo.

Effugium.

Impugnatur.

107. Secundo ex dictis inferitur, in sententia constituyente peccatum originale in privatione originalis justitiæ non esse superaddendum semini aliquid positivum, quo quasi elevetur, ut in talem privationem influat ; esse tamen addendam privationem vigoris, quam supra explicuimus : sicut juxta oppositam sententiam prædictum peccatum in positivo constituentem necessario superaddendum est tale positivum ex peccato Adami derivatum, et ab uno in aliud semen perpetuo traductum. Hæc ultima pars corollarii constabit disp. 16, ubi a num. 20, ex repugnantia illius positivi, et ex necessitate ejus ad attingendum effectum positivum prædictam sententiam impugnabimus. Prima autem est communis inter Theologos, et satis perspicua. Tum quia vis positiva in causa non additur, nisi propter effectum positivum : imo repugnat, si semel causa per illam operatur, effectum esse solum privationem : cum ergo in prædicta

Secundum corollarium.

sententia peccatum originale dumtaxat sit privatio, non est admittendum, quod ad efficiendum illud ponatur aliqua vis positiva in semine. Tum etiam quia non plus debet habere instrumentum a causa principali in actu primo, quam effectus recipit ab eo in actu secundo: ergo si effectus est solum privativus, ut in præsentis contingit, non est addenda instrumento virtus positiva.

**Objectio.** Dices: etiam si hoc peccatum sit privativum, nihilominus in causa principali, quæ fuit voluntas Adami, necessaria fuit vis positiva de genere mali ad illud efficiendum: ergo eodem modo necessaria erit in instrumento, quod suo modo debet habere idem, quod causa principalis.

**Enervatur.** 108. Respondetur, vim illam positivam de genere mali in voluntate Adami non fuisse per se primo ad efficiendum peccatum originale; sed ad efficiendum actuale, quod fuit positivum: secluso vero hoc positivo, ut si Adamus per puram omissionem delinquere potuisset, eodem modo causaret peccatum originale sine vi positiva de genere mali, sicut modo cum illa causat. Semen autem constituitur instrumentum illius voluntatis ad solum privativum, et ita non debuit per positivum elevari. Nec te moveat testimonium, quod in contrarium adduci potest ex D. Thoma quæst. 4 de mal. art. 1 ad 9. Nam illud recte exponit Cajet. in præsentis art. super responsionem ad 3, cujus solutionem adducemus disp. 16, num. 27.

Ex quo secunda pars corollarii etiam liquet, nempe addendam fuisse in semine illam privationem vigoris, ut instrumentaliter attingat culpam originalem. Quoniam instrumentum debet elevari a causa principali per aliquid receptum in se: aliter non est quo pacto contineat, ac proinde attingat ejus effectum: cum ergo in præsentis non elevetur per aliquid positivum, debet elevari saltem per prædictam privationem. Et confirmatur: quia semen humanum præcise suæ naturæ relictum nullo modo continet peccatum, neque vim ad illud etiam instrumentaliter efficiendum, ut est per se notum: alias etiam in statu naturæ puræ idem haberet: ergo aliquid est superaddendum, ut illud contineat et efficiat: nemo enim dat quod non habet, neque efficit quod non continet: hoc non est positivum: ergo privativum.

## § X.

*Alia ejusdem doctrinæ corollaria.*

109. Tertio infertur, quod sicut peccatum actuale personale continet physice virtualiter peccatum habituale ejusdem personæ: ita peccatum Adami, ut erat peccatum capitis, physice virtualiter continuit malitiam omnium originalium, quæ ex illo ad posteros usque modo pervenerunt, et in futurum pervenient. Hoc corollarium quantum ad continentiam ut sic a nemine negabitur: quia omnis causa debet continere effectum: cum ergo peccatum Adami secundum omnes Theologos aliquo modo sit causa omnium originalium, consequens est, ut aliquo etiam modo illa contineat. Porro prædictam continentiam non esse qualemcumque, sed physicam, et ex natura rei patet ex dictis: quia si de ratione causæ est continere effectum, eo modo illum continere debet, quo fuerit causa: cumque probatum sit prædictum peccatum Adami esse causam physicam omnium nostrorum originalium, consequens est ut omnia illa physice continuerit.

Sed objicies: quia peccata originalia **Objectio** sunt innumera, et possunt esse infinita, et in unoquoque est sua propria, et intrinseca malitia: ergo si peccatum Adami omnia illa contineret, habuisset utique malitiam infinitam, atque adeo fuisset infinite malum.

110. Respondetur negando consequentiam. Tum quia malitiam peccatorum originalium, etiam si infinite multiplicarentur, non esset infinita intensive, sed solum extensive: ex infinitate autem effectuum solum extensiva non arguitur infinitas simpliciter in causa. Sol enim continet infinitas illuminationes, quas potest efficere, et ignis infinitas calefactiones posibles; et non ideo propter talem continentiam adest in eis aliqua ratio simpliciter infinita: quia effectus extensive infiniti possunt in una ratione superiori finita contineri. Tum etiam quia licet infinitas ex parte effectuum argueret infinitatem in causa, quando sunt de genere boni: secus tamen quando sunt de genere mali: quia in hoc genere non est necesse, ut malitia ita prave contineatur in causa, sicut reperitur in effectu: ut explicuimus supra disp. 3, a num. 9. Et ideo licet tota malitia actus sit ab habitu, non est ita malus habitus sicut actus, quia non

**Enodatur.**

non est ita explicata in illo sicut in isto, sed in unoquoque juxta subjecti capacitatem. Et propter eandem rationem licet actus mortaliter peccaminosus ex vi suæ malitiæ causet in Deo offensam simpliciter infinitam, non ideo est infinite malus: eadem quippe ratio mali, quæ in Deo propter infinitam subjecti capacitatem infinite explicatur, et infinite lædit; in actu peccatoris propter ejus limitationem solum finite id præstat. Ita ergo licet peccata originalia infinita essent, et ratione hujus infinitudinis infinitas haberent malitias: non ideo peccatum Adami, a quo causantur, et in quo continentur, habuisset nisi unicam malitiam finitam simpliciter: quia ejus limitatio ex parte entitatis infinitatem impedit. Videantur quæ diximus disput. cit.

Replica. Neque obest si urgeas, ex quocumque damno præviso augeri intensive aliquantum malitiam actus peccaminosi, ut ex D. Thoma vidimus supra quæst. 73, art. 8; ergo cum Adamus prævideret, aut prævidere debuisset, posse ex suo peccato sequi infinita originalia, oportet ut saltem ex isto capite, et propter hanc circumstantiam malitia ejus creverit infinite. Patet consequentia. Nam ponamus ex damno uni illato crescere malitiam ut unum, consequenter ex damno illato duobus, vel quatuor crescet ut duo vel quatuor; et ex illato decem, crescet ut decem, servataque proportione ex infinitis damnis illatis debet crescere infinitum.

Diluitur. 111. Respondetur enim cum Curiel in præsentibus dub. 3, quod licet ex hac parte creverit non parum malitia illius peccati, et ut dixit D. Thomas 2, 2, quæst. 163, art. 3, fuerit secundum quid gravissima propter conditionem peccantis, qui erat caput naturæ; non tamen prædicta malitia ex tali circumstantia in infinitum crescere potuit, quia limitatio actus tam ex parte cognitionis, quam ex parte conatus voluntatis eam infinitatem impedit. Et ita admissa antecedente neganda est consequentia.

Ad probationem vero constat ex illis, quæ a nobis dicta sunt in tract. de bonit. et malit. disp. 4, a num. 34, ubi ostendimus calculationem illam non habere locum in augmento boni, aut mali moralis: quia quantitas objecti non semper auget malitiam actus adæquate secundum totam latitudinem objectivam, quam habet in se; sed sub quadam proportione ad modum quo voluntarie, et moraliter attingitur per actum, et ad affectum seu conatum voluntatis in tali actu: cumque modus iste attingendi

semper sit limitatus tam ex parte cognitionis, quam ex parte intensionis, et conatus, inde est ut objectum, etiam si infinitum sit, semper communicet bonitatem, vel malitiam finitam. Unde negandum est quod si ex objecto vel damno ut *uno* actus habet malitiam ut *unum*, ex objecto vel damno ut *quatuor*, vel ut *decem* sumat malitiam ut *quatuor*, vel ut *decem*: sed sumet ut *duo* et aliquid amplius, non tamen ad *quatuor*, vel *decem* pertinet. Quia quantitas objecti propter rationem traditam eò proportionabiliter minus auget, quo amplius crescit: ita quod si quantitas ut *quatuor* augeat ut *quatuor* eo quod est actui maxime proportionato, quantitas ut *octo* non addit quatuor alios gradus malitiæ, sed auget v. g. usque ad *sex*: quia hoc augmentum et non majus petit minor proportio quantitatis ut *octo* ad prædictum actum. Et sic ascendendo quælibet major quantitas etsi semper absolute magis augeat, eo tamen respective minus auget, quo minorem proportionem dicit ad conatum, et modum actus. Atque hinc etiam fit, ut etiam si crescente quantitate damni illati semper crescat malitia actus, et propterea actus, qui infert damnum infinitum, semper ex hac parte, et cæteris paribus quemcunque alium excedat; nunquam tamen ad hoc perveniet, ut habeat infinitam malitiam, aut tantam, quanta est objective in effectu: quia tale augmentum non fit per partes aliquotas æquales uni certæ, sed per proportionales, minores et minores quacumque signata. Vide Curielem ubi supra, et nos si placet loco citato.

112. Quarto ex doctrina hujus dubii infertur clare decisio alterius, quod multi ex professo tractant: videlicet an peccatum originale sit intrinsece in posteris Adami, et unicuique insit suum peccatum proprium: vel sit tantum unum pro omnibus, et ab eo extrinsece denominentur? Quamvis enim si sermo esset de peccato originali originante, recte diceretur esse dumtaxat unum, nempe illud actuale, quod Adamus ex persona omnium commisit: quodque licet moraliter possit dici nobis intrinsecum juxta doctrinam dubii præcedentis num. 54, absolute tamen est extrinsecum omnibus, præterquam ipsi Adamo, cui soli physice inhæsit: an vero loquendo de peccato originali originato, pro quo stat nomen absolute dictum, sunt plura numero juxta pluralitatem posterorum Adami, inestque unicuique suum proprium peccatum physice illum

Corollarium quartum.

afficiens, et denominans intrinsece *peccato-*  
*rem*.

Hoc corollarium quoad secundam partem est contra Catharinum, et Albertum Pigium existimantes (ut refert Curiel in præsentibus dub. 1, et Vasq. disp. 132, cap. 2,) nullum defectum, qui habeat rationem culpæ, aut peccati, traduci in nos per originem, ita ut ipsa culpa sit nobis intrinseca et inhærens: sed illud idem peccatum, quod commisit Adamus, dici *actuale*, quatenus ab ipso propria voluntate commissum fuit; et dici etiam originale, quatenus commissum fuit a nobis, ut eramus in illo sicut in capite: dici autem traduci ad nos, quia traducuntur effectus et pœnæ, in quibus ipsum peccatum quodammodo vivit.

113. Contrarium tamen defenditur communiter a Theologis contra authores istos. Et habetur in Concilio Trid. sess. 5, decreto de peccato orig. ubi can. 3, expresse dicitur, quod peccatum Adæ propagatione, non imitatione transfusum *omnibus inest unicuique proprium*. Et sess. 6, cap. 3, quod homines dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahunt. Et D. Augustinus cap. 45 Enchirid. *In illo peccato uno* (inquit) *quod per unum hominem intravit in mundum, etc. intellige plura peccata, si unum ipsum in sua quasi membra dividatur singula*. Idque ex doctrina a nobis tradita manifeste deducitur. Quoniam illa privatio justitiæ originalis, quæ ex peccato Adami per semen vitiatum in ejus posteris resultat, habet quicquid requiritur ad rationem culpæ, et peccati habitualis, siquidem est voluntaria carentia formæ debitæ destruens rectitudinem rationis, quam præstabat ipsa justitia: atqui talis privatio intrinsece est in unoquoque, sicut esset ipsa justitia, debetque ad multiplicationem suppositorum multiplicari, sicut illa multiplicaretur: idem enim est subjectum privationis, et formæ, qua privat, et sicut forma multiplicanda esset, debet privatio multiplicari: ergo, etc. Ad hæc: pœna damni, quæ est carentia divinæ visionis, et correspondet culpæ originali, intrinsece afficit omnes, qui ante justificationem decedunt, neque est una pro omnibus, sed inest singulis unicuique propria, ut est per se notum: ergo etiam prædicta culpa: alias non esset proportio inter culpam, et pœnam. Vide Vasq. ubi supra, qui sententiam Catharini et Pigii errori Pelagii negantis originale peccatum annumerat. Et saltem negari non potest, quod sit in fide periculosa, et a prædicto errore

parum recedens ob idque aboleri jussa est in Indice expurgatorio, verbo *Ambrosius Catharinus*.

114. Sed inquires, a quonam puer, qui concipitur sumat denominationem *peccatoris*: videlicet a peccato actuali commisso in Adamo; vel privatione illa ipsi puero habitualiter inhærente; vel ab utroque simul? Respondetur, a privatione dumtaxat. Tum quia quando adest intrinsecum denominans, denominatio non sumitur ab extrinseco: ut patet in relationibus, in quibus quamvis terminus possit denominari a relatione in fundamento existente, et de facto denominetur, quando in ipso termino non resultat propria relatio intrinseca; quando vero hæc resultat ab ea, et non a relatione oppositi propriam denominationem accipit. Cum ergo peccatum actuale Adami absolute sit extrinsecum, privatio autem intrinseca sit, non illud, sed ista debet denominare. Tum etiam quia peccatum actuale non ita proprie denominat *peccatorem*, sed *peccantem*: denominatio enim *peccatoris* propria est culpæ habitualis: puer autem quando jam est in rerum natura, non denominatur *peccans*, sed *peccator*: sicut non dicitur tunc committere peccatum Adami, sed contrahere: ergo non debet sic denominari a peccato actuali, quod in Adamo fuit; sed a privatione habituali, quam ex illo contrahit. Neque circa hæc credimus, quod possit jam esse difficultas.

115. Denique infertur, qualiter satisfaciendum sit difficultati, quam in fine dubii præcedentis tetigimus: nimirum quomodo peccatum originale, cum sit privatio, conservet intrinsecum respectum ad voluntatem Adami, ejusque peccatum actuale, per quem respectum in esse voluntarii constituitur? Hæc igitur difficultas juxta quemlibet ex modis dicendi, quos sequuti sumus, facile diluitur; animadvertendo, nomine *respectus*, cum sermo est de privationibus, non intelligi aliquem ordinem positivum sive transcendentalem, sive prædicamentalem, ut vox sonare videtur: perspicuum est enim hujusmodi ordinem non posse in privatione fundari; sed intelligitur eo nomine talis connexio privationis per modum dependentiæ cum aliquo tanquam cum principio, ut sine illo intelligi nequeat: nam ex hoc ipsa privatio concipitur ut se ipsa respiciens tale principium, et ut ipsa connexio et emanatio ab illo: hoc enim modo dicimus, omissionem, quæ intrinsece est mala, importare respectum intrinsecum ad voluntatem

Occurritur interrogationi.

Ultimum corollarium.

Sententia Catharini.

Rejicitur. Conc. Trid. D. Aug.

tatem, et ad actum ejus, qui fuit causa omit-  
tendi, per talemque respectum constitui  
intrinsicè voluntariam, quia per se ipsam  
est nexa cum illis tanquam cum principio,  
a quo est suum *non esse*, et sine quo in actu  
exercito intelligi non valet. Ita ergo dici-  
mus, privationem justitiæ originalis impor-  
tare intrinsicè respectum per modum  
termini ad peccatum Adami, et mediante  
illo ad ejus voluntatem, quia per se ipsam  
ut hic et nunc exercitam, atque adeo per  
aliquid intrinsicè est connexa cum tali  
peccato tanquam cum principio, sine cujus  
influxu non potest intelligi poni in rerum  
natura.

Quod juxta secundum modum dicendi  
traditum § 6 facilius percipitur : nam tunc  
sicut prædictum peccatum ut non retracta-  
tum immediate per se ipsum ratione oppo-  
sitionis expellit justitiam originalem, ita  
hujus expulsio, seu privatio se ipsa imme-  
diate cum tali peccato nequitur. Et hæc con-  
nexio habet se per modum respectus cons-  
tituentis illam in esse voluntariæ moralis  
terminativæ, quia constituit eam in ratione  
precedentis, et per se dependentis a volun-  
tate moraliter conjuncta, qualis fuit volun-  
tas Adami respectu nostri. Sed et juxta pri-  
mum modum id non difficulter explicatur,  
juxta quem talis privatio, sicut se ipsa  
dependet a privatione vigoris reperta in  
semine generantis, et cum ea essentialiter  
connectitur : ita mediante illa dependet a  
peccato Adami, ex quo est sive immediate,  
sive mediis aliis privationibus talis privatio  
vigoris.

Replia. 116. Dices : hæc vigoris privatio non  
magis per se dependet a peccato Adami,  
quam semen, cui inest, dependet ab Adamo :  
atqui semen non dependet essentialiter,  
quia posset Deus idem numero alia via pro-  
ducere : ergo, etc.

Solvitur. Respondetur, antecedens solum esse ve-  
rum intellectum de prædicto semine forma-  
liter in quantum subjecto illius privationis,  
quo pacto necessario importat debitum vi-  
goris oppositi : ut sic autem essentialiter  
dependet ab Adamo, quia soli semini des-  
cendenti ab illo debebatur talis vigor, sicut  
ei soli promissus fuit. Unde si Deus alia via  
prædictum semen produceret, tunc licet  
esset idem numero materialiter, et in esse  
rei ; non tamen formaliter in ratione sub-  
jecti, propter prædicti debiti defectum.

Adde, talem debitum non convenire hu-  
mano semini nisi ut naturaliter producto,  
et individuato, quia hoc dumtaxat modo

actum fuit de illo in divina promissione et  
decreto : ut sic autem necessario importat  
dependentiam ab Adamo : quia naturaliter  
loquendo nullum semen, quod modo est  
hoc numero, esset idem numero, si ab eo  
non processisset ; non enim esset hoc nu-  
mero semen, nisi procederet ab hoc numero  
patre, neque hic numero pater, nisi pro-  
cessisset ab hoc numero avo, neque hic nu-  
mero avus, nisi ab hoc numero proavo, et  
ita ascendendo usque ad Adam. Quare non  
immerito in quolibet ex seminibus ab  
Adamo descendentibus potest admitti ali-  
quis respectus positivus transcendens per  
omnes genitores usque ad Adamum, per  
quem respectum quodcumque ex illis na-  
turaliter et de facto individuatum sit : quia  
revera naturaliter loquendo nullum esset  
hoc numero, quod est de facto, si deficeret  
illi descensus ab Adamo, vel a quovis alio  
ex genitoribus intermediis. Ratione igitur  
hujus respectus, in quantum Adamum at-  
tingit, reliquisque intermediis quasi de ma-  
teriali se habentibus, potest fundare debi-  
tum prædicti vigoris, et nequi cum ejus pri-  
vatione ex Adami peccato orta.

### § XI.

#### *Sententiam oppositam qui tueantur ?*

117. Oppositam sententiam videlicet pecca-  
tum nostrum originale non habere causam ef-  
fectivam physicam, sed moralem dumtaxat  
atque adeo neque Adami peccatum, neque  
semen ab ipso Adamo descendens physice  
effective ad illud concurrere, tuentur in  
præsenti Curiel art. 1, dub. 3, Zumel disp. 3,  
Vasquez disp. 133. Et quantum ad causalitatem  
seminis Montes. infra quæst. 83, disp. 13 et alii ;  
qui tamen forte non lo-  
quuntur de causa morali juxta sensum nos-  
trum, neque impugnant causam physicam,  
quam adstruimus ; sed solam actionem ri-  
gorosam terminatam immediate ad priva-  
tionem justitiæ originalis, quibus in hoc non  
contradicimus. Argumenta vero alicujus  
momenti sunt objectiones propositæ, et so-  
lutæ inter probandum : præter quas si quid  
prædicti authores opponunt, facile dilui-  
tur.

Arguunt ergo primo : quia quod non exis-  
tit, nequit habere physicam efficientiam :  
sed peccatum Adami jam non existit : ergo,  
etc. Respondetur primo prædictum pecca-  
tum existere adhuc physice virtualiter in  
semine infecto, et privato supradicto vi-

Curiel.  
Zumel.  
Vasq.  
Montes.

Primum.  
argu-  
mentum.

**Solutio duplex.** gore, sicut quælibet causa principalis dicitur existere virtualiter in instrumento a se elevato, et moto : et antequam semen efformetur, adest prædicta existentia in ipsa carnis infectione, et concupiscentia habituali parentum. Hæc autem virtualis existentia sufficit ad causalitatem physicam : ut videre est in aliis causis et effectibus. Secundo respondetur sufficere ad causalitatem physicam existentiam moralem, quam num. 92 habere diximus peccatum Adami in Dei abominatione, quandiu ab unoquoque nostrum pro se non retractatur.

**Secundum.** 118. Secundo arguit Curiel. Peccatum originale non est aliquid physicum, sed moralis quædam privatio : ergo non postulat efficientiam physicam, sed moralem duntaxat. Respondetur negando consequentiam propter illa, quæ diximus num. 99.

**Tertium.** Tertio Montesinos sic objicit. Peccatum originale non traducitur per generationem ex principiis essentialibus naturæ, sed media voluntate capitæ : ad rationem autem causæ, vel causalitatis physicæ requiritur influxus in effectum sine dependentia a voluntate creata : non ergo prædictum peccatum per generationem sicut a causa physica procedit.

**Duplex solutio.** Respondetur, sufficere ad causalitatem physicam prædicti peccati, quod procedat ex principiis naturæ ut vitiatæ et infectæ, quamvis non ex principiis essentialibus : quia non omnia, quæ physice cum natura causantur, ex talibus principiis proveniunt ; sed aliqua ex accidentibus, quæ in materia, vel in principio generationis occurrunt. Secundo respondetur, quod si argumentum esset efficax, probaret neque peccata nostra actualia causari physice effective : contra communem sensum, et usum loquendi : quippe omnia causantur dependenter a voluntate creata. Dicendum est ergo, prædictam dependentiam a voluntate creata vel increata tanquam ab exequente sive per se immediate, sive per instrumentum non tollere rationem causæ physicæ a tali voluntate. Sed tolleretur ab alia, si esset, quæ illam positive moveret, vel provocaret ad talem executionem. Porro in nostro casu non est nisi una Adami voluntas, quæ per suum actuale peccatum, mediaque seminali propagatione tanquam instrumento executive causat peccatum originale : et ita non habet locum moralis causalitatis.

**Quartum argumentum.** 119. Quarto. Eodem modo traducitur peccatum originale ab Adamo in nos, sicut traduceretur justitia originalis : sed illa non

traduceretur per causalitatem physicam Adami, sed a Deo immediate produceretur : ergo, etc. Respondetur negando consequentiam. Tum quia etiam justitia originalis traduceretur aliquo modo efficienter physice per seminalem propagationem descendentem ab Adamo, ut vidimus a num. 74. Tum etiam quia prædicta justitia potest habere aliam causam physicam, nempe Deum : et ita non mirum si non causaretur modo isto ab Adamo : peccatum vero originale nullam aliam habere potest præter ipsum Adamum ut agentem per suum peccatum actuale, mediaque seminali propagatione.

Denique arguitur : quia Adamus per suum peccatum movit divinam voluntatem, ut ab eo pro se et pro posteris justitiam originalem auferret : ergo fuit causa moralis hujusmodi ablationis, atque adeo peccati originalis. Ad hoc argumentum constabit dubio sequenti.

#### DUBIUM IV.

*Utrum peccatum Adami fuerit causa demeritoria respectu nostri originalis ?*

120. Animadvertimus initio dubii præcedentis, in peccato originali posse considerari aliquid per se, nempe ipsam malitiam et deformitatem, quæ exosam et inimicam animam Deo reddit : et aliquid concomitanter, videlicet pœnas, et miserias, quas Deus pro tali peccato infligit : uti est carentia divinæ visionis in alia vita, et in præsentem mors, et aliæ corporales ærumnæ : necnon ipsa substractio divinæ gratiæ, non prout importat privationem ejus voluntariam, qua ratione constituit malitiam, et culpam habitualementem, sed ut dicit negationem divini concursus tenentem se ex parte Dei, quo pacto non est culpa, sed pœna, prout disp. 16, dub. 5, magis declarabimus. Quantum ergo ad rationem malitiæ ex dictis dubio præced. perspicuum manet non esse effectum peccati Adami in genere causæ demeritoria : quoniam demeritum non est nisi respectu pœnæ, sicut meritum respectu præmii : malitia autem secundum hanc rationem non potest habere rationem pœnæ. Tum quia per se est de ratione malitiæ, quod sit voluntaria ; pœna autem per se id non postulat, sed potius habet esse contra voluntatem. Tum etiam quia pœna est juxta rationem, et est disposita et ordinata a Deo, quod totum malitiæ repugnat. Accedit, demeritum non esse nisi respectu ejus, quod

Enervatur.



quod Deus effective causat, ad quam causalitatem per illud provocatur : cum ergo non possit esse causa malitiæ, nequit ista in quantum talis ullo modo cadere sub demerito. Quare solum potest esse difficultas de aliis rationibus, sive pœnalitatibus, quæ malitiam concomitantur. De quibus non negato quod terminent causalitatem physicam, quam dub. præced. respectu culpæ astruximus, quærimus, an terminent causalitatem moralem ?

## § I.

*Verior sententia.*

121. Dicendum est, peccatum Adami fuisse causam proprie demeritoriam respectu nostri originalis quantum ad pœnalitates, et ærumnas, quæ culpam concomitantur. Hæc assertio sumitur ex D. Thoma 3 p. quæst. 19, art. 4, ubi ex illo Pauli ad Romanos 5: *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem*, etc., deducit demeritum Adæ derivari ad condemnationem posterorum. Et 2, 2, quæst. 163, art. 2 ad 3. Necnon in 2, dist. 21, quæst. 2, art. 2 ad 3, fatetur peccatum Adami, ut erat peccatum naturæ, fuisse punitum pœna ad totam naturam derivata : atque adeo sentit pœnalitates, quæ ratione culpæ originalis simul cum natura ad nos derivantur, vere cadere sub demerito illius peccati. Idem docuit D. Ambrosius explicans locum Pauli *per unius delictum*, etc. Leo Papa serm. 5, de natali; ubi ait, quod Adamus obtemperans Diabolo usque ad prævaricationem meruit, ut in illo omnes moreremur, et alii ex Patribus, quos sequuntur D. Bonaventura in 2, dist. 32, art. 2, quæst. 1 ad 2. Scotus ibidem quæst. 1, ad argumenta primæ quæst. in solut. ad 3. Durandus dist. 30, quæst. 3, num. 10. Conradus in præsentī art. 4, et quæst. 82, sequenti art. 2. Alvarez disp. 171, et lib. 6, de auxil. cit. disp. 44. Vasquez in præsentī disp. 134. Salas disp. 11, sect. 2, quæst. 9. Suarez tom. 1, in 3 part. disp. 39, sect. 1, et plures alii.

Videturque pro hac sententia referendus Gregorius Mart. in præsentī dub. 4, ubi illam pro conclusione statuit, et probationes convincentes adducit. Sed revera alienus ab ea est, et a legitimo ejus sensu. Nam ut ipse paulo inferius se explicat, loquitur de peccato originali secundum rationem culpæ, et propterea addiderat in conclusione, prædictam causalitatem esse qui-

dem demeritoriam absolute, non tamen rigorose : tum quia demeritum rigorose loquendo non est nisi respectu pœnæ; peccatum autem originale in rigore non potest vocari pœna peccati Adami, sed potius culpa ejus : ergo non correspondet illi demeritorie. Tum etiam (inquit) quia eodem modo comparatur macula personalis ad peccatum actuale, sicut macula originalis ad peccatum primi parentis : sed macula personalis non potest dici in rigore loquendo correspondere demeritorie actuali peccato : ergo nec macula originalis respectu peccati Adami. Hæc ille. Ex quibus evidenter constat, prædictum authorem loqui de peccato originali secundum rationem malitiæ : quem sensum initio dubii rejecimus; non autem quantum ad pœnalitates, quæ illud concomitantur, ut nos loquimur : in quo sensu rationes Martinez nihil convincunt. Porro loquendo de prædicto peccato secundum rationem culpæ, rationes illæ non modo impugnant demeritum rigorosum, sed omnem causalitatem demeritoriam, quæ absolute sit talis, ut intuenti patebit.

122. Sed nostra conclusio, ut proposita fuit, probatur ratione. Quia omne peccatum in viatoribus, ea ratione qua est peccatum, est etiam demeritorium : neque enim ratio demeriti plus exigit, quam quod sit culpa moralis existens in viatore : sed peccatum Adami, ut erat capitis, fuit peccatum nostrum, nosque in eo peccavimus : ergo etiam in quantum demeritum, ad nos pertinuit, nosque in illo demeruimus gratiam, et gloriam, et ex tali demerito alias pœnalitates incurrimus.

Confirmatur : quoniam Adamus demeruit, in quantum erat caput nostrum, sicut in quantum tale deliquit : neque enim poterit assignari ratio, si peccatum fuit capitale, demeritum fuerit solum personale : præsertim cum utrumque fuerit circa custodiam, vel amissionem justitiæ originalis, quæ concernebat totam naturam : sed quia ita deliquit, descendit ad nos ejus peccatum : ergo quia si demeruit, debuit ejus demeritum ad nos pertinere.

123. Secundo probatur. Quoniam pœna non infligitur nisi propter demeritum, sicut præmium non datur nisi propter merita : quod adeo verum est, ut idem malum, quod ex respectu ad demeritum habet rationem pœnæ, sublato isto respectu, non jam maneat in ratione pœnæ, sed pœnalitatis dumtaxat : atqui pueri decedentes cum originali puniuntur pœna proprie dicta, nimirum

Ratio  
pro con-  
clusionē.Confir-  
matio.Ratio  
alia.

pœna damni : ergo propter aliquod demeritum : puniuntur autem propter peccatum Adami : igitur hoc fuit causa demeritoria respectu talis pœnæ, ac proinde etiam respectu aliarum, quæ ex illo in nobis sunt consequutæ.

Confir-  
matto.

Confirmatur : nam cum Deus propter peccatum Adami denegat ejus posteris, dum primo nascuntur, justitiam originalem, quam illis promiserat, non miseretur respectu eorum, sed punit : sicut etiam denegando gloriam iis, qui cum solo originali decedunt : sed punitio Dei non est nisi propter aliquod demeritum : ergo cum in prædicto casu non possit esse aliud nisi demeritum peccati Adami, dicendum est puniri ejus posteros propter tale demeritum, adeoque prædictum peccatum fuisse causam demeritoriam respectu pœnarum, quæ culpam originalem consequuntur.

Edu-  
gum.

124. Dices illos, qui in originali decedunt, puniri pœna damni propter ipsam originalem culpam, quam in se habent; non autem propter peccatum actuale, quod Adamus commisit. Sed contra : quia peccato originali, sicut et cuicumque alii habituali non debetur pœna proprie dicta, nisi in quantum est terminus peccati actualis, cui per se primo debetur : sicut enim habitibus proprie non meremur, neque demeremur, sed actibus ; ita pœna proprie non debetur per se primo peccato habituali, sed actuali : ergo quod decedentes cum originali proprie puniuntur, per se primo oritur ex demerito peccati Adami, quod per ipsum originale ad illos descendit, ipsisque applicatur.

Impu-  
gnatur.

Confirmatur : nam eo proportionali modo in damnatis pœna correspondet peccato habituali, sicut præmium in beatis correspondet gratiæ : sed istis non correspondet præmium tanquam merito, sed tanquam termino meriti, quod præcessit in actibus permanentibus in Dei acceptatione : ergo neque illi correspondet pœna tanquam demerito, sed tanquam termino demeriti, quod in peccato actuali præcessit ; et dum non retractatur, in Dei abominatione perseverat.

## § II.

*Quæ obstant huic sententiæ, et contrariæ optuluntur ?*

Curiel.  
Dried.  
Decan.  
Zumel.

125. Pro opposita sententia Curiel dub. cit. refert Driedonem, et Decanum Lova-

niens. quibus ipse subscribit, et cum eo Zumel disp. 3. Forte loquuntur de peccato originali non quantum ad pœnalitates illud concomitantes, sed quantum ad rationem culpæ. Sed contra nostram sententiam est duplex objectio. Prima ex D. Thoma in 2, dist. 20, quæst. 2, art. 3 ad 3, ubi ait : *Peccatum non transit in posteros a primo parente per modum demeriti, quasi ipse omnibus mortem meruerit, et infectionem peccati ; sed per modum traductionis consequentis traductionem naturæ : non enim unius personæ actus toti naturæ mereri, vel demereri potest, nisi limites humanæ naturæ transcendat* : ergo Adamus non demeruit nobis, sed sibi dumtaxat : atque adeo sola causalitate physica peccatum originale ad nos traduxit.

Objectio  
ex D.  
Thom.

Respondetur primo posse intelligi S. Doctorem de peccato originali secundum rationem culpæ et malitiæ : quo pacto est infectio et mors animæ, ut ipse loquitur. Ut sic autem fatemur solum per propagationem, et non per demeritum potuisse ab Adamo ad nos transire : cum quo tamen stat, quod quantum ad pœnalitates concomitantes transierit etiam per demeritum.

Prima  
solutio

Secundo respondetur Ang. Doctorem solum velle, quod mereri vel demereri pro tota natura humana sine traductione ipsius naturæ nulli creaturæ potest competere : quia ad id necessarium erat, ut qui ita pro tota natura mereretur, vel demereretur, limites ipsius naturæ transenderet. Non vero negat posse hoc saltem quantum ad demeritum convenire alicui, si sit naturæ principium, qui proinde traducendo illam possit cum ea culpam transfundere : nam quia culpa concomitatur demeritum, non plus requiritur ad illam, quam ad hoc traducendum.

Solutio  
alia  
legiti

Secundo objicies : quia etiamsi Adamus perstitisset in gratia, et justitia originali, non meruisset nobis illam per suos actus : ergo neque peccando eam nobis demeruit. Patet consequentia. Tum quia meritum et demeritum circa idem versantur : atque adeo illud, quod Adamus nobis mereri non posset, non potuit demereri. Tum etiam quia ita dependebat justitia nostra originalis ab actibus, quibus Adamus divinam legem impleret, sicut ejus amissio dependebat a peccato, quo illam violaret : ergo si prima illa dependentia non erat in genere causæ meritoria ; neque hæc posterior fuit in genere demeritoria.

Objec-  
tio

126. Hæc objectio postulat ut explicemus an sicut Adamus peccando, nobis, et pro

pro

pro nobis demeruit; ita bene operando, nobis, aut pro nobis meruisset, vel saltem mereri potuisset. Pro quo nota, non esse omnino idem *mereri alteri*, et *mereri pro altero*, si in rigore loquamur. Nam *mereri alteri* solum dicit facere sibi debitum præmium, quod alteri conferatur; non ut præmium illius, cui confertur, neque ut debitum ipsi: sub hac enim ratione solum respicit eum, qui meruit; sed ut beneficium favore et gratia istius illi applicatum. Unde hoc modo meritum non transit formaliter etiam extrinsece ab uno in alterum, quasi uterque dicatur *mereri*: sed transit solum causaliter, quatenus transit præmium: non formaliter ut præmium illius, in quem transit, quasi is proprie remuneretur; sed ut præmium ejus, a quo transit. At vero *mereri pro altero* rigore loquendo denotat, meritum unius transire formaliter ad alterum, ita quod utriusque meritum sit, et uterque *mereri* dicatur: ac proinde etiam præmium respectu utriusque habeat formaliter rationem præmii, et uterque remuneretur. Unde qui posset hoc posterius, posset a fortiori illud prius; sed non e converso.

Ex quo fit, quod licet Christus Dominus meruerit nobis gratiam, et reliqua bona, quæ propter ejus merita nobis a Deo conferuntur; non tamen in rigore loquendo meruit *pro nobis*: quia ejus meritum non transit formaliter ad nos, ita ut fiat formaliter meritum nostrum, aut nos faciat *merentes*: alias parvulis cum baptismo decedentibus daretur gloria non tantum per modum hæreditatis; sed etiam per modum coronæ, siquidem ipsi dicerentur illam meruisse: sed transit dumtaxat causaliter, quatenus favore ipsius Christi Domini donantur nobis bona, et præmia, quæ ille promeruit. Neque adhuc hujusmodi præmium proprie est tale respectu nostri, ita quod nos proprie præmiari dicamur: quia hoc supponeret fuisse nostrum meritum formaliter: sed ipse Dominus, et ejus merita remunerantur in nobis, quatenus favore ipsius confertur nobis, quod ille promeruit.

127. Diximus sæpe *in rigore loquendo*: nam in latiori acceptione non semel sumitur pro eodem *mereri alicui*, et *mereri pro illo*: quatenus hoc sonat unum meruisse alteri, quod ille pro se, si posset, mereri debuisset. Et in hac acceptione est satis consuetus modus loquendi, quod Christus meruit pro nobis, quia meruit bonis bona, quæ nos, si possemus, debuissimus mereri.

Fit etiam, Adamum non tantum demeruisse nobis, seu meruisse nobis pœnalitates consequentes originalem culpam; sed etiam demeruisse pro nobis: quia sicut transiit ad nos formaliter ejus culpa, transiit etiam demeritum: et sicut ab illa denominati fuimus formaliter *peccatores*; sic ab isto formaliter *demerentes*: ob idque pœna illius demeriti non tantum respectu Adami, sed etiam respectu nostri habuit proprie rationem pœnæ.

Hoc supposito videndum est, an sicut Adamus non solum nobis, sed etiam pro nobis demeruit, ita potuerit pro nobis, aut saltem nobis aliquod præmium mereri? Et possumus loqui vel de merito condigni, cui ex justitia, adeoque simpliciter præmium debetur propter æqualitatem valoris, pactum, et cætera, quæ suo loco explicantur. Vel de merito congrui, cui quia deest æqualitas, debetur præmium debito secundum quid, nempe ex quadam congruitate fundante imperfectum jus ex parte merentis. Deinde possumus loqui de eo, quod Adamo non peccante evenisset de facto, rebus ut tunc a Deo dispositis, servataque communi lege: vel de eo, quod supra talem legem esset Deo possibile statuere.

128. Igitur rebus ut de facto dispositis, aut secundum communem legem pro comm- Nequit Adamus mereri pro nobis. perto habemus, Adamum, etiam si in originali justitia perstitisset, non meritum aliquid pro nobis, ita quod ejus meritum nostrum esset, et ad nos formaliter denominative transiret. Si enim nec Christus Dominus ita pro nobis meruit, non est cur Adamo, aut alicui puræ creaturæ secundum communem legem id posse tribuamus. Quod intelligendum est tam de merito congrui, quam de merito condigni; imo neque de potentia absoluta hoc genus merendi pro alio credimus posse alicui competere. Quod eodem argumento Christi Domini non leviter convincitur: ea est enim Dei bonitas, et erga homines benignitas, ut si alicujus opera aliorum merita esse possent, non omnino id Christo Domino denegasset saltem pro aliquibus, ut pro Virgine Deipara, quam eximie honorare oportebat.

Ratio fortasse est: quia sicut, ut demeritum Adæ nostrum demeritum fieret, opus fuit transire ad nos ejus peccatum, seu culpam habitualementanquam voluntariam nobis per modum termini: quasi hujusmodi terminus indispensabiliter in nobis requiratur ut fundamentum prædicti demeriti, et ad constituendum subjectum reum supplicii: ob id-

que tale demeritum non ad aliam pœnam se potest extendere, nisi ad eam, quæ ex natura rei consequitur terminum prædictum : ita ad hoc ut meritum alicujus nobis formaliter communicaretur, debebat transire in nos aliquis terminus similiter nobis voluntarius voluntate illius, a quo transiit, cui imitatur tale meritum, et ultra cujus effectus, seu efficaciam non se extendat, quique subjectum reddat intrinsece præmio dignum : qui sane terminus non posset esse alius, quam gratia habitualis, sicut respectu demeriti non potest esse alius nisi habitualis seu originalis culpa. Cum autem voluntarium debeat esse ab intrinseco cum cognitione, atque adeo procedens a voluntate vitali modo, et sicut a causa physica principali : gratia vero hoc modo non possit ab aliqua voluntate creata ortum ducere, inde evenit ut nulla aliena voluntas possit meritum suum ad nos formaliter derivare, et sic nec pro nobis proprie mereri : quia scilicet nulla potest communicare nobis physice, et ut causa principalis, atque adeo tanquam sibi voluntarium prædictum terminum. Sed de hoc iterum suo loco sermo redibit.

Potuit mereri nobis de congruo. 129. Veniamus ad secundum, quod est *mereri nobis*. In quo loquendo etiam de facto perspicuum debet esse potuisse Adamum *mereri nobis* beneficia ordinis gratiæ, et quævis alia bona merito de congruo. Hoc enim genere meriti etiam nunc unus justus potest pro aliis sive justis, sive injustis gratiam, et alia bona mereri : et ita non est cur Adamo sive permanenti in innocentia, sive a lapsu reparato magna utrobique sanctitate pollenti denegetur. Eo præsertim quia de facto ipse Adamus, aliique sancti Patres meruerunt de congruo incarnationem, quæ est commune bonum totius generis humani, longeque majus beneficium omnibus aliis ordinis naturæ, et gratiæ.

Non potuit mereri nobis de condigno secundum communem legem. Cæterum merito de condigno pro comperto habemus, Adamum neque gratiam, neque aliud præmium fore nobis meritum. Quia hanc dignitatem, quæ est mereri aliis de condigno Deus de facto soli Christo Domino reservavit, quem dumtaxat caput nostrum in ordine gratiæ constituit, nolens, ut beneficia hujus ordinis alicui puræ creaturæ ut capiti deberemus. Rationem vero repugnantiam hujus meriti in pura creatura tradit D. Thom. infra quæst. 114, art. 6, his verbis : *Opus nostrum habet rationem meriti ex duobus. Primo quidem ex vi motionis divinæ : et sic meretur aliquis ex con-*

*digno. Alio modo habet rationem meriti, secundum quod procedit ex libero arbitrio, in quantum voluntarie aliquid facimus : et ex hac parte est meritum congrui : quia congruum est, ut dum homo bene utitur sua virtute, Deus secundum superexcellentem virtutem operetur. Ex quo patet, quod merito condigni nullus potest mereri alteri primam gratiam, nisi solus Christus : quia unusquisque nostrum movetur a Deo per donum gratiæ, ut ipse ad vitam æternam perveniat : et ideo meritum condigni ultra hanc motionem non se extendit. Sed anima Christi mota est a Deo per gratiam, non solum ut ipsa perveniret ad gloriam vitæ æternæ, sed ut alios in eam adduceret, in quantum est caput Ecclesiæ, et auctor salutis humanæ, etc. Eandem fere rationem habes quæst. 29 de verit. art. 7. Et quod dictum est de prima gratia, intelligendum est de quavis alia propter eandem rationem, et etiam de justitia originali, quæ illam includit : de qua D. Thom. opusc. 2, cap. 198, sic ait : *Originalis justitiæ status fuit quoddam speciale donum gratiæ : gratia autem meritis non acquiritur, sed gratis a Deo datur.**

130. Sed an prædicta ratio etiam de potentia absoluta intentum convincat, non est hujus loci examinare ; sed infra quæst. 114, in tract. de merito, vel 3 part. in tract. de Incarnatione. Modo vero valde inclinamur in partem negativam, restringentem doctrinam D. Thomæ ad casum de lege ordinaria : sicut restringit Joannes a S. Thoma infra citata quæst. 114, disp. 31, art. 2, quod etiam tenuit Suarez tom. 1, in 3, part. disp. 9, sect. 7 et tom. 3, de grat. cap. 16, referens Medinam, Zumel. Lorc. et Valent. Quousque tamen in prædictis locis res ex professo decidatur, utriusque partis probabilitatem sustinebimus.

Ad objectionem ergo, quæ, re bene inspecta, solum procedit de merito condigni, et attento eo, quod durante justitia originali, fuisset de facto, concesso antecedenti neganda est consequentia. Prima autem probatio, si intelligatur universaliter, falsum assumit : nam unusquisque potest demereri suam primam gratiam ; quam tamen non potest promereri. Et in nostro casu, ipse Adamus accepit sibi justitiam originalem non per meritum, sicut nec per meritum illam conservaret : et nihilominus saltem pro se eam per demeritum amisit, sicut unusquisque, quando mortaliter peccat, amittit propriam gratiam per suum demeritum. Eodem ergo modo pro nobis potuit,

et

et de facto fuit causa demeritoria prædictæ justitiæ, licet nec sibi nec nobis fuisset causa ejus meritoria. Similiter secunda probatio assumit falsum, si ly *ita* dicat omnem paritatem : quia dependentia nostræ justitiæ ab actibus, quibus Adamus legem impleret, præcise erat sicut a conditione removente peccatum : dependentia vero amissionis talis justitiæ ab ipso peccato erat sicut a causa illam auferente. Et ratio est : quia justitia originalis nostra non magis dependebat ab observatione legis in Adamo, quam dependebat conservatio talis justitiæ pro ipso Adamo : quandiu enim hæc in illo conservaretur, erat nobis ad illam jus divinæ promissionis ita gratis et absque meritis factæ, sicut Adæ facta fuit collatio. Porro conservatio non dependebat ab observatione legis sicut a causa meritoria, quia, ut diximus, donum perseverantiæ non cadit sub merito ; sed dumtaxat sicut a conditione removente peccatum, per quod solum poterat amitti. Eodem ergo modo et non aliter justitia nostra dependens fuit a prædicta observatione. At vero amissio tam pro Adamo, quam pro nobis dependebat a peccato sicut a causa demeritoria : quia Deus beneficia, quæ liberaliter et sine meritis confert, eo quod bonus est ; eo quod justus est, non sine demeritis aufert. Ob idque dixit Concilium Trid. ses. 6, cap. 11, Deum sua gratia semel justificatos non deserere, nisi prius deseratur ab eis.

131. Dices : illa observatio legis, si adfuisset, vere esset nostra, sicut fuit prævaricatio : sed illa fuisset meritoria utpote includens actus moraliter bonos, et ab habente gratiam elicitos : ergo meruissemus per illam.

Respondetur, prædictam observationem posse considerari dupliciter : vel præcise in quantum esset vitatio, et remotio peccati, ad quam rationem quodammodo per accidens, et de materiali se habebat, quod esset actus moralis, bonus, meritorius, etc. posset enim, non occurrente aliquo præcepto affirmativo, talis vitatio consistere sine prædicto actu per solam omissionem mali. Vel in quantum jungeretur illi moralitas, et bonitas, ac proinde meritum. Primo modo fuisset nostra ; non autem secundo : quia Adamus solum fuit constitutus caput in ordine ad illam disjunctivam, nempe vel peccando, amittere justitiam originalem ; vel non peccando, physice illam traducere : nihilque in hac constitutione actum fuit de merito.

Ex doctrina hujus dubii patet responsio ad ultimum argumentum in fine præcedentis propositum. Quia prædictum argumentum solum procedit de ablatione justitiæ originalis, quatenus ex parte Dei se tenet, et dicit negationem divini concursus : quo pacto, ut diximus, habet rationem pænæ : et ita quod isto modo considerata cadat sub demerito peccati Adami, non repugnat iis, quæ dubio præced. stabilivimus. Si autem prædictum argumentum applicaretur tali ablationi, quatenus tenet se ex parte hominis, dicitque privationem voluntariam prædictæ justitiæ, quo pacto habet rationem culpæ, nihil convincit : quia hujusmodi privatio prout sic neque causatur a Deo, neque Adamus suo peccato, et demerito potuit movere divinam voluntatem ad illam efficiendam.

Satisfit  
ultimo  
argu-  
mento  
dubii  
præce-  
dentis.

#### DUBIUM V.

*Utrum solum primum Adami peccatum potuerit esse causa nostri originalis?*

132. Nomine primi peccati non intelligimus dumtaxat illud, quo Adamus de facto erga esum ligni vetiti primo deliquit. Hoc enim, et non aliud causam fuisse de facto originalis culpæ, posset non immerito supponi. Tum quia satis probabile est, Adamum nullum aliud peccatum mortale commisisse, sed statim postquam a Deo admonitus fuit, pœnitentiam egisse, deincepsque perpetuo gratiam conservasse. Tum etiam quia satis ex scriptura constat, Adamum perseverasse in innocentia usque ad prædictum esum, nudatumque fuisse propter illum justitia originali, et de Paradiso ejectum : quare nulla est ratio ut intelligamus, aliquod aliud peccatum vel fuisse primum, vel de facto causam nostri originalis. Nec refert, quod, ut disp. 16, dub. 6 dicemus, Adamus primo deliquit peccato superbiæ inordinate appetendo propriam excellentiam, atque adeo peccatum erga esum ligni vetiti, quod fuit peccatum gulæ, propter quod justitiam originalem amisimus, non videtur fuisse omnino primum. Non itaque hoc refert, quia, ut ibi dicimus, in uno peccato commisit Adamus plures deformitates, nempe superbiæ, inobedienciæ, et gulæ, et ita quamvis primo deliquerit per superbiam, et per eam amiserit justitiam originalem, stat etiam peccatum gulæ fuisse primum, et per ipsum quoque talem justitiam ami-

sisse : quia *ly primum peccatum* in præsenti supponit pro substracto totius malitiæ, non pro hac vel illa circumstantia, aut deformitate, quæ in illo concurrat.

Est ergo præsens difficultas, an originalis culpæ causalitas attenda communi providentia, et ex vi præsentis legis, annexa fuerit primo peccato Adami, quia primo, atque adeo independenter ab eo quod esset talis, vel talis speciei ; an vero determinate illi peccato, quo circa lignum vetitum deliquit : ita quod licet antea committeret alia, non ista, sed illud dumtaxat prædictam culpam originaret. Diximus autem *attenta communi providentia, et ex vi præsentis legis* : quia licet perspicuum sit, Adamum quovis primo peccato (quod necessario esset mortale, nec enim poterat a veniali incipere) amissurum pro se justitiam originalem, saltem qua parte includit gratiam, cum impossibile sit gratiam, et peccatum simul permanere : attamen non dubitamus potuisse Deum lege absoluta decernere, ut non quovis primo peccato illam a suis posteris excluderet, usque dum tale, vel tale committeret : tuncque illi dumtaxat peccato, de quo staret decretum, quod posset esse secundum, vel tertium vel aliud, esset annexa prædicta causalitas, non autem primo in quantum primo. At vero stando communi providentiæ, et cursui, quem res natura sua postulant, atque ex vi præsentis legis, potest non immerito controversari, an prædicta causalitas ita alligata fuerit peccato illi gulæ in quantum tali, ut etiam si non fuisset primum, sed alia præcederent, nulli alii quam ipsi peccato gulæ competeret ; an vero annexa fuerit cuicumque primo loco præcessisset.

### § I.

*Deciditur difficultas ex mente Ang. Doctoris.*

133. Dicendum est, Adamum quovis primo peccato amissurum pro se, et pro nobis justitiam originalem, atque adeo solum illud, quod fuisset primum, non vero alia, quæ supervenirent, potuisse causare originalem culpam. Ita D. Thom. 2, 2, quæst. 163, art. 3 ad 2 ubi ait : *Dicendum quod magnitudo pænæ, quæ consequuta est illud primum peccatum, non correspondet ei secundum quantitatem propriæ speciei, sed in quantum fuit primum : quia ex hoc interrupta est innocentia primi status, qua substracta deordinata est tota natura humana.*

Constat autem prædictum peccatum ea ratione fuisse causam pænæ originalis, et communis (de hac enim procedebat argumentum), qua fuit causa culpæ : atque adeo sicut causalitas pænæ fuit illi annexa, non prout erat talis vel talis speciei, puta gulæ, sed in quantum primo, ita causalitas culpæ. Clarius id tradit in 2 dist. 33, circa finem in expositione textus ad secundam difficultatem, ubi ita inquit : *Dicendum, D. Thom. quod hoc est per accidens, quod* (videlicet peccatum gulæ) *tale nocumentum naturæ humanæ intulit, quia scilicet fuit primum peccatum, quod naturam humanam vitiavit, et ordinem animæ ad Deum interrupit in illo, ex quo omnes homines per coitum naturam humanam traxerunt : quodcumque autem aliud peccatum fuisset hoc modo primum, etiam similem effectum habuisset, sive fuisset peccatum operis, sine voluntatis, quamvis quidam aliter dicant, etc.* Idem docet eadem dist. quæst. 1, art. 1, et dist. 21, quæst. 2, art. 2 ad 2, ibidemque ad Anibal. art. 4 ad 2, Ad Roma. 5, lect. 3 de mal. quæst. 4, art. 8, et in præsentis art. 2. Quem sequuntur Durandus cit. dist. 33, quæst. 1, Curiel in præsentis art. 1, dub. ultimo, Alvarez disp. 172, Greg. Mart. art. 2, dub. 2 et alii.

Probatur ratione ejusdem Ang. Doctoris : quia Adamus per primum peccatum, quodcumque illud esset, amitteret justitiam originalem : ergo ex vi illius traduceret ad nos originalem culpam. Antecedens est satis perspicuum : quoniam justitia originalis utpote includens ipsam justificantem gratiam, erat impossibilis cum quovis peccato mortali, atque adeo admissio quolibet ab Adamo, deberet necessarie deperdi. Consequentia vero probatur. Nam eo ipso quod Adamus careret justitia originali ex vi prædicti peccati, proindeque carentia privativa, et voluntaria, ex vi ejusdem deduceret naturam ad nos affectam, et associatam hujusmodi carentia, atque adeo infectam culpa originali : talem enim nobis naturam communicaret, qualis in eo remansisset.

134. Confirmatur : nam semel spoliato Adamo justitia originali, uti maneret per primum peccatum, quodcumque illud esset, consequenter ejus vis generativa amitteret vigorem, quo pollebat ad prædictam justitiam posteris communicandam, maneretque proinde omne ejus semen vitiatum, et infectum per privationem illius vigoris : hujusmodi enim vigor habebat nexum cum ipsa justitia prout in Adamo, et prout communicanda ab illo : quare amissa ista per peccatum,

peccatum, non posset ille remanere : ergo in omnes, quos Adamus genuisset transfunderet naturam culpa originali infectam. Patet consequentia. Nam per semen infectum et vitiatum modo dicto non poterat aliter natura nisi cum infectione et vitio communicari.

Confirmatio  
naturalis  
alia. Confirmatur secundo : etenim quodcumque aliud peccatum primo superveniret, inveniret per illud spoliata naturam dono justitiæ originalis, semenque vitiatum, et infectum per carentiam prædicti vigoris : unde prædictum peccatum non jam tali dono naturam, secundum quod natura est, privaret, neque eam per se primo inficeret, sed esset dumtaxat peccatum personale sistens in propria persona : non ergo posset esse causa originalis, quod est per se primo peccatum naturæ : atque adeo hujus causalitas omnino est propria primi peccati sub ratione primi.

Evasio  
d ratio-  
nem. 135. Dices ad rationem, Adamum per primum peccatum (esto non esset illud, quod de facto erga lignum vetitum commisit) amissurum justitiam originalem pro se non autem pro posteris : quia promissio a Deo pro istis facta respiciebat præceptum non edendi de tali ligno : unde quandiu Adamus præceptum istud custodiret etiam si prætermitteret alia, adimpleretur in suis posteris divina promissio de conferenda prædicta justitia. Ad primam confirmationem posset etiam responderi, vigorem justitiæ originalis propagativum non esse annexum permanentiæ talis justitiæ in ipsa persona Adami, sed observationi dumtaxat, seu non violationi prædicti præcepti : atque ista quandiu hoc non violaretur, permaneret in illius semine talis vigor separatus ab ipsa justitia. Quemadmodum si Adamo non peccante peccaret filius ejus, iste amitteret justitiam originalem pro se dumtaxat, non autem amitteret vigorem ad communicandum eam aliis, qui ex ipso procederent. Ex quo etiam ad secundam dici posset, peccatum illud superveniens invenire naturam spoliata justitia originali pro persona Adami dumtaxat ; ipsum vero spoliare illam absolute, et pro omnibus individuis.

Ad primam  
confirmatio-  
nem. Sed omnes istæ evasiones sunt insufficientes. Quæ ut facilius impugnentur, duo animadvertenda sunt. Primum, et quidem satis per se notum est, Adamum per quodcumque peccatum a se tanquam a capite nostro commissum, amissurum justitiam originalem non tantum pro se, sed et pro tota posteritate. Quippe eo ipso quod tale

peccatum committeretur ab Adamo ut gerente munus capitis, omnes in illo delinqueremus, mereremurque proinde subtractionem talis justitiæ, quatenus hæc subtractio potest habere rationem pœnæ. Quinimo donec tale peccatum irretractatum maneret in Dei abominationem, ex natura rei expelleret prædictam justitiam ab omnibus, et in omnes induceret ejus privationem constitutivam culpæ originalis.

Doctrina  
pro im-  
pugnandis  
evasionibus. 136. Secundo est supponendum, Adamum per primum peccatum, quodcumque illud esset, amissurum dignitatem illam capitis moralis respectu nostri : sicut per primum, quod commisit de facto, illam amisit : atque adeo non jam deinceps operaretur tanquam caput. Hoc præsuppositum, quod non est ita certum sicut præcedens, probari potest. Tum quia cum dignitas illa ad excellentiam Adami pertineret, et ipse superbiendo (quod in quocumque eventu deberet esse primum ejus peccatum, ut disp. 16, dub. ultimo ostendemus) propriam excellentiam inordinate appetiisset, merito per tale peccatum illam, quam habebat gratis donatam, deperderet. Tum etiam quia Adamus tandiu et non amplius debuit retinere dignitatem capitis, quandiu in potestate ejus fuit, attentio communi rerum cursu, traducere ad nos indistincte vel justitiam originalem, vel culpam : seclusa enim hujusmodi potestate, aut ad solam culpæ traductionem alligata indigna Deo erat talis constitutio : sicut esset ponere in aliquo aliorum voluntates, non sperato, neque possibili attentio communi cursu ex tali collocazione alio effectu, quam quod illius peccatum posset ad istos pervenire : atqui Adamus privatus per primum peccatum justitia originali ad summum poterat traducere in posteros nova peccata, non autem prædictam justitiam, quam ex tunc non haberet : ergo non debuit post commissum tale peccatum ea dignitate potiri.

Ex quo fit, decretum Dei, et pactum cum Adamo de propaganda in posteros justitia originali non fuisse alligatum observationi hujus, vel illius dumtaxat præcepti ; sed indifferenter totam legem, et cuncta ejus præcepta comprehendisse. Nam quia quocumque violato, tolleretur ab Adamo dignitas capitis, consequenter cessaret tale pactum, quod cum illo non nisi tanquam cum capite initum fuit.

137. Fit etiam, primum peccatum Adami in quocumque eventu futurum esse capitale, cætera autem consequentia solum

personalia. Tum quia donec Adamus retinuit dignitatem capitis, nempe usque ad primum peccatum inclusive, quævis actio capax procedendi ab illo tanquam a capite, sic de facto procederet, in eaque vis capitis eluceret: sicut quia Christus erat caput nostrum semper et inamissibiliter, omnis actio capax procedendi ab illo ut a capite sic de facto processit: constat autem, primum peccatum, quodcumque illud fuisset, habere prædictam capaciatem, sicut eam habuit, quod de facto fuit primum. Tum etiam quia Adamus ex vi constitutionis in esse capitis in quocumque eventu haberet, ut posset capitaliter delinquere; non autem posset ita delinquere alio peccato, quam primo: pro reliquis enim quantumvis cito succedentibus jam erat amissa dignitas capitis: ipsum ergo primum peccatum in quocumque eventu futurum esset capitale.

Ex his facile impugnantur illæ evasiones. Prima quidem: nam primum peccatum Adami, quodcumque illud esset, fuisset peccatum capitis, et ab eo sicut a capite commissum, imo nullum præter primum hujusmodi conditionem habuisset, ut nuper probavimus: sed non stat Adamum delinquere ut caput, quin amitteret justitiam originalem tam pro se, quam pro posteris, ut vidimus in primo præsupposito: ruit ergo prædicta evasio. Quod autem in ea dicitur, nimirum promissionem a Deo factam de propaganda justitia originali, determinate respicere præceptum illud positivum non edendi de ligno vetito, falsum est: nam revera respiciebat totam legem collective, et omnia ejus præcepta tam naturalia, quam positiva, ut nuper declaravimus: atque adeo quodcumque illorum Adamus violaret, non adimpleretur promissio. Cur autem specialiter a Deo facta fuit mentio illius præcepti positivi, dicemus in solutione ad primam confirmationem pro contraria sententia.

138. Ex quo evasio primæ nostræ confirmationis facile etiam corrui: quia vigor ad propagandam justitiam originalem solum potuit durare in Adamo, quandiu ipse esset caput, sicut etiam facultas traducendi culpam: neutram enim nisi ut caput transfunderet. Quare sicut dignitas capitis annexa erat justitiæ originali ut permanenti in ipso Adamo, et ista pereunte, illa etiam periret, sic prædictus vigor. Accedit, quod non stat, Adamum communicare aliis justitiam originalem, et illam in se non habere, nemo enim dat, quod non habet: ergo neque

ablata ab eo tali justitia, retineret vigorem ad illam communicandam. Et quamvis de potentia absoluta potuisset Deus oppositum statuere; attento tamen communi cursu, ita res postulabant disponi, ut vigor ille annexus esset perfectioni per ipsum communicandæ: maxime vero in illo, qui tanquam caput in ea communicatione concurreret. Unde quia de divinis decretis, quandiu alia via oppositum non stat, non aliter philosophari debemus, quam ut renatur exigit, merito credimus Deum de facto, sicut declaravimus, sic statuuisse.

Neque obest illud, quod in ista evasione tangitur: videlicet si non peccante Adamo, filius ejus peccaret, etc. Tum quia verosimile est hujusmodi peccatorem non communicaturum suis filiis justitiam originalem, sed potius peccatum ob rationem, quam num. 153 trademus. Tum etiam quia esto communicaret justitiam, non id præstitisset tanquam caput, sed sub nuda ratione instrumenti Dei, et ipsius Adami: certum est autem majorem exigentiam perfectionis communicandæ adesse debere in capite, quam in puro instrumento.

Tandem ruit evasio secundæ confirmationis. Tum quia peccatum superveniens primo, inveniret naturam spoliatam justitia originali per peccatum capitis, adeoque tam pro Adamo, quam pro posteris. Tum etiam quia ipsum peccatum superveniens non esset capitale, jam quippe Adamus eam dignitatem amiserat; sed personale dumtaxat. Unde nequaquam haberet vim expellendi justitiam originalem ab aliis individuis; sed ipsi tantum personæ Adami noceret.

139. Nec refert si urgeas, quod vel Adamus in illo primo instante, in quo peccavit, conservabat rationem capitis, vel non? Si primum: ergo non amisit eam per tale peccatum; sed utrumque coexistit. Si secundum: ergo peccatum illud non fuit capitale, siquidem jam tunc Adamus non permanebat caput. Replica

Respondent aliqui, in illo instante distinguenda esse duo signa rationis cum prioritate; et posterioritate naturæ: in primo illorum concipitur peccatum solum *in fieri*, nondum habens suum effectum, qui est privare Adamum dignitate capitis: unde pro illo priori concipitur ut peccans, et nondum ea dignitate spoliatus. In secundo autem concipitur peccatum *in facto esse*, atque adeo ipse Adamus privatus prædicta dignitate. Hæc tamen solutio suas patitur difficultates: Solutio prima.



nam si peccatum in eodem instante reali, in quo est, habet secum privationem illius dignitatis, impossibile est, quod in illo instante pro quovis signo talis dignitas existat: alias coexisterent in eadem duratione forma et privatio. Porro ut Adamus tanquam caput delinqueret, necessarium videtur, quod in eodem instante in quo deliquit conservaret re ipsa dignitatem capitis: aliter enim non verificaretur delinquere ut caput, siquidem jam non erat caput cum delinqueret.

Vera solutio. Quare secundo respondetur Adamum pro illo instante conservare adhuc dignitatem capitis, quia hæc non habet impossibilitatem cum peccato ex natura rei, sed moraliter, et demeritorie, ab eo expellitur: quatenus eo ipso quod Adamus deliquit, prædictaque dignitate male usus fuit, illam demeruit: non est autem necesse pœnam simul esse cum peccato, unde optime potuit esse cum illo talis dignitas pro primo instante, et immediate post in ipsius peccati pœnam amitti.

## § II.

*Sententia opposita nostræ assertioni.*

Alens. Montes. 140. Oppositam sententiam tenuit Alensis 2, part. quæst. 2,2, memb. 3, art.3, tenetque Montesinos in præsentī art. 2, disp. 11, quæst. sua 7, Suarez de opere sex dierum lib. 6, cap. 13, num. 8 et alii, existimantes, ex vi præsentis legis nullum aliud peccatum potuisse ad nos ex Adamo derivari præter peccatum comedendi de ligno verito, etiam si hoc non fuisset primum, sed alia præcessissent: atque adeo causalitatem peccati originalis nequaquam fuisse illigatam peccato illi, quia primo, sed quia talis speciei scilicet gulæ. Fundamentum hujus sententiæ sumit Montesinos ex ratione decidendi D. Thomæ art. 2, hujus quæst. in hunc modum. Quia solum prædictum peccatum comedendi fuit in Adamo peccatum capitale; cætera vero, si aliqua commisisset, dumtaxat fuissent personalia: sed peccata personalia etiam primi parentis non traducuntur in posteros: ergo nisi peccato illo peccasset, quamvis committeret alia, nullum ad nos transiret.

Solutio. Occurres ex doctrina a nobis tradita, potius ex hoc fundamentum haberi oppositum istius sententiæ: quia quod peccatum comedendi fuerit de facto capitale, non habuit quatenus talis speciei, sed quia fuit

primum, nullumque aliud præcessit: atque ita si quod aliud præcessisset, ipsum proculdubio fuisset capitale, non autem peccatum comedendi, quod tunc non esset primum.

141. Verum contra hanc solutionem urget. Impugnatur. Tum quod difficile videtur, ut peccatum, quod si non esset primum, non esset capitale, neque haberet vim influendi in alia peccata, fiat capitale, accipiatque prædictam vim influendi eo dumtaxat quod sit primum: cum esse primum vel non esse primum non variet intrinsece tale peccatum. Tum etiam quia præsens Dei lex de conservatione vel amissione justitiæ originalis in Adamo, et ejus posteris omnino fuit alligata observationi, vel transgressioni illius præcepti non edendi de ligno vetito: ergo ex vi præsentis legis sola hujus præcepti transgressio poterat esse peccatum capitale, sive esset, sive non esset primum. Consequentia est satis nota, et antecedens probatur. Quia Deus de facto pro sola illius præcepti violatione minatus est mortem Adamo tam pro se, quam pro suis posteris, ut habetur Genes. 2: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*: mors autem non evenit nisi per amissionem justitiæ originalis: igitur ex vi præsentis legis hæc amissio et mors eam consequens omnino fuit alligata transgressioni illius præcepti. Genes. 2.

Confirmatur: quoniam Deus agens cum Adamo tanquam communi parente, et capite naturæ, nullum aliud præceptum ei intinavit præter illud Genes. 2: *De ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas*: ergo hoc dumtaxat præceptum fuit illi impositum tanquam capiti, atque adeo per ejus tantum violationem poterat in nos peccatum transfundere. Confirmatur secundo. Nam de divinis decretis omnino liberis non licet nobis aliter discurrere, nisi juxta quod in Scriptura revelatum est: hac quippe ratione asserimus Christum Dominum ex vi præsentis decreti venturum non fuisse, si Adamus non peccaret, quia hanc tantum habemus assignatam in Scriptura ut causam sui adventus: sed ex Scriptura non constat impositum fuisse Adamo aliud præceptum in ordine ad conservandam, vel amittendam pro tota natura justitiam originalem præter illud non comedendi de ligno vetito: igitur non debemus præsens Dei decretum ultra id extendere. Idem.

142. Hæc tamen non obstant, quominus Defenditur solutio assignata sit legitima, ut in probatione assertionis. Quare ad primam impu-

gnationem respondetur, satis esse mutationem peccati a primo in non primum, vel e converso, ut sit, vel non sit capitale, ac proinde ut habeat, vel non habeat vim influendi in aliorum peccata, non præcise ratione prioritatis, aut posterioritatis, sed ratione dignitatis capitis durantis in Adamo usque ad primum peccatum inclusive, et statim pereuntis. Nam ratione hujus dignitatis, quando duravit, voluntas Adami erat voluntas capitis, et habebat vim influendi in posteros; illa vero per primum peccatum amissa, mansit prædicta voluntas in ratione dumtaxat personalis, atque adeo impotens ad influendum in alios subsequencia peccata.

Ad secundum negatur antecedens, ut diximus num. 136. Ad probationem vero occurrit D. Thom. in 2, dist. 33, in expositione textus, ubi cum dixisset Adamum per quodcumque peccatum, dummodo esset primum, traducturum ad nos culpam originalem, subdit: *Quamvis quidam aliter dicant dicentes, si Adam alio modo peccasset, non incurrisset eam necessitatem moriendi: quia hæc pœna illi tantum culpæ videtur ordinata esse a Deo, cum dixit quacumque die comederis, etc.* Quæ est probatio prædicti antecedentis. Eam vero statim ita solvit: *Sed in hoc ostenditur, quod etiam si alia peccata commisisset, similem pœnam sustinuisset quasi a minori: gravius est enim, præceptum præterire naturalis legis, quo prohibetur illud, quod in se est malum, quam præterire præceptum disciplinæ, quo prohibetur, quod non est malum, nisi quia prohibitum, etc.*

143. Ex quo ad primam confirmationem dicendum est, ideo Deum specialiter intimasse Adamo præceptum illud non comedendi, quia cum esset mere positivum, non fuisset sine tali intimatione ab eo cognitum: sicut erant cætera præcepta naturalia, quæ ex ipso naturæ lumine erant Adamo per se nota: et ideo necesse non fuit expressius ea illi intimare. Ex hoc autem non convincitur, per violationem alicujus præcepti naturalis, si præcessisset, non amissurum Adamum originalem justitiam eodem modo, quo per violationem illius positivi amisit de facto. Imo oppositum deducitur: quia si minus grave præceptum intimavit Deus sub communis mortis pœna, a fortiori voluit pro intimatis haberi sub æquali pœna, vel majori præcepta graviora legis naturæ.

Ad secundam confirmationem responde-

rem, quando ex Scriptura oppositum non constat, recte a nobis investigari per id, quod natura rerum, et suavis providentia exigit: quippe huic exigentiæ accommodat Deus regulariter prædicta decreta. Unde licet in Scriptura non habeatur ita expresse, quod pactum Dei erga justitiam originalem concernebat alia præcepta legis naturalis; quia tamen hoc nullibi negatur, et ipsa rei natura, suavisque providentia sic exposcunt, merito asseveramus, prædictum pactum, et decretum Dei erga illud omnia præcepta comprehendisse. Neque est simile de decreto Incarnationis: quia ex Scriptura non solum constat fuisse in remedium peccati, sed etiam fuisse de facto causam adeo præcipuam, ut ea deficiente Incarnatio non fieret, ut suo loco ostenditur. Circa decretum vero conservationis, vel amissionis justitiæ originalis solum habemus comprehendisse præceptum illud non comedendi: quod autem hoc fuerit ejus materia adæquata, aliaque præcepta excluserit, minime est unde colligamus; immo oppositum innuitur non semel ab Scriptura, et tradunt non obscure Sancti Patres.

144. Nec refert si urgeas, quod Deus de facto sic decrevit erga amissionem justitiæ originalis, sicut accidit de facto: at de facto solum amisimus eam propter peccatum comedendi: ergo pro hoc dumtaxat erat tale decretum.

Respondetur enim, antecedens solum esse verum de decreto efficaci, prædeterminativo permissionis peccati, propter quod justitia originalis erat re ipsa a nobis auferenda: non autem de decreto directivo, seu sumpto pro lege, qua Deus sancivit non quidem permittere, vel non permittere hoc, aut illud Adami peccatum: sed quod si peccaret, ut erat caput nostrum, eo ipso pro se et pro nobis prædictam justitiam deperderet. Hujusmodi enim legem intelligimus in præsentī nomine *decreti*, ob idque potius nomine *legis*, vel *pacti*, quam nomine *decreti* ab initio dubii fere usque modo communiter usi fuimus. Et talem legem dicimus comprehendisse quodcumque peccatum, quod primo loco ab Adamo committeretur, et non tantum peccatum illud, quod de facto commisit. Potestque hoc explicari in decreto circa damnationem reprobi: certum est enim, reprobum de facto non damnari propter quævis peccata, sed propter illa dumtaxat, quæ commisit de facto, et de quibus non pœnituit, v. g. propter furtum, aut homicidium; atque adeo decretum Dei efficacax,

D.Thom.

Solvitur  
prima  
confirmatio.Solvitur  
secunda.

Replica.

Ener-  
vatur.

cax, et prædeterminativum circa talem damnationem solum peccatum furti aut homicidii comprehendit: et nihilominus decretum directivum, seu lex, qua de facto statuit peccatorem impœnitentem condemnari, omnia peccata mortalia comprehendit. Et ita ex vi hujus legis damnaretur ille impœnitens propter perjurium, et propter adulterium, et propter quodcumque aliud mortale, quod commisisset, sicut damnatur propter homicidium, vel furtum. Imo ex vi prædictæ legis non damnaretur propter hæc, si de facto ea non commisisset; damnaretur autem propter quæcumque alia, quæ non commisit de facto, si illa committeret. Ita ergo philosophandum est in casu nostro.

## DUBIUM VI.

*Qualiter expedienda sit triplex difficultas ex dictis emergens?*

Ex dictis in præcedenti dubio, et in reliquo disputationis tres insurgunt difficultates. Prima, an aliqua peccata proximorum parentum traducantur in posteros per originem: vel solum sit in omnibus unicum peccatum originale ex primo parente, et non ex alio contractum? Secunda, an si Adamus non peccaret; peccaret autem aliquis ejus filius, hujus filii in peccato nascerentur? Tertia, an si Adamus ante peccatum genuisset; post vero peccaret, filius antea genitus, vel saltem nepotes, et reliqui ex eo descendentes peccato Adami macularentur? Et quoniam prædictæ quæstiones leves sunt, breviter in hoc dubio omnibus occurremus.

## § I.

*Solutio prioris quæstionis.*

145. Ad primam ergo dicendum est, quod licet de potentia absoluta non repugnaret, peccata proximorum parentum derivari in posteros; de facto tamen fieri non potest, ut aliquod secundum rationem culpæ ab aliis genitoribus in filios præterquam ab Adamo descendat: atque adeo in singulis hominibus unicum dumtaxat posse esse peccatum originale, quod ex primo Adami delicto omnes contrahunt. Prima pars hujus assertionis inde manifeste probatur: quia nulla est implicatio in eo quod, sicut Deus constituit Adamum caput morale cunctorum, qui per seminalem propaga-

tionem ab eo processuri erant, omniumque voluntates in illum transfudit; ita de lege absoluta quemlibet ex proximis parentibus simili modo constitueret caput morale suorum posterorum per similem voluntatum transfusionem, ornaretque ipsum pro se, et pro illis justitia originali, aut fortasse alia perfectione, cujus privatio haberet rationem culpæ: hoc autem semel facto, aderat quicquid requiritur, ut homo ita constitutus, si semel delinqueret, transfunderet peccatum in suos successores, sicut transfudit Adamus in universos. Eodem enim modo haberet se ille homo ad alios, a se immediate, vel mediate genitos, sicut Adamus de facto habuit se ad omnes homines. In quo, quia res videtur perspicua, non immoramur.

Solum posset inquiri, an hæc doctrina sit vera ex hypothesi solum quod Adamus non peccaret; peccaret autem ille parens proximus: an vero etiam utroque peccante ita quod utriusque peccatum ad posteros transiret. Qua in re Montesinos in præsentibus disp. 11, numero 107, merito tuetur hoc posterius; et objectionem, quæ in oppositum potest efformari, ex eo quod in unoquoque ex illis posteris futurum esset duplex peccatum originale; cum tamen hæc peccata non videantur in eodem supposito multiplicari posse, solvit num. 108.

146. Secunda autem assertionis pars, videlicet nullius peccatum præterquam solius Adami de facto a parentibus in filios transfundi, recipitur unanimiter a Theologis, et a D. Thoma pro conclusione habetur art. 2 hujus quæst. et aliis locis. Imo in sacra Scriptura id aperte monstratur dum dicitur Roma. 5: *Unius delicto multi mortui sunt.* Et rursus: *Non sicut per unum peccatum, ita donum: nam iudicium quidem ex uno in condemnationem, etc.* Et inferius: *Sicut unius delicto mors regnavit per unum, etc.* Non ergo multorum peccata, sed unius tantum delictum scilicet Adami originaliter ad nos descendit.

Ratio vero ex dictis est perspicua: nam ut peccatum alicujus secundum rationem culpæ traducatur ad posteros, debet ille esse caput eorum morale: seclusa enim hac capituli ratione, non est intelligibile, quo pacto in parentibus delinquant, aut istorum peccata respectu illorum habeant rationem voluntarii, ut vidimus dub. 2, atqui solus Adamus constitutus est caput morale posterorum, neque est aliquod fundamentum, ut de facto id alteri præstitum fuisse dicamus:

Dubitatio incidens.

Secunda pars assertionis suadet.

Rom. 5.

Probatur prima pars assertionis.

ergo nullius alterius peccatum secundum rationem culpæ potest ad successores per originem, vel alia via transire.

Adde, peccatum quod a parentibus potest transire in posteros, debere esse peccatum naturæ, non vero personale: accidentia enim pure personalia communicabilia non sunt, ut probat D. Thom. art. 2 hujus quæst. Porro peccatum naturæ non potest esse aliud, nisi quod subtrahit sanctitatem, et justitiam toti naturæ communem, et pro omnibus concessam: constat autem in proximis parentibus nullam esse hujusmodi justitiam, quam peccatum auferat, sed fuit dumtaxat in Adamo, cui pro tota natura concessa fuit justitia originalis.

147. Dices cum aliquibus (quos supresso nomine refert Greg. Mart.) hoc esse verum in lege novi testamenti, quæ est lex gratiæ: non autem in veteri, in qua multoties dicitur Deus visitare peccata parentum in filiis usque ad tertiam, et quartam generationem: transibant ergo tunc peccata a parentibus in filios.

Sed contra est: quia ratio a nobis facta procedit eodem modo in utraque lege nova et veteri, cum neque nunc neque tunc Deus aliud caput morale præter Adam constituerit (non loquimur de Christo Domino, qui fuit caput in ordine ad gratiam) ergo neque tunc neque modo potest alicujus alterius peccatum secundum rationem culpæ in filios transfundi. Quo pacto vero Deus visitet peccata parentum in filiis, declarat ex Augustino D. Thom. in præsentī art. 2 ad 1, et latius infra quæst. 87, art. 8, per totum, nec non in 2, dist. 33, quæst. 1, art. 2. Nam præterquam quod filii nunquam puniuntur propter peccata parentum pœna spiritali, aut æterna, sed aliqua tantum pœna corporali et temporali: adhuc hujusmodi pœna non est proprie talis ratione ipsorum filiorum, qui non peccaverunt, sed dumtaxat ratione parentum: qui sicut in aliis bonis, possunt etiam puniri in filiis, quatenus isti sunt aliquid parentum: unde proprie loquendo, non ipsi filii puniuntur, neque afficiuntur pœna, quæ ratione eorum proprie pœna sit, sed eorum pœnalitatibus parentes puniuntur. Aliter etiam dicitur Deus visitare peccata parentum in filiis, nimirum propter imitationem: frequenter enim filii peccata parentum imitantur, et tunc propter peccata ab ipsis filiis patrum vestigia sequentibus commissa, eisdem suppliciis puniuntur. Videatur Ang. Doct. loco cit. ubi rem optime declarat.

148. Neque obest si objicias tum quod Deus pepigit pactum cum Aaron pro se, et pro sua posteritate ut doceret populum ceremonias, et offerret sacrificia juxta legem, ut habetur Ecclesiast. 45, et Malach. 2. Igitur ratione hujus pacti si Aaron non observaret illud, sicut revera non omnino observavit, traduceret hujusmodi peccatum ad filios, sicut traduxit Adamus. Tum etiam quod tempore legis naturæ filii mundabantur a peccato per fidem proximorum parentum: ergo per eorum peccata poterant maculari. Tum denique quia D. Cyprianus in epistola de lapsis affirmat, filios infidelium amittere gratiam, quam in baptismo susceperant propter perfidiam ipsorum, dum ab eis idolis offerebantur: sed gratia non amittitur sine peccato ejus, qui illam amittit: ergo illud peccatum perfidiæ transibat a parentibus in filios.

Respondetur enim ad primum, pactum illud cum Aaron, et si quæ alia in scriptura inveniuntur, non fuisse de conservanda vel amittenda interna sanctitate, sed de conservanda dumtaxat, vel amittenda aliqua dignitate temporali, cujus privatio vel amissio, neque est formaliter culpa, neque eam necessario supponit: at vero pactum, cui ininiti debet voluntatum transfusio, ut virtute ejus peccatum unius imputetur aliis, quorum voluntates in eum fuerant transfusæ, debet esse erga internam rectitudinem, et sanctitatem, cujus privatio eo ipso quod voluntarii rationem includat, est intrinsece mala et peccaminosa formaliter. Hujusmodi autem pactum nusquam Deus nisi cum Adamo sancivit.

Ad secundum respondet D. Thom. quæst. 4, de mal. art. 8 ad 12, his verbis: *Dicendum, quod a principio humani generis remedium contra originale peccatum adhiberi non potuit nisi per virtutem mediatoris Dei, et hominis Jesu Christi. Fides ergo antiquorum cum aliqua protestatione fidei valebat parvulis ad salutem, non prout erat quidam actus meritorius credentium: unde non requirebatur, quod esset actus fidei formatæ; sed ex parte rei creditæ, scilicet ipsius mediatoris. Sicut enim et sacramenta, quæ postea sunt instituta, valent, in quantum sunt quædam fidei protestationes: unde non sequitur, quod infidelitas parentum filiis noceret, nisi per accidens, sicut removens remedium peccati.*

149. Ad tertium respondetur, D. Cyprianum non voluisse, quod parvuli baptizati de facto amittant gratiam propter parentum infidelitatem; sed quod quantum est

Triplex objectio.

Diluitur prima.

Diluitur secunda.

D. Thom.

Diluitur tertia.

in

Effugium.

Præcluditur.

D. Thom.

in ipsis parentibus illam amitterent, quia faciunt quantum possunt, ut eam amittant : eo sensu quo Apostolus dixit, spiritum nolite extinguere, non quia ille extinguere potest; sed quia quantum in ipsis est, ita agunt ut extinguant, extinctores ejus merito dicuntur. Ita exponit Cyprianum D. Augustinus epist. 23 : *Isto sensu (inquit) recte intelligi potest, quod scripsit B. Cyprianus in epist. de lapsis : ac ne quid deesset ad criminis cumulum, infantes quoque parentum manibus impositi, vel attrectati amiserunt parvuli, quod in primo statim nativitatibus exordio fuerant consequuti. Amiserunt dixit quantum attinuit ad illorum scelus, a quibus amittere coacti sunt. Amiserunt in eorum mente, ac voluntate, qui in illos tantum facinus commiserunt, etc.*

D. Aug.

## § II.

*Expeditur secunda difficultas.*

150. Secunda difficultas postulat, quid tenendum sit in illa conditionali : an nimirum si Adamo in originali justitia permanente, aliquis filius ejus peccaret, istius filii nascerentur cum prædicta justitia, vel potius peccato infecti? Neque excitando hanc quæstionem supponimus peccatorum de facto aliquem ex successoribus Adami, ipso non peccante. Quippe hoc certo sciri non potest : nam D. Gregorius lib. 4 moral. cap. 28, alias 36, oppositum insinuat dicens, quod *si primum parentem nulla putredo peccati corrumperet, nequaquam ex se filios gehennæ generaret : sed ii, qui nunc per redemptorem salvandi sunt, soli ab illo electi nascerentur.* Cui testimonio assentitur D. Thom. quodlib. 5, art. 5, et l. p. quæst. 100, art. 2 ad 1, ubi aliquo modo innuit, quod ex speciali divinæ providentiæ beneficio homines in eo statu a peccato immunes conservarentur. Diximus *aliquo modo innuit* : quia licet Montesinos in præsentibus disp. 11, num. 105, affirmet hanc esse doctrinam D. Thomæ in illo art. 2, revera tamen solum innuit, adeoque leviter, ut si in contrarium esset aliquod ejus testimonium, istud ex prima parte nulla indigeret explicatione. Verum quicquid de hoc sit, unum certum habemus, quod Aug. Doctor ibi et alibi non semel demonstrat : videlicet homines in illo statu non nascituros confirmatos in gratia, atque adeo posse absolute peccare : et hoc sufficit ut admittamus hypothesim, nempe quod Adamo non peccante, peccaret

D. Greg.

Unde  
difficultati  
locus.

aliquis ejus filius : et examinemus, an istius filii cum peccato nascerentur?

Pars enim affirmativa videtur fuisse D. Thomæ quæst. 5 de mal. art. 4 ad 8 ubi ait : *Si ergo aliquis ex posteris Adam peccasset, eo non peccante, moreretur quidem propter suum peccatum actuale, sicut Adam mortuus fuit ; sed posterius ejus morerentur propter peccatum originale.* Quem modum dicendi fuisse illustrium Theologorum sententiam ait Medina in præsentibus artic. 2. Docuit illam Scotus in 2, dist. 32, quæst. 1, § ad argumenta tertiæ quæst. Driedo de capt. et redempt. gener. human. tract. 2, cap. 2, part. 4. Palat. in 2, dist. 29, quæst. unica. Et dist. 31, quæst. unica, et Conradus in præsentibus articulo. Ratio vero esse potest. Tum quod ille filius Adami, cum esset per suum peccatum justitia originali destitutus, non posset generare filios cum tali justitia : nemo quippe dat quod non habet : ergo generaret illos justitia privatos, atque adeo cum originali culpa. Tum etiam quia eo ipso quod ille generans amisisset per suum peccatum prædictam justitiam, debuisset etiam amittere vigorem ad eam communicandam, de quo dub. 3 a num. 69 diximus. Quoniam talis vigor quasi dimanabat ab ipsa justitia, et erat illi annexus : amisso autem prædicto vigore, nihil erat, per quod talis generans prædictam justitiam communicaret : ederet ergo prolem ea privatam, ac proinde originali culpa infectam.

151. Aliunde autem doctrina hæc videtur repugnare hucusque stabilitis. Dictum est enim nullum ex filiis, vel posteris Adami fuisse constitutum caput morale cæterorum, sed tantum ipse Adamus : ergo hujus dumtaxat peccatum, et nullius alterius poterat ad successores transire : alias vana esset ratio, qua nuper ostendimus, peccata parentum proximorum non posse filiis communicari. Confirmatur : nam vel ille filius Adami peccator communicaret peccatum suis filiis virtute propria, et ut causa principalis ; vel virtute Adami, et tanquam ejus instrumentum? Hoc secundum dici nequit : quia si Adamus non peccaret, neque esset causa principalis talis peccati, neque alicui daret virtutem ad illud transfundendum ; cum nihil horum præstet nisi ratione sui peccati. Neque etiam dici potest primum : quia virtute propria, et ut causa principalis ille solus, qui est caput morale cæterorum, potest in eos peccatum transfundere, ut sæpe diximus. Et ita cen-

Pars  
affirma-  
tiva quibus  
fulciatur  
D. Thom.  
Medina.  
Sotus.  
Dried.  
Palat.  
onrad.Verior  
pars ne-  
gativa.

sent jam communiter recentiores Medina, Curiel, Alvarez, Montesinos, Martinez, etc. alii super hanc quæstionem. Et ita est absolute asserendum. Neque esset inconveniens in prædicto casu, ut in illo qui amisisset justitiam originalem, remaneret vigor ad illam traducendam; non quidem in virtute propria, sed in virtute alterius. Sicut modo homo baptizatus, qui non habet jam originale peccatum, conservat nihilominus vim ad transfundendum illud in virtute Adami. Connexio enim illius vigoris cum originali justitia ex parte subjecti, potius erat ex divina ordinatione, quam ex natura rei, aut per modum proprietatis cum essentia: et ita facile posset in ea connexionione dispensari.

Doctrina pro veritatis declaratione et D. Thom. intelligentia. Sed ut explicemus mentem D. Thomæ in illo loco, qui in contrarium adducitur, ex quæst. 5 de mal. animadvertendum est, in casu illius hypothesis *si Adamo non peccante filius ejus peccaret*, etc. posse nos loqui dupliciter: vel ex vi decreti absoluti, quod scimus Deum habuisse de facto, cum decrevit peccatum Adami permittere: vel ex vi alterius, quod probabiliter credere possumus habiturum in casu illo, scilicet si decrevisset non permittere lapsum Adami, permittere autem lapsum alicujus filii. Certum est enim, quod in illo casu attenda suavi providentia, plures res postularent aliter disponi, quam de facto peccante Adamo, rebusque ut nunc adeo stabilitis, dispositæ sunt: et alia essent quam multa Dei decreta absoluta, atque fuerunt de facto: sicut alia essent multa decreta absoluta, quæ Deus haberet, si status justitiæ originalis esset permansurus, ab his, quæ de facto habuit pro præsentis statu.

152. Loquendo ergo ex vi præsentis decreti absoluti de constituendo hominibus caput morale, omnino tenendum est, quod nuper diximus cum recentioribus: hoc enim probat efficaciter ratio, et confirmatio pro ea parte facta: inferturque manifeste ex doctrina totius nostræ disputationis, quæ est D. Thomæ art. 2 hujus quæst. et aliis quampluribus in locis. Etenim juxta præsens decretum absolutum nullus ex filiis Adami, vel nepotibus, sed ipse dumtaxat constitutus est caput morale posterorum, nullusque alius accepturus esset justitiam originalem, vel aliud donum sanctificans pro suis successoribus: ergo ex vi talis decreti qualitercumque res fluerent; atque adeo sive Adamus peccaret, sive non, nullius alius alterius peccatum poterat in posteros traduci.

Cæterum ex vi alterius decreti, quod Deus de facto ut absolutum non habuit; at probabiliter credimus in casu hypothesis habiturum erga constitutionem capitis morales, recte possumus opinari, filium Adami peccatorem geniturum filios cum peccato. Nam satis verisimile est, quod, decernente Deo non permittere peccatum in Adamo, et permittere in ejus filio, consequenter decerneret constituere talem filium, quem sciebat peccaturum, caput morale suorum descendendum; qua constitutione semel facta, sine dubio peccatum illius in istos descenderet. Et juxta hæc intelligendus est D. Thomas in illo testimonio ex quæst. 5 de mal. Unde non est necesse recurrere ad retractationem: loquitur enim ex vi alterius decreti, quod probabiliter autumat, Deum in hypothesi prædicta habiturum; non autem juxta absolutum, quod habuit de facto. Quod si hæc intelligentia et conjectura non placeat (neque enim illam approbamus, vel reprobamus, sed Lectoris judicii exponimus) dicendum erit, vel in prædicto testimonio ex quæst. de Mal. redundare, aut mendose legi illa verba: *Sed posteri ejus morerentur propter peccatum originale*. Vel retractata esse a D. Thom. in præsentis art. 2, quatenus nullum aliud peccatum admittit futurum esse originale, et transmittendum in posteros, nisi illud quod Adamus primo commisit.

153. Neque ita loqui de divinis decretis omnino est divinare; sed prudenter conjicere, quod verosimilius esset futurum, attentis omnibus, quæ in statu illius hypothesis suavis providentia, et rerum cursus, cui regulariter Deus sua decreta accommodat, postularet. Hoc namque esset, ut sanctitas, et justitia originalis solum per justos et sanctos traduceretur; non vero per peccatorem, et justitia ipsa privatum: atque adeo quod res ita disponderentur, ut in homine, qui primo esset peccaturus, et prædictam justitiam amissurus, concurrerent omnia requisita, ut non pro se tantum, sed pro omnibus a se futuris eam deperderet: quod, nisi esset caput morale, fieri non valebat.

Accedit, quod vigor ille, per quem propaganda erat justitia originalis, habebat ex natura rei nexum cum illa, et licet talem nexum posset Deus supplere, unumque ab alio separare, sicut separaretur de facto in casu hypothesis, si Deus solum ex vi præsentis decreti operaretur; non tamen id esset juxta suavem providentiam, juxta quam talis vigor omnino esset justitiæ co-

mes, nec posset sine ea conservari. Igitur intenta hac providentia, eo ipso quod Deus decrevisset permittere primum peccatum in aliquo ex filiis Adami, et non in ipso Adamo, decerneret etiam, ut ille esset caput morale suorum posterorum: hacque ratione ubi amitteret per peccatum pro se, et pro illis justitiam originalem, consequenter amitteret vigorem ad eam communicandam. Quo contra se haberet ex vi præsentis decreti, ex vi cujus nullus præter Adamum, quantumcumque peccaret, amitteret illam, nisi pro se tantum, conservato semper vigore ad eam propagandam. Ex quo patet, rationem pro prima parte difficultatis factam solum convincere probabiliter futuritionem illius decreti in casu hypothesis, non autem quod de facto detur: aut quod ex vi decreti absoluti existentis de facto peccatum alicujus parentis, nisi solius Adami ad posteros transiret.

## § III.

*Ultima difficultas absolvitur.*

154. Est tertia difficultas, quam proposuimus, si Adamus ante suum peccatum genuisset filium, post vero delinqueret, et deinde filius alios nepotes Adami generasset, nunquid ille filius, vel saltem qui ab eo gignerentur, contraherent originale peccatum? Et loquimur ex vi præsentis decreti, juxta quod solus Adamus rationem capituli obtinuit. In hac difficultate quod attinet ad illos sive filios, sive nepotes, qui ante peccatum nascerentur, aut saltem ante illud complete in utero animarentur, vera, et fere communis sententia docet non contracturos originalem culpam per peccatum Adami postea sequutum neque amissuros per illud justitiam originalem, quam jam accepissent. Ita Curiel in præsentibus art. 5, *Medin. dub. 2*, Alvar. disp. 176, Montes. art. 4, quæst. sua 9, Greg. Mart. art. 5, dub. 2, et plures alii contra Catharin. lib. de casu hominis, cui oppositum placuit, et etiam Salmeroni super ad Rom. 5, disp. 49, art. 10. Sed communis sententia est D. Augustini epist. 23, cujus verba statim referemus. Ratio vero est: quia peccatum originale non communicatur nisi per originem, et generationem, quatenus communicatur natura peccato infecta. Cum ergo generatio illorum, de quibus nunc agimus omnino peccatum Adami præcesserit, nullatenus hoc potuit neque per eam, neque alia via ad ipsos traduci.

Et confirmatur, nam illi dumtaxat poterant peccatum ab Adamo contrahere, qui in ipso Adamo peccaverunt, atque adeo qui in illo erant contenti, quando primo peccavit; sed filii, aut nepotes jam nati non erant tunc in illo, sed omnino extra, et separari: ergo, etc. Confirmatur secundo verbis D. Augustini loco cit. ubi sic ait: *D. Aug. Jam itaque cum homo in se ipso est ab eo, qui genuit, alter effectus, peccato alterius sine sua consensione non tenetur obnoxius: traxit ergo reatum, quia unus erat cum illo, et in illo, a quo traxit, quando quod traxit admixtum est. Non autem trahit alter ab altero: quando sua uno quoque propria vita vivente, jam est unde dicatur; anima quæ peccaverit, ipsa morietur, etc.* Et infra circa medium epistolæ: *Cæterum cum infans non redeat in parentem, ut cum illo, et in illo unus homo sit; sed omnino alter sit habens carnem suam, et animam suam, anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.*

155. Nec refert si objicias, quod in humanis si Rex det alicui jus nobilitatis pro se, et pro suis posteris, et iste propter crimen aliquod amittat tale jus, etiam filii ejus jam nati illud deperdent: ergo eo ipso quod Adamus peccando amitteret justitiam originalem, pro se, et pro posteris illi concessam, deperderent illam omnes ejus filii, etiam qui ante peccatum nati essent.

Respondetur enim ex Curiel (quicquid solvitur. sit de veritate antecedentis, quod non discutimus, sed gratis admittimus) quod in eo casu jus nobilitatis patri concessum perficit filios in ordine ad exteriorem rempublicam; in qua, ipsi sunt aliquid patris, et ideo habent illud jus dependenter a patre, etiam postquam sunt in se ipsis. Unde non mirum, quod delinquente parte illud amittant. At vero in ordine ad dona supernaturalia, et spiritualia filius jam natus non est aliquid patris, nisi quantum ad externam gubernationem: atque adeo neque peccatum subsequens patris potest jam illi in spiritualibus obesse, neque ipse propter tale peccatum sanctitatem, et justitiam jam acceptam amittere.

Diximus in resolvenda difficultate quod attinet ad illos, qui ante peccatum nascerentur, aut saltem in utero animarentur, etc. Tum ut excludamus timorem Gabrielis Vasq. qui disp. 133, cap. 3, non est ausus pro parvulis ante peccatum conceptis, sed non natis, imo neque pro jam natis, sed non adultis id, quod diximus, asserere. Verum ratio, et confirmationes factæ de

omnibus convincunt. Tum etiam quia si poneremus hypothesim, quod Adamus ante peccatum habuisset cum Eva congressum, post vero ante fœtus animationem peccaret, res est satis dubia, an puer, qui inde nasceretur in ipsa animatione peccatum contraheret? Affirmativa enim pars suaderi potest: nam in eo casu quando puer acciperet naturam humanam, et per ejus formam animaretur, jam ipsa natura per peccatum destituta esset justitia originali: igitur acciperet illam sic destitutam, atque adeo peccato originali infectam. Deinde generatio, quæ esset ab Adamo peccatore, non posset non traducere peccatum: sed illa esset hujusmodi: nam completa generatio non est ante instans animationis, et tunc jam Adamus peccaverat. Præterea puer sic genitus ubi primum fieret membrum Adæ, invenisset eum peccatorem: ergo fieret membrum illius ut peccatoris: sed omnia membra Adæ ut peccatoris contrahunt peccatum: ergo, etc. Ande hanc partem tuentur Curiel, et Greg. Mart. ubi supra, et est valde probabilis.

Dubita-  
tio inci-  
dens.

Curiel.  
Greg.  
Mart.

Probabi-  
lior pars  
negans.  
Medina.  
Alvar.  
Montes.

156. Sed adhuc probabilior videtur nobis opposita negans in eo casu peccati contractionem. Quam sequuntur Medina (immerito ab aliquibus pro contraria citatus) Alvarez, Montes. et quidam alii ex gravioribus Thomistis. Neque hanc partem muniunt contemnendæ rationes. Nam puer, cujus generatio inciperet ante peccatum Adami, etiam si post illud animaretur, non fuisset de numero illorum, qui peccavissent in Adamo, quando ipse peccavit: igitur non contraheret originalem culpam, consequentia est perspicua: antecedens vero ex eo constat: quoniam ii solum peccaverunt in Adamo, qui continebantur in illo, et in ejus virtute seminali, quando actu peccavit: at puer, de quo loquimur, non jam tunc continebatur in Adamo, sed erat extra illum, et ab eo separatus, sicut semen, ratione cujus erat talis continentia: non ergo fuisset de numero illorum, qui peccaverunt in Adamo.

Confirmatur: nam semen deserviens illi generationi fuit decisum ab Adamo prædito sanctitate, et justitia originali: atque adeo pro tunc quando decisum fuit, nullam potuit accipere infectionem ad maculandam prolem nascituram; imo accipere debuit vigorem, quo tunc Adamus pollebat ad prædictam justitiam communicandam: sed per sequens peccatum prædictum semen neque amisit hujusmodi vigorem, neque in-

fectionem illam accepit: ergo, etc. Minor probatur. Nam postquam semen illud decisum fuit ab Adamo, non amplius influxum ejus recepit, neque causalitatem aliquam terminavit: igitur nulla fuit actio, per quam vel accepto vigore privaretur, vel aliqua macula inficeretur.

157. Et quoniam rationes istæ judicio nostro magis urgent, quam adductæ in contrarium, ad primam ex illis respondetur, non esse ad præsens curandum, quo tempore animetur puer; sed quo tempore ab Adamo medio semine egrediatur: quippe hic egressus est unica via, et ratio, per quam peccatum, aut justitia poterat ad puerum in sua animatione descendere. Si ergo tempore prædicti egressus Adamus habebat naturam cum justitia, et sine peccato, non potuit non eam sic affectam per talem egressum communicare, neque sequens peccatum illam sic communicatam valuit jam attingere.

Ad pri-  
mam ra-  
tionem.

Ad secundam concessa majori in sensu formali, neganda est minor. Quoniam illa generatio non aliter fuisset ab Adamo, quam ipse se habebat, quando dedit semini virtutem pro illa conficienda: cumque tunc esset justus, non est dicendum, quod prædicta generatio esset ab illo ut peccatore. Nec refert, quod ante ejus complementum Adamus peccasset: quia talis generatio ut completa non dicit ordinem ad illum, nisi mediante se ipsa ut incepta, seu mediante decisione seminis, unde incepta. Quare si generationis inceptio, et prædicta decisio non fuit in Adamo peccatore, sed potius justo; etiam complementum talis generationis, et prolis animatio respiceret illum ut justum, et non ut peccatorem.

Ad se-  
cundam.

Ex quo ad tertiam dicas puerum illum, quando animatur, ea ratione fieri membrum Adami, secundum quam fuit in illo contentus, et Adamus fuit ejus principium: cum autem hoc totum actum sit, justitia et sanctitate durante, non est dicendum fieri membrum illius ut peccatoris, sed potius ut justum. Ex quo etiam fit puerum sic nascentem (quod a fortiori dicendum est de quovis alio, cujus completa generatio peccatum præcessisset) non modo non participare ex Adamo peccatum originale; sed participare originalem justitiam: cum enim hæc fuisset Adamo concessa pro se, et pro tota natura, permaneretque in illo quando generationem inchoavit: debuit per talem generationem cum natura traduci. Neque obest, quod cum puer animaretur, jam Adamus

Ad ter-  
tiam.



mus non haberet talem justitiam : quia non est necesse, ut causa principalis contineat perfectionem communicandam effectui, quando iste producit : sicut non est necesse, quod talis causa jam tunc in rerum natura existat; sed sufficit, quod extiterit, et continuerit talem perfectionem, quando dedit instrumento virtutem ad illam producendam. Unde in præsentiarum sufficit, quod Adamus (esto se haberet ut causa principalis) habuerit justitiam originalem eo tempore, quo dedit semen deserviens prædictæ generationi ; quia cum illo dedit sufficientem virtutem, ipsumque semen per modum instrumenti elevavit ad talem justitiam suo tempore producendam, omnino independentem a futuritione, vel non futuritione sequentis peccati. Diximus *esto se haberet ut causa principalis*: nam quo pacto Adamus ad traductionem justitiæ originalis concurreret, explicuimus num. 76.

158. Veniamus ad nepotes Adami, quod ille filius ante peccatum, et sine peccato genitus post Adami peccatum generaret. De quibus non pauci existimant illud contracturos : ea solum ratione quia quando in rerum natura ponerentur, fierentque membra Adami, invenirent jam illum peccatorem, atque adeo pro se, et pro tota natura justitia originali spoliatum : et ita nequirent talem justitiam ab eo hæreditare. Sic Medina, Curiel, Martinez, et alii etiam ex his, qui in casu proxime præcedenti peccati contractionem negant.

Sed nobis in bona consequentia contrarium magis videtur asserendum. Quoniam nepotes isti non continebantur jam in Adamo, quando peccavit : tandiu enim et non amplius in eo contenti sunt, quandiu eorum proximus parens, quem jam tunc constat non contineri : semel autem egresso et separato proximo parente a primo, extinctaque ejus continentia, consequenter eodem egressu, eademque separatione sejuncti sunt prædicti nepotes, eorumque continentia quantum ad Adamum fuit omnino abolita, translataque in ipsum proximum parentem. Non ergo potuerunt in Adamo, vel cum Adamo peccare, qui jam in illo non erant, quando ipse peccavit. Adde, quod Adamus nulla alia via poterat communicare peccatum suum nepotibus, nisi media generatione, qua communicaret illud simul cum natura proximo parenti : quatenus ex vi talis generationis ipse proximus parens non solum acciperet prædictum peccatum pro se, sed etiam virtutem ad illud posteris

communicandum. Cum ergo in casu hypothesis non potuerit Adamus per illam primam generationem communicare talem virtutem ; quoniam nondum ipse illam in se habebat, quousque peccavit, consequens est, ut neque hac, neque alia via potuerit peccatum ad nepotes illos transmittere.

159. Neque adversus resolutionem istam alicujus momenti rationes poterunt efformari, nisi quæ contra præcedentem propositæ sunt, et solutæ num. 157. Unde non obest quod dicitur, nepotes illos invenire Adamum peccatorem, et privatum justitia originali, quando fiunt actu ejus membra, Quia non respiciunt Adamum, neque uniuntur illi, aut fiunt ejus membra, prout invenitur tunc, sed prout erat, quando media generatione proximi parentis prædictos nepotes ex suis lumbis emisit : sicut de filio genito inchoative num. 156 dictum est : tunc autem Adamus non erat peccator, sed præditus justitia originali.

Neque verum est, Adamum per illud peccatum amissurum prædictam justitiam pro tota natura, et pro quibusvis suis posteris : quia solum amitteret pro illis, qui adhuc in eo continebantur ; pro aliis vero, qui vel immediate, vel media proximi parentis generatione egressi, et separati jam ab illo erant, nequaquam eam deperderet. Unde in iis jam ab Adamo separatis tam pro se, quam pro posteris ab eisdem gignendis conservaretur prædicta justitia, et vigor ad illam communicandam. Quod si Adamus post peccatum alios filios generaret, essent tunc duæ propagines humanæ naturæ : alia descendendum ab eo ut justo et sancto, hæreditantiumque in perpetuum originalem justitiam : alia vero descendendum ab illo ut peccatore, et peccatum continuo trahentium. An vero esset pro omnibus constituenda una respublica ; vel essent in diversas separandi : et an alii in Paradiso ; alii extra Paradisum degerent, aliaque ad regionem utriusque illius propaginis pertinentia divina providentia decerneret. Neque in his quæstionibus omnino conditionalibus, quas Scriptura noluit nos edocere, majus examen hic permittitur, utpote de rebus, quæ neque fuerunt, neque sunt, neque erunt, neque aliter quam per rimas, et conjecturas possunt indigari : ob idque facillime unusquisque pro suo captu, et arbitrio sic, vel aliter discurreret. Aliud dubium non leve occurrebat hic pertractandum : nimirum cujus speciei fuerit peccatum actuale Adami, ex quo nostrum pro-

cessit? Sed quia hæc difficultas potius ad *quid est peccati originalis, quam ad an est* spectat, illam disputationi 16 reservamus.

### ARTICULUS III.

*Utrum peccatum primi parentis transeat per originem in omnes homines?*

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod peccatum primi parentis non transeat per originem in omnes homines: mors enim est pœna consequens originale peccatum; sed non omnes, qui procedunt seminaliter ex Adam, moriuntur: illi enim, qui vivi reperientur in adventum Domini, nunquam moriuntur, ut videtur per hoc, quod dicitur 1 Thesal. 4. Nos qui vivimus, non præveniemus in Adventu Domini eos, qui dormierunt: ergo illi non contrahunt originale peccatum.

2. Præterea: nullus dat alteri, quod ipse non habet: sed homo baptizatus non habet peccatum originale: ergo non traducit ipsum in prolem.

3. Præterea: donum Christi est majus, quam peccatum Adæ, ut Apostolus dicit Roman. 5; sed donum Christi non transit in omnes homines: ergo nec peccatum Adæ.

Sed contra est quod Apostolus dicit Roman. 5. Mors in omnes pertransit, in quo omnes peccaverunt.

Respondeo dicendum, quod secundum Fidem Catholicam firmiter est tenendum, quod omnes homines præter solum Christum ex Adam derivati peccatum originale ex Adam contrahunt, alioquin non omnes indigerent redemptione, quæ est per Christum, quod est erroneum. Ratio autem sumi potest ex hoc, quod supra dictum est, scilicet quod sic ex peccato primi parentis traducitur culpa originalis in posteros, sicut a voluntate anime per motionem membrorum traducitur peccatum actuale ad membra corporis: manifestum est autem, quod peccatum actuale traduci potest ad omnia membra, quæ nata sunt moveri a voluntate. Unde et culpa originalis traducitur ad omnes illos, qui moventur ab Adam motione generationis.

Ad primum ergo dicendum, quod probabilius, et convenientius tenetur, quod omnes illi, qui in adventu Domini reperientur, moriuntur, et post modicum resurgent, ut in tertio plenius dicitur. Si tamen hoc verum sit, quod alii dicunt, quod illi nunquam moriuntur (sicut Hieronymus narrat diversorum opiniones in quadam Epistola ad Minerium de resurrectione carnis) dicendum est ad argumentum, quod illi etsi non moriantur, est tamen in eis reatus mortis: sed pœna auferitur a Deo, qui etiam peccatorum actualium pœnas condonare potest.

Ad secundum dicendum, quod peccatum originale per Baptismum auferitur reatu, in quantum anima recuperat gratiam quantum ad mentem; remanet tamen peccatum originale actu quantum ad fomitem, qui est inordinatio partium inferiorum anime, et ipsius corporis, secundum quod homo generat, et non secundum mentem: et ideo baptizati traducunt peccatum originale: non enim parentes generant in quantum sunt renovati per Baptismum, sed in quantum retinent adhuc aliquid de vetustate primi peccati.

Ad tertium dicendum, quod sicut peccatum Adæ traducitur in omnes, qui ab Adam corporaliter generantur: ita gratia Christi traducitur in omnes, qui ab eo spiritualiter generantur per Fidem, et Baptismum, et non solum ad removendam culpam primi parentis, sed etiam ad removendam peccata actualia, et ad introducendum in gloriam.

Conclusio: *Secundum Fidem Catholicam est tenendum, quod omnes homines præter solum Christum ex Adam derivati peccatum originale contrahunt.*

### Commentarius.

1. Circa hanc conclusionem dubitant communiter interpretes, quo sensu accipi debeat ut sit de Fide: an scilicet de actuali

peccati originalis contractionem; an vero de contractionem ejus quantum ad debitum? Multique impugnant Cajetanum in isto articulo hoc posterius statuentem. Ait enim hujusmodi propositionem *omnes ab Adam seminaliter descendentes contrahunt originale peccatum* eodem modo intelligendam esse, sicut intelligitur illa Apostoli Roman. 5, *in omnes homines mors pertransit*. Porro autem mortem de facto omnes homines subituros non est de Fide: sed solum de Fide est, quod omnes debitum moriendi per peccatum Adami incurrerint. Sequunturque Cajetanum Bellarminus lib. 4 de amissione gratiæ cap. 14, Zumel in præsentis disp. unica conclus. 3, Salas disp. 11, sect. 2, quæst. 11. Unde ex mente horum authorum non esset de hæresi damnandus, qui de aliquo Sancto particulari, de quo Scriptura in particulari non dicit fuisse in originali conceptum (sicut dicitur de David Psalm. 50,) assereret idem, quod de Beatissima Virgine Deipara pie credimus, videlicet non contraxisse de facto originalem culpam; sed speciali Dei privilegio fuisse præservatam: quia per hoc non contradiceret immediate alicui testimonio Sacræ Scripturæ, aut Conciliorum diffinitioni, ubi determinate affirmetur, illum particularem hominem contraxisse actualiter prædictam culpam. Esset tamen, qui id (præterquam de Beata Virgine) assereret, temerarius, errori proximus, et de hæresi negante originale peccatum suspectus: quia sine fundamento ab universalis Scripturæ propositione exceptionem faceret.

2. Cæterum Ferrara 4, contra gent. cap. 50, Curiel in præsentis, Montesinos disp. 11, quæstione 8, Valentia disp. 6, quæst. 11, punct. 2 et plures alii Cajetani sententiam acriter rejiciunt: præsertim post Concilii Trid. decretum sess. 5, can. 2, ubi diffinitur, peccatum Adami non modo quoad pœnas, uti est mors corporis, sed etiam quoad culpam in omne genus humanum transfusum fuisse; et can. 3, quod prædictum peccatum non imitatione, sed propagatione transfusum omnibus inest unicuique proprium, etc. Et loquitur Concilium non solum de debito, sed etiam de actuali contractionem. Proptereaque in fine illius decreti ait, non fuisse suæ intentionis comprehendere in illo Beatam et Immaculatam Virginem Mariam, etc. sed observandas esse quantum ad hoc constitutiones Sixti IV, sub pœnis in eis statutis quas innovat. Quam declarationem et limitationem

AC  
Rom  
Caje  
Bella  
Zum  
Sal

Fer  
Cur  
Mol  
Val  
C  
T

tationem proculdubio non adhibuisset, si de sola contractione quoad debitum loqueretur, ut constabit ex dicendis dip. sequenti.

3. Verum etsi ita sentiendum sit de prædicta propositione, re ipsa et absolute loquendo (cum exclusione tamen seu non comprehensione Beatiss. Virginis Mariæ) si tamen loquamur de illa prout hic a D. Thoma prolata fuit, placet Cajetani expositio : videlicet conclusionem hujus articuli intelligendam esse de peccato originali solum quoad debitum. Tum quia exceptio præter solum Christum, quam adhibet Ang. Doctor, ita firmat regulam in contrarium, ut non videatur alicujus alterius exceptionem admittere : cum tamensi sermo esset de contractione actuali, necessario deberet excipi Virgo Deipara. Quicquid enim sit an D. Thomas senserit Beatam Virginem fuisse in originali conceptam, de quo infra: at quod hoc esset de fide, nunquam sensit : nec proinde in sua conclusione, si de actuali contractione loqueretur, illam comprehendisset. Tum etiam quia in argumento *Sed contra* utitur D. Thomas prædicto testimonio Pauli, *In quo omnes peccaverunt* : unde non immerito exponitur ejus conclusio, sicut sonat hoc testimonium, de hominibus prout peccaverunt in Adamo : in quo certum est non contraxisse peccatum originale in se ipsis, sed debitum dumtaxat ad illud incurrendum. Tum præterea, nam in corp. art. probat conclusionem ab inconvenienti : quia si aliquis præter Christum exemptus fuisset a peccato originali, non indigeret ejus redemptione. Hæc autem ratio solum probat efficaciter debitum : quia hoc sufficit et requiritur ad indigentiam redemptionis, ut patet in Beata Virgine : ergo, etc. Denique in solut. ad 1, valde favet huic expositioni, concedens solum esse de fide quod omnes reatum mortis incurrerint, non autem quod omnes morientur : quia illud dumtaxat sufficiebat ad intentum suæ conclusionis : in quo satis innuit, ipsam conclusionem intelligendam similiter esse de contractione peccati quoad debitum, et non amplius. Neque ex hoc inferre licebit sensisse D. Thomam non esse de fide, omnes (præter Christum et Deiparam) contrahere de facto originalem culpam ; sed quod nolens hoc disputare, elegit alium sensum, qui certius de fide habebatur.

Posset etiam recte exponi D. Thomas de contractione peccati originalis radicali seu inchoativa vel causali, quæ consistit in prava quadam dispositione residente in carne : ex

qua, nisi divina virtute et gratia impediatur, resultat in anima originalis culpa a qua quidem radicali contractione non est necesse B. Virginem excipere etiam in conclusione de fide, dummodo excipiatur a contractione formali. Prædicta tamen radicalis contractio non omnino distinguitur a contractione in debito, sed in ipso debito includitur : et ita utraque expositio fere coincidit : ut constabit disp. seq. dub. 1 et 6.

4. Circa eandem conclusionem nota, Christum Dominum duplici titulo, quovis in solidum sufficienti, immunem fuisse ab originali culpa. Primo, quia non descendit ab Adamo per propagationem seminalem, sed ex purissimo Beatissimæ Virginis sanguine formata fuit ejus humanitas virtute Spiritus sancti : contractio autem peccati iis tantum competebat, qui seminaliter ab Adamo descenderent : quia pro his dumtaxat inivit Deus cum illo pactum de propaganda vel amittenda justitia originali, ut dicitur in art. sequenti. Quod recte observavit D. Anselmus lib. de conceptu Virg. cap. 13, ubi sic ait : *Nimis absurdum intelligitur, ut per illud semen, quod non creata natura, nec voluntas creaturæ producit aut seminat, sed solius Dei voluntas propria ad procreandum hominem nova virtute mundum a peccato de Virgine segregat, alieni peccati seu debiti necessitas ulla pertranseat : etiam si non sumatur in persona Dei, sed ut purus homo fiat.* Secundo quia in eodem instante, in quo formata fuit illa humanitas, fuit suppositaliter unita Verbo divino, ac proinde ab eo plenissime sanctificata. Unde impossibile erat, quod ab illo instante, etiam omni alia gratia seclusa, peccato aliquo macularetur, quantumvis ab Adamo seminaliter descendisset. Ex quo patet, nullo fundamento aliquos, ut probent immunitatem Beatæ Virginis a culpa originali, deducere ad inconvenientem, quod si illa prædictam culpam contraxisset, Christus etiam eam contraheret : quasi ex matre peccatrice oriri nequeat filius sine peccato. Inefficax sane illatio, utpote quæ non discernit rationes modo traditas, propter quas ex qualibet foemina Christus nasceretur, omnino ei repugnaret talis culpa : et quæ eodem modo probaret Virginem contraxisse illam de facto, quia parentes ejus certum est contraxisse.

5. Dices, illo secundo titulo, videlicet propter unionem ad Verbum, non tolli ab humanitate Christi debitum contrahendi

Christus duplici titulo ab originali exemptus.

D. Ans.

Objectio.

era expositio.

illa expositio incipiens cum prima.

peccatum originale; imo neque contractionem radicalem, de qua nuper dicebamus: ergo non excluditur sufficienter ab ea prædictum peccatum. Consequentia liquet: quia a Christo Domino et ejus humanitate non tantum quoad actualem contractionem, sed etiam quoad omnia prædicta debet talis contractio omnino removeri. Antecedens vero probatur: quia unio Verbi cum humanitate solum potuit excludere ab ea peccatum a primo instante incarnationis, in quo fuit facta: constat autem contractionem debiti, sicut etiam contractionem peccati radicalem et inchoativam fore ante prædictum instans: ergo licet prædicta humanitas alio titulo, nimirum quia non processit per propagationem seminalem, prohibita fuerit ob omni hujusmodi contractionem, non tamen ex unione præcise ad Verbum. Et confirmatur: quia si prædicta humanitas per talem propagationem efformaretur, concurreret ad illam semen infectum et vitiatum, sicut est omne quod ab Adamo descendit: atque adeo introduceret in materia pravam illam dispositionem, ex qua resultat peccatum originale in instante animationis: ergo licet hæc resultantia per subsistentiam Verbi impediretur; non tamen posset impediri, quominus ante illud instans et ante adventum talis subsistentiæ, fuisset in materia sic prave disposita prædictum peccatum inchoative et radicaliter.

Enodatur.

6. Respondetur ad objectionem negando antecedens. Et ad probationem dicendum est, neque peccatum neque ejus debitum posse intelligi afficere humanitatem vel in re positam vel objective consideratam, nisi ipsa prius intelligatur subsistens in supposito capaci talis peccati aut debiti: quia quælibet natura prius debet intelligi ut completa in suo esse substantiali per subsistentiam et existentiam quas accipit a supposito, quam intelligatur affecta aliquo accidente, quod est extra essentiam talis naturæ, sicut est tam peccatum quam debitum. Quocirca humanitas Christi Domini quovis modo effecta fuisset, neque ante unionem ad Verbum potuit intelligi cum prædicto debito: quia pro tunc nondum erat, aut intelligebatur subsistens: neque post talem unionem, quia per illam ratione suppositi divini omnino efficiebatur incapax talis debiti. Quare ad contrahendum peccatum vel debitum non est satis, quod natura per seminalem propagationem procedat, et ut hoc modo efficienda contenta fuerit in lumbis, Adami, sed requiritur ut

etiam suppositum, saltem quoad unionem cum natura, ibi fuerit, et seminaliter ab Adamo processerit. Per quod patet ad illud de contractionem inchoativa: hæc enim non habet locum, nisi quando in dispositionibus ante instans animationis introductis tam natura quam suppositum, saltem quoad unionem cum illa, virtualiter continetur: quod respectu suppositi divini locum non habuit.

7. Ad confirmationem negandum est etiam antecedens: quia admissio semen illud carere vigore justitiæ originalis; non tamen hæc carentia in ordine ad producendam illam humanitatem esset privativa, sed negativa dumtaxat: sicut esset in pura natura, et sicut in tali humanitate esset carentia justitiæ originalis: non enim prædicta humanitas eo ipso quod producebatur ad subsistendum in alieno supposito, erat de numero illarum, quibus ex vi pacti uniti a Deo cum Adam debita erat talis justitia; atque adeo neque istius carentia in ipsa natura, neque in semine carentia vigoris ad illam propagandam haberet rationem privationis, sed negationis dumtaxat per carentiam autem solum negativam non efficitur semen vitiatum neque infectum ea infectione, quæ tendit ad originale producendum. Adde non esse necessarium excludere ab humanitate Christi contractionem peccati originalis radicalem seu in debito, etiam illa secunda via, dummodo per primam omnino excludatur: nam posset compati de lege absoluta, quod aliqua natura ex descendentibus seminaliter ab Adam assumeretur a Verbo divino, non solum post prædictam contractionem radicalem, sed etiam post contractionem formalem, quam habuisset in propria subsistentia; excludendo ab ea una cum hac subsistentia ipsum peccatum per unionem hypostaticam. Ut vero de facto humanitas assumpta a verbo omnis tam debiti quam peccati expers extitisset, facta est de Virgine sine viri semine virtute Spiritus Sancti.

8. Circa solutionem ad primum posset tractari illa quæstio, utrum omnes homines de facto sunt morituri; vel potius aliqui ab hac mortali vita ad immortalem sine morte transituri? Quam difficultatem versant Cano lib. 1 de locis, cap. 14, Sot. in 4, dist. 43, quæst. 2, art. 4, Sixtus Senens. lib. 2 Biblioth. annotat. 265, necnon Suar. tom. 2, in 3 p., disp. 50, sect. 2. Nos autem ab ea abstinemus: tum quia non est propria hujus loci: tum etiam quia independentem ab  
ejus

ejus decisiones solvit D. Thom. argumentum; quod contra conclusionem articuli fieri poterat, ut videre est in prædicta solut. ad 1.

Observe tamen, non ex eo quod Ang. Doctor ibi ut probabile admiserit aliquos de facto non esse morituros, etsi moriendi debitum omnes contraxerint; admissurum etiam ut probabile, aliquos (excepta semper Deipara) non contracturos de facto originalem culpam, etiam ex privilegio. Quia ad exceptionem faciendam ab hac actuali contractione, quam Scriptura generaliter enuntiat, pro nullo alio præterquam pro Deipara adest in illa aliquod fundamentum: unde esset hæreticum, vel omnino temerarium aliam exceptionem facere. Ad excipiendum vero ab actuali morte, ipsa Scriptura præbet pro aliquibus sufficiens fundamentum, ut possit sine temeritate ea exceptio admitti.

9. In solutione ad secundum explicat non sine labore Cajet. qualiter peccatum originale in baptizatis dicatur manere actu, et transisse reatu? Sed Curiel facillime id intelligit animadvertens, D. Thomam non dixisse, quod tale peccatum maneat actu absolute, sed cum addito illo *quantum ad fomitem*: ac si dixerit ipsum fomitem, qui solum est peccati effectus et materia, manere actu in baptizatis, sublato omni eo, quod vere et formaliter habet rationem culpæ, quam intelligit nomine *reatus*. Sumpsit vero reatum non formaliter pro sola deputatione ad pœnam æternam, aut pro ejus condignitate proxima, sed radicaliter et fundamentaliter: quo pacto nullo modo differt ab ipsa culpa et malitia. Facilis quidem expositio, si D. Thom. ubicunque eam propositionem protulerit, apposuisset additum illud *quantum ad fomitem*: sed ex hoc quod in præsentem sensum prædictæ propositionis addito illo restrinxerat, et ex alia ejusdem S. Doctoris solutione quæst. 4 de mal. art. 2 ad 10 habemus non leve fundamentum, ut ubicunque absolute dictum invenerimus, quod peccatum originale in baptizatis manet actu, et transit reatu, accipi debeat cum prædicta restrictione. Sed ut materia hujus articuli, et illa quæ de universalitate peccati originalis in eo traduntur, plenius elucidata maneant; oportet excitare non levem disputationem circa debitum contrahendi prædictum peccatum: quæ erit.

## DISPUTATIO XV.

*De extensione peccati originalis quantum ad debitum illud contrahendi.*

1. Ad existentiam peccati originalis pertinet non sola traductio, de qua disp. præced. sed etiam extensio et universalitas: ut scilicet cognoscamus, an omnes homines sine alterius quam solius Christi exceptione sub se comprehendat: vel an etiam Beatissima Virgo Deipara a lege ejus evaserit immunis? Quod enim de nullo alio id in dubium verti debeat, constat ex commentario præsentis articuli: et ex Concilio Trid. ses. 5, decret. de peccato orig. ubi tanquam fidei dogma traditum habemus, omnes descendentes seminaliter ab Adam non solum concipi obnoxios culpæ originali, seu cum debito et obligatione incurrendi illam; sed etiam de facto incurrere in ipsa conceptione. Unde si quid controversiæ in hac materia Theologis examinandum relinquatur, est ille articulus de conceptione Beatissimæ Virginis Mariæ, an scilicet fuerit sine peccato originali; vel in illo concepta, quem nondum Ecclesia determinavit: sed permittit fidelibus pro utralibet parte sentire: ut constat ex Extravagante *Grave nimis* edita a Sixto IV, et ex constitutione Pii V *Super speculam*. Ex Tridentino ubi sup. et ex aliis. Porro sicut de cæteris hominibus habemus duo illa omnino certa, videlicet et quod fuerint sub debito contrahendi originalem culpam, et quod de facto illam incurrerint: ita de Beata Virgine possent eadem duo sciscitari: an scilicet habuerit debitum prædictum culpam contrahendi, et an re ipsa contraxerit? Quoad hoc tamen posterius, arridet potius examen omittere partemque negativam ut veram supponere; et quam sit antiqua in nostra Carmelitana familia ejus assertio, ut quæ cum ipsa nata et alta est, brevi præludio observare.

Eo præsertim quoniam nostris temporibus prædicta pars negans Deiparæ contractionem culpæ originalis ita prævaluit, adeoque communita est copiosis pro ea editis voluminibus, ut nec nostro labore ad sui confirmationem indigere credamus; nec facile sit, quæ ab aliis scripta sunt, nova accessione locupletare, nisi calamus nimium se diffunderet. Quod alibi a nobis præstandum non diffidimus: modo vero ubi scholasticum munus pro scholasticis urget, importunum judicamus. Retrahit etiam pro nunc a prædicta disputatione, quod difficile

Concil.  
Trid.

Extrav.  
Grave  
nimis de  
Reliq. et  
vener.  
SS,

sit rem scholastico more plene discutere, nisi evertendo et impugnando opinionem oppositam: cum unaquæque sententia ex impugnatione contrariæ plurimum roboretur, neque aliter possit ad calculos (ut aiunt) exiliter vocari. Porro ab impugnatione prædictæ opinionis terrent summorum Pontificum decreta; præsertim Pauli V, et Gregorii XV, ubi gravibus sub pœnis caveatur, quod asserentes partem negativam, videlicet quod *Beata Virgo non fuerit cum peccato originali concepta, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant seu tractent*. Unde quod aliqui Juniores prædictam opinionem non modo rationibus rejiciunt, sed et censuris et diceriis lacerant, haud levi reprehensione dignum arbitramur. De quo videndus Expurgatorius Index. Verbo *Joannes Baptista Poza*, ubi inter alia plurima, quæ ex hujus Auctoris elucidario deleri jussa sunt: *Deleantur* (inquiunt fidei censores) *omnia convitia opinionis minus piæ, videlicet fol. 882, col. 1. Exulat ab scholis est relegata in insulam mentalem, incarcerata, interdicta, deportata et similia*. Ut videas quanto jure viri Sapientes, et timorati a similibus conviciis contra prædictam opinionem caveant; quantaque temeritate nonnulli adhuc Juniores in ea labantur.

*Præservationis Deiparæ a labe origineæ Carmelitæ primi adoratores et vates.*

2. Livorem forsitan assumptum excita-  
ret, nisi insuspectis et fide dignis testibus  
comprobari posset: ut erunt vel extranei  
si non antiqui, vel antiquissimi si domes-  
tici: illorum enim segura est laus, juxta  
Prov. 27. illud Proverb, 27: *Laudet te alienus, et non  
os tuum: extraneus, et non labia tua*: isto-  
rum vero ipsa antiquitas per se venerabilis,  
irrefragabile efficit testimonium. Ex utris-  
que ergo legitima erit probatio. Igitur ante  
alias Ecclesiæ familias Carmelitanam nos-  
tram mysterium Præservationis Deiparæ a  
culpa originali ex ore sanctissimi Vatis et  
Protoparentis Eliæ, divinitus illi traditum  
accepisse: jamque ex tunc eminus per spi-  
ritum adorasse, circiter mille annos ante  
ipsius Virginis Conceptionem; prædictique  
mysterii notitiam usque ad Apostolorum  
tempora et deinceps veluti hæreditaria suc-  
cessionem de luxisse, et firma traditione con-  
servasse, docuit magnus ille Pontifex  
Joannes Hierosolymitanæ Ecclesiæ Patriar-  
cha XIV, ejusdem Carmelitanæ familiæ

alumnus; qui floruit temporibus D. Hiero-  
nymi et D. Augustini circa annum Domini  
400. Is in lib. de institut. Monach. cap. 32,  
declarans mysticam illam visionem, cum  
Parens Elias in monte Carmeli orans jussit  
puerum ad cacumen ascendere septem vici-  
bus, et respicere contra mare: in septima  
autem. *Ecce nubecula parva quasi vestigium  
hominis ascendebat de mari in Carmelum* (ut  
habetur lib. 3 Reg. cap. 18), testatur agno-  
visse clare Prophetam in nubecula illa  
prædictum mysterium, suisque discipulis  
Carmelitis secretius aperuisse, cujus noti-  
tiam ipsi perpetuo conservarunt. *Quid au-  
tem* (inquit) *Sacramenti rerum futurarum  
visio illa intrinsecus contineret, et quod jugis  
mysterii Deus Eliæ per eam portenderet, di-  
gnatus fuit Elias aperire non palam homini-  
bus, sed secretius consortibus. A quibus tra-  
ditum tenemus, Deum sub figurata visione  
revelasse tunc Eliæ quatuor magna mysteria,  
quæ per ordinem explicabo. Primo quod  
quædam infantula nasceretur, quæ ex utero  
matris suæ ab omni peccato munda egredere-  
tur. Secundo tempora, in quibus hoc adim-  
pleretur. Tertio quod hæc infantula vir-  
ginitatem perpetuam ad exemplum Eliæ  
amplexaretur. Quarto quod Deus jungens  
naturam suam humanæ, de Virgine illa homo  
nasceretur. Per hoc namque quod ille puer  
Eliæ vidit de mari nubeculam parvam oriri,  
revelavit Deus Eliæ, quod quædam infantula,  
scilicet Beata Maria per illam nubeculam  
significata, et instar illius nubeculæ per hu-  
militatem parva, nasceretur de humana na-  
tura peccatrice designata per mare. Quæ in-  
fantula jam in suo ortu esset munda ab omni  
peccatorum sorde: quemadmodum nubecula  
illa fuit de mari amaro, sine tamen aliqua  
amaritudine. Licet namque nubecula illa esset  
originaliter ejusdem naturæ cum mari: alte-  
rius tamen fuit qualitatis, alteriusque pro-  
prietatis: mare quippe ponderosum est et  
amarum; sed nubecula illa levis fuit et dulcis:  
sic quamvis in quolibet alio homine natura  
humana instar maris sit in sua origine ita  
amaritudine peccatorum et vitiorum pondere  
pressa, ut fateri cogatur: *Iniquitates meæ  
supergressæ sunt caput meum, et sicut onus  
grave gravatæ sunt super me. Beata tamen  
Maria de hoc mari, id est natura humana,  
aliter fuit orta, quia in suo ortu non fuit  
onerata amaritudine delictorum; sed instar  
illius nubeculæ fuit levis per immunitatem  
peccatorum, et dulcis per plenitudinem cha-  
rismatum: ipsa enim in suo ortu fuit nubes  
illa,**

3. Reg.  
c. 18.Joan.  
Hier.Nubecula  
Eliæ  
quatuor  
symbo-  
lum.

*illa, de qua per Moysem figurate est scriptum : Ecce gloria Domini apparuit in nube.*

Quo sane testimonio nullum aptius ex antiquis Ecclesiæ Patribus hactenus fuit productum pro immunitate Virginis a culpa originali. Expresse enim affirmat, ortum seu emanationem ejus a natura humana non fuisse sicut in cæteris hominibus, qui in ipsa sua origine peccatorum (scilicet originalis, quod in Scriptura pluraliter peccata dicitur) amaritudine et pondere gravantur : aut sicut etiam aqua maris, quæ in ipso mari ponderosa est et amara ; sed fuisse potius instar illius nubeculæ dulcem et levem per immunitatem a prædicto peccato, et per gratiæ infusionem : Fateturque etiam se notitiam prædicti mysterii per traditionem ab Eliæ successoribus accepisse ; *A quibus traditum tenemus, etc.*

3. Sunt autem qui ut vim prædicti testimonii infringant restringunt illud ad externam Virginis nativitatem, nec de Conceptione intelligi volunt : ut si sensus, fuisse quidem sine peccato natam, non autem et conceptam : nam utitur nomine *ortus*, et verbo *nascendi*, non vero nomine *conceptionis*. Sed audiendi non sunt : quia nomen *ortus* et verbum *nascendi*, sicut etiam nomen *nativitas* communia etiam sunt Conceptioni. Communiter enim distinguitur duplex nativitas : alia ex utero, cum puer prius conceptus egreditur e vulva matris in hanc communem lucem : alia vero in utero, quæ est ipsa conceptio, per quam puer, qui antea in virtute generativa erat contentus, et ab ea indistinctus, fit specialis persona distincta et altera a tali virtute : et hoc est egredi seu oriri a natura humana ad materna viscera, in quibus detinetur usque ad nonum mensem, in quo ad extra manifestatur. Et ideo Matth. I, Conceptio Verbi in utero Virginis vocatur nativitas : *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Ex eo igitur quod Joannes N. usus fuerit nomine *ortus*, non excluditur quominus loquatur etiam de ipsa Conceptione.

Et sane licet prima illa verba, *quod quædam Infantula nasceretur, quæ ex utero matris munda egrederetur*, convenienter de nativitate ad extra intelligantur ; in aliis tamen, quæ sequuntur, non potest solum de prædicta nativitate exponi. Tum quia loquitur de ortu Virginis non ex utero matris Annæ, sed ex natura humana : quam naturam (non Beatam Annam, ut quidam neothericus addens ad verba Joannis sinistre accepit) comparat mari, unde orta fuit nu-

becula ut constat ex illis verbis : *B. Maria de hoc mari, idest natura humana aliter fuit orta, etc.* Oriri autem a natura humana non est nasci ad extra, sed concipi et fieri persona a natura ipsa distincta, uti fit puer, quando primo animatur in vulva matris. Tum etiam quia ponit discrimen inter Virginem et reliquos omnes homines, quod isti in ipso ortu a natura humana, gravantur amaritudine culpæ originalis ; illa vero fuit sine tali amaritudine orta. Hoc autem non intelligitur convenienter de ortu, qui est nativitas ex utero : non enim cæteri homines dicuntur gravari prædicta culpa, quando ad extra nascuntur, sed quando intus concipiuntur : imo non omnes ad extra nascuntur illa gravati ; sed aliqui prius in utero sanctificati, ut de Jeremia et Joanne Baptista tenet Ecclesia. Ut ergo Beata Virgo a cæteris omnibus distinguatur, ut Patriarcha N. distinguit, oportuit ut in illo ortu culpa originali caruerit, in quo cæteri illam contraxerunt ; atque adeo non solum in nativitate ad extra, sed etiam in Conceptione.

4. Quod amplius declarat Hierosolymitanus dicens de aliis hominibus, quod in sua origine illorum natura fuit peccatorum pondere pressa ; secus autem in Beata Virgine, quæ in ipso ortu, quo nascebatur de natura humana peccatrice, erat jam munda : porro origo non dicitur nativitas, qua ponitur homo ad extra ; sed conceptio, qua egreditur a virtute generativa, et constituitur persona per se distincta : sicut etiam oriri ex natura peccatrice non est poni extra uterum matris, nec mater cum parit (præsertim sanctissima, ut fuit Anna) recte peccatrix dicitur : sed est formari in utero ex virtute seminali : quæ ideo *natura peccatrix* dicitur, quia infecta est, et peccati originalis tractiva.

Denique hoc declarat symbolum, quo utitur, illius nubeculæ nascentis e mari, expertis gravedinis et amaritudinis ipsius maris. Certum quippe est, nubem tunc exuere prædictam gravedinem et amaritudinem, fierique alterius qualitatis, a qualitate maris, quando primo gignitur, et fit ab eo distincta ; ita ut pro nullo instanti verificetur, quod sit jam nubes, et quod sit gravis aut amara : ergo ut teneat symbolum, et similitudo, tunc debuit Beata Virgo fieri expertis et immunis gravedinis et amaritudinis culpæ originalis, quando primo fuit genita, et facta persona a natura, unde gignebatur, distincta, ita ut pro nullo

instanti verificetur, fuisse jam genitam vel distinctam, seu fuisse Mariam, et immunem non fuisse. De illa igitur ut in sua conceptione, et non solum ut ad extra nata, accipienda est revelatio Parenti Eliæ facta, et ejus declaratio inter Carmelicolas perpetua traditione conservata.

5. Quod cernens gravissimus P. Petrus de Ojeda ex inclyta Societatis Jesu familia, noluit hanc gloriam nostræ Religioni invidere. Et ideo in Informatione Ecclesiastica pro Immaculata Virginis Conceptione vulgari sermone in lucem edita anno 1616, cap. 1, ubi locum N. Hierosolymitani late expenderat, probans ex illo id ipsum quod nos de revelatione prædicti mysterii et ejus perpetua traditione, hæc addit : *Pero no es pusto pasar de aqui sin dar el parabien de tan gran tesoro, qual es esta tradicion antiquissima, a la sagrada Orden de la Madre de Dios de Carmelitas, y juntamente rendirle gracias per haberla conservado tam largos siglos, y comunicado a la Iglesia de Dios por el Patriarcha Juan Religioso de la misma Orden. Gran gloria es desta religiosissima familia, que en la materia de la limpia Concepcion de la Madre de Dios pueda deponer per tradicion de mas de dos mil y quinientos anos, que tantos han corrido desde la revelacion de Elias. Id est : Sed æquum non est ultra progredi, quin pro tam insigni thesauro, qualis est antiquissima ista traditio, sacro Carmelitarum Dei Genitricis Ordini gratulemur : insimul et gratias referamus, quod per tam longa sæcula eam conservaverit, et per Patriarcham Joannem ejusdem Ordinis alumnum, Ecclesiæ Dei communicaverit. Magna quidem gloria hujus religiosissimæ familiæ existit, quod in materia Immaculatæ Conceptionis Deiparæ bis mille et quingentorum annorum traditione deponere valeat : tot enim ab Eliæ revelatione transierunt. Hæc Ojeda, pluraque alia ex diversis auctoribus, et antiquis ordinis privilegiis, et statutis, aliisque principiis petita ad probandum, prædictam traditionem in nostro Ordine ad hæc usque tempora perpetuo mansisse : quæ brevitatis causa omittimus.*

P. Salaz.

6. Non minus est pro nobis eruditissimus P. Ferdinandus de Salazar ejusdem religiosissimæ Societatis alumnus in suo opere de Concept. cap. 38, numero 11, ubi prædictæ nubeculæ symbolum ad puritatem Virginis exprimendam sic expendit : *Erant præterea in nubibus (signa sacra) erant in nubeculis, quando nubecula illa parva, quæ quasi vestigium hominis orante in Carmelo Elia de*

*mari ascendere visa est, non magis pluviam levitatem, quam Mariæ puritatem prænuntians. Oriebatur scilicet nubecula illa dulcis ab initio et Maria dulcis ab ipso natura exortu sine ulla peccati amaritudine exitit : ascendebat illa levis : et hæc nullo unquam criminis pondere gravata super omnes homines altius ferebatur. Et dulcis quidem illa levisque de amaro gravique mari processit : et Maria etiam de vitiata Patrum materia nullum tamen ipsa vitium traxit. Sed quid solus oberro ? quid meo me labore sustento ? Ad Patrum ditissimum penu advolo : Joannes Hierosolymitanus in lib. de Institut. Monach. cap. 32, dum totam illam nubeculæ historiam refert, et in ea Eliæ mysteria patefacta fuere, quæque ille discipulis suis tradidit, commemorat. Primo (inquit) patefactum est Eliæ, etc. Inserit totum Hierosolymitani testimonium a nobis adductum : post ejus verba ita prosequitur : Injuriam equidem non exigam facerem, si tam claris tanti Viri verbis lucem aliquam asferre vellem, aut tantis rerum momentis orationis aliquod pondus superaddere. Unum illud addam, quod ille quoque addit, eam de Beatæ Mariæ puritate præ sagam et propheticam cognitionem ab Elia, Elisæo, et aliis suis discipulis manifestatam, ab illis porro sequentibus perpetua successione per manus traditam fuisse, donec orta jam Maria, et visionem reipsa comprobante, ædes sacra in Carmelo extructa fuit ejusdem puritatis præclarum monumentum.*

Neque hic sistit hujus auctoris testimonium : inferius enim cap. 42, sæcul. 4, est etiam pro nobis contra Baronium et Bellarminum, qui falsis aut levissimis ducti conjecturis præcitatum librum de Institut. Monach. Joanni Hierosolymitano, et ipsum Joannem Religioni nostræ concedere renuerunt. Sic autem loquitur : *Sed absit ut ego gloriam istam Carmelitanis Patribus invidiam, ut et dictum Joannem inter suos protopatres numerent, et tam nobile tamque antiquum pro immaculata Virginis conceptione testimonium inter suæ Religionis ditissimas gazas ostentent. Vidi certe atque evolvi non pauca antiquitatis monumenta, ut in hac controversia aliquid certo diffinirem ; nihil tamen comperi, quod non suaderet præmissum Joannem Carmelitanum fuisse, et dictum de Institut. Monach. librum ab ipso conscriptum. Atque adeo hanc sententiam libentius amplector, et gravissimo antiquissimoque Ordini, quæ sua sunt, lubens restituo. Quod et fecerunt alii plures et graves ejusdem*

Societatis



Societatis scriptores. Hoc autem Salazarii contra Bellarminum et Baronium verissimum assertum quoad omnes suas partes validissimis rationibus, plurimorumque gravium auctorum testificatione comprobatum reperies a sapientissimis Patribus Magistris antiquæ et observantissimæ nostræ Carmelitanæ familiæ alumnis Marco Antonio Alegre de Casanate in apologia pro Joanne Hierosolymitano tract. 2, quam addidit suo paradiso Carmelitici decoris: Joanne Baptista de Lezana tom. 1 Annal. Prophetici et Eliani Ordinis in apparatu cap. 9, et Michaele Munoz in Propugnaculo Eliæ lib. 2, titul. 2, cap. 4, art. 4. Debuissent vero id ipsum propugnare omnes Marianæ puritatis defensores: ob hoc saltem ut antiquius et expressius pro illa testimonium, quod hactenus ex Patribus productum est, sartum tectumque tuerentur: cujus firmitati, et authoritati plurimum detrahunt qui nostri Hierosolymitani illibatam fidem (levissimis licet fundamentis) obscurare nituntur: aut qui prædictum librum non illi antiquissimo Joanni, cujus re ipsa est, sed recentiori et incerto tribuunt auctori. Sed et prædictus Salazarius, Dida- cus de Baeza, Paulus Sherlogus, et quidam alii ejusdem Societatis nuperi scriptores, qui pro firmanda pia sententia adducto Joannis Hierosolymitani testimonio libenter, et cum gratiarum actione utuntur, debuissent pariter animadvertere, eodem in loco, totoque eo lib. de Instit. Monach. scriptam non semel reperiri vetustiorum Carmelitarum traditionem circa veri Monachatus et Religiosi instituti a tempore Sanctissimi Patriarchæ N. Eliæ antiquitatem, nec non et circa Virginitatis votum ab eodem P. Elia Deiparæ Virginis præscio et imitatore emissum (cui ut Virgo ipsa auctoritatem et decorem conciliaret, prima in lege gratiæ Virginum omnium sive præcedentium tempore, sive subsequentium Princeps et exemplar, virginitatem suam Voto consecravit). Hæc igitur et alia Religiosi status ornamenta quæ citati juniores ægre ferunt a Carmelitico tot ex seculis possideri, sicut n. obscurius quam pia sententia, apud Hierosolymitanum habent, ita nec minorem ex illo subeunt certitudinem: atque adeo inconsequenter satis procedunt qui unam inde confirmantes, aliis fidem negant. De quo, Deo dante, tom. 5 latius dicemus.

7. Proferamus testem alium etiam extraneis, sapientissimum Doctorem Hieronymum de Ormachea Ecclesiarum Lu-

*Salmant. Curs. theolog., tom. VIII.*

cronensis et Albendensis Canonicum Magistralem, qui præcedentium doctrinam et religione informatus id ipsum luculentius adhuc exornat tom. I Commentar. in Cantic. ubi ditissimas nobis gazas offert ad assumptum comprobandum. E pluribus vero in expositionem revelationis Eliæ præstitæ juxta citatum Hierosolymitani testimonium, simul et in obsequium nostræ Carmelitanæ familiæ pie et erudite excogitatis, hæc quæ subjungimus, non fuit liberum prætermittere. Morans igitur circa expositionem vers. 7 capitis I Cantici cantic. num. 29, sic. ait: *Fateor in hac parte me edoctum a doctissimo Patriarcha Hierosolymit. Joanne XLIV ex Carmelitana familia, filia quidem Eliæ legitima, suum genuinum ortum ducente a primis illis Eliæ et Elisæi discipulis habitantibus in Carmelo, cui Religioni jure quidem optimo cum Petro de Ojeda gratulor, quod ipsis specialissima revelatio facta fuerit conceptionis immaculatæ Beatiss. Mariæ absque originali peccato. Hæc siquidem Religio venerabilissima Carmelitarum sub Elia et Elisæo fundata primitus fuit ad hoc mysterium celebrandum Mariæ conceptæ sine peccato. Et sic primum templum Mariæ dedicatum sub hoc titulo a Carmelitanis fuit, et gestabant vestes hoc Mysterium indicantes, ut postea dicemus. Illa autem consuetudo, quam refert Baconius Carmelita, quod eminentissimi Cardinales Romæ conveniebant quasi capellam facturi ad celebrandum festum conceptionis immaculatæ in templo familiæ Carmelitanæ ad Sanctam Mariam Transpontinam, denotabat Religionem hanc esse quasi propriam et nativum solum ac fontem, e quo hoc factum duxit originem, etc. Hoc quod ex Baconio nostro tangit, expendit latius P. Ojeda in sua Informat. ecclesiast. cap. 16, ostendens prædictam consuetudinem celebrandi festum Conceptionis viguisse in nostro Ordine a tempore Alexandri III, per quem fuit confirmatus anno 1180. Idque recte colligit ex Baconii verbis, quæ habet in 4, dist. 2, quæst. 4. *Publica (inquit) et diuturna consuetudine celebratum est hoc festum in Curia Romana etiam cum venerabili congregatione Cardinalium, cum solemnibus Missa et sermone singulis annis in domo fratrum Ordinis Beatissimæ Mariæ de Monte Carmelo: et hæc duraverunt tempore multorum Pontificum Romanorum usque ad præsens tempus.**

8. Confirmat assumptum nostrum idem Doctor Ormachea ex significatione illius

Ormachea.

Ojeda.

Elite melita quid præservaverit?

melotæ, qua Parens Elias et ejus discipuli pro veste utebantur. Pro quo observat, melotam (ut aliquibus placet) fuisse vestem e pelle animalis vulgo dicti *Taxus*, et ab aliis *melos*: est autem efficax præservativum contra fascinationis venenum, præsertim in delicatissimis infantibus recens natis: ob idque matres et nutrices solent pedem vel manum taxeam e cingulis vel scapulis eorum appendere ut amuletum contra virus oculorum fascinantium. Ex hac igitur animadversione præmissa ab illo num. 74 et 75, deducit num. 79: *Mirabili et singularissima fuit Dei providentia factum; ut Elias et ejus discipuli Carmelitæ, quibus prima fuit facta revelatio purissimæ Conceptionis Mariæ in nubecula illa e mari, prout diximus, ascendente, melotis ex taxo confectis induerentur, ut quasi secreto quodam divini spiritus instinctu primi illi Carmelitani Conceptionis Beatæ Mariæ et adoratores et vates, pro habitu et insigni suæ et religionis et devotionis prophetice gestarent pellem significativam privilegii cujusdam a fascino venenato peccati originalis Beatam Mariam præliberantis. Hæc ille. Nec reticenda quæ dixerat num. 43, præmisso etiam quod Beata Virgo jure Sabbathum Dei appelletur, utpote in qua Deus quasi cæterorum hominum peccatis defessus requiescit, sic inquit: *Notetur autem quantam habeat consonantiam et proportionem mirabilem, quod Carmelitana familia inter reliquas alias fuerit concessum celeberrimum illud privilegium Bullæ Sabbathinæ, in qua summus Pontifex pie certiores nos facit, quod Virgo sanctissima sicut ipsa fuit Sabbathum mysticum requietionis Dei a peccatis hominum et Angelorum, nullum habens ipsu peccatum: sic eadem Virgo Sabbathum requietionis dat a pœnis purgatorii ignis omnibus illis qui erga ipsam fuerint specialiter consecrati. Voluit enim Virgo sanctissima hunc peculiarissimum favorem concedere intuitu Religionis illius, originem ducentis ab illo Propheta qui in vertice Carmeli montis septima vice sabbathi repræsentativa, ipsius memoriam et festum immaculatæ Conceptionis in nubecula maris adoravit. Plura prosequitur satis ad rem, quæ lectori videnda remittimus.**

9. Dabimus autem pulchram considerationem, quam inferit num. 80, ad illa verba: *si ignoras te, o pulcherrima mulierum, egredere et abi post vestigia gregum*, etc. Interrogaverat namque Sponsa Verbi Dei mater Sponsum Verbum, *Indica mihi ubi pascas: ubi cubes in meridie*, illa videlicet

hora qua Adamus in paradiso peccavit, ex quo ad ejus posteros peccatum originale transmisit: id enim ad meridiem accidisse, sex dumtaxat horis postquam fuerit creatus, est satis communis opinio, et indicant non obscure verba illa Genes. 3: *Cum audissent vocem Domini Dei deambulantis ad auram post meridiem*, etc. utique ad reprehendum illum, qui paulo ante peccaverat. Unde et convenienter illa hora seu instans, in quo unusquisque nostrum peccatum originale ex Adamo incurrit, potest meridies nuncupari. Quæ ergo sponsus rogat, ubi tunc cubaret, animam quærit, quæ in ipso conceptionis momento, in quo cæteri homines Deum per peccatum abjiciunt, habuerit in se illum per gratiam requiescentem. Demus jam verba citati Doctoris, ut interrogationi satisfaciat: *Quasi igitur respondeat sponsus filius ad sponsam matrem Mariam, tanquam præ humilitate ignorantem, sed humilem ignorantiam affectantem, quod fuerit sine peccato originali concepta. Si ignoras te, abi post gregem sodalium tuorum, id est, recurre ad Carmeli incolas Eliæ et Elisæ discipulos, quos tuos sodales et fratres appello, quia te adorant in nubecula significatam, te venerantur, et tuas laudes decantant tam in templo illo, quod in Carmeli vertice in honorem tuum ædificarunt, quam in tabernaculis et cellis, in quibus habitant. Horum Sanctorum gregum vestigia sequere, cum ad templum illud gregatim conveniunt tuas laudes cantaturi, et hædos tuorum sensuum pasce juxta tabernacula pastorum, idest, superiorum qui hos religiosos greges gubernant, et in suis ipsorum laudibus, hymnisque, et canticis te cognosces, et audies te celebrari ut conceptam sine peccato originali: eo modo quo nubecula illa e mari amaro ascendens non habuit amaritudinem mari nativam et ingenitam. Veritas hujus sensus probatur, etc.* Prosequitur prædicti sensus probationem, ostendens filios Prophetarum et Eliæ discipulos gregum nomine in scriptura designari: eosque hoc Cantici loco intelligi: pro quo multa possemus adducere, quæ brevitatis causa omitimus.

10. Gratulamur autem doctissimo huic viro pro sua ad nos panegyri: gratulamur et pro encomiis nostris sapientissimis Ojedæ et Salazario: omnibusque benevolentia vicem affectuose rependimus, quod Religionis et veritatis amore stimulati, tam illustria nobis relinquerint testimonia: ex ipsis quidem insuspecta; quæ ex domesticorum ore forte vilescerent. Illorum autem fide,

Orma-  
chea.Maria  
cur sab-  
batho  
Carmeli-  
tas a pur-  
gatorio  
extrahit?

Genes. 3.

Pulehra  
expositio  
pro Car-  
melitis.

fide, simul et antiqua nostrorum Joannis Hierosolymitani, Joannis Baconii, aliorumque attestazione sufficienter credimus comprobatum scopum quem assumpsimus: videlicet præservationem Deiparæ a culpa originali Carmelitanæ nostræ familiæ primitus innotuisse, tantique mysterii primos et adoratores et vastes Carmelicolos extitisse. Quam ergo sacer Ordo noster recens adhuc natus tot ante sæcula a suomet progenitore divina revelatione ipsi traditam veritatem accepit, perpetuaque traditione conservavit, atque Ecclesiæ manifestavit, jure adstringimur ubique profiteri.

Voluimus autem hoc præludium dubiis examinandis præmittere, nostrumque affectum erga piam sententiam ita palam declarare: tum ut ex hoc jam liqueat, in quam partem accipi debeant siquæ in disputationis decursu, prolixitatis vel repetitionis vitandæ gratia, minus clare dicta remanserint. Tum etiam ut constet præsentem controversiam de debito originalis culpæ eo potissimum fine a nobis agitari, ut causæ præservationis Deiparæ, quæ cordi est, regio explanato itinere ad ejus defensionem, resecatisque inutilibus dicendi modis, qui viam illi ocludunt, pro munere et affectu nostro suppetias feramus.

Quamvis autem specialis difficultas cui incumbendum est, unica videatur: an nimirum Beatissima Virgo Maria sicut immunis fuit ab actuali culpæ originalis contractione, fuerit etiam a debito illam contrahendi; vel potius sub tali debito comprehensa? Quia tamen hæc ipsa principalis quæstio alias involvit, quæ nisi prius enodentur, aditum illi ocludent: quasque si unico dubio expedire vellemus, grave nimis evaderet; secabimus disputationem in plura, quæ suo ordine discussa, præcipuæ difficultatis resolutioni viam aperient. Ne vero in ejus decursu defectu intelligentiæ terminorum æquivocatione laboremus, tricis detineamur, aut iis a quibus rei substantia et principalis resolutio non pendet, implicemur, sit ante alia.

#### DUBIUM I.

*Quid importet, et quousque perduret debitum culpæ originalis?*

11. Communis est hæc prima difficultas pro omnibus qui peccaverunt in Adam, quique inde debitum trahunt incurrendi culpam originalem in primo instante suæ

conceptionis seu animationis: sive de facto illam incurrant; sive ab eo lapsu divina gratia et favore præserventur. Quia vero privilegium hoc nulli præterquam Deiparæ fuit aut erit concessum: quam peccantibus in Adam, prædictumque debitum inde trahentibus modo annumerare non juvat (ne quod examinandum est, videamur supponere) fingenda est hypothesis, qua Deus alicui alteri eorum qui in Adamo peccaverunt, gratiam in primo instante concederet, quæ actualem peccati contractionem impediret, debitum vero ex ore omnium supponeret: ut ita latior detur locus examinandi, quid sit prædictum debitum, et quousque perduret: sive in data hypothesis, sive in casu de facto nobis omnibus contingenti.

Quamvis autem non defuerint qui in ipsa voce *debiti* offendentes, præsentem disputationem relegandam putaverint: quia ad peccatum, quod omnes pro viribus vitare tenemur, nemo potest jure vel debito adstringi: graves tamen Theologi, quæstione de modo loquendi manumissa, plures de re et discussione digas sub prædicta voce repererunt. Non enim *debiti* nomine in præsentiarum intelligitur aliquod Dei præceptum seu lex obligans ad peccandum, vel peccatum contrahendum: sed quædam necessitas seu determinatio, cui omnes posterius Adami, ex quo in illo peccaverunt, subjecti intelliguntur, ut cum primo fuerint in rerum natura concepti, habeant in se peccatum originale transfusum et illatum virtute illius actualis quod in Adamo commiserunt. Hanc ergo necessitatem et determinationem seu necessariam illationem *debitum* in præsentem appellamus: potestque non incongrue dici *reatus*, *obligatio*, *obnoxietas* et similia: nam cum hæc omnia aliquam necessitatem et determinationem importent, jure ad illam, de qua loquimur, significandam transferuntur.

#### § 1.

*Expeditur prima pars dubii.*

12. Circa primam dubii partem inter paucos, qui rem examinerant, aliquos reperimus dicendi modos, quos breviter referemus. Primus est, quem sequitur Suar. tom. 2, in 3 part. disp. 3, sect. 4, et tom. 1, in 1, 2, tract. 5, disp. 9, sect. 4, ubi ait, debitum peccati originalis non esse aliquid physicam, neque aliquid quod habet rationem culpæ vel pænæ, sed moralem

Prior  
modus  
debitum  
explican-  
di. Suar.

quandam obligationem vel necessitatem ex peccato Adami ortam; derivatamque ad posteros per denominationem extrinsecam: quatenus dum ille ut omnium caput, adeoque et omnes in eo deliquimus, demerito illius peccati mansimus determinati et obnoxii subire in propriis personis maculam et pœnam illi correspondentem.

Secundus.

Secundus dicendi modus, quem docti alii Juniores tuentur, ultra prædictam moralem necessitatem et obligationem assignat aliquid physicum descendens ab Adamo in posteros, propriamque uniuscujusque personam physice attingens: quod erit ipsum semen vitiatum et infectum, medio quo traducitur natura similiter infecta et vitiata. Addit vero, quod hujusmodi physicum et habet rationem pœnæ, demerito peccati Adami correspondentis; et pertinet etiam ad malum culpæ: non formaliter, quia culpa formalis solum potest esse in anima et in potentiis liberis; nec solum causaliter passive, eo quod est effectus prædicti peccati, sed etiam causaliter active, quia vim habet causandi et inferendi in animam culpam originalem.

Tertius modus dicendi. Vasq.

Tertium dicendi modum assignat Vasq. tom. 2, in 3 part. disp. 116, cap. 5, his verbis: *Est igitur debitum hoc in posteris Adæ relatio quædam passive respiciens meritum primi parentis: nam quemadmodum ille per peccatum suum digne meruit, ut posteris justitia transfundenda denegaretur, et ita in peccato nascerentur; sic etiam ipsi sub hac dignitate meriti primi parentis comprehensi sunt, ut considerata eorum conceptione et origine, quam ducunt ex primo parente, ob meritum illius digne privarentur justitia, et ita privati peccatum originis contraherent, nisi aliunde gratuita voluntate Dei liberarentur. Esse igitur aliquem talis propaginis et originis, ut virtute illius (nisi impedimentum adesset) conciperetur et esset in peccato, idem est quod in seipso debitum peccati contrahere, seu obnoxium peccato esse. Hæc ille.*

Debiti divisiones.

13. Alii vero auctores non tam exponentes quam supponentes quid sit prædictum debitum, statim accedunt ad divisiones, bipartientes illud in *intrinsicum* et *extrinsecum*, et in *proximum* et remotum. *Extrinsicum* appellant ipsum Adami peccatum, quatenus fuit prævaricatio pacti pro se et posteris cum Deo initi, cujus proinde obligatione omnes tenebamur. *Intrinsicum* autem est id, quod ex prædicto peccato ad ipsos posteros descendit, attingens eos in

propriis suppositis, et constituens sub necessitate incurrendi maculam (nisi aliquis divina gratia ibi et tunc ab incursu isto præservetur.) Deinde *debitum remotum* vocant aliqui ipsum, quod modo dicebamus *extrinsecum*: *proximum* vero, quod dictum est *intrinsicum*. Unde apud sic dividentes tantum est unica divisio cum sola diversitate terminorum. Alii autem sub debito proximo comprehendunt quicquid sequutum est ad pactum illud cum Adamo, ex quo actum fuit, ut non pro se tantum, sed etiam pro omnibus posteris deliquerit. Ad remotum vero pertinere dicunt id, quod pactum antecedit: uti est ipsa defectibilitas naturæ humanæ, quæ in omni eventu, quantum est ex se, erat defectibilis: aut etiam exigentia, quam habebat quilibet posterorum Adami ut inclusis cæteris in prædicto pacto, ipse quoque sub illo comprehenderetur. Ob idque hujusmodi debitum adeo remotum non appellant *debitum peccati* absolute et simpliciter; sed *debitum secundum quid*, seu *debitum debiti*: de quo videndus est Ægidius a Præsentatione Augustinianus lib. 2 de Concept. quæst. 4, art. 1, num. 7, et art. 2, num. 24 et 26, et alibi sæpe in tota illa quæstione prædictas distinctiones tangit, præsertim art. 4, § 1 et 2. Unde dum aliqui negant Deiparæ debitum proximum, et concedunt remotum, vel utrunque concedunt, attendendum est juxta quem ex prædictis sensibus ly *proximum*, et ly *remotum* usurpent.

Ægid. a Præsent.

14. Hæc sunt quæ apud auctores reperimus. Quibus pro pleniori rei intelligentia addimus duplicem aliam divisionem prædicti debiti proximi comprehendentis tam intrinsicum quam extrinsecum (remotum enim, quod est debitum debiti, non jam deserviet usque ad tertium dubium). Nam aliud est *debitum formale*, et aliud *debitum fundamentale*: et rursus, aliud est *debitum quoad pœnam*, et aliud *quoad culpam*. *Debitum formale quoad culpam* est illa obligatio et necessitas, qua posteros Adami, etiam priusquam actu existant, obnoxios et obstructos intelligimus ad incurrendam in propriis personis originalem culpam, ubi primo in rerum natura concipiuntur. *Debitum formale quoad pœnam* dicit similem obligationem ad incurrenda ea mala et pœnalitates, quæ peccatum originale consequuntur vel concomitantur. Debitum autem *fundamentale* adæquate acceptum importat omnia illa, quæ a parte rei esse vel fuisse requiruntur, ut inde consurgere et resultare intelligamus

Duplex alia divisio.

intelligamus prædictam necessitatem et obligationem. Porro in præsentiarum ubi prædicti debiti extensionem, aut exceptionem, ab eo disquirimus; non tam de formali quam de fundamentali habenda est ratio; quia prius illud infallibiliter consequitur ad hoc posterius; nemoque sub isto comprehensus, extra illum manebit. Alias enim notitia ad præsens necessaria melius desumitur ex debito fundamentali: sicut relationes et formas ex fundamento aliquo insurgentes, aptius per fundamentum quam per se ipsas discernimus et notificamus. Rem ergo agemus deinceps cum debito fundamentali; idque absolute cum communi usu loquendi *debitum* appellabimus. Major autem inquisitio debiti formalis, ut an sit ens reale vel rationis, absolutum vel relatio, intrinsecum vel extrinsecum, etc. traditur infra disput. 17, dub. 1, ubi sermo est de debito et reatu communi omnibus peccatis.

Quid importet debitum fundamentale?

15. Igitur in conceptu debiti fundamentalis illa omnia importantur, ex quorum collectione posteri Adami, qui in ipso peccaverunt, manent omnino determinati et necessitati ad contrahendam in propriis personis, ubi primo extiterint, privationem justitiæ originalis (in qua peccatum originale consistere dicemus disput. sequenti): tanta quippe est vis causarum influentium prædictam privationem, ut nulla via etiam de potentia absoluta earum concursus possit impediri, nisi in ipso primo instante, ubi effectus sequendus erat, gratia infundatur, et peccato locus præoccupetur: aut si forte in parentibus per purgationem et sanationem naturæ transitus illi præcludatur, juxta dicenda num. 33. Ad ea autem, quæ prædictam necessitatem inducunt omnino debet supponi pactum Dei cum Adamo, ratione cujus constituit illum caput morale posterorum, translatis in eum ipsorum voluntatibus. Unde si aliquis hujusmodi pactum non fuisset ingressus, eo ipso debitum, de quo loquimur, non incurreret. Neque hinc fit, prædictum pactum includi in ipso debito ut aliquam ejus partem: potius enim est omnino extra illud, supponiturque tantum ut conditio sine qua non. Quia quamvis si non præcessisset pactum, non haberetur pro nostro peccatum Adami, a quo fluxit debitum; non tamen illud fuit causa vel occasio data ut tale peccatum ab Adamo et a nobis in illo committeretur, aut nobis imputaretur; quin potius

inducebat ad non peccandum: sicut cætera beneficia, quæ tunc Deus illi contulit.

16. Quare primum unde incipit debitum, est ipsum peccatum actuale Adami, quatenus pro nobis ab eo commissum: hinc enim primo orta fuit necessitas, ut incurreremus maculam et pœnas respondentes tali peccato. Deinde ad prædictum debitum pertinet totum id, medio quo influxus illius peccati physice et realiter perducitur usque ad conceptionem uniuscujusque nostram, et quod in ea tanquam Adæ instrumentum operatur. Quod disp. præced. dub. 3 a num. 69, ostendimus esse ipsum humanum semen, quatenus vitiatum et infectum per privationem illius vigoris, quem in primo instante sortitum fuisset ad traducendam justitiam originalem. In quo plura difficilia involvuntur, quæ ibi explicuimus. Tertio ad id pertinent dispositiones, quæ ante instans conceptionis aut in illo instante introducuntur in materia pro formatione fœtus. Nam etiam istæ, utpote virtute infecti seminis introductæ, evadunt similiter infectæ: suaque infectione taliter sigillant corpus seu materiam, quæ præparatur animæ, ut hæc ex unione ad illam statim peccati rubiginem contrahat, juxta dicta in eodem dub. a num. 87. Potissime vero ad prædictum debitum spectat permanentia illa moralis peccati Adami in Dei abominatione, quam a num. 90 conservari diximus pro omnibus posteris, quousque tale peccatum ab unoquoque pro se media justificatione retractetur: ex hujusmodi enim permanentia sequitur inimpedibiliter in unoquoque, eo ipso quod ad rerum naturam perveniat, privatio originalis justitiæ: ita ut nec de potentia absoluta illa sine hac stare possit. Debet ergo præcipue numerari inter ea, quæ fundant prædictum debitum: utpote præ omnibus necessitans ad talem contractionem.

17. Habemus igitur, debitum hoc plura involvere partim extrinseca; sicut est peccatum Adami, et ejus moralis permanentia; partim vero intrinseca seu magis proxima, uti est semen infectum, et infectæ illæ dispositiones sigillantes et determinantes materiam, ut inde resultet in anima privatio justitiæ, per quam maculetur: his autem præhabitis, nihil aliud desiderari videtur, ut concipiamus illam obnoxietatem et obligationem, pro qua num. 14 stare diximus debitum formale.

Habemus rursus non sufficienter fuisse

Unde incipiat?

Corollaria.

expositum prædictum debitum fundamentale in primo modo dicendi ex Francisco Suar. dum non fit mentio illius physici intrinseci, quo materia conceptus sigillatur et determinatur ad inferendam maculam animæ, ubi primo fuerit sibi unita. Neque etiam in tertio modo Gabrielis Vasq. dum non ita exprimitur vis et omnimoda necessitas causarum ad inducendam prædictam maculam : sed tantum impossibilitas naturæ ex se ad eam præcavendam vel auferendam : ex quo defectu processit falsitas in asserendo prædictum debitum non extingui per gratiam, etiam post ejus infusionem, ut videbimus § sequenti.

18. Habemus tertio, duplex debitum formale ex prædicto fundamento consurgere : aliud, quod est obligatio ad contrahendam culpam originalem ; et aliud ad incurrendas et sustinendas pœnas, quas nobis Adamus promeruit. Ex quibus etiam si per gratiæ infusionem extingatur illud, quod est ad culpam; non tamen eo ipso tollitur adæquate quod est ad pœnam : sed potest et permanet de facto usque ad mortem, quæ est præcipua pœnarum temporalium originali peccato correspondentium. Diximus *adæquate* : nam inadæquate, hoc est, quoad pœnam damni, quæ erit in futura vita, extinguitur prædictum debitum per justificationem. Et etiam poterit per dona supernaturalia diminui quoad aliquas ex pœnalitatibus hujus vitæ; quibus quidam plus, quidam minus subjiciuntur. Non tamen in aliquo extinguitur quoad omnes (saltem de lege ordinaria) cum ad minus corporalem mortem omnes incurrant. Neque ad luedas hujusmodi pœnas temporales opus est contraxisse de facto originalem culpam; sed sufficiens earum ratio est debitum contrahendi, et hoc quod est peccavisse in Adam, ob cujus meritum pœna posteris tanquam in eo simul peccantibus applicatur. Et si sit temporalis, potest applicari et permanere, etiam culpa de facto non contracta, aut post contractionem remissa, sicut permansit in Adamo post culpæ suæ remissionem. De quo aliquid diximus disp. præced. num. 13 et potest videri D. Thom. in 2, dist. 31 et 32, quæst. 1, art. 2.

19. Circa illud, quod inter referendum tetigimus, an prædictum debitum intrinsicum sit culpa aut pœna? placet quod asseritur in secundo modo dicendi : nempe quod utriusque habeat rationem. Ita tamen quod nec ratio pœnæ nec ratio culpæ competat illi formaliter, sed tantum causaliter

ante fœtus animationem, quia sive culpa sive pœna nequeunt formaliter reperiri nisi in creatura rationali : et ideo sicut quod informationem rationalis animæ antecedit, causaliter tantum vel radicaliter potest dici *culpa*; ita hoc dumtaxat modo habebit rationem pœnæ. In quo etiam cavendum est, ne rationes istæ culpæ et pœnæ etiam acceptæ causaliter in prædicto debito omnino coincident; sed distinguantur aliquo modo : quia pœna secundum hanc rationem habet esse a Deo ut a iudice decernente et applicante illam : culpa vero ut talis etiam causaliter active sumpta nullatenus potest esse ab illo : sicut nec culpa formalis, quæ ex tali causa consurgit : atque adeo repugnat, ut idem secundum idem sit culpa et pœna : de quo dicemus disp. sequenti dub. 5.

## § II.

*Pro secunda dubii parte duplex sententia, et vera resolutio.*

20. Hæc posterior dubii pars, ubi quaeritur de duratione prædicti debiti, non procedet de debito quoad pœnam, pro quo sufficienter modo quæ nuper tetigimus usque ad disp. 17, ubi de pœna et reatu ad illam latius disseritur. Unde restringetur præsens difficultas ad debitum seu necessitatem contrahendi ipsam culpam originalem. Possumus autem loqui vel de illo, qui in hypothesi assignata num. 11, etiam si peccaverit in Adam, prædictumque debitum contraxerit, in primo tamen instante suæ conceptionis gratia fuerit præventus, et peccati maculam non incurrerit : vel de aliis illam contrahentibus ; sive cito post, sive multo, sive nunquam justificationis gratiam acceperint. Forte enim inter hos casus erit aliqua diversitas, quamvis auctores, quos vidimus, independentem ab illa rem deciderint.

Vasquez igitur, cujus est prima sententia, ubi supra sine discrimine asserit, prædictum debitum manere, nedum in primo conceptionis instante, sed etiam per totam vitam ; neque per gratiam justificationis extingui : unde cum ipse asserat Virginem Deiparam fuisse sub eo comprehensam, consequenter affirmat non illud exuisse per gratiam conceptionis ; sed toto vitæ cursu cum eo mansisse : et sic de aliis a fortiori. Quod primo sibi persuadet. Nam prædictum debitum non est aliud quam relatio passiva

Prima sententia.

ad

Primum  
argu-  
mentum.

ad demeritum Adæ fundata in natura seminaliter ab illo descendente, et quæ quantum est ex se, contraheret maculam talis peccati, nisi obstaret gratiæ impedimentum : aut saltem ex se esset impotens ad non contrahendam illam, vel post contractam non in ea permanendum : atqui hoc totum durat decursu vitæ, neque aufertur per gratiam : cum adhuc posita justificatione, verum sit talem naturam fuisse sub demerito Adami ; descendisse ab eo per seminalem propagationem, ex se esse impotem ad præcavendam prædictam maculam, et ad non permanendum in illa : ergo, etc.

Secundum.

21. Deinde (arguit secundo) vel hujusmodi debitum est impossibile cum gratia, vel non? Si primum, pro nulla duratione habebit esse in illo, qui in sua conceptione justificaretur, sicut fuit justificata Deipara, cum jam tunc adesset gratia cum eo impossibile. Si secundum, nulla est ratio, ut post illud instans adeoque per totam vitam non permâneat, quandoquidem talis ratio solum posset esse prædicta impossibilitas. Eo præsertim quia si debitum per unum instans permanet cum gratia eo ipso non excluditur per illam : quæ enim se excludunt, non sunt simul, ultra gratiam autem nihil est per quod excludatur : ergo vel pro toto tempore, vel pro nullo instante debet posse manere cum illa.

Tertium.

Tertio, quoniam posteri Adami ex vi demeriti illius non modo obnoxii manent contractioni peccati in primo instante, sed etiam permanentiæ in illo, quantum est ex se, et nisi gratia obstet : et ideo quandiu gratia non adest, ex vi talis debiti permanent in ipso peccato ; sicut permanet in eis impotentia ad illud expellendum : cum ergo debitum præcise consistat in hujusmodi obligatione et impotentia, non debet restringi ad primum instans, sed permanere quandiu verum sit, naturam ex se impotem esse ad non contrahendum peccatum, et ad non permanendum in illo : quod nunquam sibi non competet.

Objectio.

22. Si vero huic Doctori opponas sequi ex ejus doctrina, quod si Deus ab aliquo justificato absque ipsius voluntate gratiam tolleret, vel ipse peccando amitteret, revivisceret in eo peccatum originale antea dimissum : cum ex una parte permaneat debitum contrahendi illud ; et ex alia, gratia semel exclusa, nihil sit quod obstet contractioni. Respondet animadvertendo pro primo casu, bifariam posse gratiam alicui infundi : vel sine proprio actu aut dispositione, ut

parvulis ante usum rationis communiter infunditur : vel cum propria dispositione et actu, sicut infunditur adultis. Si infundatur priori modo, existimat fore ut sublata gratia, peccatum originale in illo homine revivisceret : quia maneret absque justitia, quam ex primo parente alias accepturus erat, adeoque illa carentia haberet rationem privationis et peccati. Si vero infundatur posteriori modo, negat prædictam reviviscenciam : quia per actum, quo homo ille fuisset justificatus, maneret adhuc dignus vita æterna, ac proinde justus : quam dignitatem nec Deus pro sola sua voluntate posset illi auferre. Quoad secundum vero casum de iis, qui propriis peccatis actualibus gratiam amittunt, respondet non contrahere iterum originale peccatum : quia neque contrahunt privationem justitiæ ex merito Adami : hæc enim transfundenda solum erat in posteros, et in eis mansura, donec ipsi proprio actu eam non amitterent. Hæc Vasq.

23. Quæ tamen displicent Suariorum ubi supra, et aliis tenentibus (et erit secunda sententia) debitum contrahendi peccatum originale solum durare pro primo instante conceptionis pueri, sive in illo instante justificetur ab actuali contractione præservatus : sive in labe conceptus, in ea perpetuo maneat, vel postmodum per gratiam mundetur. Et quidem prædictum debitum manere in omnibus absque exceptione pro primo conceptionis instante, ex eo suaderi videtur, quia cum debeat unumquemque afficere in propria persona, denominando illum in se ipso *debitorem* saltem extrinsece : persona autem non existat ante instans conceptionis, oportet vel quod nullum sit tale debitum, vel quod in primo instante ad minus perduret. Confirmatur : nam de omnibus peccantibus in Adam, etiam de illo qui in primo instante justificaretur, debet verificari, prius saltem natura fuisse obnoxios peccato originali, quam illo infectos : cumque hoc non possit verificari de illis ut fuerunt præcise in Adam : ibi quippe non tantum debitores, sed vere peccatores extiterunt : oportet ut verificetur de eis in se ipsis, adeoque saltem in primo instante conceptionis ; ante quod in se ipsis nunquam fuerunt.

24. Quod autem prædictum debitum ultra illud instans in nemine extendatur, sed ibi extinguitur, probari potest. Quia causæ peccati originalis pro illa tantum duratione fundant ejus debitum, pro qua vim habent

Secunda  
senten-  
tia.Probatur  
prima  
pars.Probatur  
secunda  
et prima  
senten-  
tia impu-  
gnatur.

inferendi et inducendi prædictum peccatum, manentque ad id necessitatæ: sed hoc habent solum pro primo instante: ergo, etc. Minor probatur: nam prædictæ causæ pro eadem duratione habent vim et necessitatem inferendi peccatum, pro qua habent communicare naturam descendantem seminaliter ab Adam: media enim hujusmodi communicatione et non aliter inducunt illud, ut vidimus disput. præced. a num. 69, munus autem communicandi naturam finitur in primo conceptionis instante: et ideo si semel communicata, puer statim moreretur, nullatenus esset in facultate prædictarum causarum illam rursus communicare: idem ergo dicendum erit de debito seu facultate ad peccatum inducendum. Adde, D. Thomam et alios Doctores frequenter asserere, quod caro propagata ex Adamo, et exinde concupiscentiæ vitio infecta, non maculat animam culpa originali, in quantum est jam illi unita in facto esse; sed prout est in via ad unionem, statque sub actione et motione generativa: hoc autem solum habet in primo instante generationis: ergo, etc.

Probat  
tertia.

25. Deinde quod saltem adveniente justificatione cesset illud debitum, probatur. Tum quia omne debitum extinguitur solutione aut remissione ejus quod debetur: et ideo si Joannes Petro debeat centum solvenda die crastina, et tunc Petrus remittat, non manebit amplius debitor Joannes, ut est per se notum: sed per gratiam remittitur omnino culpa originalis: ergo extinguitur ejus debitum: quæ sit autem vis hujus probationis, constabit num. 41. Tum etiam: nam si prædictum debitum non tollitur per justificationem, non erit per quid tollatur neque in hac vita, neque in futura; atque adeo non solum justi viatores, sed et Beati in patria illo tenebuntur: dicenturque proinde *peccato originali obnoxii*: quod licet videatur absurdum, in id tamen ducunt rationes prioris sententiæ, dum totum quod pro debito assignat, æque maneat in Beatis, atque in viatoribus, ut intuenti constabit. Præterea falsum videtur, quod si Deus ab homine justificato auferret gratiam sine ipsius culpa, revivisceret in eo peccatum originale per illam gratiæ carentiam, saltem si justificatus fuisset sine propria dispositione, ut in pueris contingit. Quoniam talis carentia non esset illi voluntaria neque per actum proprium, neque per actum Adami, qui per justificationem supponitur jam quoad illum hominem omnino retractatus: carentia autem gratiæ non volunta-

ria nequit habere rationem peccati, ut ex se liquet.

26. Illa autem disparitas inter justificationem per propriam dispositionem, et justificationem sine illa, nulla est ad præsens: quia ablata semel gratia, in nullo eorum manet jus ad gloriam: cum totum hoc jus in gratia ipsa fundetur: atque adeo ex parte nullius esset aliquid impediens reviviscentiam peccati originalis, si in utroque maneret debitum influens in ejus contractionem. Sicut etiam disparitas alia inter amittentem gratiam per proprium actum, et inter amittentem illam per solam Dei ablationem, nullius momenti est: quia quamvis Deus non teneretur conferre aut conservare originalem justitiam posteris Adami, postquam illi propria vel parentis culpa eam amitterent; ipsi tamen semper tenerentur ad habendam illam, juxta id quod dicemus disp. sequenti dubio 5. Et ideo carentia talis justitiæ semper haberet rationem privationis, et consequenter rationem culpæ, nisi deesset ratio voluntarii: constat non fore minus voluntariam prædictam privationem, quantum est ex vi demeriti Adami, si homo per proprium peccatum gratiam expelleret, quam si Deus absque tali peccato illam subtraheret: ergo non est cur per hanc subtractionem reviviscat culpa originalis ex vi prædicti demeriti; et tamen non reviviscat per illam expulsionem. His sufficienter falsitatis convincitur prædicta prima sententia, saltem in ea extensione, in qua a Vasquez defenditur. Cujus ultima probatio nobis non officit, ut statim constabit: reliquas vero quæ officere videbuntur, diluemus § sequenti.

27. Minus a veritate recedit secunda sententia, quæ prædictum debitum restringit ad solum primum instans. Adhuc tamen non ex toto illam assequi videtur: quia probabilius arbitramur, prædictum debitum non omnino extingui in aliquo ante suam primam justificationem. Debitum enim peccatum contrahendi non extinguitur saltem ex omni capite, nisi ponatur ejus solutio, vel fiat remissio: sed contracto peccato, dum gratia non infunditur, nec ponitur solutio pro illo, nec remittitur, ut est per se notum: ergo non extinguitur tale debitum.

Confirmatur: tandiu permanet in aliquo debitum peccati originalis, quandiu ex parte causarum manet sufficiens vis et necessitas inducendi aut conservandi in eo tale peccatum: sed adhuc post instans conceptionis

Prose-  
quitur  
primæ  
senten-  
tiæ im-  
pugna-  
tio.

In quo  
deficiat  
secunda  
senten-  
tio.



ceptionis, quandiu gratia non advenit, manet prædicta vis et necessitas: ergo, etc. Major et consequentia constant. Minor vero suadet ex doctrina quam tradidimus disput. præced. dub. 3, § 7 et deinceps: ubi diximus, peccatum Adami, qua ratione fuit posterorum, permanere moraliter in Dei abominatione, offendens ipsum, quandiu ab unoquoque eorum pro se non retractatur, exindeque auferre vel impedire gratiam, ne infundatur illi supposito, pro quo irretractatum permanet: adeo ut sit impossibilis, etiam de potentia absoluta, hæc non retractatio cum illius infusione. Ex hac ergo doctrina superius fuse declarata probatur minor nostræ confirmationis. Nam peccatum illud pro nemine retractatur ante ejus justificationem: quandiu autem non retractatur, necessario inducit aut conservat in supposito cui attinet, privationem originalis justitiæ, quæ est ipsum peccatum originale: igitur semper conservatur ibi debitum hujusmodi peccatum contrahendi.

Confirmatur secundo ex hypothesi supposita disput. præcedente num. 91, nimirum quod Deus annihilaret puerum in originali existentem, statimque eundem numero sine gratia reproduceret: sane in hoc casu puer post reproductionem haberet eandem privationem gratiæ, adeoque idem originale peccatum, quod habebat antea: alias posset saltem hac via auferri peccatum mortale ab aliquo, isque sine illo postea manere absque gratiæ infusione: quod præsertim in via D. Thomæ communiter non admittitur: cum ergo tale peccatum non revivisceret ex vi actionis Dei reproducentis puerum, ut est per se notum; dicendum est reviviscere ex vi prioris debiti manentis adhuc in suis causis, scilicet in peccato Adæ non retractato pro illo puero. Mansit igitur inextincta hujusmodi peccati vis et necessitas ad originale inducendum, etiam post primam istius contractionem: atque adeo permanet debitum de quo loquimur.

28. Neque existimandum est prædictum debitum post instans conceptionis, ubi peccatum contrahitur, usque ad justificationem, per quam extinguitur, manere otiosum et absque ullo influxu in peccatum: quin potius semper influit in illud, quamvis non eodem modo: nam in primo instante ejus influxus terminatus fuit ad contractionem et ad primum esse peccati; deinceps vero terminatur ad ejus conserva-

tionem, et ad tenendum (ut ita dicamus) hominem sub illo. Et quia adæquate rem conservans est sufficiens ad ejus productionem; idcirco si post primam contractionem peccati nova ejus reproductione opus esset, ut in casu annihilationis et reproductionis pueri, non esset necessaria nova causa ad novam illam peccati reproductionem; sed fieret per influxum ipsius peccati Adami non retractati, per quem ante annihilationem conservabatur.

Dicendum itaque est debitum peccati <sup>Assertio.</sup> originalis afficere omnes, qui in Adam peccaverunt, in sua conceptione: manereque in illis usque ad instans justificationis; non tamen ultra progredi, sed statim penitus extingui. Primam hujus assertionis partem probat prima ratio secundæ sententiæ, et ejus confirmatio: secundam (quam ut probabilior tantum eligimus, agnoscens oppositum esse etiam satis probabile) suadent quæ nuper dicta sunt: tertia vero convincitur ex impugnationibus factis contra primam sententiam: quare solum superest diluere argumenta, quibus prædictæ sententiæ contra aliquid istorum militare videntur: ex eorumque solutionibus manebit tota assertio magis elucidata et roborata.

### § III.

#### *Diluuntur contrariæ rationes.*

29. Prima ratio Gabrielis Vasq. qua probare nititur, debitum peccati originalis non modo usque ad justificationem, sed etiam post illam permansurum, facilem habet solutionem: si dixerimus, insufficienter ab eo describi prædictum debitum per solam illam impotentiam, quam ex se habet natura ad non contrahendum vel non perseverandum in prædicto peccato: nam ultra hujusmodi impotentiam ex parte naturæ ad non resistendum peccato, requiritur vis et necessitas ex parte causarum ad illud inferendum. Dum enim deest virtus influens in aliquem effectum ex parte causæ activæ, parum vel nihil refert capacitas aut non repugnantia ex parte subjecti ab illud recipiendum. Unde quia tota vis activa peccati originalis extinguitur per justificationem, dum per eam peccatum Adami, ex quo ortum duxerat, retractatur et remittitur, consequens fit ut per ipsam justificationem prædictum debitum omnino extinguatur. Vel

secundo dici potest, illam relationem passivam ad demeritum Adami, quam Vasquez pro debito assignat, non salvari post justificationem : quia per hanc extinguitur illud demeritum quantum ad hanc personam, quæ justificatur : adeoque nullam potest amplius terminare relationem ex parte talis personæ.

Secundam rationem, quæ procedit de compossibilitate vel incompossibilitate debiti pro primo justificationis instante diluimus ultimo loco. Tertia probat secundam partem nostræ assertionis nempe prædictum debitum non extingui usque ad justificationem : quod vero nec per istam destruitur, nullatenus convincit, ut constat ex solutione, quam modo primæ rationi tradidimus.

Solvitur  
argu-  
mentum  
secundæ  
senten-  
tiæ.

30. Prima ratio et confirmatio secundæ sententiæ probat primam partem ejusdem assertionis ; ut jam diximus. Ad secundam vero, quæ secundam assertionis partem oppugnare videtur, concessa majori, neganda est minor. Ad probationem respondetur, quod licet verum sit, causas fundantes debitum non habituras vim ad id munus præstandum respectu hujus personæ, neque ad peccatum illi inferendum, nisi habuissent saltem aliquæ earum vim communicandi naturam descendantem seminaliter ab Adamo ; non tamen est verum, quod semel facta hac communicatione, et exhausta virtute ad illam repetendam, exhaustiatur etiam ex parte omnium vis illa, quam habebant ad peccatum inferendum. Et ratio est : nam virtus communicativa naturæ non ordinatur ad ejus conservationem ; sed dumtaxat ad primam productionem : conservatio enim non spectat ad generantem, cujus est illa virtus ; sed ad auctorem ipsius naturæ, cui incumbit, omnia entia in suo esse juxta uniuscujusque exigentiam conservare : unde semel facta prima naturæ productione, prædicta virtus, utpote adæquate jam functa officio suo, debet extingui. Cæterum vis illativa peccati non ordinatur præcise ad ejus contractionem, sed etiam ad conservationem, cum nulla alia possit assignari causa conservans : et ideo quousque perduraverit, et conservetur peccatum, debet hujusmodi vis inextincta permanere. Eo præsertim quia quandiu peccatum conservatur, manet etiam in suo robore causa principalis prima et proxima, unde fluxit, et a qua conservatur tota vis operativa contractionis illius : scilicet peccatum actuale Adami

irretractatum et præsens Deo objective, juxta disp. præced. a num. 90. Unde sicut peccatum hoc, quandiu ex divina providentia per gratiam non deletur, inde necessario impedit ipsius gratiæ infusionem ; sic etiam necessario conservat, et veluti manu tenet prædictam vim originalis maculæ inductivam et conservativam, ut inextincta et in suo robore permaneat. Quæ ratio non militat respectu virtutis communicativæ naturæ in ratione naturæ, ut intuenti constabit.

31. Ad illud, quod additur ex D. Thoma et aliis, respondetur, ex duplici capite oriri necessitatem et debitum, ut persona descendens seminaliter ab Adamo incurrat culpam originalem. Primo ex vi generationis patrata semine infecto, hoc est, privato illo vigore, per quem in primo statu justitiam originalem traduceret : quatenus ea privatio causa est, ut communicetur natura similiter privata ipsa justitia originali, quam per prædictum vigorem acceptura erat : ut explicatum est disp. præcedent. a numer. 69. Secundo id oritur ex obice, quem præstat peccatum actuale Adami, ne huic personæ gratia infundatur, dum pro illa irretractatum permanet in Dei abominatione, juxta dicta ibidem a num. 90. Et quamvis inter hæc duo capita quantum ad primam peccati contractionem sit connexio, et ratione talis connexionis possint dici causæ partiales, ut explicuimus ibi a num. 104, si tamen postea uno illorum finito, alterum permaneat, ex isto aderit sufficiens fundamentum prædicti debiti : quia aderit sufficiens principium necessitans ad permanendum in tali peccato, et ad illud, si opus sit, reproducendum.

Quando ergo D. Thom. ait, carnem non maculare animam, nisi dum est in via ad unionem, et ut stat sub motione generativa, loquitur præcise de influxu in peccatum, qui intrinsece descendit per generationem et semen vitiosum : qui sane influxus prout ortus ex isto capite, terminari debet in ipso instante conceptionis, ubi finitur generatio : exercetque illum caro vitiosa, non tam prout intelligitur unita animæ jam *in facto esse*, quam prout intelligitur *in uniri*, seu in via ad unionem. Non tamen excludit D. Thom. quod alia via, nempe ratione prædicti obicis, perseveret influxus peccati Adami in illam maculam, vel conservans eam, vel si opus sit reproducens : quousque per justificationis gratiam, peccato illo retractato et ablato obice, cesset omnino talis influxus.

Diluatur  
additum  
præce-  
dentis  
rationis

influxus. Quare licet asseramus debitum peccati originalis absolute non extingui usque ad justificationem : negare tamen non debemus discrimen inter primum instans, ubi puer concipitur, et reliquum tempus, quo in peccato permanet. Nam in illo adest debitum integrum ex omni capite tam intrinseco quam extrinseco : deinceps vero non ita, sed tollitur quoad intrinseca, et permanet quoad extrinseca. Sufficit tamen hæc permanentia ad conservationem peccati originalis jam contracti et ad ejus, si futura esset, reproductionem, propter incompossibilitatem cum gratia respectu illius suppositi, quæ importatur in prædicto debito extrinseco.

32. Difficilius est quod tangit secunda ratio prioris sententiæ, cujus solutionem usque modo distulimus : quo pacto scilicet prædictum debitum maneat una cum gratia in instante justificationis, et nihilominus per eam in illomet instante extingatur ; vel si in eo non extinguitur, cur non possit post justificationem diu permanere ? Neque urgeret difficultas, si solum loqueremur de communi justificatione, quæ fit transacto tempore post conceptionem : tunc quippe facile dici posset prædictum debitum conservari usque ad instans justificationis exclusive ; in illo vero non jam manere, sed extingui et esse extinctum. Cæterum reducendo casum ad illam personam, cui in ipso conceptionis instante gratia infunderetur, oportet vel quod pro eodem instante infusionis gratiæ debitum perduret ; vel quod pro nulla duratione talis persona in se ipsa illi subjaceat : cum in illomet instante, quod est primum sui *esse*, gratia jam assistat.

Huic argumento vidimus innixos aliquos ex illis, qui Deiparam a contractione originalis maculæ non præservant : videbiturque etiam posse inniti præservantes ipsam quoque a debito : quasi reperiri aliquando debitum non valeat, ubi nunquam fuerit peccatum : adeoque non præservari possit ab isto, quisquis sub illo comprehenditur. Sed revera neutra opinio poterit ex hoc capite fulciri, ut constabit ex solutionibus, quas statim adducemus. Præterquam quod cum argumentum factum procedat de possibili ; prædictæ vero opiniones nequeant sua asserta ad impossibilitatem vel implicationem oppositi reducere (nemo enim hactenus negare ausus est, quod attentata Dei potentia potuerit Virgo concipi vel sine peccato et debito, vel cum utroque simul, vel cum debito et sine peccato) patet prædictum

argumentum neutri opinionum suffragari.

33. Responderi ergo potest primo, quod licet omnes contrahentes de facto culpam originalem incurrant prius natura, unusquisque in sua propria persona prout habet esse in se ipsa, debitum ipsius culpæ, adeo ut sicut in se sunt, et dicuntur intrinsece *peccatores* ; ita in se et prius natura sint et dicantur intrinsece *debitores* : attamen ille quem Deus a peccati contractione præservaret, nunquam in propria persona, ut existens actu in se ipsa et extra suas causas, prædicto debito tangeretur ; sed solum prout fuit in suis causis, scilicet in Adamo et reliquis posteris, per quorum infectum semen natura ipsius Adami ad illum perveniret : ita quidem ut non solum materialiter diceretur *debitor* ratione causarum, quatenus istæ alias debito subjacerent ; sed formaliter et ratione sui ut contenti et futuri in ipsis causis, ita ut tota ratio illius debiti in causis esset continentia et futuritio talis personæ, formaliter in quantum ejus continentia et futuritio : atque adeo ita ut prædicta persona ex vi illius continentiæ intelligeretur jam ex tunc sub debito et necessitate ad contrahendum in se ipsa peccatum pro eo nunc, in quo proprium *esse* a causis recipe-ret : nec aliter quam sub eo debito et necessitate ibi repræsentaretur. Hoc autem genus debiti quamvis non ita arcte et intrinsece afficiat in se ipsa personam, quæ *debitrix* dicitur, sicut illud quo afficiuntur omnes in originali peccato concepti ; sufficiens tamen videtur, ut verificentur omnia, quæ verificari debent de iis, qui peccaverunt in Adam, et in se ipsis indigent redemptione per Christum.

Pro cujus pleniori intelligentia nota, dupliciter posse intelligi, quod iste de quo loquimur, præcaveret peccatum, et etiam debitum in propria persona ut existente in se ipsa. Vel quia Deus antecedenter mundaret semen parentum ejus conceptionem operaturum ab illa infectione, quam ex Adamo acquisivit, ratione cujus traducturum erat culpam originalem : et hac via non modo in instante conceptionis gratia peccatum excluderet ; sed ex tempore antecedenti esset illi aditus præclusus per prædictam emundationem : quæ dum a semine oppositam immunditiam et vim communicativam peccati auferret, efficeret etiam ne prædicta vis fœtui concipiendo appropinquaret, aut illum cominus intueretur ; sed quasi eminus et a longe conspiceret. Quo fieret ut etiam debitum, de quo loquimur, ibidem sisteret, nec

Prima  
solutio.

Prior  
modus  
tuendi  
solutionem.

proximius ad conceptum accederet: ipsaque persona concipienda, etiam priusquam in se existeret et ut contenta in illo semine mundato, non jam repræsentaretur obnoxia et debitor, sicut repræsentabatur ante emundationem; sed libera et soluta a necessitate peccatum contrahendi.

34. Hunc modum præservandi ab originali fuisse Deo possibilem, recte agnovit D. Thom. in 3, dist. 3, quæst. 1, art. 1, quæstiunc. 1, negat tamen fuisse conveniens respectu alicujus. Tum quia ad ita procedendum, deberent parentes non solum ut particulares personæ perfecta sanctitate et munditia ornari, sed etiam natura eorum in ratione naturæ a morbo et vulneribus in Adamo acceptis perfecte sanari per donum originalis justitiæ: nam communicatio peccati sequitur conditionem naturæ, non vero personæ generantis: hæc autem perfecta sanitas propria est solius status gloriæ, et ideo pro nullo decuit illam in via naturæ conferri. Tum etiam quia re bene attenda, gratia et privilegium in hac præservazione interveniens, non tam fieret personæ excipiendæ a culpa originali, quam ejus parentibus vel naturæ: quæ per prius omnino in eis sanaretur, quam talis persona: quæque semel sana non illi dumtaxat, sed quibusvis aliis a parentibus illis gignendis sine culpa et vitio communicaretur. Quinimo etiam si Deus postea personæ illi in se ipsa gratiam vel aliud supernaturale donum non conferret; semel tamen facta prædicta seminis mundatione, et sanata natura, nec prædicta persona, pro qua specialiter id factum fuisse dicitur, neque alia ex eisdem parentibus deinceps orta, cuique nullam gratiam Deus facere decrevisset, in peccato originali conciperetur; sed potius in puris naturalibus, cum esset jam præclusa janua, qua peccatum deberet introduci, nec posset iterum aperiri. Quod satis convincit, gratiam et privilegium ibi intervenientia potius fieri parentibus vel naturæ, quæ originali justitia exornabantur, quam prædictæ personæ: quæ posset adhuc, Deo disponente, sine illa, et sine gratia concipi. Has ob rationes rejicit D. Thom. hunc modum discurrendi, quem nos etiam omitimus.

Alter  
modus  
dicendi.

35. Secundo posset fieri prædicta præservatio; non in parentibus, in eorumve natura, aut semine; sed immediate in ipsa persona, per gratiam collatam illi in instante animationis, quæ peccatum impediret, extingueretque in illo met instante de-

bitum et necessitatem præcedentia in causis, quæ toto antecedenti tempore conceptum ad maculandum urgebant, et pro peccati contractione instabant. Unde sicut ante prædictum instans nihil fuit extinguens tale debitum, aut impediens vel retrahens ne conceptum in se ipso attingeret, sed totum hoc fuit opus solius gratiæ illius instantis: ita tota hæc gratia fieri intelligitur personæ tunc primo conceptæ, potius quam parentibus vel naturæ: neque alia dona, quam quæ personæ ipsi in se conferuntur, sibi vendicant munus præservandi illam et liberandi a peccato, et a debito, quod habuit in causis ad ipsum contrahendum.

Hic modus dicendi sufficienter salvare videtur, quicquid verificari necesse est de debito, quod disquirimus: nam licet persona præservata non subjaceat illi physice et realiter, dum est actu in se ipsa; subjacuit tamen toto tempore præcedenti, dum erat contenta et futura in suis causis: totoque illo tempore repræsentabatur in illis, et objiciebatur nostræ cognitioni ut obstricta et obligata, atque necessitate ad hoc ut quandocumque in se ipsa produceretur, incurreret peccatum. Imo absolute et sine addito dici poterat, quod prædictum debitum tetigisset illam personam, et quod ipsa persona fuisset absolute sub tali debito. Tum quia fuit sub illo in ultima dispositione immediate antecedente generationem, in qua dispositione censetur jam esse quasi formaliter persona genita, juxta commune axioma, *quod prope est ad actum, nihil ab actu differre videtur*.

36. Tum etiam, nam sicut tempus immediate antecedens instans generationis se ipso tangit et veluti deosculatur prædictum instans, adeo ut existat formaliter per ejus existentiam: ita dispositio toto illo tempore perdurans, potest dici tangere et quasi exoculari rem genitam, quæ ex illa in prædicto instante immediate debet resultare: eodemque modo vis, et necessitas incurrendi peccatum, quæ toto illo tempore inhæret prædictæ dispositioni, potest dici tangere et afficere in se ipsa personam gignendam, quasi immediate adhærens illi, quamvis non inhærens. Neque est novum, aliquid denominari formaliter, et suo modo intrinsece ab eo, cui non coexistit intrinsece, sed immediate succedit: sicut pars temporis immediate succedens instanti, denominatur ab eo formaliter *existens* suo modo intrinsece, non per inhærentiam; sed per attingentiam et adhæSIONEM. Ita ergo in nostro casu

App  
batu

casu persona genita et præservata a culpa posset denominari in se ipsa *debens* a debito inhærente ultimæ dispositioni, cui ipsa persona immediate succedit, et a qua veluti deosculatur et attingitur. Tum præterea, nam terminus *a quo* alicujus mutationis seu generationis, quamvis revera per illam destruat, censetur nihilominus aliquo modo assistere in ipso instante generationis pro aliquo signo naturæ : quatenus pro tali signo nondum concipitur *in corrupto esse*, sed tantum *in corrumpi* : sicut nec terminus *ad quem* pro illo signo concipitur *in facto esse*, sed tantum *in fieri* : unde eo ipso censetur deesse ibi aliquid et perfectioni unius, et alterius desitioni : et hac ratione illum quodammodo non esse, et istum quodammodo esse. Cum ergo in justificatione illius, de quo loquimur, terminus *a quo* sit peccati debitum, terminus vero *ad quem* sit infusio gratiæ, et hæc prius debeat concipi *in fieri* quam *in facto esse*; datur locus ut pro illo priori concipiamus prædictum debitum nondum omnino destructum, sed quasi *in destrui* et *corrumpi*; et ut possimus concipere personam, quæ justificatur sub non plena debiti corruptione, atque adeo quodammodo sub ipso debito.

## § IV.

*Ejusdem argumenti melior solutio.*

37. Secundo et melius ad hoc argumentum respondetur concedendo, in eodem instante conceptionis, in quo existeret gratia, extitutum etiam intrinsece et realiter debitum peccati originalis : atque adeo personam ita justificatam in se ipsa formaliter et cum omni proprietate fuisse pro illo instante debitoricem, et obnoxiam peccato; non tamen peccatricem aut maculatam tali peccato, quia peccatum et ejus denominationes pro nulla duratione queunt stare cum gratia; debitum autem et denominatio *debitoris* compatitur cum illa in primo instante, et non ultra : sicut disp. præced. num. 139, diximus dignitatem capituli in Adamo potuisse compati cum ejus peccato pro primo instante, statim vero ablatam fuisse. Pro quo nota, causas intrinsece fundantes debitum, ut supra dicebamus, esse illas infectæ dispositiones, quæ virtute infecti seminis in materia fœtus introducuntur : quæ quidem in se ipsis permanent usque ad instans animationis exclusive, et in illo desinunt per primum *non esse* : sicut

in qualibet generatione substantiali dispositiones præcedentes et determinantes materiam ad formam gignendam adsunt exclusive usque ad instans ipsius formæ; ibi vero jam non adsunt, sed desinunt per primum *non esse*, propter resolutionem usque ad materiam primam, quæ sit in prædicta generatione.

Deinde nota, quod sicut hujusmodi dispositiones præcedentes formam substantialem eo ipso quod toto illo tempore informent et afficiant materiam, relinquunt eam ex tunc sigillatam et determinatam ad formam generandam, et ad alias similes dispositiones concomitantes ipsam formam, manetque hæc sigillatio et determinatio in ipso instante generationis, postulans et inferens resultantiam talis formæ, eamque de facto necessario inducens, nisi per aliam formam oppositam actualis illius resultantia divinitus impediatur (de quo latius N. Complutenses lib. 1 de generat. disp. 2 a num 88,) ita in nostro casu quamvis causæ fundantes debitum, scilicet dispositiones illæ ortæ ex infecto semine, formaliter non perdurent nisi usque ad instans animationis exclusive; relinquunt tamen materiam sigillatam pro prædicto instante inclusive : ratione cujus sigillationis resultant dispositiones concomitantes formam similiter infectæ : tamque hujusmodi novæ dispositiones, quam prædicta sigillatio afficiunt personam conceptam formaliter in se ipsa, exiguntque pro viribus, ut communicetur animæ, ad quam disponunt, similis infectio, quæ erit privatio gratiæ et justitiæ originalis : de factoque eam illi inferrent, nisi per ipsam gratiam impediretur resultantia talis privationis.

38. Hac igitur via recte intelligitur, qualiter persona præservata a macula peccati subjaceat ejus debito in instante conceptionis formaliter in se ipsa : siquidem vere subjacet prædictæ sigillationi et dispositionibus, quæ in illo instante manent, et urgent conceptum pro contractione peccati : servantque ibi vim illud inferendi, in qua consistere diximus prædictum debitum. Neque enim de ratione istius est ipsa actualis illatio peccati, quæ cum gratia esse nequit; sed solum prædicta vis et conatus ad illud inferendum : quæ manere possunt, quamvis effectus divinitus impediatur : sicut in gravi detento sursum manet vis et conatus urgens pro descensu, quamvis iste sit impeditus.

Recte etiam intelligitur, quomodo prædic-

Apparet  
veritas  
solutionis.

tum debitum ab illo instante in durationem sequentem non transeat : nam sicut illa sigillatio, quæ relicta fuit in materia per dispositiones præcedentes, non amplius est illativa formæ, neque urget pro illa nisi pro instante generationis, pro quo proxime connotat ipsas dispositiones, unde fuit causata; et ideo : si pro illo tunc resultantia talis formæ miraculose impediretur, non maneret amplius prædicta sigillatio, neque pro tali forma rursus instaret : sed ex tunc ejus vis extingueretur : ita vis et necessitas illativa peccati, quæ virtute causarum præcedentium relicta fuit in persona genita, solum potuit durare pro illo primo instante, in quo de proximo connotabat prædictas causas; et in quo virtute illarum deberet peccatum introducere; et introduceret de facto, nisi a gratia impediretur : semel vero hac introductione impedita, et prædicta connotatione sublata, extinguitur illa vis; nihilque remanet instans et urgens pro peccato. Adde ex dictis disp. præced. num. 89, illum, qui descendit ab Adamo per seminalem propagationem, contracturus propterea in primo instante conceptionis culpam originalem, tandiu et non amplius manere illi obnoxium ex vi prædictæ propagationis, quandiu recipit influxum Adami moventis ad ejus generationem : tandiu autem recipit hujusmodi influxum, quandiu stat sub motione generativa, qua finita cessat prædictus influxus : motio autem generativa manet usque ad instans conceptionis inclusive, et ibi finitur per *ultimum esse* : ergo idem dicendum est de prædicto debito.

39. Per quod patet ad omnia, quæ Vasquez in sua ratione objiciebat intendens prædictum debitum manere etiam post justificationem : et ad ea, quæ alii possent opponere nitentes probare, quod neque in primo instante conceptionis possit intrinsece adesse tale debitum, si semel ibi non sit peccatum: credimus namque sufficienter nos explicuisse, qualiter prædictum debitum non sit impossibile cum gratia in primo instante conceptionis: secus vero deinceps : atque adeo qualiter etiam si pro illo instante non fuisset locus peccato; fuisset tamen debito : et quod non sit inter hæc duo connexio omnino necessaria pro quavis duratione.

Repleta. Sed urgebis primo : quia terminus *a quo* illius justificationis cum non fuisset peccatum, fuisset utique ejus debitum : at terminus *a quo* non est compossibilis cum termino *ad quem* ; igitur nec prædictum

debitum cum gratia, quæ est terminus *ad quem* cujuscumque justificationis.

Respondetur terminum *a quo* in prædicta justificatione non fuisse debitum, de quo loquimur nude sumptum, sicut invenitur in ipso instante conceptionis; sed idem debitum ut associatum carentia gratiæ, sicut fuit in duratione immediate antecedente (ubi tamen ex incapacitate subjecti, quia nondum erat creata anima rationalis, talis carentia non erat formaliter peccatum; fuisset vero, si permansisset in ipso instante conceptionis, quia jam ibi esset privatio gratiæ in subjecto capaci) : sicut ergo sola hæc carentia fuit exclusa per gratiam, ita ea dumtaxat seu debitum ut instans sub illa, non vero ipsum debitum secundum se fuisset terminus *a quo* prædictæ justificationis. Vel possumus alium terminum assignare, qui etiam sit impossibilis cum gratia : nempe peccatum Adami irretractatum, et debitum inde consurgens, juxta ea quæ in hoc dubio jam tetigimus, et iterum tangemus : et juxta illa, quæ de termino *a quo* nostræ justificationis dicemus disp. sequenti numero 74, claudentes sub hoc termino tam peccatum præteritum irretractatum et offensam Dei, quam peccatum habituale, seu gratiæ privationem.

40. Secundo urgebis, quod in instante justificationis nihil debet remanere de ratione culpæ, sicut neque aliquid damnationis : ut docet Concilium Trid. ses. 5, decreto de peccato orig. imo neque reatum originalis peccati in eis admittit; sed totum hoc dicit tolli per justificationis gratiam : debitum autem, de quo loquimur, aliquid est de ratione culpæ et damnationis, cum non sit præcise malum pænæ, ut diximus num. 19, imo est ipse reatus seu obligatio incurrendi peccatum originale : ergo nequit manere una cum gratia justificationis.

Respondetur prædictum debitum pertinere ad malum culpæ, non formaliter quasi ipsum proprie et formaliter culpa sit; sed causaliter, quia illam inducit. Hoc autem modo non negat Tridentinum manere aliquid culpæ in justificatis, sed id expresse admittit : et ideo loquens ibidem de concupiscentia, quæ manet in renatis, ait appellari ab Apostolo *peccatum*, non quia vere et proprie, seu formaliter peccatum sit; sed quia ad peccatum inclinatur : quod est esse peccatum causaliter : sicut etiam potentia peccandi, quæ manet in omnibus, potest dici hoc modo *peccatum*, quia est causa peccati. Nomine vero *reatus*, quem Concilium

Concilium manere negat, intelligit ipsummet peccatum originale secundum suam formalem rationem; non vero solum debitum illud incurrendi: nam ut inferius dicemus, nomen *reatus* commune est ad utrunque. Adde, ibi esse sermonem de illis, qui justificantur per baptismum longo tempore post conceptionem: in his autem non remanet jam tunc debitum peccati, quod in instante conceptionis ob specialem rationem debuit adfuisse, etiamsi tunc adesset gratia: neque etiam aliud debitum, quod in non justificatis permanet ex peccato Adami non retractato: quippe hoc nunquam intrat ipsum instans justificationis, quando-cunque hæc fiat, ut ex dicendis num. 43 magis constabit.

41. Urgebis tertio; quia omne debitum, ut supra dicebamus, extinguitur per solutionem vel remissionem illius, quod debetur; adeo ut cum earum nulla possit existere: quando enim verum est rem debitam esse solutam aut condonatam, etiam est verum non jam deberi, atque adeo debitum esse extinctum: sed justificato in instante conceptionis remittitur in eodem instante peccatum originale: ergo in illomet extinguitur, et non permanet ejus debitum.

Pro solutione hujus replicæ animadvertendum est, duplex esse genus debiti: aliud præcise morale, quod tribuit creditori aut judici jus ad exigendum: ut est illud, quod fundatur in merito respectu præmii, et in demerito respectu supplicii, et in offensa illata respectu satisfactionis, etc. et hoc genus debiti extinguitur immediate per solutionem vel remissionem, nec potest manere cum illis, sed ubi verum est debitorem solvisæ, aut creditorem remisisse, etiam est verum nihil jam deberi. Aliud est debitum (ut sic dicamus) *physicum*, quod importat connexionem physicam et necessariam illationem effectus ex suo principio, seu vim et necessitatem ad talem illationem: sicut essentialiter debentur passiones, et accidentia, quæ ex ea inferuntur; et materiæ ultimo dispositæ ad generationem debetur forma, quæ ex illa dispositione inferitur. Hujusmodi autem debitum non tollitur, neque extinguitur per solutionem aut remissionem, ut ex se liquet; sed per hoc quod in principio ex quo debitum est sequi effectum, extinguatur vis et necessitas inferendi illum; vel propter elongationem a sua propria causa; vel quia transit duratio, in qua vis illa functa fuit, aut fungenda erat officio suo; vel ob alias rationes ad ordinem

physicum pertinentes: sicut transacto generationis instante extinguitur in materia vis illativa formæ generandæ relicta ex præcedentibus dispositionibus, sive de facto talis forma ponatur, sive per aliam divinitus impediatur.

42. Hoc prænotato ad replicam responde-<sup>Solutio.</sup> tur, in nostro casu utrunque debitum concurrere: nam ex qua parte ille qui concipitur, peccavit et offendit Deum in Adam, quando fuit in illo, mansit exinde debitor exhibendi Deo satisfactionem pro offensa, et sustinendi pœnam temporalem et æternam pro culpa: et totum hoc est debitum morale. Ex qua parte vero prædictum Adami peccatum auferendo ab eo originale justitiam reliquit totum ejus semen vitiosum et infectum, debitum est huic infectioni, ut quicumque per tale semen generetur, incurrat peccatum originale in propria persona, ubi primo concipiatur. Hoc autem genus debiti potius est physicum quam morale, quia non innititur immediate merito aut demerito, etc. sed causalitati et necessariæ connexioni, qua peccatum Adami, secundum quod fuit capitis, infert medio semine infecto peccatum originale in posteris: constringitque et necessitat istos ad illud contrahendum: ob idque disp. præced. dub. 3 et 4, diximus, causalitatem peccati Adami in originale nostrum et illationem istius ex illo non pertinere ad ordinem causæ moralis; sed ad ordinem causæ physicæ. Dicimus ergo primum illud debitum peccati originalis extingui per remissionem, quam quantum ad offensam, culpam, et pœnam æternam largitur Deus in instante justificationis, neque aliter posset gratiam conferre: unde in illomet instante verum est, prædictum debitum esse extinctum, et non coexistere remissioni. Posterius autem non extinguitur hoc modo; sed quia elongatur a suis causis: quæ fuerunt actio generativa et dispositiones pertingentes usque ad instans generationis: aut etiam quia transit duratio, pro qua habuit fungi officio suo inferendi culpam, sive de facto intulerit illam sive non: quæ duratio fuit tantum prædictum instans.

Denique urgebis, quod ex hac ipsa doctrina videtur impugnari secunda pars nostræ assertionis, in qua diximus debitum peccati originalis manere in omnibus usque ad justificationem, etiam si hæc tempore differatur, ut communiter fit: modo autem asserimus prædictum debitum extingui statim post primum instans: ergo, etc.

ultima  
replica.

Enoda-  
tur.

43. Respondetur, modo nobis fuisse sermonem de debito compossibili cum gratia, et quod debet manere in omnibus pro primo instante, etiamsi tunc aliquis justificaretur: et hoc asserimus extingui immediate post illud instans: quia cum innitatur eisdem causis et dispositionibus physicis, quibus patrat conceptio, extingui debet, quando extinguitur vis operativa conceptionis. Ad verificandam autem illam partem assertionis pro iis, qui non statim justificantur, recurrendum est ad aliud principium, quod est peccatum actuale Adami non retractatum, et ad obicem, quem ponit gratiæ pro toto tempore non retractationis: nam ex hoc capite, etiam extincto illo priori, remanet necessitas permanendi in culpa originali contracta; vel etiamsi opus sit illam de novo contrahendi, quandiu non amoveatur prædictus obex. Et hoc genus debiti asserimus manere in omnibus usque ad primam justificationem, quandocunque hæc fiat.

Est tamen inter utrunque debitum discrimen: quod primum sicut manet in omnibus in instante conceptionis, sive gratia tunc detur, sive non; ita in nullo ultra progreditur. Secundum autem nec potest esse cum gratia: et ideo si hæc daretur in primo instante non intraret illud instans: sicut neque intrat instans cujuscunque justificationis: neque etiam potest aliter quam per gratiam extingui; adeoque tandiu perseverat, quandiu illa non infunditur: cujus discriminis rationem ex dictis facile quisque deprehendet. Nam illud prius non est vere peccatum; sed tantum est necessitas quædam urgens pro ejus contractione: quæ quidem necessitas, ubi peccatum re ipsa non contrahitur, potest simul esse cum gratia in primo instante conceptionis, ad quod usque et non ultra pertingit. Posterius autem dicit ipsum peccatum Adami irretractatum pro hac persona, quæ dicitur *debens*; cum qua irretractatione non compatitur gratia collata eidem personæ.

## § V.

*Illationes doctrinæ traditæ.*Primum  
corollarium.

44. Ex doctrina hujus dubii aliqua inferre licet, quæ et per se scitu digna sunt, et dubiis sequentibus *deservient*, præsertim vero observari debent pro dicendis dub. 5, dum explicuerimus plures Scripturæ, et Patrum loquutiones. Primo ergo infertur non posse

enuntiari absolute de illo, qui cum peccasset in Adamo, in instante conceptionis justificaretur, aliquam propositionem, ubi prædicetur peccatum originale, vel ejus denominativa: et ideo non est absolute concedendum, quod contraxerit aut incurrerit prædictum peccatum, quod habuerit ejus maculam vel culpam, aut quod sub istis fuerit: quod *iniquus, injustus, peccator, pollutus, maculatus, vel damnatus* extiterit: quod fuerit Deo *mortuus, inimicus, exosus, aut ab illo aversus, filius iræ, sub potestate diaboli, ejus servus, captivus, et similia*. Ratio vero est: quia quod absolute enuntiat de aliquo, intelligitur de illo prout est formaliter in se ipso: sicut enim tunc dumtaxat dicitur absolute esse, quando in se formaliter existit; ita tunc solum potest absolute dici esse tale vel tale, quando in se habet esse formaliter tale: undecum is de quo loquimur, nunquam in se ipso habuisset formaliter peccatum, non posset subterni alicui propositioni, ubi peccatum vel ejus denominativa absolute affirmantur: idemque esset admittere absolute similes enuntiationes; atque admittere fuisse in eo peccatum proprie et formaliter, ut existente actu in se ipso. Ob eandemque rationem deberent absolute negari quasi in idem redeuntes propositiones habentes negationem justitiæ, innocentiae, sanctitatis, etc. ubi negatio potius afficit prædicatum, et non copulam: ut quod aliquando fuerit *non justus, immaculatus, non innocens, etc.* quia his etiam datur intelligi defuisse illi in sua propria persona pro aliqua duratione gratiam, ex qua prædictæ nomenclaturæ desumuntur.

Diximus ubi negatio afficit prædicatum, etc. quia tunc restringitur propositio ad aliquam durationem, pro qua fuerit talis persona: atque adeo absolute prolata, accipitur de illa, ut habuit esse formaliter in se ipsa. Si vero negatio afficiat copulam, ut in his: *aliquando non fuit justus: aliquando non fuit innocens, etc.* neque deberent absolute concedi, neque negari; sed exponi: quia indifferenter possunt denotare et durationem, in qua persona illa erat; et sic sunt falsæ; et durationem, in qua nondum erat, et sic sunt veræ: quando enim quis nondum erat, verum est quod nec justus erat, licet semper quod fuit, fuerit justus. Quod si tales propositiones absque expositione proferrentur, ex subjecta materia, vel ex aliis principiis venanda essent earum legitimus sensus, et duratio, ad quam referantur.

45. Cæterum



45. Cæterum si in omnibus propositionibus prædictis fiat restrictio per hoc additum *in Adam*, vel aliud simile, tam affirmative quam negative possent et deberent concedi. Unde recte diceretur, quod illa persona *peccavit et offendit Deum in Adam, quod transgressa est divinum præceptum in Adam, quod comedit de ligno vetito in Adam, quod in illo fuit maculata, fuit mortua, fuit peccatrix, fuit Deo inimica, filia iræ, captiva diaboli, etc.* omnia hæc cum prædicto addito *in Adam*. Hujusmodi enim additum restringit sensum prædictarum propositionum ad personam, de qua enuntiantur, non ut fuit actu in se ipsa, sed ut fuit in Adamo, tanquam in capite morali posterorum supponente pro omnibus illis, quatenus in pacto cum Deo, et in virtute seminali ipsius Adami continebantur. Unde sicut Adamus tunc ex omnium persona deliquit, et per peccatum illud fuit pro omnibus originali justitia privatus; ita ex omnium persona et pro omnibus mansit peccator constitutus, pro omnibus injustus, pro omnibus maculatus, Dei inimicus, etc. pro omnibusque mansit *non justus, non sanctus, non innocens, etc.* quod et nihil aliud sonant prædictæ propositiones. Adde, inter eum de quo loquimur, et alios posteros Adami nullum extitisse discrimen usque ad instans conceptionis: in qua ille gratiam accepit; hi vero peccatum contraxerunt: atque adeo quicquid relative ad tempus antecedens de cæteris enuntiat, debet pariformiter de illo prædicari. Cum ergo omnes prædictæ propositiones per illud additum *in Adam* determinantur ad tempus longe antecedens conceptionem; consequens est ut sicut de cæteris, qui peccatum contraxerunt, cum veritate proferuntur; sic etiam de illo, qui præservatus fuit, vere et cum proprietate enuntientur.

46. Infertur deinde, omnes propositiones, in quibus non peccatum vel ejus denominativa, sed solum debitum, et quicquid in hoc includitur, prædicatur, veras esse in toto rigore respectu illius personæ præservatæ, de qua loquimur. Et ita absolute deberet de illa prædicari, quod fuit sub debito et necessitate incurrendi peccatum originale: quod fuit obligata et obnoxia huic peccato: quod habuit reatum illud contrahendi, quod contraxit in radice, in obligatione, et in debito: imo quod fuit peccatrix, injusta, maculata, mortua, etc. hoc modo, nempe *in radice, in obnoxietate, in debito*. Quippe his omnibus loquutionibus

ad summum denotari potest, quod talis persona habuerit in sua carne peccati initium, causam, et radicem; et in se ipsa obligationem et necessitatem incurrendi ex vi suæ conceptionis maculam, injustitiam, mortem animæ, etc. quæ omnia importantur in debito, quod explicuimus.

Si quæ vero essent circa hoc propositiones vel denominationes ambiguæ, quæ vel ex usu, vel ex vi verborum indifferenter possent accipi de peccato, et de debito; non deberent absolute concedi, aut negari; sed distingui, et exponi. Forte sunt hujusmodi, *reum esse peccati, et habere peccati reatum*: quia utraque hæc propositio sufficienter potest accipi vel pro *esse obnoxium peccato incurrendo*, quo pacto significant debitum, sicut cum dicimus *aliquem esse reum mortis*, ex eo dumtaxat quod illam meretur, aut quod ad illam sit condemnatus: vel possunt accipi pro eo quod est *teneri sub peccato ligatum et obstrictum*, adeoque pro *habere illud formaliter*: sæpe enim nomina *reus et reatus* pro ipso peccato accipiuntur, ut cum dicimus aliquem esse *reum criminis*: et de peccato originali dici solet, quod post baptismum *manet actu, et transit reatu*: quia manet actualiter concupiscentia, quæ fuit aliquid illius peccati; tollitur vero ratio formalis culpæ, quæ sæpe *reatus* vocatur ut magis declarabimus disp. 17, dub. 1.

47. Tertio infertur non esse absolute <sup>Tertium.</sup> concedendum de illo, de quo loquimur, quod fuerit reus aut debitor pœnæ æternæ; sed solum cum addito *in Adam*, vel *in radice, etc.* Ratio vero est: quia debitum et reatus pœnæ æternæ cadit immediate supra culpam, et illam indispensabiliter comitatur, per ejusque remissionem remittitur, unde ea tantum ratione potest prædicari de aliquo, qua potest prædicari ipsa culpa: atque adeo sicut hæc non posset prædicari absolute, de illo, qui formaliter eam non contraxit; ita neque debitum aut reatus prædictæ pœnæ. Quocirca est discrimen inter debitum peccati, et debitum prædictæ pœnæ: quia debitum peccati ex nomine ostenditur esse aliquid antecedens ipsum peccatum, adeoque prædicabile de quocunque obnoxio peccato, quamvis illud non incurrerit: debitum vero pœnæ æternæ ex ipso nomine supponit peccatum: et ideo in eo sensu dumtaxat poterit prædicari de aliquo, in quo peccatum ipsum prædicatur.

Secus dicendum est de reatu pœnæ <sup>Animad- versio.</sup> temporalis, ut mortis, ægritudinis, corruptionis, etc. quia sicut hujusmodi reatus potest

manere in aliquo, ablata culpa, sic etiam potest ei inesse absque illius contractione in propria persona : ob solum peccati debitum, et ob solam contractionem peccati in Adamo : ex illius enim peccato et demerito mansit natura, et mansimus omnes sufficienter obnoxii pœnis æternis et temporalibus : et quamvis illa dimittatur a Deo una cum culpa per justificationis gratiam ; secus tamen istæ : unde sive supponatur peccatum in propria persona, sive solum peccati debitum, et peccatum in Adam ; potest illarum debitum permanere vel in remedium et medicinam, vel ad majorem divinæ justitiæ manifestationem. Ille ergo, quem Deus in nostra hypothese a peccato præservaret, non ideo ab hujusmodi temporalibus pœnis liberaretur ; sed illas incurreret, non obstante illo privilegio : ex eo dumtaxat, quia naturam ex Adami semine participaret. Accedit quod prædictæ pœnæ afficiunt hominem potius ex parte corporis quam ex parte animæ, sufficienterque oriuntur ex ipsa carne, quatenus destituta illa perfectione, quam originalis justitia corpori tribuebat, juxta id quod dicemus disp. sequenti dub. 1, unde quandiu talis perfectio corpori non restituitur, quamvis anima per gratiam sanctificetur, semper manet radix et origo similium pœnarum in ipsa carne : nec talis sanctificatio, vel aliquid aliud (nisi forte ex speciali miraculo) illarum executionem impedit.

Quartum  
corollarium.

48. Quarto infertur, plures propositiones ex hucusque recensitis, quæ de anima vel persona illius præservati falso enuntiarentur, recte et sine erroris periculo posse de ejus carne affirmari : ut si diceremus *illam fuisse carnem immundam, maculatam : vitiatam per peccatum, in illo conceptam*, et hujusmodi. Et ratio est : quia prædictæ propositiones applicatæ ad animam vel ad personam, enuntiarent de illis eam maculam et infectionem, cujus sunt capaces, et cujus possunt esse subjectum : cumque persona et anima sint capaces maculæ et immunditiæ, quæ est formaliter culpa et peccatum, sintque hujus proprium subjectum eo ipso quod tales propositiones absolute de illis enuntiarentur, sensus esset quod prædicta anima et persona habuissent in se ipsis ipsum peccatum : cujus contrarium supponitur. At vero cum applicantur carni, ratione materiæ restringitur significatio ad illam maculam et immunditiam, et ad illam peccati rationem, cujus ipsa caro potest esse subjectum : cumque nequeat esse subjectum

peccati aut culpæ formalis ; sit autem subjectum illius pravæ dispositionis, quam diximus esse radicem et initium inducens ad peccati contractionem, adeoque debitum talis contractionis, quæque hoc pacto, scilicet per modum debiti et radicis, potest dici *peccatum, immunditia, macula*, etc. recte absque erroris periculo propositiones illæ de prædicta carne enuntiarentur : neque aliud denotarent, quam quod fuisset in ea prædictum debitum.

Imo etiam caro illa dici posset *caro peccati, et caro peccatrix, et caro damnata, et caro peccato infecta, et caro concepta in iniquitatibus*, sine eo quod plus aliquid quam prædictum debitum personæ illi tribuatur. Carnem enim esse peccati, aut esse peccatricem, aut esse vitiatam, damnatam, infectam peccato, aut in iniquitatibus conceptam, nihil aliud dicit, quam quod fuerit in sua conceptione affecta et inquinata illa infectione, quæ ex peccato et in ordine ad peccatum potest esse in illa : hæc autem infectio solum importat illam pravam dispositionem, quam in instante conceptionis unusquisque accipit in ipsa carne, descendente ex peccato Adami per semen infectum, et inducentem, quantum est ex se, peccatum originale in anima : cujus dispositionis exors non fuisset, quicumque debitum prædicti peccati in propria persona contraxisset, etiamsi a peccato ipso præservaretur, ut ex dictis constat.

49. Denique infertur, sufficienter salvari per doctrinam hujus dubii in illo, qui ab originali peccato, non tamen a debito ejus præservaretur, omnia quæ fides docet, et quæ verificari necesse est (excepta ipsa peccati contractione) de omnibus, qui ab Adamo per seminalem propagationem descendunt : quæ ex Cajetano tom. 2 opuscul., opusc. 1, cap. 3, ad hæc possunt reduci. Videlicet quod Christus mortuus est pro omnibus : atque adeo quod omnes mortui sunt morte peccati : quia non est mortuus nisi pro mortuis. Deinde quod omnes indigent reconciliari Deo per Christum ; sine cujus reconciliatione inimici manerent. Tertio quod Christus redemerit omnes, et liberaverit de servitute Diaboli : in quo importatur, quod omnes fuerint aliquo modo captivi et sub Diaboli potestate : et quod ipse Christus Dominus pro omnibus tanquam pro debitoribus fidejusserit, solverit, satisfecerit, etc. quæ dub. 3 et 5 magis declarabimus.

Porro omnia hæc verificari in casu nostræ

Ultimum

træ hypothesis, neque ab eis excipi illum, quem ab originali ponimus præservatum, potest facile ostendi. Nam eo ipso quod peccavit in Adam, mortuus fuit in illo morte peccati, et in se contraxit debitum incurrendi illam mortem : hoc autem sufficit ut Christus mortuus fuerit pro illo, non tanquam pro vivo, sed tanquam pro mortuo : quippe qui sine Christi morte nunquam fuisset vivus : imo semper eo modo quo fuisset, fuisset mortuus, nisi Christus sua morte illum vivificaret, et ei vitam conferret. Deinde ratione ejusdem peccati Adami in illo et in cæteris progenitoribus, per quos descendit, representabatur ut Deo offensus et inimicus; cujus etiam inimicitiae debitum in se ipso contraxit, maneretque necessario sub illa, nisi Christi propitiatione et satisfactione reconciliaretur : indignus ergo hujusmodi reconciliatore. Rursus quod aliquo modo fuerit Diaboli captivus et sub ejus potestate, patet : tum quia id habuit quatenus fuit in Adam, qui peccando pro omnibus, pro omnibus redactus fuit sub Diaboli captivitate, servitute, et dominio. Tum etiam quia ille qui ex proprio vel parentum demerito est obligatus ad servitutem et captivitatem, ex hoc ipso dicitur jam servus et captivus ; etiamsi nondum carcerem sit ingressus, aut servi munus obierit : neque minus indiget redemptore, fidejussore, et satisfactore, ne sicut debet incarceretur, et in vincula conjiciatur; quam indigeret, si incarceratus et in vinculis jam fuisset, ut inde liberaretur : quod est ultimum, quod verificandum esse diximus juxta dogmata fidei. Hæc tamen dub. 3 et 5 magis elucidabuntur.

## DUBIUM II.

*Utrum Beatissima Virgo Deipara potuerit excipi a debito culpæ originalis : et an ex meritis Christi ?*

Hujus dubii, præsertim quoad priorem partem, facillima erit apud omnes resolutio : dum non quid factum sit, sed tantummodo quid Deus de lege absoluta potuerit facere, inquit : in cujus proinde decisione illa dumtaxat attendenda erunt, quæ divinæ potentiae licent, aut repugnant.

## § I.

*Deciditur dubium duabus assertionibus.*

50. Dicendum est primo potuisse Deiparam excipi a debito originalis peccati ; ita ut neque in propria persona, neque in Adamo, aut in reliquis parentibus tali debito subjaceret. Hæc conclusio est adeo per se nota, ut potius ab omnibus tanquam certa supponatur, quam ut dubia examinetur. Nihilominus in propriis terminis tradunt illam N. Cornejo 3 p. tract. 3, disput. 2, dub. 2, conclus. 1, Cardinalis Lugo de Incarnat. disput. 7, sect 3, et alii. Probatur facili ratione. Potuit Deus non includere Deiparam in illo pacto, quod cum Adamo sancivit, ut is esset caput morale suorum posterorum in ordine ad conservationem vel amissionem justitiæ originalis : sed excepta Deipara aut non comprehensa sub illo pacto, nullatenus haberet in ea locum prædictum debitum : ergo, etc.

Minor est perspicua : nam ut diximus numer. 15, debitum de quo loquimur, necessario supponit prædictum pactum, ratione cujus voluntates posterorum translatae sunt a Deo in voluntatem Adami, ut ipse quantum ad effectum amittendi aut conservandi originalem justitiam pro omnibus supponeret, ejusque actus, actus omnium censeretur : quare sicut secluso eo pacto nulla ratione Adamus fuisset caput morale posterorum, neque peccatum illius eis imputaretur, aut esset aliquo modo titulus, ut culpam originalem inde sequutam, ejusve obligationem seu debitum contraherent : ita neque prædicta culpa, neque ejus obligatio vel debitum potest latius quam pactum illud extendi, neque proinde comprehendere aliquem, qui non fuerit in eodem pacto inclusus. Major vero suadetur : nam pactum et constitutio Adami in esse capitis moralis respectu posterorum gratis omnino fuerunt a Deo facta, nullusque alius aderat titulus ad talem constitutionem nisi ipsa gratiosa Dei voluntas, utens supremo suo dominio, ex quo dumtaxat potest voluntatem unius in alium quantum ad spiritualem salutem transferre; cum tamen ex naturis rerum et ex providentia illis debita id minime petatur. Ut videre est in reliquis parentibus, quorum nullus in ordine ad spiritualem salutem habet esse caput filiorum, nec potest suo merito vel peccato illis effective et efficaciter proficere aut nocere : neque natura in aliquo suo supposito id valet exigere.

Assertio prior.

N. Cornejo. Card. Lugo. Eius ratio.

Sicut igitur potuit Deus prædictum pactum pro nemine et pro omnibus inire cum Adamo; potuit etiam inire illud pro paucis vel pro multis, pro his vel pro illis: atque adeo claudere in eo quos vellet; et quos, vel quem vellet, excludere.

Confir-  
matio.

51. Confirmatur: quoniam Deus in constituendo illud pactum non respexit posteros Adami indistincte et in confuso, includendo sub illo omnes in communi et ut sic: hic enim modus decernendi arguit cognitionem imperfectam et confusam, quæ nequit Deo tribui: sed determinate et in particulari respexit unumquemque, ac si ille tantum esset futurus: et sicut unicuique determinate et seorsim cognitio decrevit futuritionem vel non futuritionem, absolutam vel conditionatam; ita pro unoquoque seorsim sumpto statuit prædictum pactum: nullaque fuit ratio cogens, ut hunc potius quam illum, aut omnes potius quam non omnes in illo decreto comprehenderet: potuit ergo pro libito quos vellet comprehendere, et quos vellet excludere, sive multos, sive paucos, sive unum.

Objectio  
bimem-  
bris.

Si vero objicias, tum quod Deus antea denter ad prædestinationem Deiparæ fecit legem universalem, quod Adamus esset caput morale omnium posterorum, et quod pro omnibus supponeret, sine eo quod in illo primo signo alicujus exceptio intelligeretur: semel autem facta hac lege, nequibat jam aliquem inde excipere, cum divina lex sit prorsus immutabilis. Tum etiam quod licet Deus simpliciter fuerit liber in statuendo illud pactum, potueritque de lege absoluta excludere quem vellet; ex suppositione tamen quod constituabat Adamum caput morale posterorum, rerum ordo exigebat ut omnes tali capiti subjicerentur: et hac ratione ipsis posteris inerat debitum pactum illud ingrediendi, a quo nullus exciperetur, facta illa suppositione.

Diluitur  
prima  
pars.

Respondetur ad primum, inde ad summum convinci, quod in sensu composito illius legis (si verum est de facto a Deo ita statutam fuisse) rebusque ut nunc dispositis, non posset Deipara a debito præservari: non autem quod non potuerit ab illo præservari simpliciter et absolute: potuit enim Deus in ipsa legis conditione restringere eam ad illos tantum, quos vellet, sive multos, sive paucos; et quos vellet, sive unam Deiparam sive plures sub ea non comprehendere: et hac via potuit semper manere excepta sine alicujus legis mutatione; sed potius quia ab æterno fuisset ita

decretum. Ad secundum constabit dub. se-<sup>Diluitur  
secunda.</sup> quenti a num. 81, quomodo adhuc ex illa suppositione nullum poterat consurgere debitum in Deipara vel in aliquo alio ad ingrediendum pactum Adami. Esto vero tale debitum inde consurgeret, non est dubitandum potuisse Deum, saltem utendo supremo suo dominio, irritare illud et extinguere, ut Deiparam non ligaret.

52. Secunda pars dubii, an nimirum præservatio a debito, quam ostendimus fuisse possibilem, futura esset ex meritis Christi, vel non? potest procedere in duplici sensu: vel secundum providentiam, quam Deus de facto habuit erga illa merita, applicando eorum virtutem solis redemptionis: in quo sensu eo ipso quod aliquis redemptus non fuisset, nequiret beneficium aliquod ex prædictis meritis obtinere: et de hoc dicemus dub. sequenti. Vel potest procedere attendita potentia Dei absoluta, qua liberum ei fuit disponere de meritis Christi, prout vellet: et ita loquimur in hoc dubio. Similiter prædicta præservatio potest accipi dupliciter: uno modo quatenus præcise excluderet Deiparam a lege illa statuta Adamo, et hac via redderet incapacem, ut ipse Adamus ex persona ejus delinqueret, ac per consequens ut peccatum Adami posset illi attribui, absque ulla majori gratia: sicut diceretur præservatus is, quem Deus se solo sive per creationem, sive ex aliqua materia in parvis naturalibus produceret; qui eo ipso non fuisset de numero illorum, quos pactum Adami aut ejus peccatum vel debitum comprehendit. Et in hoc sensu quid tenendum, constabit etiam dub. sequenti num. 90. Alio modo potest accipi illa præservatio, ut dicat non prædictam exclusionem præcise sumptam, sed una cum gratia et donis, quæ Deus contulit Virgini de facto, vel alia similia: quo pacto non est dubium, prædictam præservationem importare eximium Dei beneficium et gratiam.

Animad-  
versio  
pro expe-  
dienda  
secunda  
parte  
dubii.

Loquendo igitur in hoc secundo sensu, dicimus secundo, ex nullo capite repugnare Deum taliter sua decreta ordinasse, et res ita disposuisse, ut conferret Deiparæ ex Christi meritis gratiam præservantem a debito, de quo loquimur, et cætera dona, quæ de facto illi collata sunt. Ita sentiunt plures auctores ex his, quos dub. 4 referemus: præsertim vero quotquot asserunt, Deiparam fuisse de facto a prædicto debito præservatam: neque enim vidimus aliquem negantem, totam gratiam, quam Deipara

Secunda  
asseritio.

Ratio pro illa. Deipara habuit, fuisse illi ex Christi meritis collatam. Potissima vero ratio est defectus repugnantiae: quæ nulla apparet in eo quod Deus taliter disposuerit Christi prædestinationem et merita ut horum intuitu moveretur ad prædestinandam Deiparam ad perpetuam sanctitatem, sine eo quod pactum Adami ingrederetur: dum enim nulla in hoc implicatio ostenditur, sicut re vera ostendi nequit, non est divinæ potentiae negandum.

Confirmatio. 53. Confirmatur: nam si ex aliquo capite id repugnaret, maxime quia Christus primario prædestinatus fuit redemptor, adeoque cuncta ejus merita sunt merita redemptoris, et sic redemptis tantummodo applicanda; cum tamen repugnare videatur, quod Virgo in illo casu potuerit esse redempta: at ex hoc capite non repugnat: ergo ex nullo. Probatur minor. Tum quia ea ratio ad summum militat rebus ut nunc dispositis: nulla autem est in ordine ad divinam potentiam, quæ potuit aliter res disponere, et Christum prædestinare independentem a peccato et ejus redemptione, ob hoc potissimum ut esset perfectio universi, et illum sua assistentia illustraret et compleret: quo casu ejus merita indifferenter se haberent, ut tam indigentibus quam non indigentibus redemptione applicarentur. Tum etiam quia adhuc prædestinato Christo ut redemptore, fuit Deo liberum extendere ejus merita etiam ultra redemptos: cum enim essent simpliciter infinita, non exhauriretur illorum sufficientia in ipsa redemptione; sed haberent condignitatem, ut aliis et aliis usque in infinitum sive debentibus sive non debentibus applicari possent. Et ideo licet sub dubio sit, an de facto contulerit Deus gratiam Angelis, et justitiam originalem Adamo ex prædictis meritis; nemo tamen dubitat id facere potuisse: quia ipsa merita sufficientissimam habebant ad id condignitatem: sicut etiam ad hoc ut Spiritus sanctus carnem assumeret, si Deus in ordine ad hujusmodi effectus eis uti voluisset. Nulla ergo adfuit repugnantia, ut præservatio Virginis a debito peccati ex prædictis meritis ortum habuisset: quicquid sit an in tali casu ipsa posset dici *redempta* et ejus gratia *redemptiva*, de quo dub. sequenti.

Quare præcipua difficultas circa hanc assertionem reducitur ad intelligentiam ordinis divinatorum decretorum erga prædestinationem Christi et Deiparæ, et permissionem peccati Adami: quia non ita

percipitur qualiter, etiamsi B. Virgo sub pacto et peccato Adami comprehensa non fuisset; sed ea potius antecederet, aut saltem non ab eis præcederetur; prædestinatio vero Christi prædictum peccatum necessario supponat, utpote in ejus remedium ordinata; nihilominus Christi merita sufficienter præcesserint Virginis prædestinationem, ut hæc potuerit ab illis emanare: quod sequenti § declarabimus.

## § II.

*Series et ordo inter divina decreta.*

54. Mirus et æque importunus quorundam recentiorum labor, ut distinguant in Deo multiplicia signa rationis *in quo*, quibus divina decreta accommodent, considerantes illum ut decernentem in primo, nondum præviso secundo; et in secundo, non præviso tertio; et in hoc, non præviso quarto, et sic de aliis usque ad septem vel plura, quorum longa et proluxa meditatione præsentem disputationem gravem nimis et implexam reddiderunt. Ne vero referendo et impugnando varios illorum discursus absque majori utilitate nos etiam lectorem gravemus; omissa illa multiplicitate signorum, quam neque necessariam neque utilem arbitramur, proponemus dumtaxat modum dicendi, quem eligendum duximus, et jam olim tetigimus in tract. de prædestin. disp. 4 et 5. Juxta quem duo tantum signa rationis *in quo* in Deo distinguemus: alterum in quo possibilia omnia, omnesque eorum series, connexiones et combinationes sub esse tantum possibili per scientiam simplicis intelligentiæ perfecte cognovit: alterum vero in quo ex tot possibilibus jam cognitis, eam rerum seriem, sub eisque connexionibus et combinationibus, quæ sibi placere, elegit, approbavit, et futuram absolute decrevit.

Signa rationis in quo Deo tribuenda.

Porro hæc duo signa *in quo* necessario esse distinguenda, ex eo liquet, quia omnia, quæ sunt Deo necessaria, sunt priora non tantum prioritare *a quo*, sed etiam prioritare *in quo rationis* omnibus liberis, utpote sine quibus esse potuerunt: adeoque non est necesse ut in primo signo, in quo Deus cum omnibus suis necessariis concipitur, de liberis tractetur, aut aliquid eorum concipiatur; sed in alio signo posteriori. Quæ enim non dependent ab aliquo *in esse*, neque habent cum illo necessariam connexionem, etiam non dependent in *co-*

*gnosci*: et ita sunt priora non solum prioritate a quo, sed etiam prioritate subsistendi consequentia, quæ est prioritas in quo rationis: cum ergo cognitio possibilium sit Deo necessaria; electio vero et decreta futurorum fuerint libera; fit, prædictam cognitionem debere a nobis concipi ut independentem ab electione et decretis, non tamen e contra; atque adeo ut priorem prioritate in quo rationis.

Non esse  
plura  
distinguen-  
da.

55. Deinde sufficere hæc duo signa pro omnibus, quæ Deus libere decrevit, nec necessarium esse plura configere, probatur. Nam eo ipso quod Deus in primo signo cognoscat sub esse possibili omnia, quæ potest decernere, et sub omni connexionione et combinatione, qua decerni possunt; potest in signo sequenti omnia a se eligenda et sub omni connexionione et combinatione, qua eligenda sunt, unica volitione eligere, et unico actu ea sic futura decernere, adeoque unico signo in quo omnium electiones et decreta absolvere. Si enim non repugnat, ut circa omnia eligi possibilis, et circa omnes modos et series connexionum et combinationum, sub quibus possunt eligi, Deus in uno signo unica cognitione versetur, attingatque ea cognitione quæcunque in qualibet electione possibili intervenire possunt: non est cur repugnet, ut in uno alio signo, unica volitione, ex omnibus illis possibilibus omnia quæ eligenda sunt eligat, et omnia electa sub omni modo, quo electa sunt, unico decreto futura decernat: ad quid ergo configenda plura signa in quo pro divinis decretis, ubi duo prædicta sufficiunt? Sed rem magis in speciali declaremus.

Declara-  
tur in  
speciali.

56. Etenim in primo signo Deus per scientiam simplicis intelligentiæ notissima habuit hæc omnia: scilicet possibilem esse universum ex Angelis, hominibus, et cæteris creaturis, quæ in eo factæ sunt, coalescentem: possibile esse ut Adamus cum justitia originali conderetur sub eo pacto ut pro se et pro posteris illam acciperet; et pro se et pro illis peccando amitteret, et non peccando conservaret: possibile esse ut aliqui ejus posteri sub illo pacto non comprehenderentur, sed extra manerent; qui proinde etiam si Adamus peccaret, nullum debitum contrahendi ejus peccatum incurrerent. Cognovit etiam possibilem esse unionem Verbi cum humanitate, ex qua consurgeret Christus, qui mereri posset, quicquid Deus vellet, et pro quibus vellet: possibilem etiam esse Virginem

descendentem ab Adamo, quam supradictum pactum non comprehenderet: sicut etiam erat possibile, quod eam comprehenderet: quæ quidem sive comprehensa, sive non comprehensa, eximia gratia ornaretur, ut Christum conciperet. Cognovit insuper possibilem esse inter omnia hæc diversas causalitates et dependentias, adeoque prioritates et posterioritates a quo in diversis generibus causarum: puta quod Christus propter eximiam suam dignitatem esset finis cæterorum omnium, propter quem prædestinarentur aut crearentur: quod est esse priorem omnibus in genere causæ finalis. Insuper quod ejus merita erant sufficientia, ut Deus illorum intuitu conferret creaturis quæcunque beneficia sibi placeret, sive naturæ, sive gratiæ, sive præservationis a peccato, sive redemptionis, prædestinationis, justificationis, glorificationis, etc. atque adeo quod Christus hac via poterat esse prior omnibus creaturis in genere causæ efficientis moralis, quæ est propria causalitas meriti. Præterea cognovit quod peccata, quæ Deus vellet permittere tam in Adamo quam in posteris, erant sufficiens materia, in cujus remedium et satisfactionem Christus posset prædestinari: adeo ut si Deus vellet, alligaretur talis prædestinatio peccati redemptioni: quo casu peccatum et ejus permissio præcederent Christi prædestinationem in genere causæ materialis. Sicut igitur cuncta hæc sub prædictis connexionibus et causalitatibus dicimus fuisse Deo in unico signo ut possibilis præsentata, neque in illa præsentatione possibilium aliquam prioritatem vel posterioritatem in quo admittimus; sed solam prioritatem et posterioritatem a quo explicatam; cur non concipiamus Deum in unico alio signo omnia illa eligentem et decernentem sub eisdem dependentiis et causalitatibus, sicut de facto electa sunt, et sicut possibilis representabantur?

57. Eo præsertim quia ex nullo alio capite poterat simultas hæc in eligendo et decernendo Deo repugnare, nisi ex defectu cognitionis alicujus potentis ibi concurrere; quatenus non cuncta eligenda, vel non sub omni modo, quo eligi possent, simul representarentur: ut patet in nobis, qui idcirco non cuncta simul decernimus, quia non simul nobis constat quicquid ad eorum electionem spectat, speramusque majorem notitiam, ut maturius eligamus: cum ergo similis imperfectio a divina cognitione relegari debeat; fit debere etiam a divinis

divinis decretis et electionibus omnem successionem secundum prioritates et posterioritates *in quo* penitus eliminari.

Dices eos qui prædicta signa *in quo* multiplicant, non ponere successionem adhuc secundum rationem inter ipsa divina decreta, prout sunt in Deo; sed prout a nobis concipiuntur: hoc autem modo nihil imperfectionis in illum refunditur: sed dumtaxat in nostrum modum concipiendi. Sed contra: quia cum possumus res divinas sine imperfectione concipere, non debemus uti imperfecto modo concipiendi, ut est per se notum: nos autem recte concipimus omnia, quæ Deus elegit, potuisse simul eligere absque prioritate vel posterioritate *in quo* in eligendo, cum sola prioritate et posterioritate *a quo* ex parte illorum, quæ eliguntur: sicut recte concipimus, quod omnia illa simul absque ulla prioritate vel posterioritate *in quo* ut possibilia et eligibilia cognoverit: ergo nec nostro cognoscendi modo debet prædicta prioritas et posterioritas admisceri. Sicut enim superflue fiunt per plura, quæ fieri possunt per unum; ita superflue multiplicantur conceptus et signa rationis erga divina decreta, quando simul et ut a Deo simul facta possunt concipi. Præterquam quod qui ad explicanda divina decreta per plura signa discurret; vel supponit nos non posse absque pluralitate et successione ex parte objecti illa concipere (quod jam constat esse falsum) vel adesse ex parte Dei fundamentum illius pluralitatis et successionis: atque adeo minus recte sapit de illo, quam qui simul et unite, sicut fas est, omnia concipit.

58. Ex quibus jam liquet, recte absque multiplicatione illorum signorum *in quo*, quæ juniores confingunt, intelligi posse quod B. Virgo potuerit etiam ex Christi meritis præservari a debito peccati originalis per non comprehensionem sub illo pacto, quod Deus Adamo sancivit, etiamsi Christus prædestinatus fuerit in remedium ipsius peccati. Quia prioritas prævisionis peccati respectu prædestinationis Christi, et prioritas prædestinationis ac meritorum Christi respectu prædestinationis Deiparæ et exceptionis a pacto, solum sunt prioritates *a quo* in diverso genere causæ: et ita non requirunt aliquod signum, in quo intelligamus unum fuisse decretum, non intellectis aliis: sed solum quod in illo eodem signo, in quo hæc omnia decreta fuisse intelligimus, intelligamus simul causalitates et prioritates *a quo*; quæ

inter illa versantur: atque adeo quod neque intelligamus decretum creandi universum cum Angelis et hominibus, aut decretum tribuendi illis gratiam, et Adamo justitiam originalem, aut decretum peccatum permittendi, aut decretum Virginem prædestinandi, nisi cuncta hæc intelligantur provisa in honorem Christi: in quo præcedit Christus in genere causæ finalis: nec decretum adventus Christi, nisi in remedium peccati: in quo præcedit peccatum in genere causæ materialis: neque aliquod istorum nisi dependenter a decreto prædestinationis Virginis in esse matris Christi: in quo præcedit suo modo Virgo in genere causæ efficientis physicæ: nec denique decretum prædestinandi et præservandi Virginem, aut prædestinandi homines et liberandi eos a peccato, nisi dependenter a morte et meritis Christi: in quo præcedit Christus in genere causæ efficientis moralis. Atque ita concipiendo hæc omnia connexa et concatenata; sicut in Dei cognitione sub esse possibili repræsentabantur, nulla remanet objectio contra nostram assertionem: quæcunque enim formentur, solum convincent prioritates et posterioritates *a quo* inter prædicta; nequaquam vero prioritates et posterioritates *in quo*, pro quibus dumtaxat rationis signa multiplicantur.

### DUBIUM III.

*Utrum exceptio Deiparæ a debito culpæ originalis præjudicet ejus redemptioni?*

59. Plurima sunt, quæ absolute et seorsum sumpta non repugnant divinæ omnipotentia; inter se tamen nequeunt conjungi: sicut non repugnat absolute, B. Petrum, qui de facto peccavit, et prædestinatus est per pœnitentiam, fuisse absolute prædestinatum per innocentiam; repugnat tamen conjungi in illo, et quod peccaverit, et quod fuerit per innocentiam prædestinatus. Quamvis ergo ex dictis habeamus potuisse Deiparam eximi a debito originalis culpæ, et aliunde non repugnet fuisse Christi sanguine redemptam: merito tamen in dubium vertitur, an prædicta exceptio, si concedatur, præjudicet hujusmodi redemptioni, vel potius cum illa recte cohæreat. Quod est inquirere, an Christus eos tantum sua morte redemerit, qui in Adamo peccaverunt, indeque originale peccatum, vel saltem ejus debitum contraxerunt: si enim

prædicta redemptio ad hos dumtaxat restringenda sit; excepta B. Virgine a prædicto peccato et debito, nequibit non a redemptorum numero excludi: sin minus, poterit non obstante prædicta exemptione, inter eos numerari. Et est sermo de redemptione non large et improprie; sed vere et proprie dicta. Nomine autem *debiti*, cujus exemptio, inquirimus, an præjudicet redemptioni? non intelligimus determinate totum illud tam physicum quam morale, tam intrinsecum quam extrinsecum, quod dub. 1, in hypothesi illius diximus ad debitum proximum pertinere: sed indeterminate vel id totum, vel saltem debitum extrinsecum consistens in eo quod B. Virgo peccaverit in Adamo: ex quo in ea consurrexerit obligatio satisfaciendi Deo pro tali offensa, et subjacendi suo tempore ipsi peccato originali. Hoc enim negant in primis, qui tenent, illam absolute fuisse a debito immunem: sicut id in primis affirmare tenentur, si consequenter loqui velint, qui eam absolute sub debito comprehendunt: ob idque satis est ad intentum hujus dubii. An vero tale debitum usque ad ipsam personam Deiparæ intrinsece pertigerit, vel in solo illo intrinseco steterit; non potest hic constare, usque dum examinemus, an re ipsa fuerit sub debito comprehensa. Et quia decisio hujus dubii resolutioni dubii sequentis, quod in hac disputatione caput est, viam expedit, et rationes subministrat, debuimus ipsum præmittere: et non cursim aut perfunctorie, ut ab aliis fit; sed ex professo et radicatus examinare.

### § I.

#### *Communis et vera sententia.*

60. Dicendum est exceptionem Deiparæ a debito culpæ originalis, si detur omnino præjudicaturam ejus redemptioni: adeoque verificari non posse, quod fuerit Christi morte et sanguine vere et proprie redempta, si semel ponatur a prædicto debito præservata. Hæc conclusio est nobis adeo certa, ut credamus esse de Fide, diffinitam per Zozimum Papam, cujus verba infra referemus. Est etiam communis sanctis Patribus, ut ostendent eorum testimonia in toto hoc dubio: necnon Doctoribus Scholasticis, et aliis, quos in sequenti adducemus pro sententia negante prædictam exceptionem: omnes quippe huic rationi potissimum nituntur: quia cum necessarium sit fateri B. Virginem

fuisse vere et proprie per Christi mortem et sanguinem redemptam; necesse etiam est dicere fuisse aliquando sub peccato vel sub debito, a quo redimeretur: quia hæc dumtaxat possunt esse terminus a quo redemptionis: et cum sub peccato nunquam fuerit, necessario debet vel constitui sub debito, vel a numero redemptorum excludi.

Ut autem efficacia nostrarum probationum pro hac ratione, evasionumque imbecillitas melius capiatur, animadvertendum est primo præsentem veritatem (pro qua efficacissimæ etiam sunt rationes, ut infra videbimus) potissime tamen investigandam esse sacræ Scripturæ testimoniis, adjuncta communi Ecclesiæ et Sanctorum Patrum intelligentia, ita ut ipsæmet rationes, quibus utendum est, hujusmodi testimoniis, quantum fieri possit, associantur. Non enim disquirimus, quid Deus erga Christi prædestinationem, et humani generis liberationem potuit facere (in quod humanus discursus nimis temere auderet) sed quid de facto decreverit fieri, et qualiter Christi adventum, ejus mortem, et redemptionis officium ordinaverit: ut inde agnoscamus, pro quibus venerit, pro quibus mortuus sit, et quorum fuit constitutus redemptor. Quæ omnia cum libera Dei voluntate ordinata sint, ejus potissimum revelatione, quam in Scriptura et Patribus edocemur, possunt innotescere. Quare manifesto exponeretur errandi periculo, qui, inattentis prædictis testimoniis, pro decisione hujus quæstionis aliunde probationes desumeret. Illis vero perpensis, licebit uti rationibus vel ex ipsismet deductis, vel eis conformibus, quæ id, quod fide accepimus, confirmet et declarent: ut veritas ex utroque capite viresumat. Animadvertimus etiam unam esse objectionem vel evasionem communem pluribus nostris probationibus, sive quæ ex auctoritate, sive quæ ex ratione desumuntur: videlicet non tantum ex eis convinci requiri ad B. Virginis redemptionem, quod fuerit sub peccati originalis debito, sed etiam sub ipso peccato: cumque hoc non sit a nobis concedendum, videbuntur ex hac parte similes probationes infirmari, posseque in nos retorqueri. Hanc autem communem evasionem et objectionem, ne idem sæpius repetamus, reservabimus usque ad finem dubii, ubi a num. 117 diluetur.

61. Hac præmissa duplici animadvertione, formatur a nobis sequens ratio. Christus non venit salvare et redimere sua morte nisi



nisi eos tantum, qui aliquando saltem in Adamo peccaverunt, atque adeo qui vel peccatum originale vel ejus debitum contraxerunt : ergo vel dicendum est Virginem Deiparam peccasse in Adamo, prædictumque debitum inde traxisse ; vel sub Christi redemptione non fuisse comprehensam : atque adeo quod exceptio a tali debito redemptioni ejus præjudicaret. Consequentia liquet. Antecedens vero habetur Luc. 19 :

lc. 19.  
l. ad  
im. 1.

*Filius hominis venit quærere et salvum facere, quod perierat.* Et I ad Timoth. 1 : *Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Quæ verba juxta communem Patrum et Theologorum expositionem continent proprium et adæquatum motivum adventus Christi (saltem in carne passibili et mortali, quo pacto et non aliter exercuit munus redemptoris) cumque hoc motivum dicatur fuisse *quærere et salvare quod perierat*, seu *salvos facere peccatores*; plane sequitur pro iis tantum, qui saltem in Adamo peccaverunt et ibi perierunt, incarnasse et mortuum fuisse. Clarius hoc exprimitur Matth. 9 :

lth. 9.

*Non est opus valentibus Medico, sed male habentibus.* Et inferius : *Non enim veni vocare justos, sed peccatores.* Quæ testimonia licet satis clara sint ad assumptum nostrum, clariora adhuc fient Patrum communi expositione : qui ex illis ubique docent, Christum ob hoc solum in mundum venisse, ut redimeret homines a peccato, saltem quod in Adamo commiserunt, nullamque aliam extitisse causam adventus illius in carne mortali : adeoque deficiente peccato, nequaquam venturum, aut redemptoris munus obiturum.

aug.

62. In primis D. Augustinus serm. 8 de verbis Apostoli, et duobus sequentibus multa dicit ad rem ; deprompsimus vero quæ sequuntur : *Filius hominis non venit nisi quærere et salvare quod perierat.* Et paulo inferius : *Quare venit in mundum? peccatores salvos facere. Alia causa non fuit quare veniret in mundum. Non enim de cælo ad terram merita nostra bona, sed peccata duxerunt. Hæc est causa cur veniret, peccatores salvos facere. Et vocabis (inquit) nomen ejus Jesum. Quare vocabis nomen ejus Jesum? quæ ratio hujus nominis? Audi quare: ipse enim salvum faciet populum suum. Unde? a peccatis eorum : quod non semel replicat serm. illo 8. In 9 vero : Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, et nulla est causa medicinæ.* Et post multa alia ad rem, premit et exprimit hoc idem, oc-

currens simul tacitæ objectioni : et post alia subdit : *Utique Medicus ad ægrotum venit, constat; sed ideo venit Medicus ad ægrotum, ne ille sit semper ægrotus. Quid ergo dicimus? Ægrotum amat Medicus, an sanum? Quod vult facere, amat; non quod invenit. Ad ægrotum quidem venit, ad sanum non venit, etc.* Deinde serm. 10 : *Fidelis sermo, et omni acceptione dignus : quia Christus Jesus venit in mundum peccatores salvos facere : qui dicit, vel non sum peccator, vel non fui, ingratus est Salvatori.* Et infra : *Christus Jesus venit in mundum nullam aliann ob causam, nisi peccatores salvos facere. Qui venit ad Christum, habet quod in eo sanctetur : qui non habet, non est causa quare Medico offeratur.*

Ex hac autem doctrina arguit contra Hæreticos, qui negabant parvulos obnoxios esse peccato Adami, aut propterea Baptismum Christi suscipere, ut ab eo liberarentur. *Quid de parvulis pueris? (inquit) si ex Adam, ægroti. Nemo vobis susurret doctrinas alienas. Hoc Ecclesia semper habuit, semper tenuit, hoc a majorum fide percepit, hoc usque in finem perseveranter custodit, quoniam non est opus sanis Medicus, sed ægrotantibus. Quid necessarium ergo habuit infans Christum, si non ægrotat? Si sanus est, quare Medicum quærit? etc. Non venit Christus vocare justos, sed peccatores, etc.* Confirmat hoc serm. 8, ex ipso nomine *Jesu*, quo perfectissime declaratur munus Salvatoris et Redemptoris, quod Christus per suam mortem implevit. *Qui dixit infantilem ætatem non habere quod salvet Jesus, omnibus fidelibus infantibus Christum negat esse Jesum. Jesus enim quid est? Interpretatur Jesus Salvator. Quos non salvat, non habendo quod in eis salvet, non est illis Jesus. Quid mihi dicis? Sanus est, non habet vitium. Quare cum illo curris ad Medicum, si non habet vitium? Non times ne dicat tibi : aufer hinc eum, quem putas sanum? Filius hominis non venit nisi quærere et salvare quod perierat. Quare illum ad me affers, si non perierat? etc.* Quibus vel similibus loquutionibus ubique contextam reperies doctrinam Augustini.

63. Audiamus alios Ecclesiæ Patres. Ambrosius lib. de incarnationis Dominicæ Sacramento cap. 6 : *Quæ erat (inquit) causa incarnationis Christi, nisi ut caro, quæ peccaverat, redimeretur?* Cyrillus N. 5, dialog. N. Cyril. de Trinit. ante medium sic ait : *Quandoquidem necessarium hominum lapsibus et nostris peccatis erat unigenitum pati, maximam gratiam habeat ipse, sciat autem, quod humanitatis crimina illi divinæ gloriæ occasio*

*fuerint : nam si non peccavissemus, neque factus esset nobis similis, neque sustinisset, etc. Et lib. 2, super Joan. cap. 3, inquit : Quoniam primus Adam libertate sua non bonum, sed malum elegit; de cælo nobis secundum Adam misericordia misit. Leo magn. serm. 3 in Pentecost. ita scribit : Si homo ad imaginem Dei factus in suæ honore naturæ mansisset; nec diabolica fraude deceptus, a lege sibi posita deviasset : creator mundi creatura non fieret, neque aut sempiternus, temporalitatem subiret, aut æqualis Deo Patri filius Dei formam servi et similitudinem carnis peccati assumeret. Non minus clare loquitur D. Gregor. exposit. lib. 1 Reg. lib. 4, cap. 1, ibi : Nisi Adam peccaret, redemptorem nostrum carnem suscipere nostram non oporteret. Non enim venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. Si ergo pro peccatoribus venit : si peccata deessent, eum venire non oporteret. Atque hoc simili modo multi alii ex Patribus loquuntur. Cui accedit illud, quod in benedictione Cerei Paschalis canit Ecclesia : O certe necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est, etc. Non autem peccatum illud diceretur necessarium, si Christus pro aliis præter eos, qui ibi peccaverunt, mortem assumpsisset. Liquet ergo juxta testimonia Scripturæ, et sanctorum Patrum, Christum solum venisse et mortuum fuisse pro iis, qui saltem in Adamo peccaverunt, atque adeo hos dumtaxat redemisse. Cum autem hæc nostra ratio non ex nomine vel proprietate redemptionis, sed ex motivo et causa adventus et mortis Christi per prædicta testimonia vim suam desumat; plane liquet, neque apparenter posse illi adhiberi evasionem de redemptione solum præservativa aut minus propria, cujus infra erit mentio et impugnatio.*

## II.

*Impugnantur aliquæ evasiones.*

Prima evasio.

64. Alia tamen via occurres nostræ rationi : quia non obstantibus prædictis testimoniis, manet probabilis sententia Scoti et aliorum afferentium Christum venturum, etiamsi Adamus vel alius non peccaret : atque adeo etiam si nullum esset peccatum, a quo homines redimeret : ergo eadem saltem probabilitate poterit defendi illum venisse de facto pro redimenda Deipara, quamvis non fuisset de numero illorum, qui in Adamo peccaverunt.

Sed hoc effugium potius seipsum interimit, quam nobis officiat. Nam tenentes cum Scoto Christum venturum, etiam Adamo non peccante, consequenter dicunt, in tali casu non venturum passibilem et mortalem; sed immortalem et impassibilem : atque non ad moriendum pro aliquo, quem redimeret, sed ad ornandum et perficiendum universum sua præsentia et communicatione. Cogunturque ad hanc distinctionem duplicis adventus in carne passibili vel impassibili recurrere, ut aliqua probabilitate testimoniis Scripturæ et Patrum, quæ adduximus, occurrere valeant, exponendo illa de adventu, qui fuit de facto in carne passibili ad sustinendam mortem, et redemptionem operandam : sine qua expositione prædicta sententia potius esset improbabilis et temeraria, ut quæ apertis Scripturæ et Patrum testimoniis contradiceret : cuique nullus alicujus momenti Theologus suffragium tulit, ut observat Vasq. tom. 1, in 3, disp. 10, præsertim cap. 9. Ex quo potius infertur motivum adventus Christi, ut venit de facto ad patiendum et moriendum pro iis, quos redemit, in omni probabili sententia fuisse adæquate peccati remedium : atque adeo neque, deficiente hoc motivo, illum prædicto modo venturum : neque de facto venisse et mortuum fuisse pro aliquo, quem prædictum motivum prædictumque Adami peccatum non comprehenderit. In quo consistit vis nostræ rationis : quicquid sit an Deus habuerit decretum assumendi carnem immortalem et impassibilem, casu quo Adamus non peccaret : ut opinantur Scotus, Suar. et alii : de quo suo loco.

65. Dices secundo adventum Christi ad patiendum et moriendum fuisse quidem alligatum remedio peccati commisi : quia hoc fuit primarium et principale ejus motivum (post principalissimum gloriæ Dei et ipsius Christi exaltationis) non tamen ita restrictum fuisse illius mortis et redemptionis fructum prædicto remedio, quin se extenderet ad conferendum Deiparæ gratiam omni modo præservativam a peccato : non quidem ut ad effectum vel motivum principale et primarium (de quo loquuntur supra adducta testimonia) sed secundarium et minus principale. Potuit enim Deus postquam decrevit Christum venturum, providitque ejus mortem in remedium peccati, præservare Deiparam propter eandem mortem a peccati debito : alligareque prædictam mortem etiam huic præservationi, quamvis ut fini vel effectui secundario.

Refellitur.

Secundum evasio.

rio. Neque hoc præjudicabit testimoniis Scripturæ: quia licet asserant Christum venisse et mortuum fuisse pro peccatoribus, peccatores vocans; quotquot in Adamo peccaverunt; non tamen omnino negant venisse etiam pro aliquo alio, qui peccator non fuerit, seu qui in illo non peccaverit. Videaturque hæc expositio a nobis sustinenda, cum debeamus fateri Christum sua morte non tantum præstitisse hominibus, ut a peccato liberentur, sed etiam ut ab eo liberi perseverent, et proficiant in gratia, et ad beatitudinem perveniant. Non ergo fructus mortis illius ita restringendus est liberationi a peccato, quin ad alios etiam effectus se extenderit.

Hoc effugium proferebat Julianus Pelagii discipulus (teste Augustino lib. 6, contra illum cap. 1,) ut aliquos parvulorum a reatu culpæ originalis exciperet, quos nihilominus in numero illorum, pro quibus Christus mortuus est, comprehenderet. Aiebat enim illum mortuum quidem fuisse pro peccatoribus, ut ait Scriptura; non tamen pro solis peccatoribus: adeoque non inde inferri parvulos omnes esse peccatores seu peccato obnoxios, quia mortuus est pro illis. Et licet ex ipsis testimoniis, quibus adhibetur ista solutio, sufficienter maneret impugnata, quandoquidem non modo asserunt Christum venisse pro peccatoribus, sed etiam pro illis solum, et non pro omnino justis venisse et mortuum fuisse: nihilominus ad majorem abundantiam placuit eam iterum impugnare cum ipso Augustino loco et cap. cit. cujus verba latius aliquanto referemus, quia aptissima sunt ad rem, de qua agimus.

66. Proponit primo locum ad Roma. 5. *Commendat autem Deus charitatem suam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*, etc. et convertitur deinde ad Julianum his verbis: *Hoc tu dictum, exceptis parvulis, vis putari. Ubi si abs te quæram, si non sunt inter peccatores habendi, quomodo pro eis mortuus est, qui pro peccatoribus mortuus est? Respondetis non pro solis peccatoribus mortuus, quamvis sit etiam pro peccatoribus mortuus. Quod quidem nusquam legis in divinis auctoritatibus, mortuum scilicet esse Christum etiam pro eis, qui nullum habuerunt omnino peccatum. Sed attende quam validis testimoniis urgearis. Tu dicis etiam pro peccatoribus mortuum; ego dico non nisi pro peccatoribus mortuum; ita ut respondere cogaris, si nullo peccato parvuli obstricti sunt, non esse*

*pro parvulis mortuum. Dicit enim ad Corinth. Quoniam si unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus. Nullo modo hic negare permittis non nisi pro iis, qui mortui sunt, mortuum fuisse Jesum. Quos igitur hoc loco intelligis mortuos? Nunquid eos, qui de corpore exierunt? Quis ita desipiat, ut hoc sapiat? Eo modo itaque intelligimus mortuos, pro quibus omnibus unus mortuus est Christus, quo modo alibi dicit: Et vos cum essetis mortui in delictis et præputio carnis vestræ, vivificavit cum illo. Ac per hoc unus, inquit, pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt, ostendens fieri non potuisse ut moreretur nisi pro mortuis: ex hoc enim probavit omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est unus. Impingo, inculco, insertio recusanti: unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt. Vide quia consequens esse voluit, ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est. Quia ergo non in corpore, restat ut in peccato esse mortuos omnes, si pro omnibus Christus mortuus, nemo neget, nemo dubitet, quia se non negat aut dubitat esse Christianum. Quare si nullum trahunt peccatum parvuli, non sunt mortui: si non sunt mortui, non est mortuus pro eis, qui non est mortuus nisi pro mortuis. Tu autem jam in tuo primo libro contra nos clamans dixisti: Christum etiam pro parvulis mortuum: nullo modo igitur negare permittis eos trahere originale peccatum. Nam mortui unde, si non inde? aut propter quam mortem parvulorum mortuus est, qui non est mortuus nisi pro mortuis, eumque tu mortuum pro parvulis confiteris.*

Hæc omnia August. quibus nihil aptius, nihil acutius, nihil urgentius pro impugnatione a nobis facta dici vel excogitari potuit. Dum enim toties replicat Christum pro solis mortuis (morte scilicet peccati) esse mortuum, pro nulloque esse mortuum nisi pro sic mortuis, et dum ita crebro consequentiam illam inculcat: *si Christus pro parvulis mortuus est: ergo parvuli mortui sunt, quia non est mortuus nisi solum pro mortuis*; omnem præcidit ansam et uncum evasioni, quam impugnamus excipienti a morte peccati et ejus debito aliquem, quicumque ille sit, pro quo Christus sit mortuus. Vel dicat qui oppositum tueri velit, quibus aliis verbis posset aut deberet uti August. ad enervandam ex omni capite prædictam evasionem nisi iis, quibus usus est, ut Juliani effugium rejiceret? Aut in quo evasio illa, et effugium hoc hæretici discernantur?

Quod si Augustini verba alicui tergiversationi, aut alicujus vel etiam Deiparæ exceptioni aditum relinquerent : nequaquam S. Doctor suo argumento hæreticum concluderet. Nam quovis pacto verificari posset Christum mortuum fuisse pro aliquo peccato non mortuo, daretur locus solutioni per Julianum adhibitæ testimonio Pauli, videlicet Christum non pro solis mortuis seu peccatoribus mortuum fuisse, quamvis fuerit pro illis mortuus. Quinimo efficax non esset illatio Augustini, quod omnes parvuli debent concipi obnoxii culpæ originali : quia si Christus etiam pro aliquo non obnoxio peccato mortuus est, inanis esset consequentia, *parvulos omnes esse peccatores, quia Christus mortuus est pro omnibus etiam parvulis*. Unde enim non liceret hæretico sine præjudicio testimonii Pauli excipere a prædicto peccato et ejus debito aliquos eorum, pro quibus Christus mortuus est, si ipsemet Augustinus salvo eodem testimonio aliquem inde exciperet ? Vel ergo neminem prorsus debet excipere, vel non obstruet os hæretico.

Effugium quoddam præcluditur. 67. Quare nihil refert, si dicas, in hac materia ubi de peccatis agitur, semper dari locum exceptioni Deiparæ a generalibus regulis, et a propositionibus quantumcumque universalibus. Hoc igitur non refert : quia vis nostræ impugnationis non præcipue innititur generalitati regulæ vel propositionum universalitati ; sed rationi et illationi, quibus Augustinus utitur : quæ si exceptionem aliquam in prædictis propositionibus admitterent, eo ipso nullius essent roboris. Ita enim se habet in forma syllogismus Augustini : Christus mortuus est pro omnibus parvulis : sed pro nullo est mortuus nisi pro iis, qui per peccatum aliquomodo sunt mortui : igitur omnes parvuli mortui sunt per illud. Majorem fatebatur Julianus cum Catholicis : minorem vero sumebat Augustinus ex Scriptura : et ex utraque consequentiam inferebat. Porro si minor esset vera apud Catholicos in omni sua universalitate, sed aliquam exceptionem pateretur ; ex vi formæ syllogismi non teneret consequentia : posset enim hæreticus in illa uti enim distinctione et exceptione ; et concessa quoad multos, negare quoad aliquos, ut ipse intendebat ; omninoque hac via vim argumenti effugere.

Eo præsertim quia Pelagiani jam tunc non negabant plurimos parvulorum concipi obnoxios culpæ originali ; sed solum negabant, quod omnes nullo excepto, ita concipi-

piantur, et quod loca scripturæ debeant omnino universaliter et absque exceptione intelligi : et hoc potissimum, quod illi negabant, intendebat probare contra eos Augustinus : ut videre est lib. de natu. et grat. cap. 41, ubi referens evasionem Pelagii ad illud testimonium Roman. 5. *In quo omnes peccaverunt*, etc. sic ait : *Ponit etiam testimonium unde probet, cum dicuntur omnes, non semper omnes omnino, nullo prætermisso, intelligi oportere*. Ecce Pelagii evasio in nullo differens ab ea, quam impugnavimus. Et lib. 6 contra Julian. cap. 12, ita inquit : *Vos autem dum non omnes sed multos sive per Adam condemnatos esse, sive per Christum liberatos vultis intelligi, horrenda perversitate christianæ religioni estis infesti*. Idem repetit lib. 20 de Civit. Dei, cap. 6 et lib. de perfect. justit. cap. 21, cujus verba adducemus dub. sequenti. Prædictæ autem hæreticorum doctrinæ non poterat Augustinus opponi, nisi astruendo omnes sine ulla exceptione concipi obnoxios peccato : ob idque repetit. *Omnes nemine prorsus excepto : omnes nullo prætermisso*, et similia, quæ habentur locis citatis : præcavens ne si exceptioni respectu alicujus aditum aperiret, daret hæretico solutionem. Igitur juxta mentem illius nulla prorsus a prædictis propositionibus debet fieri exceptio.

68. Secundo impugnatur prædicta evasio : quia valde derogat Virginis dignitati, dum asserit ejus gratiam et redemptionem fuisse solum motivum secundarium et minus principale in decreto Incarnationis et mortis Christi ; primarium vero et principalius fuisse redemptionem cæterorum hominum, qui in Adamo peccaverunt. Cum enim unam Deiparam supra omnes alias creaturas humanas et Angelicas, etiam simul sumptas Deus ab æterno dilexerit, illiusque gratia gratiam omnium longe superexcedat, non debuit in decreto Incarnationis et mortis Christi, quo eximius Dei amor erga creaturas manifestatur, secundarium et minus principalem locum tenere, aut posthaberi aliis ita inferioribus, quos tale decretum comprehendit.

Quin potius omnibus de Virgine Matre benemerentibus, recteque sentientibus tenendum est, post Dei gloriam et Christi exaltationem, primarium et principale motivum adventus et mortis ipsius Christi fuisse ejusdem Virginis redemptionem : adeo ut si nullus alius salvandus foret, pro illa sola incarnaretur ; si vero illa salvanda non esset, pro nullo carnem assumeret.

Sicut

Sicut enim gratia et gloria solius Deiparæ pluris longe est in Dei appretiatione, quam gratia et gloria cæterorum omnium simul sumpta, ut dicebamus; ita in divino decreto, ubi de adventu et morte Christi pro cunctorum salute agebatur, debuit illa reliquis omnibus anteferri, potiusque ejus saluti quam cæterorum omnium remedio decretum prædictæ mortis alligari. Quæ est doctrina D. Bernardini Senens. tom. 4, in nova editione serm. 4 de B. Virg. concept. art. 3, cap. 3, adaptantis B. Virgini glossam super illud Cant. 4: *Vulnerasti cor meum, et vulneribus primis in cruce vulnerasti cor meum. Nam primogenita redemptoris filii sui Jesu* (prosequitur ipse Bernardinus) *fuit B. Virgo, et plus pro ipsa redimenda venit, quam pro omni alia creatura.* Et idem dicit tom. 3, serm. 6, de septem flammis amoris flam. 2, referens alios Doctores.

Illud autem, quod in favorem prædictæ evasionis addebatur, videlicet Christum per suam mortem non solum præstitisse hominibus ut a peccato liberentur, sed etiam ut ab eo liberi in gratia proficiant, et gloriam consequantur, nullatenus est contra nos: nam gratiæ augmentum et gloria, quæ Christus nobis meruit, non ponunt in numero cum ipsa gratia, per quam a peccato liberamur; sed reducuntur ad eam ut augmentum et complementum: et ideo omnia hæc comprehenduntur sub munere gratiæ redemptivæ et liberativæ a peccato, quam Christus venit conferre. Non enim debuit eos, quos redimeret, relinquere imperfectos, regenerando eos dumtaxat per primam gratiam; sed usque ad debitum augmentum et complementum, quod est per gloriam perducere. Totumque hoc est munus perfecti redemptoris et regenerantis: sicut munus generantis perfecti est non solum conferre effectui primam suam formam, sed etiam complementum et perfectionem talis formæ: et sicut perfecti medici munus est, non tantum a mortali ægritudine infirmum eripere; sed etiam ad perfectam sanitatem perducere.

69. Per quod manet etiam impugnatum aliud effugium, quod posset nostræ rationi excogitari: videlicet quod etsi Christus pro solis peccatoribus mortuus sit, ut scriptura clamat; non autem pro solis peccatoribus meruit: quia ejus meritum non dependebat a morte, sed quælibet ejus actio ab instante conceptionis erat infinite meritoria: sufficere autem ut B. Virgo fuerit redempta per

Christum, quod ipse meruerit illi gratiam: nam omnis gratia collata ex meritis Christi est gratia redemptiva, et denominat suppositum, in quo est *redemptum*.

Hoc igitur ex dictis manet impugnatum. Impugnatur.  
Nam præterquam quod juxta veriorum Patrum et Theologorum doctrinam nullum Christi meritum consummatum fuit quantum ad effectum ante ejus mortem, aut saltem sine respectu ad illam, atque adeo pro iis tantum meruit, pro quibus mortuus est: præter hoc igitur, et gratis admissio meruisse per omnia opera independentem a consummatione per mortem; hoc tamen omnino est certum, videlicet meritum et officium redemptionis nullatenus fuisse ante mortem consummatum; sed tunc cum Christus protulit postremum illud verbum *Consummatum est, et inclinato capite tradidit spiritum*, Joan. 19. Pro quo etiam dicitur Matth. 20 et Marci 10: *Venit filius hominis dare animam suam in redemptionem pro multis.* Et I, ad Timoth. 2: *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Ex his enim aperte constat Christum opus redemptionis non nisi per mortem præstitisse: ob idque sanguis ejus effusus vocatur pretium ipsius redemptionis. Quare illos dumtaxat dicendus est redemisse, pro quibus fuit mortuus: atque adeo vel Deiparam non redimeret, vel debuit pro illa mori: eumque pro solis peccatoribus vel peccato obnoxiius mortuus sit, consequens est ut nisi illa inter istos numeretur, a redemptorum numero debeat excludi. Hæc autem impugnatio et doctrina inferius num. 108, magis roborabitur: ibique constabit solum meritum Christi per mortem consummatum pertinuisse ad redemptionem.

Joan. 19.  
Mat. 20.  
Marc. 10.  
I. ad  
Tim. 2.

### § III.

#### *Secunda ratio pro eadem communi sententia.*

70. Alia ratio magis specialis nec minus efficax quam præcedens pro sententia communi sumitur ex ipsa essentia et munere redemptionis: cujus conceptus cum veritate et proprietate salvari nequit sine respectu ad peccatum vel ad peccati debitum illius, qui redimitur. Prius autem quam efformemus illam, videndum est et statuendum quid nomen *redemptionis* importet, et qualiter eo utendum sit. Ex libertate enim confingendi nova vocum significata, vel antiqua pro libito laxandi, ortum habent

prolixæ et interminatæ quæstiones de modis loquendi : insimulque falsæ et periculosæ opiniones, quæ ludendo verbis, eorum ambiguitate proteguntur, ut nequeant suæ falsitatis convinci.

Quid sit redimere, et unde dictum ?

Igitur *redemptio* et *redimere*, sive vim vocis sive veterum et communem acceptionem spectes, significat emere, seu pretio liberare eum, qui cum prius liber esset, sub alterius potestate captivus, vel ejus servituti mancipatus detinetur. Eximi namque ab hac servitute, et ad pristinam restitui libertatem, hoc proprie est redimi. Quod si absque pretio, aliquo alio modo fiat prædicta restitutio, non erit vere et proprie redemptio : ut si Dominus gratis captivum dimitteret, vel ipse captivus carcerem effugeret, aut ab alio per vim inde extraheretur : in nullo enim ex istis casibus inveniretur vera et propria ratio redemptionis : sicut non inveniretur, quando qui prædicto modo liberandus est, sub nulla servitute præexisteret. Etenim *redimere* dictum est quasi *iterum emere* : unde sicut quod emitur, supponitur esse sub dominio alterius, scilicet venditoris (nemo quippe emit, quod sub suo dominio semper habet) indeque extrahitur ab emptore, persoluto pretio, sine quo nequit emptio consistere : ita quod redimitur, debet supponi sub potestate et servitute alicujus, a qua per redemptorem extrahitur, soluto pretio, quod recte Hispane dicimus *rescate* : et ideo sine hujusmodi pretio seu *rescate*, et sine illa præexistentia sub alieno dominio et servitute nequit intelligi vera ratio redemptionis : sicut nec ratio emptionis, quæ in ea includitur. Addit autem redemptio supra emptionem, quod ista tantum præexigit ut res emenda, tunc quando emenda est, sit sub potestate venditoris, sive semper fuerit sua, sive non, illa vero supponit non semper talem rem fuisse sub illius potestate ; sed ad ipsum vel per venditionem, vel per oblationem, vel per captivitatem aut alio simili modo devenisse ex dominio alterius (vel ipsiusmet rei, si sit capax Domini) sub quo prius fuit, cuique redditur et restituitur per redemptionem.

71. Esse vero propriam et legitimam redemptionis significationem eam, quam diximus, constat non modo ex latinis dictionariis, sed etiam ex scriptis Sanctorum Patrum, qui illam perpetuo observant. Unde Hieronymus super illud ad Ephes. 1: *In quo habemus redemptionem* sic ait: *Ille redimitur, qui captivus est, et in hostium*

Ephes. I. Hieron.

*veniens potestatem liber esse desinit.* Et super illud ad Galat. 3: *Christus nos redemit: Qui redimit (inquit) id emit proprie, quod suum fuit, et suum esse desinit.* Et cap. 4 ad illud: *Ubi venit plenitudo temporis ita ait: Qui acutius verbum redimere intuentur, dicunt eos significari redemptos, qui primum de Dei parte fuerunt, et postea esse cessaverunt.* Consonat Isidorus lib. de proprietate sermonum exponens voces istas *emere et redimere.* *Qui emit (inquit) alienum emit: qui autem redimit, id emit proprie quod suum fuit, et suum esse desinit.* Constat etiam ex sacris literis, quæ verbum *redimere* nusquam a prædicta significatione omnino extrahunt; sed ea perpetuo utuntur. Levit. 19. *Ancilla pretio non redempta nec libertate donata.* Et cap. 25: *Si vendiderit possessiunculam, potest redimere.* Et infra: *Si non redemerit, emptor possidebit eam.* Job. 15: *Non credet errore deceptus quod pretio redimendus sit.* Isai. 52: *Venduti estis, et sine argento redimemini.* Atque alibi sæpissime.

Hinc ergo ad animarum redemptionem sermonem convertendo, ut ei absolute et simpliciter ratio redemptionis conveniat, reperiri in illa debent, quæ hactenus explicuimus, servata proportione, quam exigit translatio a temporalibus ad spiritualia. Quare in primis requiritur, ut persona, quæ redimenda est, a spirituali libertate, quam aliquando in se vel in alio sortita fuit, in alterius Domini vel tyranni captivitatem aut servitatem spirituales devenerit; et sic pristinam illam libertatem amiserit. Secundo ut ab ea captivitate vel servitute per redemptorem extrahatur, et priori libertati restituatur. Tertio ut extractio hæc non fiat sola potentia aut vi redemptoris, sed exhibito justo pretio, quod dicimus *rescate*, ratione cujus captivum emat, solvatque et satisfaciat pro illo: hacque ratione jus contra eum acquisitum extinguat: fiatque ibi justitia et contrapassio, dum redimens tantumdem pretii dat pro captivo, quantum ille debebat: et exhibito tali pretio captivum recipit.

72. Ex his formatur nostra secunda ratio in hunc modum. Si Deipara non peccasset in Adamo, nullibi fuisset serva, aut captiva; nullo modo Christus eam emisset, aut pro ea pretium solvisset, aut jus aliquod acquisitum contra eam extinxisset, aut fecisset erga illam opus justitiæ et contrapassionis: ergo neque illam vere redemisset. Consequentia liquet ex hucusque prælibatis, quæ satis ostendunt, omnia recensita claudi in ratione

For-  
tur  
cum  
rati

ratione redemptionis. Antecedens vero suadetur discurrendo per singula. In primis enim servitus et captivitas spiritualis (de hac enim est sermo) non incurritur nisi per peccatum, per quod anima, quæ dum erat in gratia Deo serviebat ut nobilis sub lege libertatis, eratque proinde Domina et regina; cum servire Deo regnare sit, venit in ancillam, et traditur dæmonis potestati, cui servit captiva : si ergo Deipara neque in se neque in Adamo sub peccato fuit, non fuisset alicubi unquam captiva. Deinde si neque in se neque in Adamo fuisset sub dæmonis potestate, ubique semper fuisset Christi et Dei; ac proinde non posset Christus eam emere, quia nullus emit quod suum est, nisi postquam suum esse desierit, et in alterius transierit potestatem. Rursus si Deipara non peccasset in Adamo, incurrissetque proinde peccati debitum, non habuisset pro quo Christus solveret, aut pro quo satisfaceret : solutio enim et satisfactio ita sunt debiti correlativa, ut sine illo non possint intelligi : denique secluso a Deipara omni peccato et debito, nullum fuisset jus contra illam acquisitum, quod deberet solutione extingui : cum nulla alia ratione jus istud contra aliquem acquiratur, nisi quia peccando Deum offendit, et diabolo se submittit; per quod divinæ justitiæ tribuit jus ad exigendam debitam satisfactionem, et diabolo ad retinendum illum, qui se ei tradidit. Deessent ergo cuncta requisita ad veram redemptionem.

73. Confirmatur : nam idcirco S. Angeli non opus habuerunt redemptione, neque Christus illos redemit, quia cum nullum in se vel in alio peccatum commisissent, nunquam fuerunt captivi, nunquam sub alterius quam Dei potestate : et ideo emi non potuerunt : similiter propter eandem rationem nullum fuit contra eos jus acquisitum, quod peteret solutione extingui, atque adeo sub nullo fuerunt debito, pro quo solvendo pretio et satisfactione indigerent. Igitur si ponatur Deipara excepta omnino tam a peccato quam a debito, eo ipso ponitur exors redemptionis, non secus atque Angeli.

Porro Christum non redemisse Angelos, neque pro illis mortuum fuisse, præter loca quæ § 1 et 2 adduximus, quibus satis aperte convincitur, testantur plures sancti Patres, ut August. in Enchirid. cap. 61, ubi loquens de Ecclesiæ Angelorum, ita scribit : *Hæc sanguine mediatoris nullum habentis peccatum ab omnibus redempta est peccatis, ejusque*

*vox est : si Deus pro nobis, quis contra nos? qui filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum : non enim pro Angelis mortuus est Christus.* Gregorius lib. 28<sup>D. Greg.</sup> moral. cap. 6, in fine sic ait : *Cujus Incarnationis mysterium et electi Angeli mirati sunt, qui eodem mysterio redempti non sunt.* Et cap. 7, ostendens rationem, cur laudent Deum astra matutina, nempe Angeli, hanc solum assignat : *Quia dum conspiciunt nos (scilicet homines) redimi, eorum numerum gaudent impleri.* Bernardus in serm. feriæ<sup>Bernard.</sup> quartæ hebdomadæ pœnosæ, quærit de passione Christi : *Quis scit si data est mihi? Respondet vero : Mihi data est, quia alteri dari non potuit. Nunquid Angelo? sed ille non eguit. Nunquid diabolo? Sed ille non refugit. Denique non in similitudinem Angelorum, sed in similitudinem hominum factus, etc.* Eodem modo loquitur Anselmus<sup>Anselm.</sup> super illud ad Ephes. 1. *Instaurare omnia : utiturque verbis Augustini : Non enim pro Angelis mortuus est Christus, etc.* Et idem docent plures alii exponentes parabolam Lucæ 15 de pastore, cui erant centum oves, qui relictis nonaginta novem in deserto, venit quærere unam tantum, quæ perierat, et inventam posuit super humeros suos. Nam pastorem esse Christum, ovem centesimam genus humanum in Adamo perditum, et a Christo per redemptionem inventum, atque in crucis brachiis veluti in humeris elevatum; nonaginta vero novem esse angelos, quos in cælo reliquit, quia cum non indigerent redemptione, non illos venit quærere, tradunt Ambrosius lib. 7, in Luc. cap. de ove centesima : Gregor. homil. 34, in Evangelia : Beda super cit. caput 15 Lucæ, pluresque alii, et est communis illius loci expositio. Estque hæc veritas adeo perspicua, ut licet nonnulli Theologi dixerint Christum meruisse Angelis gratiam et gloriam; nemo tamen asseruit fuisse pro eis mortuum, aut illos vere et proprie redemisse; non nisi quia captivi non fuerant per peccatum.

74. Confirmatur secundo : nam si B. Virgo non peccasset in Adamo, ita se haberet in ordine ad redemptionem, ac ipse Adamus se habuisset, si non peccaret : sed si Adamus non peccaret, non haberet in eo locum redemptio, sicut non habuit de facto ubi primo creatus est, et justitia originali ornatus, quousque peccatum advenit : non enim prima illa collatio justitiæ originalis dicta est ab aliquo, aut dici potest vera redemptio : ergo, etc.

Confirmatio alia.

## § IV.

*Prima evasio ad hanc rationem, et præclusio illius.*

75. Occurres primo huic rationi ex doctrina adversariorum, quos infra referemus, quod licet redemptio requirat aliquod debitum in eo, qui redimendus est; sufficeret tamen pro redemptione Deiparæ debitum illud remotum, cujus dub. 1, num. 13 mentionem fecimus, quod non fuit debitum contrahendi immediate originalem maculam, supponens ipsam B. Virginem peccasse in Adamo; sed vel ipsa defectibilitas, et peccabilitas quam habet ex se natura humana: vel debitum ingrediendi pactum Adamo stabilitum, adeoque debitum, quo peccaret in illo, quando primo ipse peccaret, nisi fuisset a tali pacto excepta. Hujusmodi enim debitum nemo Deiparæ denegabit: quia secluso privilegio, ingrederetur illud pactum, peccaretque de facto in Adamo: sicut cæteri ab eo processuri, qui nullum privilegium fuerunt sortiti, ingressi sunt, et peccaverunt,

Porro hoc genus debiti ad intentum sufficere, neque opus esse alio magis proximo, quod a num. 16 explicuimus, videtur suaderi. Tum quia ut B. Virgo de facto dicatur redempta a culpa originali, quam cæteri contrahunt, sufficit habuisse debitum contrahendi in se hanc culpam, et quod speciali Dei gratia et præsertione eam non incurrerit: ergo sufficet quod habuerit debitum peccandi in Adamo per ingressum in illud pactum, et quod speciali Dei privilegio ingressa non fuerit, ut dicatur redempta a tali ingressu, et a peccato quod esset ibi commissura: ita enim se habet hoc secundum debitum ad committendum peccatum in Adamo, sicut primum illud ad contrahendum inde in se culpam originalem. Tum etiam quia licet debitum ingrediendi pactum sit mediatum in ordine ad contrahendam prædictam culpam, et ideo appelletur *remotum* seu *debitum debiti*, quia inter unum et alteram mediare debet ipsum peccatum actuale Adami, at in ordine ad committendum hoc peccatum in ipso Adamo potest dici *debitum proximum*: quia nullum aliud debitum vel peccatum mediat inter utrunque: cur ergo non sufficet ad redemptionem hoc debitum proximum peccandi, sicut sufficit debitum proximum contrahendi peccatum jam commissum? Tum præterea nam ubi est indi-

gentia remissionis vel satisfactionis, ibi est locus redemptioni, per quam fiat illa remissio aut satisfactio: omne autem debitum indiget remissione vel satisfactione, quia his tantum potest tolli et extinguï: ergo, etc. Tum denique, nam extinctio illius debiti, quo Deipara tenebatur ingredi cum reliquis pactum Adami, ubi esset peccatura, fuisset gratia et privilegium, quæ potuerunt illi concedi ex meritis Christi redemptoris, juxta doctrinam dubii præcedentis: sed gratia concessa ex meritis redemptoris est gratia redemptiva: ergo ab illa posset Virgo denominari *redempta*, sine eo quod proximius peccato appropinquaret.

76. Hæc sunt quæ propositæ evasioni apparentiam conciliare possunt. In quibus plura falsa involvuntur, quæ licet ex parte concederentur, maneret adhuc nostra ratio firma et inconcussa. Ut igitur singula perscrutemur, et suo ordine impugnemus, primo supponendum est, debitum hoc remotum, ad quod recurrunt adversarii, ut sufficeret redemptioni, nequaquam debere esse solam ipsam communem defectibilitatem seu potentiam peccandi, quam habet ex se natura humana. Tum quia sola potentia ut aliquis sit captivus, dum ibi sistitur, seclusoque proinde omni alio periculo vel debito, non est materia redemptionis. Ridiculum namque esset dicere nos, qui modo habemus potentiam ut in Turcarum captivitate deveniamus, absque alio hujus rei periculo vel debito, posse modo inde redimi, aut indigere redemptione ratione talis potentiae, dum ultra non pergimus, et captivitati aut alicui majori ejus periculo non appropinquamus. Tum etiam quia S. Angeli habuerunt defectibilitatem et potentiam ut peccarent in secundo instante suæ creationis, et non ideo habuerunt sufficientem redemptionis materiam, aut redemptione indiguerunt. Idemque est de Adamo, qui dum non peccavit, aut saltem periculo peccandi accessit, nulla redemptione indigebat; et tamen semper fuit defectibilis et peccabilis. Præterea nam vel materia redemptionis esset ipsa potentia peccandi immediate ratione sui, eo quod redemptio eam tolleret seu ab ea liberaret; vel ratione peccatorum, quæ redimendus poterat committere? Primum dici nequit; alias humanitas Christi, quæ per unionem ad Verbum a tali potentia liberata est, diceretur *redempta*, et redemptorum numero adscriberetur. Et similiter Angeli, qui ab ea liberati sunt per beatificam visionem. Secundam

Quid supponendum.



cundum autem æque est falsum : quia peccata pure possibilis omnino incapacia sunt effectus redemptionis ; sicut sunt incapacia veniæ, remissionis, aut satisfactionis. Nemo enim potest ex redemptione fructum percipere in ordine ad illa peccata, pro quibus neque aliquid debet, neque ulla ratione possunt ei imputari ; neque eorum subest majori periculo, quam puræ possibilitati.

Adde quod si peccata solum quia possibilis, aut præservatio ab illis sufficeret ad redemptionem, B. Virgo diceretur *redempta* non solum a peccato Adami, quod de se commissura erat, nisi præservaretur ; sed a multis peccatis personalibus : quia quantum est de se, poterat illa committere, et nisi præservaretur committeret de facto. Dicere autem absolute, Deiparam fuisse redemptam ab aliquibus peccatis personalibus, omnium aures offenderet : ergo, etc. Adde secundo, neminem recte loquentem vocasse *debitum* solam potentiam ad aliquid : sed ab omnibus ratio debiti concipitur ut quoddam jus et quædam exigentia illius rei, cujus est debitum, superaddita potentiæ. Sinistre ergo auctores, quos impugnamus, vocassent *debitum* in ordine ad redemptionem solam potentiam peccandi et deficienti, quam humana natura ex se affert.

77. Deinde supponendum etiam est, prædictum debitum (quod ejus auctores communiter explicant per ordinem ad pactum statutum cum Adamo) non posse esse solam capacitatem tale pactum ingrediendi : quia si sola capacitas ad aliquid haberet rationem debiti, possemus dicere, homini condito in puris naturalibus debitam esse gratiam ; et omnibus tam Angelis quam hominibus fuisse debitam prædestinationem ; imo et cuilibet naturæ creatæ debitam esse unionem cum divina persona, aliaque id genus absurda : siquidem in omnibus est vel fuit capacitas ad prædicta beneficia. Debet ergo quodcunque debitum non chimæricum et fictum, ultra potentiam et capacitatem importare (ut dicebamus) exigentiam rei debitæ, sive quia illam ex natura rei fundat vel infert, sive quia aliunde jus habet ut illi tribuatur. His suppositis facile ruet evasio adducta duplici ictu, utroque lethali : ostendendo nimirum fictitium esse et absque fundamento debitum ingrediendi pactum Adami aut peccandi in illo, quod tribuit Deiparæ : et rursus tale debitum etiamsi admittatur, nihil conferre ad effectum redemptionis. Hoc secundum constabit § sequenti.

78. Primum vero probatur animadvertendo ex triplici tantum capite posse oriri prædictum debitum : videlicet, vel ex ipsa conditione et meritis naturæ humanæ, et ex modo suæ propagationis per processionem seminalem, quasi talis natura et propagatio consideratæ secundum se (sicut considerabantur, dum non intelligebatur pactum, de quo loquimur) postularent statui Adamo tale pactum, ratione cujus esset caput morale omnium posteriorum seminaliter ab ea descendendum. Vel ex voluntate Dei, constituente illud pactum, et eo ipso veluti constringente omnes Adæ posteros ut illud ingrederentur. Vel denique ex aliqua speciali gratia præstita ipsi Deiparæ, ne cum cæteris pactum ingrederetur. Non enim facile excogitabitur, adhuc data fingendi licentia, aliud caput unde oriri possit prædictum debitum. Atqui ex nullo istorum ortum habuit : ergo est fictitium et sine fundamento. Minor quoad ultimam partem est perspicua. Tum quia talis gratia potius tenderet contra pactum et contra ejus debitum, veluti irritando illa pro eo supposito, quod excipiebatur : ergo non ipsa constitueret debitum vel pactum pro tali supposito. Tum etiam quia gratia necessaria pro illa exceptione jam supponeret debitam ingrediendi pactum : non enim opus esset tali gratia pro exceptione a pacto, si nullum præcesset debitum illud ingrediendi : non igitur prædictum debitum, utpote antecedens, oriri poterat ex tali gratia.

79. Probemus eandem minorem quoad primam partem. Tum quia natura neque ex se neque ex modo propagationis postulabat ut primus parens constitueretur caput morale posteriorum, sicut nec quod istorum voluntates in illum transferrentur, quod erat necessarium ad prædictam constitutionem. Quin potius ea translatio et constitutio ita naturæ merita et conditionem superexcedebat, ut nec Deus aliter illam facere potuisset, quam utendo supremo suo dominio, ut diximus disp. præced. num. 34, quo tamen uti necesse non habet, quoties operatur juxta exigentiam et debitum naturæ, ut est per se notum. Tum etiam quia constituere Adamum in esse capitis moralis fuit elevare ad supernaturalem ordinem ejus posteros media promissione justitiæ originalis : natura autem humana ex se vel ex modo suæ propagationis nullum habebat debitum respectu talis elevationis : alias diceremus gratiam esse debitam naturæ, quod est hæreticum. Denique si humana natura vel ex se

Formatur impugnatio.

Probatur prima pars minoris.

vel ex modo propagationis postularet prædictum pactum et constitutionem in Adamo, id ipsum postularet in reliquis parentibus respectu suorum descendendum: cum nulla inter eos et Adamum neque ex parte naturæ neque ex parte modi propagationis possit disparitas assignari. Atque adeo teneretur Deus, conservando debitum rebus ordinem, constituere unumquemque caput morale respectu suorum posterorum, sicut constituit Adamum respectu omnium; quod est absurdum: ergo natura ex suis meritis nullum valuit fundare debitum vel exigentiam pactum illud ingrediendi.

Effu-  
gium.

Dices quod etsi natura absolute loquendo pro nullo suorum individuorum habeat prædictam exigentiam; ex suppositione tamen quod Deus pactum illud universaliter constituerebat pro cæteris omnibus individuis, aderat jam ipsi naturæ debitum, saltem ex quadam decentia vel congruentia, ut nullum extra remaneret: cum non facile posset honestari, quod cæteris omnibus admissis, unum excluderetur.

Impu-  
gnatur.

80. Sed contra: nam si quod genus debiti ex prædicta suppositione consurgeret, potius oriretur ex voluntate Dei constituente pactum in ea universalitate (unde oriri non posse statim probabitur) quam ex ipsa natura et ejus meritis, prout loquimur in hac probatione. Ex eo enim quod universa individua naturæ humanæ per gratuitam Dei promissionem elevarentur ad participationem justitiæ originalis, unum vero sine tali elevatione relinqueretur, non fieret istud alterius naturæ, atque esset, seclusa illorum elevatione; neque ejus naturalia principia quoad aliquid mutarentur, aut aliud aliquid sibi superadderetur: ergo non fieret ut tale individuum ex se et ex sua natura fundaret debitum respectu prædictæ elevationis, quod non fundaret, cæteris absque elevatione relictiis. Quemadmodum licet Deus decrevisset plurimos homines ex Adamo procedere; si tamen decerneret unum, qui ex se non peteret ab eo originari, alia via producere; non ideo iste haberet ex sua natura majus debitum procedendi ab illo, quam si nec pro reliquis fuisset ita determinatum. Similiter ergo in præsentia.

Confirmatur: nam ubi ex parte naturæ adest debitum, non est Deo necesse uti supremo suo dominio ad tale debitum adimplendum: cum ipse rerum ordo cujuslibet naturalis debiti adimplerem exigit: sed ut B. Virgo intra pactum Adami collocaretur, isque caput ejus morale constitueretur,

sive absolute, sive ex suppositione quod cæterorum omnium caput esset; necesse fuit Deo uti supremo suo dominio, quo voluntatem Virginis plenissime continebat, et in voluntatem ipsius Adami transfundere poterat: nulla quippe alia via fieri poterat prædicta translatio et constitutio sive pro omnibus sive pro aliquo, absolute vel ex suppositione, quam ratione prædicti domini, ut vidimus disp. præced. num. 34: ergo etiam supposita inclusione cæterorum sub prædicto pacto, nullum erat debitum ex parte naturæ, ut B. Virgo illud ingredere-  
tur.

Confirmatur secundo ex eo quod cernimus in humanitate Christi Domini. Quamvis enim Deus pro omnibus aliis individuis naturæ humanæ statuerit ut descenderent seminaliter ab Adamo, et pactum ejus ingrederebantur: nullum inde intelligimus resultare debitum in Christi humanitate, quæ etiam est individuum prædictæ naturæ, vel ad simili modo ex Adamo procedendum, vel ad ingrediendum prædictum pactum (nemo enim adhuc ausus fuit tale debitum in prædicta humanitate confingere, aut illam hac via capacem redemptionis facere) ergo universalitas prædicti pacti non est ratio ut in eo individuo quod Deus nolisset comprehendere, v. g. Deipara, consurgat ex ipsa natura aliquod verum debitum ad comprehensionem. Diximus *aliquod verum debitum*: quia non negamus fore in prædicto casu convenientiam, congruentiam, et decentiam, ut cæteris sub pacto comprehensis, etiam comprehenderetur illud individuum. Sola tamen convenientia, congruentia, aut decentia non sufficiunt ut quod congruit et decet vere debeatur: alias diceremus (quod est absurdum) Deum ex debito creasse mundum, et homines prædestinasse, quia utrumque congruum, decens, et conveniens fuit. Non igitur sola congruentia, convenientia, aut decentia assignanda est pro fundamento debiti.

81. Ostendamus vero (quæ est secunda pars minoris) neque ex Dei voluntate prædictum debitum ortum habere potuisse. Quod quidem juxta modum discurrendi adversariorum est perspicuum. Nam pro eodem sumunt debitum ingrediendi pactum Adami atque debitum peccandi in illo: hacque ratione dicunt tale debitum posse esse redemptionis materiam: quia idem est liberari ab eo, ac præservari et redimi a commissione peccati: unde velint, nolint, tenentur reducere prædictum debitum ad  
genus

Ostenditur secundum partem minoris capite

genus culpæ, saltem causalis : quia redemptio non est nisi a malo; nec tunc locum haberet malum pœnæ, cum nulla præcessisset culpa : cum ergo nihil hujus generis divinæ voluntati tribuendum sit, manifeste repugnat, ut juxta eorum sententiam ortum habeat ex illa tale debitum.

Potestque hoc magis urgeri : nam si divina voluntas fuisset causa illius debiti, vel id præstitisset ex beneficentia et amore, adeoque in gratiam et beneficium posterorum Adami, quos tali pacto adstringebat : vel ex odio et displicentia, atque adeo in eorum detrimentum et supplicium ? Hoc posterius absurdum est asserere : quia cum nulla præcessisset culpa, quæ supplicio illo puniretur, potius deberent homines de Deo conqueri, tanquam odio habente naturam humanam, quam in sua primæva institutione ita exosam habebat, et puniebat sine culpa ; quam gratias illi pro tali institutione referre tenerentur : quod non modo absurdum est, sed impium. Si vero primum dicatur, ruit intentum adversariorum : quia quod est gratia ex Dei amore et beneficentia collata hominibus, non potest esse materia redemptionis seu id, a quo redemptor liberat : cum nullus suum redemptum liberet a bono, sed a malo. Sed hæc impugnatio inferius pro-  
tendetur.

82. Modo vero probemus, nullum debitum etiam de genere boni potuisse in casu, de quo loquimur, oriri ex Dei voluntate in persona Deiparæ vel in aliquo alio, qui a pacto Adami excluderetur. Aut enim oriretur ex sola voluntate creandi homines, et conferendi illis ea, quæ natura ex se ipsa postulat ? Et hoc non : quia natura ex se nulla ratione postulat aut fundat debitum ingrediendi illud pactum, ut jam ostendimus : prædicta autem voluntas ea solum tribuit, quæ natura ex se postulat. Aut oriretur ex voluntate, qua Deus decrevit elevare filios Adami ad participationem originalis justitiæ medio illo pacto, quod cum Adamo sancivit, et media promissione in ipso imbibita ? Et neque hoc potest dici : quoniam hæc voluntas fuit omnino liberalis, et promissio in ea imbibita fuit pure gratiosa, utpote in ordine ad dona et beneficia supernaturalia, et quæ nullo titulo naturæ humanæ aut alicui ejus individuo debebantur : ex hoc autem quod Deus hoc modo aliquibus promittat, et pactum eis statuatur, nulli alteri jus vel debitum acquiritur ad similem promissionem vel pactum. Sicut ex eo quod largitus fuerit donum perseverantiæ

tot millibus Angelorum, qui permanserunt, nullum jus aut debitum contulit ad simile beneficium aliis, qui ceciderunt. Et si ex omnibus, quos creavit et elevavit per gratiam ad supernaturalem ordinem, unum aliquem nolisset elevare ; sed elevatis cæteris, in suis naturalibus eum relinqueret : non idcirco iste non elevatus ex voluntate elevandi cæteros aut ex eorum elevatione jus vel debitum ad similem elevationem acquireret : non nisi quia prædicta elevatio fuit omnino gratiosa et supra exigentiam Angelicæ naturæ. Cum ergo promissio et pactum, quibus Deus posteros Adami elevavit in illo ad participationem justitiæ originalis, fuerit pure gratiosa et omnino supra exigentiam naturæ humanæ; nequivit ex tali promissione vel pacto jus aliquod oriri in aliquo individuo prædictæ naturæ, vel ut ei fieret talis promissio ; vel ut quæ fiebat aliis, ipsum comprehenderet.

83. Dices, ex ipsa universalitate promissionis oriri debitum saltem decentiæ et æquitatis, ut nullus ab ea excluderetur : quia indecens est, ut quod conceditur cæteris omnibus, uni tantum, præsertim sine ejus culpa, denegetur. Si enim aliquis in humanis, existentibus centum pauperibus, largiretur eleemosynam nonaginta novem ; centesimo vero sine aliqua ejus culpa illam negaret ; non facile hujusmodi negationem honestaret, et a vitio acceptionis personarum excluderet.

Ennigium.

Sed contra : nam quicquid sit in humanis (de quo inferius), in Deo tamen certissimum est nullum oriri debitum etiam decentiæ, ex eo quod beneficia ordinis gratiæ plurimis contulerit, ad tribuendum alicui alteri, cui dare nollet, eadem beneficia. Etenim debitum decentiæ et æquitatis, si vere debitum sit, non dicitur solam decentiam aut congruentiam, quæ in ejus adimplerione inveniretur : constat siquidem in omnibus, quæ Deus agit, reperiri magnam decentiam et congruentiam ; et tamen non in omnibus adest verum aliquod debitum, ut est per se notum, et telligimus num. 80. Tunc ergo debitum decentiæ aut æquitatis invenitur, quando ex non adimplerione sequeretur aliqua indecentia vel personarum acceptio : sicut tunc datur debitum justitiæ, quando ex non adimplerione sequeretur aliqua injustitia : ex eo autem quod tribuens Deus beneficia ordinis gratiæ cæteris omnibus sive hominibus, sive Angelis, uni tantum ea denegaret, nulla sequeretur indecentia, nec Deus contra debitum rebus ordinem ali-

Refutatur.

quid faceret ; sed decentissime operaretur, ex eo solum quod ipse, qui nulli debet, ut suam independentiam et libertatem ostenderet, sine personarum acceptione quibus vult, donat ; et cui donare non vult, deneget : rectissimeque queritanti illi, cui non

Mat. 20.

donavit, respondere posset : *Amice non facio tibi injuriam ; an non licet mihi quod volo facere ?* Nullum igitur inde consurgeret verum debitum, etiam æquitatis aut decentiæ.

84. Confirmatur : nam absurdum est dicere, quod si Deus omnes homines, quos creare decrevit, prædestinaret præter unum, idcirco deberetur isti prædestinatio : aut quod in ejus non prædestinatione fieret aliquid contra debitum æquitatis et decentiæ propter universalitatem beneficii erga tot alios prædestinatos : sicut etiam absurde diceretur, quod elevatis ad ordinem gratiæ omnibus Angelis, quos Deus produxit, si unum alium produceret, esset illi debita talis elevatio : contraria vero huic doctrina sapit hæresim Pelagianam : ergo quantumvis universaliter et pro universis filiis Adami statuerit Deus illud pactum, nullum jus vel debitum potuit inde acquiri alicui alteri, pro quo statutum non fuit ; cum hoc totum fuerit beneficium ordinis gratuiti : gratisque omnino omnibus illis concessum.

Confirmatio impugnationis.

Disparitas inter divinam et humanam elargitionem.

Neque est omnino simile in humanis : quia non semper tribuens eleemosynam est ita immunis ab obligatione ; quin multoties vel absolute, vel ex suppositione ad id teneatur aliquo honestatis titulo, cui contraire esset indecens et inhonestum. Et in casu posito posset obligari lege charitatis, ne singulariter excluso centesimo illo paupere a communi beneficio, notam aliquam infamiæ aut demeriti illi inureret : vel ob alias causas, quæ apud homines frequenter currunt : quibus tamen cessantibus, adhuc in humanis ex sola beneficii universalitate nulli excluso acquireretur jus ad tale beneficium. In Deo autem nulla ex causa potest oriri similis obligatio : utpote qui liberrime, omninoque independentem ab alicujus exigentia ; præterquam a sua voluntate, dona gratiæ distribuit ; quique hanc suam independentiam et libertatem vult omnibus esse notam, vociferante Apostolo : *Miserebor cujus misereor, et misericordiam præstabo cui miserebor : ergo cujus vult miseretur, et quem*

Rom. 9.

*vult indurat.* Roman. 9. Tota igitur honestatis ratio et totum debitum in elargitione bonorum supernaturalium est voluntas largientis : atque adeo cui elargiri non vult,

nullum potest esse debitum, ut sibi largiatur ; quantumvis in elargitione, si daretur, æquitas, congruentia, et convenientia explendescerent. Maneat ergo ex nullo capite posse oriri debitum, quod adversarii astruunt in Deipara exclusa a pacto Adami, ut sub illo comprehenderetur, si de vero aliquo debito, et non de pure fictitio et æquivoco loquantur. Sed aliunde contra eos procedamus.

## § V.

*Eadem evasio alia via impugnatur.*

85. Alia via potest impugnari non minori efficacia evasio proposita, etiam admissio debiti ingrediendi pactum Adami ab adversariis pro Deipara excogitato : ostendendo quod initio præcedentis § secundo loco proposuimus : nimirum tale debitum quovis modo depictum non posse esse materiam seu terminum a quo veræ redemptionis. Quod sic probatur primo : nam terminus a quo redemptionis debet esse aliquid de genere mali vel incommodi ; non vero aliquid, quod sit gratia et beneficium respectu redempti : sed ingredi pactum Adami ; adeoque debitum et jus ingrediendi non esset aliquid de genere mali vel incommodi ; imo erat magna gratia et beneficium : ergo neque tale debitum ; neque adhuc ipse ingressus potuit esse terminus a quo redemptionis. Major est perspicua : quia vera redemptio non liberat per se a bonis et beneficiis ; sed a malis et incommodis : stulte enim quæreret aliquis redemptorem, ut sibi auferret gratiam, et beneficia subtraheret, stulteque pro his muniis ei gratularetur. Minor vero suadetur : nam Deus statuens pactum Adamo, comprehendensque ibi ejus posteros, non intulit eis aliquid mali, supplicii, aut incommodi ; imo vero magnam præstitit gratiam et magnum beneficium, elevando illos medio tali pacto ad supernaturalem ordinem et participationem justitiæ originalis : præsertim cum talis elevatio nulla ratione fuerit eis causa, periculum, aut occasio data peccandi in Adamo : sicut neque Adamus fuit occasio data peccandi ; sed potius quantum erat ex se, a peccato retrahebat, et ad gratiarum actionem magnopere inducebat (aliter vero de divina promissione et pacto discurrere esset Deo injuriam inferre) : ergo prædictum pactum nihil mali includebat ; sed potius plurimum boni : non ergo esset beneficium, sed

sed potius negatio magni beneficii extrahi a tali pacto.

Confirmatur : nam si Deus comprehendens reliquos posteros Adami sub illo pacto, unum extra relinqueret, ita se haberet erga istum, ac si, cum creavit et elevavit Angelos ad ordinem gratiæ, reliquisset unum extra elevationem in suis tantum naturalibus : at in hoc casu non esset beneficium talem Angelum extra elevationem relinqui ; sed potius esset negatio eximii beneficii, quo cæteri donabantur : ergo similiter in eo, de quo loquimur, potius esset beneficii negatio extra pactum relinqui, quam verum beneficium. Ex quo fit prædictam exceptionem secundum se non modo non futuram redemptionis materiam, sed neque alicujus Christi meriti. Quoniam Deus non utitur meritis Christi in ordine ad deneganda hominibus beneficia, sed in ordine ad illa conferenda : atque adeo cui nullum fieret beneficium, non esset capax ut prædicta merita sibi applicarentur. Diximus *prædictam exceptionem secundum se*, etc. propter illa quæ inferius a num. 90 declarabimus.

86. Dices non fuisse beneficium præcise ratione exclusionis a pacto et ab elevatione ; sed ratione præservationis a peccato futuro, quod per illam exceptionem removebatur : cum enim Deus præsciret Adamum peccaturum, ejusque peccatum non ipsi solum, sed omnibus sub pacto comprehensis obfuturum ; potuit ex amore et beneficentia erga unum aliquem relinquere eum extra pactum, ut ita exclusus non peccaret in Adamo, neque hujus peccatum illi imputaretur. Unde non videtur simile exemplum de Angelo relicto extra elevationem : quia iste non eo ipso quod elevaretur peccaret, sicut peccaturi erant quotquot pactum Adami ingrediebantur : et ita non fieret illi beneficium remotionis a peccato, sed solum negaretur beneficium elevationis. Potestque hoc confirmari : tum quia de Juda proditore dicitur Matth. 26: *Bonum ei erat, si natus non fuisset homo ille* : quo ostenditur, præstiturum illi Deum majus beneficium non creando cum præscientia futuri peccati, quam præstitit creando cum tali præscientia. Tum etiam quia sæpe Deus ex amore et beneficentia erga aliquos negat illis beneficia, quibus scit male usuros, ne peccandi occasionem ex illis desumant : ergo denegatio beneficii potest habere beneficii rationem, ac proinde conferri a Deo intuitu meritorum Christi.

87. Sed contra : nam licet remotio a pec-

cato, quæ fit per alicujus boni collationem, ut per confirmationem in gratia, habeat rationem gratiæ et beneficii ; secus tamen quæ præcise fit per bonorum denegationem : repugnat enim quod negatio boni præcise ut talis sit gratia et beneficium ; sicut repugnat, quod negatio sit affirmatio. Alias diceremus exercuisse Deum magis suam gratiam et beneficentiam erga homines, quos in sua nihilitate reliquit præsciens peccaturos, quam erga illos, quos cum eadem præscientia creavit : illi enim per non creationem remoti sunt omnino a peccato, cui isti semel creati exponuntur. Hoc autem manifeste est falsum : nam illis, quos Deus creare non decrevit, sed in statu solius possibilitatis reliquit, omne denegavit beneficium, nulloque amore eos unquam est prosequutus : his vero, quos creavit, etiam præsciens peccaturos, confert beneficium creationis, et nihil denegat, quod illis contulerit. Unde isti debent Deo gratias ratione prædicti beneficii ; cum tamen pro illis a nemine sint debita.

Deinde quis dubitet Deum majus beneficium præstitisse Adamo creando illum in justitia originali præsciens etiam sui casus, quam si non creasset ; quo casu peccatum non foret ? Et similiter quis neget fuisse majus Dei beneficium erga omnes Angelos elevare illos ad ordinem supernaturalem, conferendo eis gratiam et jus ad gloriam, quamvis in tali ordine multos casuros prænosceret, quam sine prædicta elevatione in suis tantum naturalibus relinquere ? Eo præsertim quia quantitas alicujus beneficii recte pensabitur ex debito gratificationis : certum est autem tam Adamum quam Angelos debuisse Deo majores gratias, quia creati et elevati sunt, etiam cum prædicta præscientia, quam si vel non crearentur, vel non elevarentur : receperunt ergo majus beneficium. Adde, beneficium creationis aut elevationis nequaquam diminui, sed potius augeri, cæteris paribus, ex præscientia peccati futuri. Nam ibi ostenditur major gratia et beneficentia alicujus benefactoris, ubi cum ex parte recipientis prævideantur aliqua, quæ possent illum a benefaciendo retrahere, quasi devicta et superata ab eis sua beneficentia et misericordia ; nihilominus non devincitur nec retrahitur, sed contranitendo superat omnia impedimenta, et confert beneficium. Cum autem peccatum prævisum in illo, quem Deus creat aut elevat, sit obstaculum retrahens, quantum ex se, divinam voluntatem ;

Effu-  
gium.

Proba-  
tiones  
pro illo.  
Mat. 26.

Confu-  
tatur.

eo ipso ostenditur major ejus beneficentia et gratia, quia non devincitur a tali obstaculo; sed superato illo, nihilominus beneficia præstat, ac si prævisum non fuisset.

Dilua-  
tur pro-  
bationes.

88. Exemplum de Angelo relicto extra elevationem optimum est ad rem: quia omnes Angelos, qui de facto ceciderunt, præsciebât Deus peccaturos, si semel ad supernaturalem ordinem elevarentur, sine qua elevatione nullatenus peccarent, ut in suo tract. diximus: et tamen relinquere aliquem eorum non elevatum, adeoque nec peccandi possibilitati expositum, non esset facere ei beneficium, sed negare.

Ad illud, quod in confirmatione dicitur de Juda, respondetur, ibi non fieri comparisonem inter creationem Judæ et ejus non creationem, quasi hæc fuisset majus bonum aut majus beneficium quam illa, etiam cum præsentia peccati et damnationis; sed inter non creationem ex una parte, et ipsum peccatum et damnationem ex alia: diciturque non creatio *bona*, seu (ut exponunt communiter Interpretes) *melior* quam peccatum et damnatio, non quidem positive, quasi habitura esset aliquid veri boni; sed negative, quia minus habuisset de ratione mali quam ipsa damnatio et peccatum; cum hæc pessima sint, illa vero non sit mala, quamvis nec bona, sed sit remotio mali. Ad secundum respondetur, beneficiorum denegationem in aliquibus idcirco oriri ex beneficentia ex amore Dei, quia oritur ex intentione conferendi alia majora beneficia, ut majorem gratiam, vel majorem perseverantiam in illa: et ita prædicta negatio, non est ex se ipsa (etiam prout consequenter erit peccati remotio) sed ratione illius intentionis, ex qua imperatur, et illius majoris beneficii, ad quod ordinatur, habet rationem beneficii.

Replica.

89. Neque obest si urgeas, potius hinc sumi argumentum pro adversariis: quia exceptio Deiparæ a pacto Adami proculdubio fuisset facta ex intentione alterius majoris beneficii. Ideo enim Deus exciperet illam a prædicto pacto, ut vel omnino independentem ab Adamo matris dignitate, et præstantissima perpetuaque sanctitate eam donaret: vel aliud excellentius et nobilius pactum pro ea statueret: cujusmodi esset constituere Adamum ejus caput in ordine ad traducendam justitiam, casu quo non peccaret; non autem in ordine ad peccatum, casu quo delinqueret: et ita permanente illo in justitia originali, esset hæc debita Deiparæ; nec tamen prævaricante,

peccatum esse debitum. Quod enim Deus hoc modo decreta disponderet, ex nullo capite repugnat; quod vero ita sit factum, suadet major excellentia, quæ inde Virgini accrescit. Igitur exceptio prædicta haberet rationem beneficii, adeoque posset esse materia veræ redemptionis.

90. Non igitur hoc obest, sed potius juvat ad nostræ doctrinæ explicationem. Non enim absolute negamus, exceptionem Deiparæ a pacto Adami modo, quo in hac replica depingitur, habituram rationem beneficii; quin potius dub. præced. id adstruximus: potuisseque res sic a Deo disponi, ut exceptio illa fieret ex meritis Christi (an prout de facto prædicta merita fuerunt ordinata, infra dicemus) negamus vero, quod talis exceptio haberet rationem beneficii formalissime in quantum esset exceptio a pacto Adami; et (ut ita dicamus) ex ipso capite exceptionis, etiam prout in hac ex consequenti involvitur remotio a peccato; sed totum quod ibi esset beneficii et favoris, id haberet præcise ratione majoris gratiæ, quæ alia via Virgini donabatur: quæ sane gratia nullatenus fuisset major, aut plus valoris exprimeret, eo quod haberet comitem exclusionem a pacto, sub quo comprehendebantur alii: sed totum suum valorem et æstimationem haberet ex sua propria intensione et quantitate absolute sumpta sine respectu ad prædictam conclusionem: essetque proinde æquale beneficium, æqualisque valoris et æstimationis, quamvis tale pactum non fuisset pro reliquis constitutum.

Hoc vero, quod ex dictis credimus manere sufficienter comprobatum, clarius fiet, si prædictam exceptionem ponamus non in Deipara, cui Deus alia via gratiam conferret; sed in alio, quem in suis puris naturalibus produceret omni gratuito dono destitutum: si enim in hoc excipi a pacto Adami peccaturi non esset beneficium; bene infertur, neque etiam in illa similem exceptionem habituram rationem beneficii ex ipso capite exceptionis; sed totum illud beneficium consistere penes gratiam concomitantem talem exceptionem. Porro in casu proposito prædictam exceptionem non fore beneficium, ex eo patet, quia ita exclusus solum obtinisset beneficium creationis omnibus commune, nihilque amplius a Deo acciperet; ultra quod cæteri virtute pacti acciperent beneficium elevationis ad ordinem gratiæ: et ideo isti pro utroque beneficio ad gratiarum actionem tenerentur;

Enerva-  
tur.

tur; ille vero pro primo dumtaxat: ergo derelinqui extra pactum respectu illius esset negatio beneficii prædictæ elevationis, et non ad aliquod beneficium. Si igitur exclusio a prædicto pacto facta sine alia gratia, nihil habet de ratione gratiæ et beneficii; recte infertur gratiam collatam in causa exceptionis Deiparæ non habituram rationem gratiæ aut beneficii ex parte exceptionis; sed præcise ex ipsa quantitate gratiæ secundum se.

Illatio.

91. Ex hoc autem aperte deducitur illud, quod in nostra impugnatione ostendebamus, videlicet prædictam exceptionem, qualitercunque sumatur, non posse esse materiam redemptionis. Quia redemptio non est quodcumque beneficium, sed essentialiter est beneficium per modum extractionis et liberationis ejus, qui redimitur, a malo unde redimitur: debetque proinde ratio talis beneficii splendere in ipsa extractione et liberatione ut talibus, quicquid sit de aliqua alia gratia, quæ fiat vel non fiat redempto. Hac enim ratione nemo dicet fuisse vere redemptionem respectu Angeli aut respectu Adami eorum creationem vel primam justificationem: quia licet communicare illis primum esse et primam gratiam fuerit magnum beneficium; non tamen hujusmodi beneficium fuit per modum extractionis et liberationis ex aliquo habente rationem mali. Sicut etiam inter homines nemo dicet Petrum Joannem redimere, quia donat illi centum vel mille aureos, non habito respectu ad aliquod malum, unde pretio illo liberetur: omnes vero dicemus eum redimere, si a captivitate vel servitute extrahat, quamvis nihil præter libertatem ei conferat.

Quod adeo verum est, ut neque adversarii præsumserunt alia via salvare redemptionis conceptum: ob idque coacti sunt recurrere ad debitum ingrediendi pactum Adami, quod ipsi de genere mali arbitrantur: ut in extractione et liberatione ab illo nonnihil saltem splendeat redemptionis. Quo recursu opus non haberent, si redemptio ex unanimitate omnium conceptione non importaret extractionem et liberationem, quam diximus ut rationem essentialem et primariam: et nisi beneficium proprium redemptionis deberet in prædicta extractione ut tali independentem a quavis alia gratia primario splendere. Habemus ergo exceptionem a pacto Adami, quantum est ex hoc capite, neque in Deipara neque in alio habere rationem beneficii, adeoque nec meri-

torum Christi effectus, esto vero aliunde beneficium illi adjungatur; nequaquam tamen hoc posse constituere veram redemptionem: cum non in ipsa exceptione ut tali, sed in alio concomitanter et de materiali se habente consistat.

## § VI.

*Protenditur alia via impugnationis: et satisfit probationibus adductis pro principali evasione.*

92. Amplius adhuc ostendenda a nobis est insufficientia evasionis adversariorum, et confirmanda vis nostræ rationis. Pro quo observa, totum quod in exceptione a pacto Adami de ratione redemptionis illi reperiunt, in eo situm esse, quod per talem exceptionem Deipara præservabatur a peccato, quod ipse Adamus pro posteris committeret, manebatque omnino elongata, secunda, et libera ab incursu talis peccati. Si enim ille peccaturus non esset, sed in justitia semper mansurus: aut si pactum præcise esset in ordine ad communicandam justitiam originalem sine contingentia transfusionis culpæ, nemo putaret beneficium esse factum Deiparæ, minus vero redemptionem, quia extra pactum relinquerebatur, gratiaque et favore illius promissionis privabatur. Secundo supponendum est Deiparam neque per debitum ingrediendi pactum, neque adhuc per illius ingressum potuisse propinquorem fieri peccato committendo ab Adamo, aut magis præservationis indigam, quam erat ipse Adamus, quando pro se et pro posteris pactum accepit. Non enim qui in eo includebantur aut qui includi debuissent, aliter quam (ut ita dicamus) gressibus Adami peccato appropinquabant: sicut neque alia quam ipsius voluntate poterant illud committere. Unde non magis habere posset rationem redemptionis beneficium, quo Deipara liberaretur a debito ingrediendi pactum Adami, aut a pacto ipso exciperetur, quam illud, quo Adamus præservaretur a suo peccato. Imo eo magis hoc posterius beneficium ad redemptionem accederet, quo magis e propinquo peccatum incurrendum concernebat, et ab ejus incursu quominus multo præservabat.

Supponuntur nonnulla.

93. Hinc prosequitur nostra impugnationis sub hac forma. Adamus antequam peccaret, aut saltem tentatio peccandi accederet, nullum habuit debitum, ratione cujus pro tunc

Conficitur impugnationis.

indigeret redemptione : ergo neque id habuerunt tunc posterius, qui ratione pacti in illo continebantur : igitur multo minus Deipara, si non erat sub pacto, habere potuit prædictam indigentiam. Utraque consequentia est perspicua ex iis, quæ prænotavimus : nam neque Deipara per solum debitum pactum ingrediendi ita e propinquo peccatum committendum ab Adamo concernebat, sicut concernebant, qui sub ipso pacto jam continebantur : neque isti ita illi appropinquant sicut Adamus, per cujus consensum et non aliter poterant prædictum peccatum incurrere : neque aliunde quam ex accessu et propinquitate ad ipsum peccatum oriri poterat in aliquo eorum necessitas præservationis : atque adeo sicut in nullo omnium fuit major prædicta necessitas, quam in ipso Adamo ; ita in nullo fuit materia magis apta redemptioni, aut major istius indigentia. In eo autem pro illo tunc non fuisse probatur. Tum quia Adamus, præsertim antequam tentatio accederet, neque habebat peccatum, neque aliquod debitum aut periculum peccandi : sicut in Angelis antequam delinquerent, aut ad id provocarentur, nullum fuit tale debitum vel periculum ; imo potius omnia, quæ in statu justitiæ originalis tunc currebant, inducebant Adamum ad permanendum in gratia, et contra peccatum præmuniebant, retrahebantque ab illo : ergo nihil tunc fuit, a quo posset redimi : cum redemptio esse non possit nisi vel a peccato vel a debito, vel saltem a periculo. Solam vero potentiam peccandi, quam habebat, ex dictis num. 76 constat non esse sufficientem materiam redemptionis, sicut non fuit in Angelis, neque in ipsa Deipara respectu peccatorum personalium.

91. Ad hæc : si Deus conservaret Adamum in gratia, et a peccato ejusque periculo præservaret, hæc præservatio apud neminem diceretur proprie redemptio : sicut non fuit proprie talis præservatio Angelorum bonorum, in quibus fuit etiam peccandi potentia : ergo signum est præservationem a peccato, cujus non adest debitum aut periculum, sed sola potentia, non esse veram redemptionem.

Et hinc apparet manifestius contra adversarios debitum illud, quod tribuunt Deiparæ ad ingrediendum pactum Adami, et appellant *debitum debiti*, seu *debitum remotum*, nihil habere de ratione veri debiti, adeoque nullatenus conducere ad intentum. Si enim in Adamo, dum pactum a Deo accepit, nul-

lum fuit debitum aut periculum peccandi sive pro se sive pro posteris, quod daret redemptioni materiam, ut ostensum est ; multo minus in illa, quæ pactum nondum intraverat, adesse poterat tale debitum, aut talis materia ex solo debito ingrediendi pactum. Eo vel maxime quia si in Adamo quando accepit pactum, nullum fuit debitum proximum peccandi, nulla ratione debitum ingrediendi ipsum pactum in aliis repertum dici poterat *debitum peccandi*, aut *debitum peccatum contrahendi mediatum et remotum*, adeoque nec *debitum debiti* : quia debitum remotum, et debitum debiti dicitur respective ad debitum proximum et immediatum : et ita hoc secluso, illud etiam evanescit.

95. Dices, non ratione debiti aut periculi peccandi, quod nullum fuit in Adamo, neque ratione solius peccandi potentiæ ; sed ratione futuritionis peccati potuisse Virginem dici *redemptam* per exceptionem a pacto. Sciebat enim Deus peccatum Adamum, et omnes, qui pactum ingrederentur ; et ita excipere Deiparam, fuit liberare eam non tantum a peccato possibili, sed etiam ab eo, quod infallibiliter committeret, nisi exciperetur.

Sed contra : nam sola præservatio a peccato, quod sine præservatione esset futurum, non sufficit ad veram redemptionem : redemptor enim solvit pro peccatis, a quibus redimit ; pro peccatis autem, quæ de facto neque sunt, neque absolute erunt, eo quod per præservationem impediuntur, licet alias essent futura, non potest esse solutio de facto, neque adhuc de futuro absolute : sed hoc solum verificari poterit, quod futura esset solutio, atque adeo redemptio, si peccata essent futura : quando vero hæc ab statu futuritionis præsertim conditionatæ non extrahuntur, nequit redemptio habere alium statum quam statum futuræ etiam sub conditione. Deinde impugnatur effugium evidentissimis instantiis. Nam in Deipara futura erant peccata personalia, nisi ab eis præservaretur : et tamen præservatio hæc et futuritio nullatenus sufficit ut dicatur vere redempta a peccatis personalibus. Similiter in humanitate Christi erant futura peccata, nisi assumeretur a Verbo, aut alia via præservaretur : et tamen non ideo potest dici ab aliquo peccato redempta. Idem constat in Angelis bonis, qui nisi præservarentur, commissuri erant peccata, quæ commiserunt mali : et tamen præservatio ab illis non fuit vera et propria redemptio. De-

Effugium.

Impugnatur.

mum



mum si Deus conservaret Adamum et ejus posteros in justitia originali, ita ut nunquam delinquerent; pro nullo peccato haberent opus redemptore, ut omnes farentur: et tamen in illo casu daretur præservatio a peccatis, quæ seclusa præservatione, infallibiliter erant futura. Igitur sola futuritio peccati non est materia sufficiens ad veram redemptionem.

96. Dices iterum esse disparem rationem: quia peccatum Adami, a quo Virgo fuit præservata, erat futurum absolute; peccata vero personalia, quæ in tribus primis exemplis memorantur, solum erant futura sub conditione illa *nisi ab eis præservarentur*, quæ conditio non erat purificanda. Et in exemplo ultimo est etiam disparitas: quia a peccato Adami, quod absolute erat futurum, Virgo fuit præservata absolute et de facto: Adamus vero non; sed esset in illa hypothese, qua supposita, jam tale peccatum non esset futurum.

Verum hoc totum frivolum est: quia peccatum Adami, a quo ponitur præservata Deipara, in quantum eam poterat attingere, non erat futurum absolute in sententia adversariorum tenentium eam non commississe illud in Adamo de facto; sed tantum commissurum sub conditione *si non præservaretur per exceptionem a pacto*. Imo est implicatio in terminis, quod peccatum illud, in quantum futurum erat peccatum Virginis; esset futurum absolute, et quod ipsa de facto fuisset ab eo præservata: siquidem per ipsam præservationem desineret tale peccatum esse pro illa futurum absolute. Porro præservatio, quam adversarii volunt fuisse Virgini concessam per exceptionem a pacto, non erat præservatio a peccato Adami, in quantum futurum erat peccatum ipsius Adami vel aliorum posteriorum (qua ratione dumtaxat erat futurum absolute) sed formalissime in quantum esse poterat, aut futurum erat peccatum ipsius Virginis: et ideo si absque præservatione illud peccatum non esset peccatum ejus futurum, quantumvis futurum esset peccatum aliorum, non indigeret ipsa ab illo præservari; quia nemo indiget præservari a peccato non suo. Solum igitur potuit præservari ab eo, in quantum futurum erat peccatum suum, atque adeo in quantum erat futurum sub conditione, quæ in sententia adversariorum purificanda non erat. Manet itaque firma et in suo robore nostra impugnatio per tres priores instantias: in

quibus omnibus fit præservatio a peccatis infallibiliter futuris sub eadem conditione, sub qua peccatum Adami erat futurum peccatum Deiparæ; et tamen id non sufficit ad veram redemptionem.

97. Deinde quod Deipara fuisset præservata de facto, Adamus vero non, nihil obest nostræ veritati: quia non arguimus ab eo, quod de facto contigit in Adamo, qui de facto præservatus non fuit; sed ab eo quod contingeret casu quo præservaretur. Si enim in illo casu conditionali non sufficeret ad redemptionem Adami præservatio a peccato futuro, quæ tunc daretur; recte infertur, etiam nunc non sufficere ad redemptionem absolutam Deiparæ similem præservationem, quæ de facto detur; cum omnino idem præstat conditionatum sub conditione, quod præstat absolutum absolute: in quo quia ex se est satis notum, non immoramur.

Ex hucusque vero dictis ruunt facile omnia, quæ numero 75 adduximus pro evasione, quam usque modo debellavimus. Siquidem ostensum est, falso tribui Deiparæ debitum illud ingrediendi pactum Adami, ad quod prædicta evasio recurrit: et adhuc si admittatur tale debitum non posse esse materiam redemptionis; imo non esse verum debitum etiam mediatum et remotum in ordine ad peccatum, sed aliquid de genere boni. Quare ad primam probationem ibi propositam concessa antecedenti negatur consequentia, et probatio in ea imbibita; quia utraque falso supponit, id quod appellant *debitum ingrediendi pactum Adami*, fuisse verum debitum peccandi in illo: sicut in ordine ad contrahendum peccatum originale est verum debitum, quod habent posteri Adami, qui in eo peccaverunt. Ad secundam negatur antecedens propter eandem suppositionem.

98. Ad tertiam negatur minor: quia solum illud debitum indiget remissione aut satisfactione, quod supponit peccatum commissum: ubi enim nullum fuit tale peccatum, nulla est offensa, et ubi hæc non datur, nihil est, quod postulet remitti, aut per satisfactionem compensari. Ex quo potius sumitur nova impugnatio in adversarios. Quia redemptio Christi facta est per modum solutionis et æqualis satisfactionis, sicut facta est per actum veræ justitiæ reluctantis in ipsa satisfactione ad æqualitatem: unde illud dumtaxat debitum potest esse materia illius, quod simul est debitum solvendi et satisfaciendi, seu quod est debitum

Aliud  
essu-  
gium.

Confu-  
atur.

Evertun-  
tur pro-  
bationes  
evasio-  
nis prin-  
cipalis.

morale et ex justitia : debitum autem ingrediendi pactum Adami non fuit debitum hujus generis, quia ubi nulla præcessit offensa, nulla potuit deberi satisfactio vel solutio, ut dicebamus. Debitum vero, quod omnes habuimus ad ipsam contractionem peccati originalis inferens eam ex natura rei, quod ideo numero 42 appellavimus *debitum physicum*, idcirco est materia redemptionis, quia supponit vel includit debitum morale solvendi, et satisfaciendi pro offensa ab omnibus commissa in Adamo: et nisi offensa hæc supponeretur, nihil ad nos transisset, quod redemptione indigeret.

Ad ultimam probationem constat ex dictis a numero 85, extinctionem debiti ingrediendi pactum Adami, quantum est ex hoc capite, nihil habere de ratione beneficii; proindeque esse non posse effectum meritorum Christi, multoque minus redemptionis. Neque oppositum asseruimus dub. 2, numero 52, solum enim diximus, prædictam exceptionem seu extractionem a pacto, ut accipi poterat simul cum gratia sanctificante collata Deiparæ ex alia intentione, habituram (utique ex ipsa gratia) rationem beneficii præstabilis ex Christi meritis, prout hæc potuerunt a Deo disponi. An vero id esset materia redemptionis, sicut etiam an illa exceptio vel extractio secundum se spectata (quo pacto considerari debet in ordine ad redemptionem) haberet rationem beneficii, aut posset esse meritorum Christi effectus, huic dubio reservavimus: ex cujus doctrina liquet tenendam esse in omnibus partem negativam.

#### §. VII.

*Excusio alia ad eandem secundam rationem; et ejus impugnatio.*

99. Aliter conati sunt etiam adversarii elidere nostram secundam rationem dicentes, conditiones in ea requisitas solum postulari pro redemptione ordinaria et communi; non autem pro redemptione eminenti et altiori, qualis fuit redemptio Deiparæ. Nam sicut longe majus beneficium præstitum ei fuisset, præservando illam simul et a contractione peccati originalis in se ipsa, et a perpetratione peccati actualis in Adamo, adeoque a peccato simul et a debito, quam si permissa fuisset peccare in illo, et inde debitum contrahere: ita nobilior et perfectior redemptio esset illa quam ista, eminentiusque in ea splenderet efficacia passio-

nis et meritorum Christi. Debemus autem Deiparæ tribuere redemptionem omnium perfectissimam, sicut tribuimus perfectissimam gratiam.

Potestque hoc explicari exemplo medici et medicinæ, vel restituentium homini sanitatem, postquam in morbum incidit; vel præservantium illum, ne unquam ægroret. Nemo enim dubitabit, præstantiori modo in hoc secundo casu, quam in primo medicum munus suum præstitisse; perfectioremque esse medicinam, quæ salutem perpetuo conservaret, quam quæ amissam restitueret. Cui doctrinæ consonat D. Augustinus super Psal. 85, ad illa verba: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori, ubi eam exemplis illustrat: Orans hic jam (inquit) in corpore Christi positus; eruisse Deum animam suam ab inferno inferiori dixit, quia liberavit se a talibus peccatis, per quæ posset deduci ad tormenta inferni inferioris. Quemadmodum si medicus videat tibi imminentem ægritudinem forte ex aliquo labore, et dicat, parce tibi, sic te tracta, requiesce, his cibis utere; nam si non feceris ægrotabis: tu autem si feceris, et salvus eris, recte dicis medico, liberasti me ab ægritudine, non in qua jam eras, sed in qua futurus eras. Nescio quis habens causam molestam mittendus erat in carcerem: venit alius, defendit eum, gratias agens quid dicit? Eruisti animam meam de carcere. Suspendendus erat debitor; solum est pro eo, liberatus dicitur de suspendio. In his omnibus non erant? sed quia talibus meritis agebantur, ut nisi subventum esset, ibi essent, inde se recte dicuntur liberari, quo per liberatores suos non sunt permissi perducere.*

100. Hoc autem effugium facilius impugnetur quam præcedens. Inquirimus enim an in ista, quæ vocatur *redemptio eminentis*, salvetur cum proprietate et veritate conceptus et essentia redemptionis: sitque proinde redemptio eminenter formaliter, et illa eminentia sit de linea et munere redemptionis? Sicut Dei cognitio dicitur sapientia formaliter eminenter, quia cum veritate et proprietate est in illa, altiori tamen modo quam in nostra, conceptus sapientiæ. Vel an non salvetur cum veritate et proprietate prædictus conceptus: atque adeo solum dicatur *redemptio eminentis*, quia est quoddam beneficium eminentius et præstantius beneficio redemptionis in alia tamen linea, ubi non datur formaliter redemptio? Ut si diceremus *Deum esse eminenter Angelum, equum, lapidem, etc.* non quia vere et formaliter ea sit; sed quia est aliquid altius

D. Aug.

Impugnatio  
excusio-  
nis.

altius et nobiliter prædictis creaturis. Primum horum dici non potest: quia redemptio vere et cum proprietate accepta essentialiter importat extractionem a captivitate, emptionemque ejus qui redimitur, supponens alienationem, et etiam importat pretium seu *rescate* solutum pro redempto: quorum nihil vere et cum proprietate posse reperiri sine peccato vel ejus debito ostensum est in nostra ratione. Et quamvis non negemus dari multoties latitudinem in requisitis ad constitutionem alicujus rei, nec semper postulari concursus omnium, ut ejus nomen et appellatio saltem minus rigorose alicui cum veritate applicetur: attamen cui potissimæ et principaliores conditiones ex toto deficient, non nisi abusive et improprie poterit nomen illud attribui. Porro in ea, quam adversarii *redemptionem eminentem* appellant nulla invenitur conditio ex his, quæ sunt propriæ et speciales veræ redemptionis: cum neque concurrat ibi captivitas, neque captivitatis debitum, neque emptio, neque pretium, neque satisfactio aut solutio: ergo ubi agitur de vera et propria redemptione, nullatenus debet ita nuncupari. Nec refert an sit vel non sit beneficium redemptione majus vel eminentius: quia hæc eminentia non est in ipsa linea redemptionis, sed in alia: sola autem eminentia unius rei supra aliam in a linea non sufficit ut conceptus et essentia inferioris in eminentiori cum proprietate salvetur: sicut non sufficit eminentia Angeli supra hominem, ut Angelus proprie sit homo, neque hominis supra equum, ut homo sit equus, et sic de aliis. Non ergo sufficit, quod aliquod beneficium sit eminentius beneficio redemptionis, ut sit vere redemptio; nisi simul cum illa eminentia inveniantur alia, quæ requisivimus.

Si vere dicatur secundum, videlicet non salvari ibi verum conceptum et essentiam redemptionis, habemus intentum: jam enim non salvatur Virginem fuisse vere et proprie redemptam, quod est assumptum hujus dubii: cum nullus dici valeat vere et proprie redemptus, nisi per veram et propriam redemptionem. Quare distinctio illa redemptionis in *communem* et *eminentem*, ut adversariorum instituto deserviret, deberet ita intelligi, ut in utroque membro dividente salvaretur formalis ratio divisi, quod debebat esse redemptio vera et formalis: atque ita illa eminentia, per quam unum distinguitur ab alio, esset emi-

nentia in ipsa linea et munere redemptionis.

101. Deinde cum quæritur, an Virgo in casu de quo loquimur, fuisset redempta? non dubitamus potuisse alia via, quam per redemptionem accipere beneficium æquale vel majus illo, quod nobis tribuitur per redemptionem: perspicuum est enim majus beneficium collatum esse humanitati Christi, quæ redempta non est, quam omnibus redemptis: et majus donum gratiæ et gloriæ collatum est Angelis sine redemptione, quam multis ex hominibus per redemptionem confertur. Solum ergo dubitatur, an illud beneficium, quod tunc Virgini donaretur (sive æquale, sive majus beneficio redemptionis) esset vere et proprie redemptio? Sicut autem respectu hujus quæstionis frivola esset responsio, quæ solum diceret prædictum beneficium esse majus, quam sit redemptio nostra; ita frivola omnino est, quæ asserit esse redemptionem eminentem; nihil aliud intelligendo per hanc eminentiam nisi beneficium majus et excellentius, omnino tamen a vera et formali redemptione distinctum. Ad hæc: si ex sola eminentia unius rei supra aliam, illa quæ eminet, posset absolute dici alia, possemus absolute dicere innocentiam esse pœnitentiam, visionem claram esse fidem, possessionem esse spem, scientiam esse opinionem, etc. Siquidem unumquodque istorum est eminentius illo, cujus nomen assumeret: imo possemus Deum vocare *creaturam, corpus, animal, equum*, et id genus alia, quæ plane sunt absurda. Ergo rejiciendus est similis modus abutendi nominibus, tribuendo rei superiori nomen inferioris propter solam eminentiam.

102. Dices non quantlibet eminentiam ad id sufficere; sed illam, per quam id, quod eminere dicitur, æquivalet quantum ad effectum illi, cui eminet: hoc autem modo præservatio Deiparæ a peccato Adami dicitur eminenter redemptio: quia præservatio ab omni peccato et debito æquivalet extractioni a captivitate peccati, quæ est effectus redemptionis: siquidem per utranque fit, ut suppositum, cui applicatur, maneat extra talem captivitatem, sive eam incurrerit, sive non incurrerit.

Sed contra: nam neque ex eo solum quod unum æquivalet alteri quantum ad aliquem effectum, potest vere et absolute vocari illud, cui æquivalet: sol enim æquivalet igni quantum ad effectum producendi calorem,

Procedit  
impu-  
gnatio.

Emu-  
gium.

Præclu-  
ditur.

et non ideo potest absolute et vere vocari *ignis*. Et ut hoc magis declarem, non minus æquivalet resurrectioni quantum ad effectum præservatio a morte, quam redemptioni præservatio totalis a culpa : quia sicut per hanc fit ut præservatus maneat in gratia, ad quod ordinatur redemptio : ita per illam fit ut maneat in vita, ad quod ordinatur resurrectio : atqui nemo dicet præservationem a morte ratione illius æquivalentiæ esse veram resurrectionem, aut posse (nisi impropriissime et abusive) ita appellari : igitur nec prædicta præservatio a culpa ob similem æquivalentiam nisi abusive et impropriissime potest *redemptio* nuncupari. Præterea (et est argumentum in propriis terminis) præservatio humanitatis Christi ob omni peccato per assumptionem, et præservatio Angeli per perseverantiæ donum, nec non præservatio ipsius Deiparæ per simile donum a peccatis personalibus æquivalent redemptioni quantum ad effectum manendi in gratia : et nihilominus non sufficit, ut humanitas Christi, aut Angelus, aut ipsa Deipara a peccatis personalibus vere sint et dicantur redempti : quid enim absurdius quam asserere quod B. Virgo redempta fuerit vera et propria redemptione ab aliquo vel aliquibus peccatis mortalibus personalibus ? a quibus certissimum est fuisse præservatam : ergo, etc.

Confir-  
matur  
impu-  
gnatio.

103. Confirmatur ; nam ita vere et proprie debemus ponere Virginem redemptam, sicut Christum ponimus redemptorem : sed Christus non fuit redemptor solum per æquivalentiam ad prædictum effectum, sed propriissime et formaliter : sicut formaliter et non tantum per æquivalentiam fuit natus, fuit passus, fuit mortuus, etc. igitur Deipara debet esse redempta proprie et formaliter, adeoque per redemptionem proprie et formaliter dictam, et non tantum per æquivalentiam ad supradictum effectum. Minor est adeo certa, ut oppositum esset hæresis vel error in fide. Major vero probatur animadvertendo, Deiparam non utcumque debuisse esse redemptam, sed ut primam et principalem redemptorem, adeo ut ob ipsam Christus munus redemptoris assumeret, verusque et formalissimus redemptor ex illo munere evaderet, quamvis alii redimendi non essent, ut ex D. Bernardino Senensi num. 68 dicebamus : unde in ejus redemptione potissimum splendere debuit id, ex quo Christus veri et formalis redemptoris lauream et nomenclaturam desumpsit. Hinc suadetur major : Christus non

potuit dici vere et formaliter redemptor nisi ex redemptione vera et formali : sed dictus est potissimum redemptor, quia redemit Virginem : igitur vel illa operatio fuit erga illam vere et formaliter redemptio, et non solum per æquivalentiam ad effectum supradictum, vel Christus non fuit redemptor vere et formaliter, sed solum per æquivalentiam ad prædictum effectum : quod est erroneum et absurdum.

Diximus per æquivalentiam ad effectum supradictum, scilicet præservationem totalem Deiparæ a culpa : quia illa præservatio, quantumvis magnum esset beneficium, non æquivaleret omni effectui redemptionis ; sed illi dumtaxat, qui est restitutio gratiæ : ultra quem dantur alii in redemptione, ut specialis manifestatio divinæ bonitatis et misericordiæ in traditione filii pro inimicis et peccatoribus, nec non manifestatio divinæ justitiæ in rigorosa et æquali satisfactione exhibita pro offensis : quibus non omnino æquivalet præservatio a culpa, adeoque etiam hoc modo, scilicet per æquivalentiam, non posset talis præservatio dici redemptio adæquata et perfecta, sed secundum quid et inadæquata.

104. Exemplum medici et medicinæ, quod in evasione adducitur, nihil præstat. Tum quia licet medica ars extendi valeat etiam ad morbi præservationem ; proprium tamen ejus munus, pro quo constituta sunt medici et medicinæ, et ex quo nomenclaturam desumunt, non est nisi curatio vel sanatio morbi incursi : et ita dixit Christus : *Non est opus valentibus medico, sed male habentibus*. Unde qui solum sciret ea media applicare, quibus salus habita conservaretur ; non vero quibus amissa restauraretur, non deberet *medicus* appellari : neque illa media essent proprie medicinæ. Sicut non dicuntur proprie tales quotidianus cibus et potus et communia alia media, quibus unusquisque utitur ad vitam alendam et conservandam ; neque qui talia media sibi applicat, ob id dicitur *medicus*. Quare ex hoc exemplo ad summum poterit deduci, quod merita perfecti redemptoris extendi valeant etiam ad præservandum a culpa ; non autem quod proprium redemptoris munus in tali præservazione consistat : aut quod ita præservatus possit vere dici *redemptus* : sicut nec præservatus a morbo præcise per hoc poterit dici *curatus*, vel *sanatus*. Modo autem non quærimus an merita Christi Domini potuerint applicari B. Virgini, ut propter illa a peccato in Adamo committendo

Dilun-  
tur ad-  
ducta  
pro eva-  
sione.

tendo præservaretur : sed an in tali præservatione proprium redemptoris munus, quod Christus exercuit, reperiretur? Nam dato illo priori, si tamen hoc posterius deficeret, eo ipso non diceretur vere et proprie redempta.

Doctrina vero et exempla D. Augustini potius sunt pro nobis : siquidem loquitur de præservatione a malo imminente, cujus adest vel debitum vel periculum, ut exempla ipsa declarant. In primo enim ita inquit : *Si medicus videat tibi imminentiæ ægri-tudinem ex aliquo labore, etc.* In secundo : *Nescio quis habens causam molestam mittendus erat in carcere, etc.* In tertio : *Suspendendus erat debitor, solum est pro eo, etc.* Quando autem malum ita est sub debito vel periculo, pro incursu reputatur : et ideo præservatio ab illo non incongrue dicitur *liberatio* aut *redemptio*. Secus vero ubi licet malum sit possibile; non tamen adest periculum vel debitum incurrendi tale malum, sicut in casu, de quo loquimur. Quare hæc Augustini doctrina optima est ad probandum sufficere ad redemptionem Deiparæ debitum contrahendi culpam originalem, quamvis eam non contraxerit de facto; nequaquam vero id suadet secluso debito. Ex quibus omnibus liquet vel teneri adversarios novum redemptionis officium, novamque rationem et essentiam ex proprio Marte contra communem sensum adinvenire : vel fateri nobiscum præservationem Deiparæ a peccato et ejus debito omnino præjudicaturam redemptioni.

### § VIII.

*Ultima assertionis ratio, et nova impug-natio præcedentis evasionis?*

105. Verum ne data adhuc fingendi licentia, arbitrentur auctores contrarii posse secundam nostram rationem infringere, impugnabimus eorum evasionem nova ratione, quæ et assertionem efficaciter persuadeat, et omni illorum effugio aditum occludat. Sumitur autem hæc ratio ex illis, quæ num. 60 prænotavimus : videlicet difficultatem hanc non tam humanis rationibus, aut hujus vel illius particularis auctoris arbitrio et discursu, quam Scripturæ, Ecclesiæ, et Patrum testimoniis aut diffinitionibus esse decidendam. Unde in eo sensu *redemptionis* voce uti debemus, in quo ipsa Ecclesia et Patres agentes de illa, quæ per Christum facta est, communiter utuntur :

quicquid sit an eadem vox, dum ad alia applicatur, aut ex hujus vel illius opinandi licentia, latiore sustineat acceptionem.

Hinc formatur sequens ratio et impugna-tio præcedentis evasionis. Redemptio, quam fides docet Christum operatum fuisse, non est nisi redemptio a peccato, saltem commisso in Adamo, et ab ejus captivitate et servitute : ergo nisi Deipara sub tali peccato, adeoque sub debito contrahendi originalem culpam fuisset comprehensa, non esset redempta per Christum. Consequentia liquet. Antecedens habetur ex Ecclesiæ diffinitione per Zozimum Pap. cujus verba refert D. Augustinus epist. 157, quæ est ad Optatum. Loquens igitur de redemptione Christi sic ait Pontifex : *Nullus nisi qui peccati servus est, liber efficitur; nec redemptus dici potest, nisi qui vere per peccatum fuerit ante captivus.* Subdit vero ipse Augustinus : *In his verbis Apostolicæ sedis tam antiqua atque fundata certa et clara est Catholica fides, ut nefas sit de illa dubitare Christiano.* Ergo dicere aliquem esse per Christum redemptum, qui antea non fuerit per peccatum saltem in Adamo captivus, aperte est contradicere Ecclesiæ diffinitioni. Idem habetur ex illo Pauli ad Ephes. 1 : *In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius remissionem peccatorum.* Ubi appositively ad *redemptionem* dixit *remissionem peccatorum*, ut ostenderet non aliam esse Christi redemptionem, nisi peccatorum remissionem, adeoque a captivitate, et servitute alicujus peccati.

106. Idem tradunt ubique sancti Patres. Augustinus Psal. 70, conc. 2, sic ait : *Propter primum hominem primi captivi; propter secundum hominem secundi redempti : nam et ipsa redemptio clamat captivitatem nostram. Unde enim redempti, si non antea captivi? Et lib. de peccat. meritis, cap. 23, cum præmississet : Quis audeat dicere non esse Christum infantium salvatorem nec redemptorem? Subdit statim : Unde autem salvos facit, si nulla in eis est originalis ægri-tudo peccati? Unde redimit, si non sunt per originalem primi hominis venundati sub peccato? Et cap. 24 : Negant illos liberari, qui sub peccato esse nolunt fateri : nam unde liberantur, si nulla servitute tenentur adstricti? Et lib. 3 contra Julia. cap. 3, cum dixisset totam naturam humanam habere necessarium Christum redemptorem, subdit contra prædictum hæreticum : *Cæterum rogo te, quomodo potest intelligi ista redemptio nisi a malo, redimente illo, qui redimit Israel ab**

*omnibus iniquitatibus ejus? Ubi enim redemptio sonat, intelligitur et pretium. Et quod est hoc, nisi pretiosus sanguis agni immaculati Jesu Christi? De hoc autem pretio quare sit effusum, quid interrogamus alium? Redemptor ipse respondeat, dicat ipse mercator: Hic est, inquit, sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Pergite adhuc (prosequitur insultans hæreticis) pergite, et sicut dicitis, in Sacramento Salvatoris baptizantur, sed non salvantur: redimuntur, sed non liberantur; sic etiam dicitis, funditur pro eis sanguis in remissionem peccatorum; sed nullius peccati remissione mundauntur. Mira sunt, quæ dicitis; nova sunt quæ dicitis, falsa sunt quæ dicitis: mira stupemus, nova cavemus, falsa convincimus. Eodem modo loquitur aliis quampluribus in locis. Si autem redemptio per Christum aliunde esse posset quam a captivitate et servitute peccati; rationes istæ Augustini nullam vim haberent, ut intuenti constabit: facillime namque occurreret hæreticus, non sequi, parvulos obnoxios esse peccato, ex eo quod indigeant redemptione; quia sine tali obnoxietate datur vera redemptio per Christum. Igitur ad os illi obstruendum tenebatur in nullo casu similem redemptionem admittere.*

107. Non minus ad rem loquitur D. Hieronymus super citatum locum ad Ephes. 1: *In quo habemus redemptionem, etc. ubi sic ait: Ille redimitur qui captivus est, et in hostium veniens potestate liber esse desinit. Et inferius: Quis est iste tantus et talis, qui possit pretio suo totum orbem redimere: Jesus Christus filius Dei proprium sanguinem dedit, et nos de servitute eripiens libertate donavit. Et super illud ad Galat. 3: Christus nos redemit de maledicto legis, increpat Marcionem, quia ignorans redemptionis proprietatem, verba scripturæ in suum errorem detorquebat: et ita ait: Qui si intelligeret, quo differret emere et redimere (quia qui emit, alienum emit; qui autem redimit, id emit proprie, quod suum fuit, et suum esse desinit) nunquam Scripturarum verba simplicia in calumniam sui dogmatis detorqueret. Redemit ergo nos Christus de maledicto legis, quod peccantibus constitutum est: quos ipse increpat per Prophetam dicens: Ecce peccatis vestris venditi estis, etc.*

D. Ambrosius super illud 1 Corinth. 1: *Quia factus est nobis sanctificatio et redemptio, sic ait: Redemptio nostra hæc est: obtulit enim se Christus diabolo cupienti ut peccatorum in se contradictionem sufferret.*

Similia habet Anselmus super cit. locum ad Ephes: *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus. Quam (inquit) redemptionem? remissionem peccatorum originalium et actualium. Diabolus enim per peccata dominabatur nobis: remissis autem peccatis nostris, amisit ille malignus dominium in nobis, et ita peccatorum remissio facta est nobis redemptio. Et exponens illud Per sanguinem, sit dicit: Id est per effusionem sanguinis, quia ejus sanguis innocens effusus pretium fuit, quo redempti sumus, et libertati redditi, qui tenebamur captivi. Denique D. Gregorius (ut alios omittamus) lib. 18 moral. cap. 22 (alias 25) ita loquitur ad intentum: Sunt nonnulli, qui dum innocentes se asserunt et redemptos, hoc ipsum in se redemptionis nomen evacuant. Omnis namque qui redimitur, ex aliqua proculdubio captivitate liberatur. Unde ergo quilibet iste redemptus est, si prius non fuit sub culpa captivus? En omnes isti Patres cum Sum. Pontifice Zozimo nedum non agnoscunt, sed aperte negant fuisse aliam Christi redemptionem nisi a captivitate et servitute peccati; aut posse aliquem dici per illum redemptum, nisi fuerit prius peccato captivus: quare manifeste eis contradicit, qui sub redemptionis voce, agens de ea, quæ per Christum facta est, aliud excogitat.*

108. Confirmatur: redemptio facta per Christum est illa, per quam ipse Christus eos, quos redemit, emit pretio mortis et sanguinis sui, juxta illud 1 ad Corinth. 6: *Empti enim estis pretio magno: et ideo dum sacra Scriptura commendat prædictam redemptionem, memorat illud pretium, quasi penes ipsum fuerit vis tota redemptiva, ut 1 Petri, cap. 1: Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati, etc. Et Apocal. 5: Redemisti nos Deus in sanguine tuo. 1 ad Timoth. cap. 2: Qui dedit redemptionem semetipsum pro nobis: atque alibi sæpe. Et ratio est, quia mors et effusio sanguinis Christi non ob aliud necessaria fuit in redemptione, nisi quia necessarium fuit pretium ad emendos, quos redimebat, et ad eorum debitum solvendum: nam sicut prædicta redemptio non fuit absque emptione, ut ex Paulo vidimus; ita intelligi non potest sine pretio et solutione. Quocirca D. Augustinus cit. cap. 3, ex lib. 3 contra Julian. cum dixisset redemptionem Christi non fuisse nisi a malo, recte subjunxit verba nuper relata: Ubi enim redemptio sonat, ibi intelligitur et pretium: et quod*

*quod hoc, nisi pretiosus sanguis agni immaculati Jesu Christi?* Si ergo redemptio, quæ facta est per Christum, intelligi non potest sine pretio et emptione; consequenter nequit intelligi sine debito ejus, qui redimitur, orto ex peccato; quod in se vel in Adamo commisit. Neque enim (ut in nostra secunda ratione dicebamus) potest esse emptio nisi respectu illius, quod aliquando alienum factum est ab emptore, scilicet a Deo, a quo nemo alienus fit nisi per peccatum. Neque etiam pretium habet locum, nisi ubi necessaria est solutio; aut solutio, nisi ubi adest debitum, quod solutione compensetur. Qui vero nihil debet, neque alienum debitum assumit, etiamsi multa largiatur, non dicitur solvere, sed donare. Debitum autem, pro quo Christus pretium illud solvit, non potuit esse aliud nisi debitum offensæ irrogatæ Deo per peccatum: sicut neque alia potuit esse obligatio exsolvendi tale pretium, nisi obligatio satisfaciendi pro prædicta offensæ. Et ideo adjecit idem Augustinus ubi supra: *De hoc autem pretio quare sit effusum? Redemptor ipse respondeat, dicat ipse mercator: Hic est (inquit) sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* etc. Et serm. 3 de verbis Apostoli: *Recolite (inquit) captivitatem, ubi ante fuerimus, quando totum mundum velut massam infidelium diabolus possidebat. Propter hanc captivitatem redemptor advenit, pretium nostrum sanguinem suum fudit: fuso suo sanguine captivitatis nostræ instrumenta delevit,* etc.

Adde communem esse Theologorum sententiam, quod Christus exercuit opus redemptionis per veram et rigorosam justitiam: cujus ratio intelligi non potest sine vero et rigoroso debito, veraque et propria solutione, ut in eadem secunda ratione ostendimus: quæ sane ratio, et quicquid ibi adduximus, sumunt ex dictis in hoc § novam efficaciam: dum Scripturæ et Patrum testimoniis probatum est adfuisse in redemptione, quam operatus est Christus, omnia quæ ad veram et propriam redemptionem ex communi ejus ratione postulantur.

109. Dices omnia prædicta testimonia intelligenda esse de redemptione generali et communi, qua Christus cunctos alios redemit, quæ fuit redemptio a peccato vel peccati debito; atque adeo per pretium, emptionem, solutionem, etc. non autem de illa specialiori et præstantiori qua redemit solam Deiparam, præservando illam tam a

peccato quam a debito, ut ita non indigeret emptione, solutione, aut pretio.

Sed hoc facile refellitur. Tum quia gratis distinguitur duplex genus redemptionis, quorum sub uno Deipara, et sub alio cæteri omnes comprehendantur: nam sicut Christus eandem mortem, eandemque sanguinis effusionem obtulit pro omnibus a se redimendis; ita omnes illos sub una et eadem redemptione complexus est. Tum etiam quia si Christus præter communem et generalem hominum redemptionem operatus fuisset aliam præstantiorem specialem pro Deipara, nequaquam Scriptura illam silentio præteriret; imo vero eam potissimum manifestaret, et commendaret nobis, utpote pro qua Christus primario et principaliter venisset, et mortuus fuisset: sicut primario et principaliter venit, et mortuus est pro B. Virgine redimenda: et pro qua uberiores gratiæ deberent Deo referri, quam pro communi et generali cæterorum omnium redemptione. Res enim et mysteria adeo maxima, ex quibus ita ingens Dei gloria et divinæ bonitatis manifestatio resultat, Scriptura non tacet, ut in cæteris omnibus constat: et ideo evidens signum est, ea non dari, si in tota Scriptura tacentur. Cum ergo nullus sit locus, ubi hæc specialis Virginis redemptio, prout a communi et generali distincta, manifestetur: aut alicujus, quæ sit redemptio per Christum, et non sit a peccatis, mentio fiat; plane convincitur non dari talem redemptionem: et argumentum negativum in hoc casu æquivalere negationi positivæ.

110. Adde, nos et omnes quærentes de Virginis redemptione, de illa sciscitari, quam fides docet, et Scriptura manifestat; quamque Scriptura ipsa edocti SS. Patres et omnes fideles credunt, suspiciunt et venerantur: sicut enim nulla alia via quam per fidem ex Scripturis Christum redemptorem agnovimus, neque aliter sciremus Virginem aut aliquem ex posteris Adami esse de redemptorum numero, de quo non sunt Angeli, nisi quia Scriptura clamat Christum redemisse omnes homines, quod non dicit de Angelis: ita nullum aliud redemptionis genus sive pro ipsa Deipara, sive pro quovis alio debemus ei tribuere, nisi quod Scriptura manifestat: cumque hæc sit redemptio a peccato vel a peccati debito; vel debent adversarii Deiparam sub hujusmodi debito comprehendere; vel negare illi eam saltem redemptionem, quam Ecclesia et fideles ut Christi redemptionem

agnoscunt, et pro qua illum colunt et venerantur redemptorem. Maneat igitur quod nisi Deipara sub prædicto debito fuisset comprehensa, nequaquam redemptorum numero deberet adscribi.

§ IX.

*Quædam sententiæ nostræ adversa diluuntur.*

Primum argumentum. Præservationem Deiparæ tam a contractione peccati originalis quam a debito non præjudicaturam ejus redemptioni, tuentur aliqui neotherici, quos pro sententia negante prædictum debitum dub. sequenti adducemus. Eorum vero præcipuum argumentum est: quia non repugnat Deum in sua æterna prædestinatione taliter decreta disposuisse, ut electio Deiparæ fieret ex Christi meritis; quamvis non esset de numero illorum, qui erant in Adamo peccaturi. Quod enim hoc repugnet, haud poterit facile ostendi: semel autem supposito quod fuerit possibile, non est cur negemus contigisse ita de facto, cum id cedat in majorem Virginis dignitatem. Eo præsertim quia gratia, quæ hoc modo daretur per Christi merita, esset gratia redemptiva; siquidem talis est omnis gratia, quæ confertur ex meritis redemptoris: cum ergo gratia redemptiva solum detur redemptis, sequitur Virginem in illo casu futuram esse de numero redemptorum.

Solutio. 111. Hoc argumentum probat unum, quod non negamus; sed ex professo asseruimus dub. præced. videlicet potuisse Deiparam de lege absoluta præservari, etiam ex meritis Christi redemptoris, non solum a contractione culpæ originalis, sed etiam a debito illam contrahendi, et a peccato Adami, unde prædictum debitum ortum duxit. Nihil tamen amplius probat: unde neque ullo modo convincit evenisse ita de facto (de quo agendum est dub. sequenti) quia sola non repugnantia aut aliqua convenientia ut aliquid sit, infirmum argumentum est ad probandam existentiam ejus de facto: præsertim in iis, quæ ex sola Dei voluntate dependent. Evidens quippe est potuisse Deum conferre Deiparæ duplo majorem gratiam, quam contulit, et facere illam non de semine viri, sed de Spiritu Sancto conceptam, cederetque utrumque in ejus magnam dignitatem: et tamen neque inde neque aliunde probari potest evenisse ita de facto. Neque etiam quamvis admitte-

remus fuisse in Deipara totam illam præservationem, quam argumentum intendit; ex eo vel aliunde probabitur prædictam præservationem potuisse cohærere cum vera redemptione; de quo est quæstio. Neque arguens illa aut alia via occurret rationibus, quibus in hoc dubio oppositum demonstravimus. Quin potius neminem adversariorum de hoc puncto sollicitari vidimus. Vexant calamos, curam omnem insumunt, ut ostendant illud, quod nos sine controversia eis concedimus, et dub. præced. asseruimus, potuisse scilicet Deum, etiam intuitu meritorum Christi, præservare Deiparam a prædicto debito: an vero talis præservatio fuisset, vel non fuisset redemptio, aliqui omittunt, aliqui perfunctorie tangunt, nemo id probat: cum revera iste sit difficultatis cardo, et cui præcipuus labor deberet incumbere, ut magis constabit dub. sequenti.

Quod vero dicitur illam præservationem fore gratiam redemptivam, solum est verum materialiter, quatenus esset gratia concessa ex meritis illius, qui alias esset redemptor: non autem formaliter: quia non esset gratia redimens suppositum, cui donabatur, neque ex meritis redemptoris talis suppositi: et ideo nec Christus ex vi illius gratiæ, si alios non redimeret, posset dici *redemptor*. Similiter cum dicitur, gratiam redemptivam solum tribui redemptis, verum est de gratia redemptiva formaliter modo explicato. An vero de facto ita contigerit, ut Christus solum meruerit pro redemptis, neque ad gratiam Angelorum vel hominis in primo statu influxus ejus meritorius se extenderit, adeoque talis gratia etiam materialiter modo dicto non fuerit redemptiva (licet in genere causæ finalis sicut omnes aliæ creaturæ Christum respexerit) alia quæstio est, quam 3 p. examinabimus, cuique doctrina præsentis dubii rationes non infirmas suppeditabit.

112. Secundo probari potest hæc opinio: quia ratio redemptionis sufficienter salvatur in præservatione a malo, quod redemptus, si non præservaretur, incurreret: ergo ut Deipara dicatur redempta a peccato Adami, satis est quod per exclusionem a pacto fuerit præservata, ne peccatum illud in ipso Adamo committeret. Consequentia videtur nota. Antecedens vero suadetur primo ex illo Psal. 143: *Quid redemisti David servum tuum de gladio maligno*, etc. ubi David se confitetur redemptum de gladio Goliath, non quia in illum inciderat; sed quia incideret,

Secur-  
dum a  
gumer-  
tum.

Psal. 1



deret, nisi divina custodia protegeretur. Et Psal. 85: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori: vel ut vertunt alii, redemisti.* Quod non ideo dicit David, quasi jam descendisset in infernum; sed quia descenderet, nisi divina misericordia fuisset præservatus. Sufficit ergo hujusmodi præservatio ad rationem redemptionis. Secundo suadetur ex D. Dionysio cap. 8, de divin. nomin. ubi assignat duplicem modum salvationis factæ a Deo: primum, in quantum omnia creat et conservat; secundum, in quantum eripit a malis, non permittens existentia cadere in nihilum: et hoc etiam appellat *liberationem*. Quod autem vocatur *salvatio*, et *liberatio*, etiam potest vocari *redemptio*: atque adeo sufficit ad istam præservationem a malis. Tertio ex D. Bernardo serm. 22, in Cant. ubi Christum vocat redemptorem Angelorum, non quia illos a peccatis commissis erexerit, sicut erexit homines; sed quia tenuit ne caderent. *Qui erexit (inquit) hominem lapsum dedit stanti Angelo, ne laboretur, sic illum de captivitate eruens, sicut hunc a captivitate defendens: et hac ratione fuit æque utrique redemptio, solvens illum, et servans istum.* Ex doctrina igitur Bernardi æque potest dici *redemptio* præservatio a peccato committendo, atque ereptio a commisso.

Confirmatur: nam Christus per suam mortem et suum meritum operatus est ad salutem et gratiam Angelorum: igitur fuerunt per illum redempti. Consequentia ex eo constat, quia quisquis particeps est meritorum et mortis Christi, est etiam particeps redemptionis. Antecedens vero habetur ex illo ad Ephes. 1. *Proposuit instaurare omnia in Christo, quæ in Cælis, et quæ in terra sunt.* Et ad Coloss. 1: *Pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in Cælis, sive quæ in terris*, etc. Quæ testimonia necessario intelligenda sunt de Angelis, cum in cælo homines tunc non essent. Ergo illi fuerunt per Christi mortem instaurati et pacificati, adeoque redempti.

Confirmatur secundo: ibi datur effectus redemptionis Christi, ubi datur remissio peccatorum: nulli enim Deus peccata dimittit nisi ex Christi meritis: sed ut peccata dicantur remitti, non est necesse, quod fuerint de facto commissa, vel contracta, imo nec contrahi debita: sed sufficit, quod, committenda essent, nisi Deus ab illis præservaret: igitur ut B. Virgo dicatur redempta a culpa originali, satis est, quod fuerit præservata, ne illam, vel ejus debi-

tum incurreret. Minor, in qua sola est difficultas, traditur a D. Augustino lib. de diligendo Deo cap. 12, ubi ait: *Non ea sola, quæ commisi, peccata, sed etiam quæ, te protegente, non commisi, totum a te dimissum deputandum est.* Ecce ergo peccata nondum commissa, dicuntur a Deo dimitti quia præservavit ab illis, ne committerentur.

113. Respondetur ad argumentum negando antecedens, loquendo, ut loquimur, de vera et propria redemptione. Et ad primam probationem dicendum est, testimonium ex Psalm. 143 (sive intelligatur de gladio Goliath, ut aliqui volunt; sive ut alii, de gladio Jesibebenob, qui fuit de genere Araphæ, cujus ferrum hastæ trecentas uncias appendebat, et accinctus erat ense novo, nixusque est percutere David, ut narratur 2 Reg. 21), potius esse pro nobis quam contra nos: quia utrobique fuit David in proximo mortis periculo: unde quia hujusmodi periculum æquivalet debito; ideo ex hoc loco solum colligitur sufficere ad redemptionem debitum incurrendi malum. Quod libenter admittimus: si enim recte defensabitur B. Virginem fuisse redemptam propter debitum originalis culpæ, quamvis illam non incurrerit de facto. Circa secundum testimonium ex Psalm. 85 aliqui, ut Euthymius, dicunt David appellasse *infernum inferiorem* adulterium Bethsabee, juxta illud Proverb. 22: *Fovea profunda os alienæ*, etc. Alii cum Genebrardo intelligunt maxima pericula, a quibus Deus diversis temporibus David liberaverat. Et alii mortem intentatam ei a Saule, per quem descenderet in infernum inferiorem, id est, in foveam sepulchri. Quicquid vero horum dicatur, locus nobis non officit: quia in omnibus saltem adfuit magnum periculum ejus mali, a quo David dicitur ereptus seu redemptus. Ubi vero neque malum ipsum neque debitum vel periculum adfuit, nusquam invenitur uti Scriptura verbo aut nomine *redemptionis*. Adde, non ex eo quod præservatio a malo futuro vel possibili alicubi *redemptio* diceretur, debere sumi argumentum contra nos: quia talis loquutio solum esset metaphorica et impropria: nos autem loquimur de redemptione vere et proprie dicta, et de illa, quam Scriptura docet Christum operatum fuisse, quæ determinate fuit redemptio a peccatis commissis in se vel in Adamo, ut § præced. vidimus.

Ad secundam probationem, quæ est Dionysii; respondetur ex ejus verbis constare ipsum non loqui de salvatione, quæ sit probatio-

Solutio  
argu-  
menti  
quoad  
primam  
probationem.

Prov. 22.

Ad secundam  
probationem.

prie redemptio : siquidem ita appellat conservationem omnium rerum, ne abeant in nihilum; quam nemo dicet esse veram redemptionem aut salvationem : alias dicemus solem, lunam, stellas, lapides, bruta, et id genus alia esse vere salvata et redempta, quia in suo esse conservantur; quod est absurdum : præsertim loquendo de redemptione et salvatione facta per Christum.

114. Similiter dicendum est ad tertiam probationem ex Bernardo : nam etiam loquitur de redemptione large et improprie accepta. Non enim negandum est licuisse Patribus uti aliquando vocabulis in acceptione lata et impropria : præsertim quando non tam rerum quidditates aut fidei dogma more scholastico stabilire aut declarare intendebant, quam concionatorio stylo omnem pium cogitatum ad affectum excitandum exprimere satagebant, talemque adhibebant explicationem, ut non posset ex verbis eorum error suboriri : uti accidit Bernardo in prædicto sermone. Cum enim legisset ex Apostolo I ad Corinth. cap. 1, quod *Christus factus est nobis sanctificatio et redemptio*, vim fecit in illa particula *factus est nobis*, quasi innuisset Apostolus, illum etiam ante incarnationem redemptionem fuisse non nobis, sed Angelis; per ipsam vero incarnationem nobis redemptionem factum fuisse : cum autem exponere vellet, qualiter Angelis potuerit esse redemptio; premereturque in contrarium nomine ipso *redemptionis*, quod proprie acceptum dicit extractionem a captivitate peccati, quæ in Angelis non fuit; recurrit pro evadenda difficultate ad impropriam et latam acceptionem, juxta quam ipsa præservatio a peccato possibili, quæ in Angelis bonis fuit, propter aliqualem cum redemptione similitudinem, potest utcumque appellari *redemptio* : ut cum D. Thomam vocamus Angelum, et D. Teresiam vocamus Seraphim, propter aliquam cum eis similitudinem : quod omnes accipiunt in sensu metaphorico et improprio. Fuitque satius D. Bernardo prædicta similitudine et improprietate uti, quam suum pium illum cogitatum non prosequi. Neque obstant illa verba : *Et hac ratione fuit æque utrique redemptio, salvans illum et servans istum* : quia adverbium *æque* non appellat supra ly *redemptio*, quasi fuerit æqualiter redemptio illa, quæ dicitur de Angelo, atque illa, quæ dicitur de homine; sed appellat supra ly *utrique*, ut sit sensus, tam uni quam alteri

fuisse Christum redemptionem; unicuique tamen suo modo; scilicet solvendo hominem et servando Angelum, adeoque illi proprie, et isti improprie.

115. Porro hunc et non alium fuisse sensum melliflui Doctoris; imo in ipso suo discursu veritatem nostræ sententiæ tenuisse, colligitur, ex ejus verbis integre acceptis, quæ ita se habent : *Quomodo ergo in principio erat Verbum, sed verbum erat apud Deum, factum est autem quatenus esse inciperet et apud homines : sic nihilominus in principio sapientia erat, erat justitia, erat sanctificatio et redemptio; sed Angelis ut esset et hominibus, fecit eum hæc omnia pater. Denique qui factus est, inquit, nobis sapientia a Deo. Et non ait simpliciter, qui factus est sapientia; sed qui factus est nobis sapientia, quoniam quod erat Angelis, factus est et nobis. At Angelis, inquis, quomodo redemptio fuerit non video. Nec enim auctoritas Scripturarum uspiam assentire videtur, eos aliquando aut peccato extitisse captivos, aut morti obnoxios, ut necessariam haberent redemptionem, exceptis dumtaxat illis, qui superbix lapsu irremediabili corruentes redimi deinceps non merentur. Si itaque Angeli nunquam redempti sunt, alii utique non egentes, alii non promerentes : illi quidem quia nec lapsi sunt, hi autem quia irrevocabiles sunt; quo pacto tu dicis Dominum Jesum Christum eis fuisse redemptionem? Audi breviter. Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur, sic illum de captivitate eruens, sicut hunc a captivitate defendens. Et hac ratione fuit æque utrique redemptio, solvens illum et servans istum, etc.* Ubi, ut cernis, supponit Bernardus esse de ratione redemptionis, quod redimendus præcedat captivus peccato, vel ejus captivitati obnoxius : ex cujus defectu supponit etiam, vel potius asserit Angelos sive bonos sive malos non fuisse redemptos. Ne vero hoc suo cogitatu contrariari videretur, aut ex ejus verbis argumentum contra veram redemptionem sumeretur, explicuit mentem suam dicens se per redemptionem, de qua ibi loquebatur, solum intelligere præservationem : quatenus propter similitudinem, quam diximus, potest utcumque *redemptio* nuncupari. Ex quo discursu satis liquet non posse sumi argumentum contra nos, dum agimus de vera et propria redemptione. Nec quia Bernardo concionatorem agenti sic loqui licuit; nobis res theologice examinantibus etiam licebit : quia non omnia possumus omnes.

Adde, ex contextu et verbis Bernardi manifeste

manifeste constare ipsum non loqui de redemptione facta per Christum hominem, et per ejus mortem et sanguinem in medio temporum, quæ sola in Ecclesia accipitur et adoratur ut vera redemptio, et de qua est sermo in præsentī. Sed loquitur de Christo ut in principio et ante incarnationem erat Verbum apud Patrem, et ut sic ratione divinitatis operatus est ab initio mundi Angelorum justificationem, præseruationem, et glorificationem. Id satis ostendunt illa verba: *Quomodo in principio erat Verbum, etc. Sic in principio sapientia erat, erat sanctificatio et redemptio: sed Angelis, etc.* Quocirca idem S. Doctor serm. I de Circuncis. cum dixisset, eundem (scilicet Christum) esse Angeli et hominis salvatorem, addidit: *Sed hominis ab incarnatione, Angeli ab initio creaturæ.* Nemo autem dixit, Verbum ante incarnationem fuisse vere et proprie redemptorem: sicut nemo id dixit de Patre aut Spiritu sancto, quibus ante illam omnia officia ad extra erant communia. Quare ex prædicto loco neque habetur Christum vere et proprie redemisse Angelos, neque illis gratiam et gloriam meruisse, cum nullum horum potuerit exercere nisi peracta incarnatione.

116. Ad confirmationem respondetur, varias esse utriusque illius loci expositiones, alienas tamen ab intentu arguentis. Adducemus aliquas ex D. Anselmo, quæ ex aliis Patribus desumuntur. Sic ergo exponit citatum locum ad Colossens.: *Pacificans per sanguinem crucis sive ea quæ sunt in Cælis, sive ea quæ sunt in terris, id est, Angelos et homines. Sua enim hora sanguis redemptionis exivit de latere Domini in cruce pendens, dimissum est peccatum Adæ humano generi, et pacificata sunt cælestia et terrestria, quia tunc patuit hominibus introitus in regnum cælorum. Magna enim discordia separabat homines et Angelos, quia nemo tam sanctus erat, ut in consortium Angelorum susciperetur; sed omnes ad infernum propter culpam primi hominis descendebant. Morte autem Christi pax tanta inter homines et Angelos effecta est, ut nunc animæ justorum cum de corporibus exeunt, mox penetrent cælos gaudentibus Angelis. Vel pacificata sunt Deo per Christi sanguinem sive ea quæ sunt in cælis, id est, anima Sanctorum, quæ jam sunt in regno cælorum, et olim discordabant a Deo per suam vel protoparentis culpam: sive ea quæ sunt in terris, id est, electi, qui adhuc peregrinantur in exilio.*

Super locum vero ad Ephes. inter alia

hæc habet: *In eo quippe instaurantur (id est in Christo) quæ in cælis sunt, cum id quod inde ex Angelis lapsum est, ex hominibus redditur: in ipso instaurantur et quæ in terris sunt, cum ipsi homines, qui prædestinati sunt in vitam æternam, a corruptionis vetustate renovantur. Instaurantur quæ in cælis sunt, dum illuc humiliati homines redeunt, unde apostatæ Angeli superbiendo ceciderunt: instaurantur et quæ in terris sunt, dum peccatores ad justitiam convertuntur.* Pluraque alia prosequitur satis ad intentum nostrum, quæ brevitatis causa omittimus. Addimus vero ex D. Thoma super eundem locum ad Ephes. hæc pauca: *Instaurare omnia, quæ in cælis sunt, id est Angelos: non quod pro Angelis mortuus sit Christus; sed quia redimendo hominem, reintegratur ruina Angelorum.*

D. Thom.

Ad secundam confirmationem resp. negando minorem: peccata enim nondum commissa nequeunt esse remissionis materia, sicut neque absolutionis, aut confessionis. Neque urget probatio. Tum quia liber ille *de diligendo Deo* cum aliis, qui habentur in appendice tom. 9, non est D. Augustini, ut ostendit titulus illius appendicis, qui est hujusmodi: *Appendix tomi noni, continens ea, quæ constat B. Augustini non esse, etc.* Ob idque in ultima et optima editione anni 1614, illi tractatus tanquam spurii, et illegitimi diverso et minori caractere notantur. Tum etiam quia quicumque illius libri auctor sit, non dicit absolute esse sibi dimissa peccata, a quibus fuit omnino præservatus; sed deputanda esse cum dimissis, et quasi pro dimissis Deo gratiæ reddendæ: quatenus non est minus ejus beneficium, cum præservat a peccatis, ne committantur, quam cum dimittit illa, quæ commissa jam sunt. Ex hoc autem nullatenus deducitur prædicta peccata esse vere remissibilia, aut veram materiam redemptionis.

### § X.

*Proponitur et diluitur ultimum argumentum.*

117. Tertio potest argui pro prædicta sententia obijciendo, quia ex nostra sequitur non sufficere ad redemptionem Deiparæ solum debitum culpæ originalis; sed requiri etiam actuali contractionem: hoc autem non est a nobis concedendum: ergo, etc. Sequela probatur, tum quia ut B. Virg. vere et proprie dicatur redempta per nati-

tem Christi, debet de illa verificari, quod fuerit aliquando peccatrix, et quod fuerit per peccatum mortua, serva et captiva: testimonia enim Scripturæ et Patrum, quæ adduximus, absolute dicunt Christum solum mortuum fuisse pro mortuis, pro peccatoribus, pro captivis: si autem B. Virgo de facto non incurrit peccatum, non est verum fuisse aliquando peccatricem, mortuam, aut captivam; sed semper justam, sanctam, viventem, et liberam per gratiam: neque enim solum debitum absque peccato has impedit denominationes, aut illas tribuit. Tum etiam quia redemptio prout a nobis descripta fuit, importat emptionem ejus, qui redimitur, atque adeo supponit fuisse aliquando non ipsius redemptoris: si autem Deipara non contraxit peccatum, sed semper fuit in gratia, quamvis habuerit debitum, semper fuisset ipsius redemptoris, nunquam ab eo aliena; a quo solum alienam faceret peccatum: ergo, etc.

Præterea terminus *a quo* redemptionis non potest stare simul cum termino *ad quem*: sicut neque in aliis mutationibus coexistere possunt prædicti termini: unius enim generatio est alterius destructio: sed gratia aut *esse liberum per illam*, qui est terminus *ad quem* redemptionis Christi, stat simul cum prædicto debito, solum enim peccatum per gratiam excluditur: ergo hoc et non illud debet esse terminus *a quo* prædictæ redemptionis. Ad hæc: ut aliquis resurgat, non sufficit debitum moriendi, nisi de facto præcesserit mortuus: ergo neque ut redimatur, sufficit debitum incurrendi peccatum vel captivitatem, nisi de facto illa incurrerit.

Denique argumenta et rationes, quæ ex Augustino deprompsimus, non tantum procedunt de debito contrahendi peccatum originale, sed etiam de actuali contractione: nisi enim de hac procederent, non cogerent Julianum et alios Hæreticos, in quos fulminabantur, fateri in parvulis prædictam contractionem, sed debitum dumtaxat: quod quam ægre ferret Augustinus, cuilibet legenti constabit. Eo præsertim quia Julianus non omnino negabat parvulis peccati debitum, cum fateretur illos peccasse in Adamo; aiebat vero eos sufficienter mundari per Baptismum suorum parentum, ne in propriis personis peccatum contraherent: neque idcirco Augustinus ejus positioni ullatenus acquiescebat: ergo vel prædictæ rationes nimium probant; vel non debent ad Virginem, cui solum tribuimus debitum, extendi.

118. Pro solutione hujus objectionis recolenda sunt, quæ diximus dub. 1, circa debitum illius, qui cum peccasset in Adamo, justificaretur in primo instante conceptionis; estque præ oculis habendum, quid prædictum debitum tam intrinsecum quam extrinsecum importet. Ex ibidem ergo dictis respondetur negando sequelam. Ad primam vero probationem dicendum est sufficere ad veram et propriam redemptionem, quod Deipara fuisset peccatrix, mortua, et captiva in Adamo, quamvis in se ipsa solum habuerit debitum et obnoxietatem horum defectuum. Nam sicut peccatum commissum ab Adamo vere fuit nostrum, nosque prout eramus in eo, vere illud commisimus, ac ratione illius mansimus ex tunc (etiam si in nobis non haberemus esse) peccatores, mortui, et captivi: ita si Virgo nobiscum in illo fuit, prædictumque peccatum ibi cum cæteris commisit; mansit ibidem peccatrix, mortua, et captiva per tale peccatum: quamvis in se ipsa, atque adeo absolute loquendo, nunquam fuerit sub prædictis denominationibus. Hoc autem sufficit ad verificandas sine improprietate locutiones Scripturæ et Patrum dum aiunt Christum solum mortuum fuisse pro peccatoribus, pro mortuis, pro captivis, etc. Sufficiens namque, etiam in rigore proprietatis, verificantur prædictæ loquutiones de peccato, morte, et captivitate in Adamo, dummodo in illo fuerit verum peccatum, vera mors animæ, et vera captivitas; sicut fuit de facto.

119. Dices: eo modo dicitur aliquis *redemptus*, sicut fuit *captivus*: ergo si B. Virgo non in se sed solum in Adamo fuit sub peccato et captiva, in illo et non in se habebit esse redempta. Respondetur antecedens non tenere in omnibus; minus vero in hoc quod est dici *redemptum in alio* eum, qui in alio fuit captivus. Omnes enim captivi fuimus in Adamo, et nemo nostrum fuit in illo redemptus. Ut ergo Deipara vere sit et dicatur in se ipsa redempta, sufficit ut connotato quod fuerit captiva in illo, recipiat in se ipsa redemptionem, seu ejus primarium effectum, qui est gratia et remissio illius peccati, quod in Adamo commisit. Denominatio enim *redempti* non sumitur in recto a termino *a quo* redemptionis, qui est captivitas; sed a termino *ad quem*, qui est prædicta gratia et remissio, ut connotat prædictum terminum *a quo*. Et ideo quicumque in se recipit hujusmodi terminum, qualitercumque fuerit sub illo alio, dicitur

tur cum proprietate et rigore *redemptus in se.*

Ad secundam probationem respondetur sufficere ad emptionem, quam redemptio includit, quod ille, qui redimitur, factus fuerit in alio alienus a redemptore: nam eo ipso est ibi opus pretio et emptione, ratione cujus ubi primo accipiat *esse in se*, trahatur ad ipsum redemptorem, et non maneat alienus et extraneus; uti maneret, si non esset, qui pro eo solveret. Potestque hoc explicari: nam quemadmodum redemptio ex eo quod importat emptionem, prærequirit alienationem illius, qui redimitur; ita ex eo quod est emptio iterato facta, postulat ut redimendus fuisset proprius, priusquam fieret alienus: sicut enim nullus emit, quod suum semper est; ita nullus redimit, quod suum nunquam fuit; sed quod suum fuit, et suum esse desivit: sicut ergo ad nostram redemptionem sufficit, quod redimendus fuisset Dei proprius non in se, sed in Adamo, qui pro omnibus justitiam originalem et gratiam adoptantem in Dei filios accepit: ita sufficet, quod in illo factus sit alienus per amissionem prædictæ gratiæ et justitiæ.

120. Ad tertiam probationem dicas, terminum *a quo* redemptionis Deiparæ non importare solum illud debitum physicum intrinsecum, quod a num. 37 diximus posse simul esse cum gratia in instante conceptionis; sed etiam debitum extrinsecum seu morale, quod importat offensam Dei non satisfactam neque remissam, et peccatum actuale Adami non retractatum, juxta dicta num. 16 et a num. 42. Hoc autem posterius debitum (quicquid sit de illo primo) solum permansit usque ad instans conceptionis et sanctificationis Deiparæ exclusive, in illo vero jam non fuit, sed desivit per primum *non esse*: et ita nunquam terminus *ad quem* redemptionis fuit, simul cum termino *a quo* adæquato. Aliquid vero hujus termini, scilicet illud prius debitum intrinsecum, non inconvenit adesse simul cum termino *ad quem* pro illo instante: quia non est necesse, ut totus terminus *a quo* simul desinat, adveniente termino *ad quem*, ita ut pro nulla duratione aliquid ejus remaneat: ut in multis aliis mutationibus cernere licet.

Ad illud, quod additur, respondetur, quod si debitum moriendi includeret aut supponeret jam mortem, saltem in alio (quod licet in corporalibus non eveniat, in spiritualibus tamen non repugnat) sufficeret ad

resurrectionem. Et ita contingit in nostro casu: nam debitum contrahendi peccatum et captivitatem in propria persona, includit vel supponit peccatum et captivitatem ejusdem personæ in Adamo: et ideo habet quicquid ad redemptionem requiritur. Ratio vero est, quia redemptio nostra facta fuit per modum solutionis et satisfactionis ex justitia, et ita illud debitum requiritur et sufficit ad illam, quod est justitiæ materia; egetque, ut extingatur, solutione et satisfactione. Hoc autem totum habet debitum, de quo agimus: quia ratione peccati Adami, et ratione offensæ irrogatæ Deo per illud, tenentur omnes posterius debito justitiæ ad exhibendam satisfactionem pro tali offensa. Semperque intelliguntur sub hoc debito, sive sint jam in se ipsis, sive prout in suis causis repræsentantur, donec per Christi merita conferatur eis gratia redemptiva, per quam remittitur illis prædicta offensa.

121. Ad ultimam probationem ex Augustino respondetur, ejus rationes ex vi formæ solum procedere de contractione peccati originalis in se vel in suo debito, non qualicumque, sed pertingente usque ad ipsum puerum, quando actu concipitur: ita ut non tantum in Adamo vel in aliis parentibus, sed etiam in sua propria persona dici possit obnoxius tali peccato. Hoc enim sufficit et requiritur, ut verificentur illæ Augustini locutiones, quod Christus non esset mortuus nisi pro mortuis, pro peccatoribus, pro justis, etc. Quia sicut quod prope est ad actum, nihil ab actu differre videtur, ut communiter dici solet: ita quod adeo prope accedit ad mortem, ad peccatum, et ad injustitiam, sicut in debito omnino proximo et immediato, potest sufficienter inter mortuos, peccatores, et injustos computari. Et quia Pelagiani fateri renuebant omnes parvulos nasci seu concipi sub prædicto debito proximo, putantes illos, qui ex parentibus baptizatis oriebantur, sufficienter ab eo et a peccato liberari per baptismum ipsorum parentum; ideo rationes Augustini aperte contra eos militant. Secus vero contra Catholicos, qui etsi negent Deiparam contraxisse ipsum peccatum originale in sua propria persona; asserunt tamen fuisse sub debito illius proximo et immediato, adeoque obnoxiam et obligatam in se ipsa tali peccato contrahendo. Unde hæc objectio militat directe contra modum dicendi, qui inferius impugnabitur, concedens Deiparæ solum debitum extrinsecum sistens in Adamo vel

Diluitur  
ultima  
probatio.

in aliis parentibus, et ad personam Virginis non pertingens : nequaquam vero procedunt contra assertionem hujus dubii, aut contra ejus probationes.

Adde, intensionem Augustini potissimum fuisse ostendere, in omnibus posteris Adami necessariam esse gratiam per Christum in suis propriis personis receptam, ut a peccato originali liberentur : quam necessitatem Pelagiani saltem pro aliquibus negabant : ad eam autem persuadendam sufficit debitum peccati, ut a nobis expositum : quia eo ipso quod omnes sub tali debito concipiuntur, nequeunt non etiam ipsum peccatum de facto incurrere, et in eo permanere ; nisi per Christi gratiam in se ipsis receptam ab illo liberentur.

Observatio.

122. Diximus rationes Augustini ex vi formæ hoc solum concludere : quia ratione materiæ etiam probant, omnes posteros Adami (dempta Deipara) contrahere de facto ipsum peccatum originale. Et ratio est, quia debitum istud immediatum et proximum, sub quo omnes debent concipi, infert ex natura rei ipsum peccatum in eodem instante, nisi speciali Dei privilegio tunc gratia infundatur, quæ illius resultantiam impediatur. Hujusmodi autem privilegium fuisse concessum Deiparæ non negaret Augustinus, cum nulli Scripturæ testimonio contradicat, sintque plura argumenta ad illud persuadendum. Concedi vero cæteris parvulis aut alicui eorum neque Hæretici intendebant, neque ulla via probare possent. Unde exceptio Deiparæ ab actuali contractione peccati neque ratione materiæ neque ratione formæ elidit argumenta Augustini : elideret autem exceptio illius a debito, et etiam suo modo exceptio aliorum ab ipso peccato.

Per quod patet ad illud, quod additur in eadem probatione. Fatemur enim non sufficere ad intentum Augustini, quod omnes sine exceptione in Adamo peccaverint, ut etiam Julianus admittebat ; sed requiri ut omnes sine exceptione actu dum concipiuntur, obnoxietatem peccati originalis contrahant : sive hæc obnoxietas secum trahat ipsum peccatum, ut trahit necessario in omnibus, qui speciali privilegio et infusione gratiæ ab eo non præservantur : sive non trahat, ut in Deipara, quæ prædicto privilegio et gratia ab eo immunis evasit. Hæc tamen omnia dubiis sequentibus magis elucidabuntur.

#### DUBIUM IV.

*Utrum Beatissima Virgo Maria habuerit debitum contrahendi culpam originalem ?*

123. Ex iis, quæ initio præcedentis dubii animadvertimus, et ex aliis, quæ in toto illo discurremus circa necessitatem debiti ad effectum redemptionis, credimus manere sufficienter declaratum, quid sub eo nomine veniat in præsentia. Nam sermo est de debito necessario et sufficienti, ut B. Virgo vere et proprie dici possit *redempta*. Adeoque relegandum est ab hac controversia debitum illud ingrediendi pactum Adami vocatum *debitum debiti*, seu *debitum remotum* : et quia non est verum debitum, sed chimericum et fictum : et quia ejus insufficientiam (gratis adhuc admissi) in ordine ad prædictum effectum jam efficaciter convincimus. Procedit ergo dubium de debito proximo, seu quod conveniat Virgini, eo quod peccaverit in Adamo : sive in isto debito comprehendas totum id tam intrinsecum quam extrinsecum, tam physicum quam morale, quod dub. 1, num. 16 et num. 41, sub eo inclusimus : sive solum debitum extrinsecum vel morale, quod licet duraverit usque ad instans conceptionis exclusive ; in illo tamen jam non fuerit ; ac proinde neque ipsam Virginis personam in se ipsa intrinsece affecerit : quod postea num. 218 examinabitur. Quare noster modus inquirendi fere coincidit cum eo, quo alii utuntur : *An B. Virgo peccaverit in Adamo sicut cæteri hujus posterii ?* seu : *an Adamus pro illa sicut pro cæteris peccatum suum commiserit ?* Diximus fere coincidit, etc. quia unus vel alter ex iis etiam, qui Deiparæ tribuunt prædictum debitum proximum, renuunt absolute concedere, quod peccaverit in Adamo : sicut et quidam alii, qui hoc fatentur, negant debitum illic contractum pertigisse usque ad instans conceptionis etiam exclusive. In quo an consequenter loquantur, inferius constabit.

#### § I.

*Pars negativa cum suis fundamentis.*

124. Plaudi cœpit nostra tempestate novella opinio quorundam Theologorum, qui vel ex zelo et amore erga honorem Deiparæ (ut par est credere) vel etiam ut piam sententiam de præservatione illius a labe originalis culpæ efficacius persuadeant : et (ut aiunt)

aiunt) omni ex parte sartam tectamque tueantur: atque etiam ut hac via ad statum proximæ diffinibilitatis, quo omnium colineant vota, celerius, securiusque perducant; negant B. Virginem peccasse cum cæteris in Adam, aut traxisse commune debitum incurrendi in propria persona culpam originalem. Hujus opinionis auctor censetur ab aliquibus Ambros. Catherinus opusc. de peccato orig. cap. ult. licet immerito, ut constabit infra num. 151, ante quem nullus (quod sciamus) illi suffragium tulit. Sed neque Cajetanus, qui paulo ante scripsit, prædictæ opinioni patrem agnovit, ut testatur in opusc. de Concept. Virg. cap. 2. Primus ergo quem adhuc juvenem (semper tamen ingenii acumine et dexteritate polentem) ardens in Deiparam devotio opinionem prædictam serio elucidare compulit, videtur sapientissimus M. N. Joannes Baptista de Lezana in apologetico pro immaculata concept. cap. 32 et 33, eamque deinceps sectati sunt Ferdinandus Quirinus de Salazar in defensione pro immaculata Virg. concept. per plura capita, sed præsertim a cap. 15; Jacobus Granados de gestis mirabil. vitæ Christi tract. 1, disp. 3, sect. 22; Bartholomæus de los Rios lib. 5 Monarchiæ Marianæ, cap. 9; Benedictus Fernández tom. 2 in Genes. cap. 29, sect. 6, num. 18; Aloysius Novarinus lib. 4 umbræ virginæ excursu 18; Bernardus de Aldrete tom. 1 in 3 p. disp. 19, sect. 6 et disp. 22, per totam. Ambrosias de Penalosa in vindiciis Deiparæ disp. 10, et Joannes Antonius Velasquez lib. de Maria immaculate concepta, non semel.

Præter quos et paucos alios minoris notæ Theologos, qui prædictæ opinioni suffragantur, referuntur etiam plures alii, vel quia leviter illam insinuant, vel quia vindicant a gravi censura, qua solet notari; et probabilitate aliqua dignam arbitrantur: vel etiam sine aliquo fundamento, ut ex illorum examine infra patebit. Sunt vero hujus secundæ classis Nicolaus de Cusa lib. 8 exercitationum, tom. 2, Cornelius Musius in caput 5 Epistol. ad Rom., Salmeron in idem caput, disp. 49, Franciscus Turrianus in epistola de pecc. originali, Viguierus in institutionibus theolog. cap. 18, § 5, Benedictus Justinianus, et Cosmas Magallanes super cap. 2 prioris ad Timoth. ille num. 6, hic sect. 3, annot. 6, Gregor. de Valentia tom. 4, disp. 2, quæst. 1, punct. 2, Salas tom. 2, tract. 13, disp. 11, sect. 2, Lorinus super 1 epistol. Joan. cap. 1, Basilius Le-

gionensis 1 p. variarum disp. 1, relect. 3, Angles in 2, dist. 31. Horum plures referunt Granados ubi supra, et Ægidius Lusitanus lib. 2 de Concept. quæst. 4, art. 3, § 1 apud quos etiam citatos invenies Suarium, Vasq. Zunelum, et alios, qui toto cælo a prædicta opinione distant, ut infra constabit. Argumenta pro illa, quæ minus levia apparent, ad hæc possunt reduci.

125. Primum sumitur ex aliquibus testimoniis Sanctorum Patrum, quæ prædictæ opinioni favere videntur. Primo enim Cyprianus serm. de nativitate Christi (qui habetur in tract. de Cardinalibus Christi operibus) sic ait: *Innoxiam affligi non decuit, nec sustinebat justitia, ut illud vas electionis communibus laxeretur injuriis: quoniam plurimum a cæteris differens natura communicabat, non culpa.* Debet ergo omnino excipi a culpa Adami cæteris omnibus communi. Deinde Augustinus lib. de natura et gratia cap. 36, dixit: *Excepta itaque Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem: inde enim scimus quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Hæc Augustinus; cujus sententiam sequutus Bernardus serm. 13 in cœna Domini, hæc ait: *Non est in filiis hominum magnus vel parvus tanta præbitus sanctitate, qui non in peccatis fuerit conceptus, præter matrem immaculati peccatum non facientis: de qua cum de peccatis agitur, nullam prorsus volo habere quæstionem.* Cum ergo in re quam agimus, sermo sit de peccato quod in Adamo commisimus, dicendum est ex sententia Augustini et Bernardi non habere locum respectu Deiparæ.

Præterea S. Ildelfonsus lib. contra disputantes de perpetua virginitate, et parturitione B. Mariæ, negat carnem Virginis, ex qua Verbum carnem assumpsit, fuisse carnem peccati. *Si ita peperit* (scilicet cum dolore et sordibus) *ergo adhuc ac si in massa primæ damnationis contra Angeli vocem maledictioni subjacuit; et Verbum Patris de carne peccati, quod absit, ut caro fieret, hominem assumpsit.* Et in eodem lib. expresse dicit illam Evæ maledictioni non subjacuisse. Et idem dicit Bernard. serm. 4 in Vigilia Nativit. *O beata* (inquit) *sola inter mulieres benedicta, et non maledicta, sola a generali maledicto libera.* Non autem libera fuisset ab illa maledictione, si in Adamo peccavisset. Ulterius D. Anselmus lib. de con-

Ambros.  
Cather.

Cajet.

Lezana.

Salazar.

Granad.  
Barth.  
de los  
Rios.  
B. Fern.  
Navar.  
Aldrete.  
Penal.  
Velasq.Nicol. de  
Cusa.  
Corn.  
Musius.  
Salm.  
Turrian.  
Viguier.  
B. Justin.  
Magal.  
Valent.  
Salas.  
Lorinus.  
Basil.  
Leg.  
Angles.Suar.  
Vasq.  
Zunel.Primum  
argu-  
mentum  
ex Patri-  
bus.  
Cypria-  
nus.

August.

Bernard.

Ildefon.

Bernard.

Anselm.

ceptu Virg. cap. 18, sic inquit : *Decebat ut illius hominis conceptio de matre purissima fieret : et ut ea puritate qua major sub Deo debet intelligi, Virgo illa niteret, etc.* Constat autem posse intelligi sub Deo majorem puritatem, quam esset puritas Virginis, si peccavit in Adamo, cum ipsamet adhuc purior esset, si non peccasset. Adducitur quoque a Petro Canisio lib. 5 de Deipara cap. 27 testimonium ex Alberto magno lib. de laudibus Virginis, quasi ibi dicatur : *Hæc virgo sola a communi illa regula excipitur. Omnes in Adam peccaverunt.* Refert etiam istud Salazar in suo opere de Concept. cap. 42, sæcul. 13 et subdit : *Ut autem huic testimonio fidem comparem, cui aliqui minus credunt, addo, librum istum a me relectum Murciæ in Bibliotheca fratrum Minorum.*

Adducit etiam Velasquez testimonium ex quodam manuscripto, cui titulus *Apocalypsis nova*, auctore devoto quodam religioso Ordinis seraphici, nomine Amadæo, raptus ad divina patiente : ubi narratur quasi revelatio a Gabriele Archangelo prædicto Amadæo facta, quod cum tempore dormitionis Deiparæ Apostoli Jerosolymæ adessent, hymnos, et laudes ei jam jam morituræ cecinerunt : et hanc fuisse B. Andreæ : *Tu sola ab universali damnatione præservata fuisti : non tu mortua in Adam fuisti, etc.* hanc vero Sancti Thomæ : *In initio viarum Dei ab ipso electa fuisti : et Adæ peccato præviso, non fuisti cum aliis omnibus condemnata, etc.* Asservatur hic liber in regia Bibliotheca Sancti Laurentii in Escuriali. Habemus ergo ex ore Apostolorum B. Virginem non fuisse sub peccato Adami comprehensam, neque proinde debitum contrahendi originale in illo incurrisse.

126. Denique afferuntur ex officio Bernardini de Bustis pro festo Conceptionis (quod Sixtus IV approbasse dicitur) aliqua verba, quæ huic sententiæ opitulanti videntur : ut quod B. Virgo non sensit primi patris labem neque fœtorem : quod non sit numeranda inter omnes qui in Adam peccaverunt, quia ipsa est supra omnes : quod non pro ea, sed pro omnibus lex mortis et peccati statuta fuit : aliaque similia, quæ non solam peccati contractionem, sed etiam ejus debitum a B. Virgine videntur excludere. Imo referuntur ibi ex D. Ambrosio hæc verba : *Hæc est virga in qua nec nodus originalis nec cortex venialis culpa fuit.* Nodus autem originalis culpæ est ejus debitum, veluti nodus constringens et necessi-

tans ad illam contrahendam. Similiter ex D. Augustino lib. de quinque hæresibus hæc ibi referuntur : *Si potuit mater mea inquinari cum eam facerem, potuissem ego inquinari cum ex ea nascerer : et cum consequens sit impossibile, idem dicendum est de antecedenti, videlicet non potuisse B. Virginem peccato inquinari in sua productione ; potuisset autem, si habuisset debitum : quia hoc supponit potentiam : ergo, etc.*

Secundum argumentum sumitur ex Concilio Trident. ses. 5, decreto de peccato originali, ubi Concilium declarat non fuisse suæ intentionis comprehendere in illo decreto B. et immaculatam semper Virginem Mariam. Ex quo sic arguitur. Concilium in suo decreto non solum egit de contractione peccati originalis, sed etiam de incurso peccati Adami, ex quo originale processit : et ideo utitur testimonio Apostoli ad Rom. 5 : *In quo omnes peccaverunt* : ergo non fuit intentio Concilii, ut B. Virgo sub aliquo ex prædictis fuerit comprehensa. Qui igitur illam comprehendunt sub Pauli propositione, dicentes eam peccasse in Adamo, habent diversam intentionem, imo et contrariam (ait Granados) intentioni Concilii. Huic argumento novam addit confirmationem neothericus quidam in hunc modum. Concilium non intendit comprehendere Deiparam sub illo decreto, adeoque nec sub propositione Pauli : sed intentio Concilii est eadem atque intentio Spiritus-Sancti : igitur nec Spiritus-Sanctus id intendit : sine intentione autem Spiritus-Sancti evidens est non fuisse comprehensam : ergo ita est dicendum.

127. Tertio arguitur. Potuit Deus præservare B. Virginem a peccato Adami, et a debito contrahendi ex illo culpam originalem, sicut præservavit ab ipsa culpa : ergo dicendum est illam de facto ita præservasse. Antecedens est indubitatum, utpote in quo nulla potest ostendi repugnantia. Consequentia vero suadetur. Tum quia non debemus negare Deiparæ quicquid cedit in ejus majorem dignitatem, et alias non repugnat puræ creaturæ, sicut cedere certum est prædictam præservationem. Tum etiam quia unusquisque nostrum, si daretur ei eligere parentes, eligeret illos quanto posset nobilitate decoratos et ab omni nota alienos : cum ergo Christus matrem prohibito elegerit, potueritque illam summa nobilitate decorare, ab omnique peccati nota eximere, dicendum est ita de facto præstitisse. Eo præsertim quia sicut honor filii

August.

Argumentum secundum ex Concilio Tridentino.

Tertium ex ratione.

Albert. mag.

Salazar.

Ambros.



fili redonat in matrem; ita ignominia matris redundaret in filium: ne ergo detrahamus dignitati Christi, debemus omne genus maculae, et quicquid peccatum redolet, uti redolet praedictum debitum, a Deipara excludere. Praeterea non est negandum, Christum observasse praestantissimo modo erga suam matrem praecipuum de honoratione parentum, quo nos adstrinxit: tenemur autem ex vi hujus praecipui summum, quem licite et honeste potuerimus, deferre parentibus honorem, aut saltem quicquid minus decens est, ab eis excludere: cum ergo licite potuerit Virgini praestari ut immunis esset ab omni peccato et ejus debito, dicendum est, Christum ita de facto concessisse. Ulterius, vel Christus non concessisset praedictam immunitatem matri, quia non potuit, quamvis vellet; vel quia quamvis potuisset, noluit: primum derogat ejus omnipotentiae, secundum amoris et benevolentiae erga illam: ergo neutrum est dicendum. Denique, nam indevoti vel parum grati animi erga Deiparam videtur, quod non credamus fuisse illi concessum quicquid excellentiae, gratiae, et honoris, salva fide, possumus credere: ne igitur eam notam incurramus, debemus affirmare fuisse illi concessam praedictam praeservationem, quae ex nullo capite fidei principiis repugnat.

128. Quarto arguitur: si propter aliquam rationem tenendum esset Virginem peccasse in Adamo, maxime ut ejus gratia et electio esset ex meritis Christi, cujus praedestinatio fuit post peccatum illud praevium: sed ad hoc non est necessarium: potuit enim Deus decreta sua ita ordinare, ut totum illud verificaretur, concessa Virgini omnimoda praeservatione, cum in eo nulla appareat implicatio respectu divinae voluntatis et omnipotentiae: ergo, etc.

Confirmatur: nam excellentiori redempto debetur excellentior modus redemptionis: ergo Deiparae, quae fuit excellentissima inter omnes redemptos, debita erat redemptio excellentior supra caeterorum omnium redemptionem. Cum igitur redemptio caeterorum fuerit a peccato in Adamo commisso, dicendum est redemptionem Virginis fuisse non a peccato illo ut commisso, sed ab eo, ut non committeretur ex persona ipsius Virginis.

Quinto probatur eadem opinio: magis deceat Deiparam peccasse mortaliter in Adamo, quam habuisse peccatum aliquod veniale: sed hoc penitus illi denegamus

propter ejus eximiam perfectionem: ergo a fortiori debet illud negari.

Sexto: omnia quae fidelium aures offenderent, et quae in populo scandalum generarent, debent vitari in hac materia: sed asserere B. Virginem peccasse in Adamo, fuisseque proinde in illo peccatricem, maculatam, immundam, Deo inimicam, ancillam diaboli, et id genus similia, quae ex praedicta assertionem inferuntur, omnium aures offenderet: ergo non est ita asserendum.

129. Septimo, referunt Salazarius et Granados quod cum Patres Ordinis S. Francisci assertiones praelo mandatas Toleti evulgassent, in quibus haec propositio continebatur, *B. Virgo Maria non contraxit debitum culpae originalis*, delatae sunt ad tribunal Sanctae Inquisitionis, illarumque occasione doctissimi Theologi consulti: quibus subscribentibus praedictae propositionis probabilitati, decretum fuit, ut assertiones illas libere tueri liceret. Poterit ergo absque ulla nota opinio haec defensari.

Ultimo censent praedicti auctores, omnia argumenta tam ex auctoritate quam ex ratione, quae suadent praeservationem Virginis a contractione culpae originalis, probare eodem modo praeservationem a commissione peccati in Adamo, et a debito quod inde surrexit; e contra vero omnia quae praeservationem ab istis impugnant, impugnare similiter eam immunitatem: tam facilemque habere solutionem prout militant contra unam, quam prout militant contra aliam: adeoque necessarium esse ad tuendam piam et communem sententiam de praeservatione a culpa originali, opinioni isti de praeservatione a debito subscribere: quam ipsi judicant probabiliorem. Addit vero Junior quidam, id magnopere conducere ad optatam illius articuli diffinitionem: quia semel ostenso Deiparam non peccasse in Adamo, ut opinio haec defendit, regia est via ad demonstrandum non contraxisse in conceptione peccatum originale. Quae omnia inferius ad trutinam vocabuntur.

## § II.

*Sententia affirmans suadetur primo ex Patribus.*

130. Secunda sententia, quae semper fuit communis, affirmat Beatissimam Virginem Mariam peccasse in Adamo cum reliquis ejus posteris, hausisseque inde debitum

contrahendi in se culpam originalem, quam ne contraheret de facto in instante suæ conceptionis, divina gratia in illo instante fuit præventa et præservata. Huic sententiæ subscribunt ingens Doctorum numerus tam ex Patribus quam ex Theologis et juris canonici peritis, quorum non paucos libuit consulere. Et quia in rebus, quæ sunt de facto, quæque sic vel aliter pro libera Dei electione potuerunt fieri, uti fuit præservare, vel non præservare B. Virginem a prædicto debito, maximum argumentum est communis consensus sacrorum Doctorum, quibus Deus evidentius consilia sua pandit, et intelligentiam Scripturarum copiosius infundit; inde accipiendum duximus primum pro hac sententia fundamentum. Adducemus verba SS. Patrum, sicut in fontibus jacent: ut ipsa oculis perspecta, potius quam nostra fides lectoris iudicium determinent. Quod si aliqua plus quam intendimus, externa specie sonare videantur in favorem opinionis de contractione culpæ originalis, qua ratione potuissent silentio tegi, convenientius tamen judicavimus ea proferre in lucem, et verum sensum exponere (prout exponemus infra a num. 192), ut ex eorum legitima intelligentia omnibus pateat, quomodo etsi præsentem sententiam veram esse convincant; prædictæ tamen opinioni (saltem majori ex parte) non suffragentur, nec piæ sententiæ opponantur. Quod non ita facile sibi persuadebunt, qui offendentes in suis fontibus prædicta testimonia, legitimam expositionem non audiunt. Quia vero quædam in communi procedunt, comprehendendo sub peccato vel debito omnes ab Adam seminaliter descendentes, et solum Christum Dominum excipiendo: alia autem in speciali de ipsa B. Virgine loquuntur, incipiens ab illis prioribus; posteriora vero sequenti § adducemus.

Ambros. 131. Occurrit ergo primo D. Ambrosius relatus ab Augustino lib. 2 contra Julian. cap. 2, ubi sic ait: *Ambrosius solum Christum a vinculis obnoxie generationis excipit, omnibus cæteris ex Adam sub peccati obligatione nascentibus.* Et cap. 9: *Dicit B. Ambrosius unum solum hominem mediatorem Dei et hominum, eo quod sit natus ex Virgine, nec senserit nascendo peccatum, generationis obnoxie vinculis non teneri. Omnes autem homines sub peccato nasci, quorum ipse ortus in vitio est, etc.* Nomine autem *nativitatis* intelligit conceptionem, quæ est *nativitas* in utero: et absolute ab Scriptura

et Patribus vocatur *nativitas*, juxta illud Matth. 1: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Nam loquendo de *nativitate* extra uterum, non solum Deipara, sed etiam Jeremias et Joannes Baptista nati sunt sine peccato.

Ipse vero D. Augustinus lib. 2 de peccatorum merit. cap. 20, sic loquitur: *Neque est in filiis hominum, neque fuit, neque erit, excepto uno mediatore, in quo nobis propitiatio et justificatio posita est, qui non ex peccato ad justitiam pervenerit, et nullo unquam peccato fuerit adstrictus.* Et cap. 21: *Nullus extitit homo, de quo in hac vita constituto veraciter dici posset, quod nullum habeat peccatum, excepto uno mediatore, qui nos Creatori nostro reconciliavit.* Quod adhuc magis premit lib. de perfectione justitiæ in fine ubi sic dicit: *Quisquis fuisse vel esse in hac vita aliquem hominem vel aliquos homines putat, excepto uno mediatore Dei et hominum, quibus necessaria non fuerit remissio peccatorum, contrarius est divinæ Scripturæ, ubi Apostolus ait: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt: et necesse est ut impia contentione asserat esse posse homines, qui sine mediatore Christo liberante atque salvante, sint liberi, salvique a peccato: cum ille dixerit: Non est opus medicus sanis, sed male habentibus, non veni vocare justos sed peccatores.* Et lib. 20 de Civit. Dei. cap. 6: *Omnes itaque mortui sunt in peccato, nemine excepto, sive originalibus, sive actualibus, et pro omnibus mortuus est Christus.* Et lib. 1 de nupt. et concupiscen. cap. 12: *Sine carnis concupiscentia concipi voluit, qui futurus erat sine peccato: ut hinc etiam doceret omnem, quæ de concubitu nascitur, carnem esse peccati: quandoquidem sola, quæ non inde nata est, non fuit caro peccati.* Denique (ut plura alia loca ejusdem Augustini omittamus) docuit hoc lib. 5 contra Julian. cap. 9, ubi ita contra illum loquitur: *Si caro Christi sine dubio non est caro peccati, sed similitudo carnis peccati; quid restat nisi ut intelligamus, ea excepta, omnem reliquam carnem humanam esse carnem peccati? Et hinc apparet eam carnis concupiscentiam, per quam Christus concipi noluit, fuisse in humano genere propagationem mali: quia Mariæ corpus quamvis ex tali concupiscentia venerit, tamen eam non trajecit in corpus, quod inde non concepit. Cæterum corpus Christi inde dictum est esse in similitudinem carnis peccati, quia omnis alia hominum caro peccati est.*

Gregor. 132. Similia habet Gregorius lib. 11 moral. cap. ult. exponens illa verba: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, etc. Potest (inquit) hoc intelligi, quia B. Job, incarnationem Redemptoris intuitus, solum vidit in mundo hominem de immundo semine non esse conceptum, qui sic in mundum venit ex Virgine, ut nihil haberet de immunda conceptione: neque enim ex viro et femina, sed ex Spiritu Sancto et Maria Virgine processit. Solus ergo in carne sua vere mundus extitit, qui delectatione carnis tangi non potuit, quia nec per carnalem huc delectationem venit.* Legatur etiam lib. 18, cap. 27, alias 35, et homil. 8, super Ezechiel. dum exponit illa verba Matth. 3 et

Origen. 17: *Hic est filius meus dilectus, etc.* Origenes homil. 12, in Levit. explicans illa verba capituli 21: *Qui consummatas habet manus, etc.* ita ait: *Omnis qui ingreditur in mundum in quadam contaminatione efficitur. Propter quod et Scriptura dicit: Nemo mundus a sorde, nec si unius diei fuerit vita ejus. Hoc ipso ergo quod in vulva matris est positus, et quod materiam corporis ab origine paterni seminis sumit, in patre et in matre contaminatus dici potest; solus vero meus Jesus mundum ingressus, in matre non est pollutus. Multaque alia ad intentum prosequitur ibi, et homil. 6 super Numeros.*

Leo Pap. S. Leo P'ap. serm. 1 de nativitate sic ait: *Dominus noster peccati mortisque destructor sicut nullum a reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit.* Et serm. 5: *Cum sola conditio nascendi in cunctis esset ratio pereundi, solus inter filios hominum Dominus Jesus innocens natus est, quia solus sine carnalis concupiscentiæ pollutione conceptus est.* Et serm. 8 de passione: *In solo Christo omnium erat natura sine culpa.* Et serm. 12: *Solus B. Virginis natus est filius absque delicto, non extraneus ab hominum genere, sed alienus a crimine.*

Ephrem. S. Eph. Syrus serm. de passione Domini sic ait: *Propter nos crucifixus est Dominus, qui solus sine peccato erat.*

Greg. Nys. S. Gregorius Nyssenus relatus a D. Thoma in Catena Luc. 2, ad illa verba: *Quia omne masculinum, etc.* sic dicit: *Solus hic partus (scilicet Christus) masculinus spiritualiter esse dignoscitur, qui nihil de fœditate culpæ portavit.* Græcus anonymus citatus in eadem Catena Luc. 1, ad illa verba: *Benedictus fructus; Solus ergo (inquit) hic fructus benedictus, quia absque viro et absque peccato producitur.*

S. Theon. Abb. His accedit testimonium S. Abbatis Theonæ apud Cassianum collat. 22, cap. 9, cujus

hæc sunt verba: *Aliud est esse sanctum, quod de multis dici potest: aliud esse immaculatum et sine peccato, quod unius Domini nostri Jesu Christi singulariter convenit majestati, De quo etiam Apostolus velut quid præcipuum et singulare pronuntiat dicens: Qui peccatum non fecit, etc.* Et cap. 12: *In hoc igitur ille, qui natus est ex Virgine, magna a cunctis qui ex utriusque sexus commixtione producuntur, distantia segregatur: quia cum omnes non similitudinem, sed veritatem peccati in carne gestemus: ille non veritatem sed similitudinem peccati in veræ carnis assumptione suscepit.*

Denique D. Bernardus epist. 174, sic ait: *Et si quibus vel paucis filiorum hominum datum est cum sanctitate nasci; non tamen et concipi: ut uni sane servaretur sancti prærogativa conceptus, qui omnes sanctificaret: solusque absque peccato veniens, purgationem faceret peccatorum. Solus itaque Dominus Jesus de Spiritu sancto conceptus, quia solus et ante conceptum sanctus: quo excepto de cætero universos respexit ex Adam natos, quod unus humiliter de semetipso ac veraciter confitetur: In iniquitatibus (inquiens) conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Plura alia possent coacervari hujus generis testimonia, quæ prolixitatis vitandæ gratia omittimus. Adducta vero, nisi tergiversatione uti velimus, satis efficaciter persuadent nullum alium præter Christum Dominum ita innocentem et a delicto immunem extitisse, quin saltem in Adamo peccaverit, et originalis culpæ debitum incurrerit.

133. Dices ab omnibus istis generalibus locutionibus, quantumvis sub universali signo enuntientur, excipiendam esse Deiparam propter honorem ipsius Christi; sicut excipitur ab aliis, ubi agitur de actuali peccati contractione. Tum quia non est inusitatum, ut ab universalibus Scripturæ propositionibus fiat exceptio: ut multis exemplis probari posset. Tum etiam quia prædicta testimonia non solum loquuntur de debito peccati, sed etiam de ipso peccato: imo non solum de peccato originali, sed etiam de actuali aliqua eorum loqui videntur, et tamen qua ratione de istis loquuntur, debemus excipere Deiparam: ergo etiam poterit excipi, qua ratione loquuntur de illo. Tum præterea, nam multi prædictorum Patrum loquuntur non de sola conceptione, sed etiam de nativitate, et hanc asserunt in nullo alio præterquam in Christo immunem a peccato extitisse: et tamen cons-

Evasio cum aliis quibus probationibus.

tat hanc regulam non comprehendere nativitate Deiparæ sicut nec Jeremiæ, nec Joannis Baptistæ, qui in utero sunt sanctificati : ergo non est cur comprehendat Virginis conceptionem.

Præcluditur.

134. Sed hæc evasio facile impugnatur. Nam prædicta testimonia non utcumque asserunt omnes homines concipi obnoxios peccato, aut nullum concipi non illi obnoxium ; sed cum dictione exclusiva solius Christi Domini, ut ex ipsis testimoniis constat : exceptio autem alicujus a lege communi firmat regulam in contrarium ; præcluditque locum, ne quis alius intelligatur exceptus : ut est receptum juris principium L. *Quæsitum* 12, § *Idem respondit* 43, L. *Cum de lanionis* 18, § *Si qui fundum* (ubi gloss.) ff. de fund. instructo. L. *Ex eo* 18, ff. de testibus. L. *Cum prætor* 12, in principio, ubi glos. ff. de Judiciis. Ex quibus etiam communiter habetur, illud quod de uno cum dictione exclusiva negatur, concedi omnibus aliis : et quod affirmatur de uno cum dictione exclusiva, aliis omnibus denegari. Non ergo debet admitti in prædictis testimoniis alicujus alterius præterquam solius Christi exceptio ; ut admitti posset, si non apponeretur prædicta exclusio.

Eo præsertim quia cura SS. Patrum in excipiendo Christum Dominum ab obnoxietate culpæ originalis potius dirigebatur ad ostendendam aliorum omnium inclusionem quam ipsius exceptionem. Christum enim utpote verum Deum, ab omni peccati debito alienum extitisse, per se erat notum ; non autem ita compertum erat, neminem alium talis debiti exortem fuisse : et ideo ut hoc secundum firmarent, nulliusque alterius exceptioni aditum relinquerent, contenti non sunt communem et generalem doctrinam tradere ; sed voluerunt ad speciales casus descendere, et excipiendum excipere : ut notum maneret, omnem quem non exciperent, excipiendum non esse. Ob idque toties repetunt, præsertim Augustinus, neminem excipi nisi solum Christum ; et omnes includi, illo tantum excepto : ut intelligeremus pro omni alio, quicumque sit, manere negatam exceptionem.

Deinde in prædictis testimoniis non utcumque excipitur solus Christus sed reddita ratione hujus exceptionis, quia nimirum solus ipse conceptus non est ex commixtione maris et fœminæ, sed de Virgine purissima Spiritus sancti virtute : unde sicut hæc exceptionis ratio secundum fidem catholi-

cam ad solum ipsum Christum debet restringi, neque ad aliquem alium extendi ; ita etiam prædicta exceptio : id enim jure receptum est, ut exceptio, quæ fit a lege communi, reddita causa exceptionis, ad eos tantum extendatur, quos causa comprehendit, argumento textus in l. testium 3, § *lege* in fine, l. *Ex eo* ff. de testib.

135. Neque obest quod dicitur in evasione : nulla est enim propositio neque in Scriptura neque in Conciliis, aut in antiquioribus Ecclesiæ Patribus, in qua ita universaliter affirmetur pro omnibus, excepto Christo, contractio formalis originalis culpæ, sicut asseritur ejus debitum in illis, quas adduximus. Imo omnes, quæ omnino universaliter loquuntur, possunt, salva proprietate et veritate literæ, intelligi de solo debito ut videbimus dub. sequenti : si vero alius aliquis præter Christum etiam a debito excludatur, non est quo pacto prædictæ propositiones, saltem sine extorsione et violentia, ad verum sensum reducantur.

Ad primum per modum probationis in evasione adductum respondetur, quoties ab universalibus Ecclesiæ propositionibus fit aliqua exceptio, dari ad id sufficiens fundamentum vel in aliis propositionibus ejusdem Scripturæ, quæ pro aliquibus oppositum enuntiant : vel in communi aut satis recepta Patrum expositione : vel in aliquo inconveniente, quod sequitur, negata omni exceptione. Cum ergo nihil horum militet pro exceptione Deiparæ a debito (quamvis omnia militent pro exceptione ab actuali contractione peccati) temere omnino et sine fundamento exceptio illa fieret. Ad secundum constabit dub. sequenti quomodo testimonia SS. Patrum, quam paucis exceptis, sicut etiam testimonia universaliter, quæ ex Scriptura et Conciliis afferri possunt, nihil aliud quam debitum contineant, prout tale debitum includit etiam peccatum actuale in Adamo commissum. Ad tertium jam diximus, nomine *nativitatis* intelligi a Patribus conceptionem, quæ cum omni proprietate dicitur *nativitas in utero* ; sicut alia dicitur *nativitas ex utero*. Vel si de utraque loquuntur, sumunt illas copulative ; ut sit sensus neminem præter solum Christum fuisse natum insimul et conceptum sine peccato vel debito ; quamvis aliqui sub peccato vel debito concepti, nati sint ex utero sine illis, sanctificati in ipso utero.

Adde, prædicta testimonia, quæ tam conceptionem quam nativitatem cæterorum omnium, præter Christum, sub peccato vel debito

Diluntur probationes.

debito concludunt, posse aliter exponi : ita nimirum ut natiuitas dicat conceptionem completam per formationem animæ rationalis : nam tunc dicitur aliquis nasci in utero quando animatur : conceptio vero dicat conceptionem adhuc informem, qua semen suscipitur, et embrio inchoatur. Et iuxta hunc sensum, qui pro aliquibus ex prædictis testimoniis est satis proprius et legitimus, universalissime verificatur, omnes præter Christum concipi et nasci peccato obnoxios, quia in omnibus peccatum vel peccati debitum a prima conceptione usque ad secundam inclusive pertingit. Proferamus alia testimonia, quæ in particulari procedunt.

## § III.

*Specialiora testimonia ex patribus.*

136. Primus ex Patribus, qui in propriis terminis agentes de Deipara, secundam sententiam expressius tradunt, est D. Augustinus super psal. 34, concione secunda ad illa verba : *Ego autem cum mihi molesti essent*, etc. ubi sic ait : *Maria ex Adam mortua propter peccatum Adæ, Adam mortuus propter peccatum, et caro Domini ex Maria mortua est propter delenda peccata*. Si autem B. Virgo peccatum illud in Adamo non commisisset, non fuisset mortua propter tale peccatum. Nec potest dici quod fuit mortua propter illud delendum, sicut mortuus est Christus. Nam hæc expositio manifeste est contra textum Augustini distinguentis inter mortem Mariæ et Adami ex una parte, et mortem Christi ex alia : quod hæc fuit præcise propter delendum illud peccatum ; illæ vero propter ipsum peccatum seu propter ejus merita. Unde sicut Adamus non fuit mortuus propter suum peccatum delendum, sed quia per illud meruit mortem ; ita etiam Maria. Tum etiam quia secundum fidem catholicam nullus alius nisi solus Christus mortuus est propter peccatum sine peccato : ut testatur ipse August. lib. 2 de peccat. merit. cap. 35 : *Teneamus (inquit) indeclinabilem fidei confessionem : solus unus est, qui sine peccato mortuus est propter nostra peccata*. Et lib. 4 contra duas epistolas Pelag. cap. 4 : *Pati mortem sine meritis mortis de uno solo mediatore Dei et hominum homine Christo Jesu catholica fides novit*. Ergo non potest dici, præsertim in sententia Augustini, quod Virgo sit mortua propter Adami peccatum

præcise delendum, et non potius ex merito talis peccati.

Tenet etiam hanc sententiam idem Augustinus lib. 2 de peccat. merit. cap. 24, ubi sic ait : *Solus ille homo factus manens Deus peccatum nullum habuit unquam, neque sumpsit carnem peccati, quamvis de materna carne peccati*. Nulla autem alia ratione caro Virginis potuit dici *caro peccati*, nisi quia quamvis de facto ejus anima peccatum non contraxerit ; caro tamen, quatenus erat per seminalem propagationem ex Adamo derivata, erat caro infecta seu ex infecto semine producta, adeoque inductiva, quantum erat ex se, peccati originalis. Scimus in aliquibus editionibus non legi *de materna carne peccati*, sed *de natura carnis peccati*. Sed etiam novimus in aliis, ut a nobis, legi. Quocirca in ea, quæ prodiit Parisiis anno 1586 Theologorum Lovaniensium cura et studio correctæ, hanc prædicto loco annotationem addiderunt : *Variant hic manuscripta : duo quædam sic legunt : Nec cum carne peccati. quamvis de materna carne peccati. Cambrense sic habet : Nec sumpsit carnem peccati, quamvis de materna carne peccati*. Ut noveris quam temere quidam neothericus falsarietatis insimulet Cajetanum et alios nostra utentes lectione : *Quomodocumque autem legas (prosequitur annotator) sentire videtur hic Augustinus, B. Virginem in originali peccato fuisse conceptam*. Sed nos credimus, et inferius probabimus, verba D. Augustini, quovis modo legantur, solum continere debitum contrahendi prædictum peccatum, non vero actuale contractionem. Quod autem utraque lectio, quoad præsens attinet, eundem sensum habeat, ex eo liquet, quia Christus non sumpsit carnem nisi de natura, quæ erat in Matre : et ideo nisi natura illa in ea caro peccati aliquando fuisset, non sumpsisset carnem de natura carnis peccati.

137. Tertius locus ejusdem Augustini habetur lib. 10 de Genes. ad literam cap. 18, ubi sic ait : *Quid incoquinatus illo utero Virginis, cujus caro etiam si de peccati propagatione venit : non tamen de peccati propagatione concepit*. Et inferius : *Corpus Christi quamvis ex carne femine assumptum est, quo de illa carnis peccati propagatione concepta fuerat ; tamen quia non sic in ea conceptum est, quo modo fuerat illa concepta ; nec ipsa erat caro peccati, sed similitudo carnis peccati. Non enim accepit inde, quod contagioni prævaricationis, sed quod exolvendæ promissæ resurrectioni sufficeret*. Quæ verba sa-

tis declarant, carnem Virginis in sua conceptione fuisse carnem peccati seu peccato obnoxiam : quia ex concupiscentia et semine viri concepta est : carnem vero Christi ideo carnem peccati non fuisse, sed in ejus similitudinem efformatam, quia non fuit prædicto modo concepta.

Fulgent. Secundus ex Patribus, qui expresse tradit prædictam sententiam, est D. Fulgentius lib. de Incarnatione et gratia Jesu Christi cap. 6, ubi sic ait : *Hæc est gratia, qua factum est, ut Deus, qui venerat peccata tollere, homo conciperetur, atque nasceretur in similitudine carnis peccati, de carne peccati. Caro quippe Mariæ, quæ in iniquitatibus fuerat humana solemnitate concepta, caro fuit utique peccati, quæ Filium Dei genuit in similitudinem carnis peccati.* Continet vero hoc testimonium non solius Fulgentii auctoritatem, quæ maxima est, sed etiam aliorum quatuordecim Episcoporum Africanæ Provinciæ, nimirum Daciani, Fortunati, Boechi, Victoris, Scholastici, Horontii, Vindiciani, alterius Victoris, Januarii, Victoriani, Fotini, Quodvultdei, Fœlicis, et alterius Januarii : qui omnes in illo opere, directo Episcopis Ecclesiæ Orientalis, subscribunt, ut constat ex primo libri capite.

Ildefonsus. Tertius est S. Ildefonsus in lib. contra disputantes de Virginitate et parturitione S. Mariæ aliquantulum post initium, ubi agens de eximia puritate ad concipiendum Verbum in Virgine requisita, sit ait : *At vero B. Maria licet ipsa de carne peccati sit nata et procreata, ipsaque quamvis caro peccati fuerit ; non tunc jam cum ex præveniente Spiritus-Sancti gratia ab Angelo benedicta vocatur, Spiritus-Sanctus superveniet in te, et virtus altissimi obumbrabit tibi.*

Duplex evasio. 138. Quamvis autem ista loca ita sint expressa pro debito, de quo loquimur, ut nulla tergiversatione enervari queant, aut expansione aliqua indigeant : nihilominus P. Salazar in suo opere de Concept. cap. 41, can. 8, conatus est duplici via illis occurrere. Primo enim ait, carnem Virginis posse considerari dupliciter : vel ut erat caro illius singularis et determinata : vel secundum communem, et specificam rationem carnis humanæ. Primo modo, ea dumtaxat possunt prædicari de illa, quæ sibi competunt, ut est hæc caro individua et singularis : adeoque non potest dici quod sit caro peccati, quia hoc non convenit illi, ut talis caro est. Secundo autem modo, possunt prædicari de illa omnia, quæ secundum rationem communem carnis hu-

manæ in eam quadrant : ac proinde quod sit caro peccati, quia hoc vere convenit illi ex sua communi ratione ; quamvis prout est in Virgine id non habeat. Et in hoc secundo sensu loquutos fuisse affirmat Patres supradictos. Secundo ait carnem Virginis ideo ab eis appellatam carnem peccati, quia naturali modo ex concupiscentia viri et fœminæ procreata est : et ideo hac ex parte non carebat fundamento peccati.

Utrunque tamen hoc effugium esse, et insufficiens, cito potest ostendi. Et sane prior discursus non videtur congruere legibus Dialecticæ. Nam quæ sunt de ratione alicujus prædicati communis, reperiri debent in omnibus singularibus, in quibus adest tale prædicatum : ut quæ sunt de ratione communi animalis, singulis animalibus in particulari conveniunt : si quæ vero alicui individuo non competunt, eo ipso probantur vel non esse de prædicta ratione communi, vel hanc non reperiri in tali individuo : igitur si de ratione communi carnis humanæ est hæc conditio, scilicet quod sit caro peccati ; necesse erit, vel quod carni Virginis in singulari non conveniat communis ratio carnis humanæ, quæ de cæteris individuis et singularibus prædicatur ; quod est hæreticum : vel quod eidem in singulari competat prædicta conditio. Adde, ex illo discursu sequi carnem Christi posse eodem modo dici *carnem peccati*, utpote cui non minus vere et proprie convenit ratio communis humanæ carnis. Quod si prædictus auctor non renuat illationem concedere ; renuet tamen quisquis scripta Patrum serio evolverit. Omnes enim, et præsertim Augustinus, Fulgentius, et Ildefonsus locis citatis summa cura distinguunt inter illam, quæ est caro peccati, et eam, quæ tantum est similitudo carnis peccati : ut tribuant Christo Domino non illam priorem cæteris omnibus communem ; sed solum hanc posteriorem, juxta Apostolum ad Rom. 8 : *Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati*, etc. Pro quo multa reperies in Augustino lib. 5 contra Julian. cap. 9. Modo vero accipe hæc pauca : *Quid est, quod laboras* (loquitur ad Hæreticum) *magnis argumentationibus pervenire ad impietatis abruptum, ut Christi caro nihil distet a carne peccati, et sine ulla distinctione Apostolus dixisse credatur, eum fuisse missum in similitudinem carnis peccati? Quod si dementis est dicere, et sine dubio caro Christi non est caro peccati, sed similis carni peccati; quid restat ut intelligamus,*

Refellitur prima.

Rom. 8.

gamus, nisi, ea excepta, omnem reliquam humanam carnem esse peccati? Unde temeritate non caret asserere carnem Christi absolute esse carnem peccati: sicut Patres absolute affirmant de carne Virginis.

139. Dices carnem humanam non ex sua specifica ratione, sed ex accidenti esse carnem peccati, scilicet ex suppositione pacti et peccati Adami; quia tamen hujusmodi accidens commune est omni carni, potest prædicari illa conditio etiam de carne Virginis ob rationem communem. Sed contra: nam vel prædictum accidens comprehendit B. Virginem, sicut comprehendit cæteros; vel non, sicut non comprehendit Christum? Si primum, habebit intentum præsens sententia, scilicet quod pactum et peccatum Adami Virginem comprehenderit: ac proinde quod ipsa ex vi illius manserit cum debito contrahendi culpam originalem. Si secundum, non est quo pacto de Virgine prædicetur prædicta conditio: quia ratio, ex qua talis conditio convenit carni humanæ, ac proinde ipsa humana caro ut affecta illa conditione non est communis Virgini. Quod autem communis sit omnibus aliis, quid ad rem, ut prædicetur de ea, cui neque est propria neque communis. Sane si id sufficeret, dici posset jam contra auctorem, quem impugnamus quod intendit præsens sententia, scilicet Virginem peccasse in Adamo, et contra illum et nos etiam peccatum originale de facto contraxisse; imo contra omnes aliqua actualia commisisse: sed et quod absurdus est, cuncta prædicta de Christo ut homine enuntiarentur, quia cæteris omnibus hominibus sunt communia. Rejicienda igitur est illa prima evasio, quæ in hujusmodi absurda deducit.

Secunda solutio vel est contra auctorem et pro hac sententia; vel includit falsum. Cum enim dicitur carnem Virginis appellari *carnem peccati*, quia ex modo conceptionis præbet aliquale peccato fundamentum; vel supponitur quod ipsa B. Virgo particeps fuerit peccati Adami, vel non? Primum intendit præsens sententia: nam quisquis particeps fuit illius peccati, incurrit eo ipso debitum ad originale contrahendum. Si autem dicatur secundum, non potest esse verum, quod caro Virginis ex modo conceptionis dederit originali peccato aliquod fundamentum. Quod et ipse, quem impugnamus, auctor his verbis inibi confitetur: *Nam licet ea habuerit* (scilicet B. Virgo) *quæ in aliis transfundendæ culpæ*

*fundamenta sunt, scilicet ex concupiscentia genitam, et ex sordibus parentibus ortam fuisse; tamen hæc eatenus tantum culpæ fundamenta esse creduntur, quatenus legem et pactum adnexum habent: atque adeo cum Virgo a pacto et a lege extranea fuerit, in ipsa ne fundamenta quidem culpæ nisi remotissima quadam ratione appellari debent.* Et merito sic discurrit: nam modus conceptionis eatenus dumtaxat præbere potest peccato aliquod fundamentum, quatenus defert ad prolem infectionem peccati Adami: et ita secluso ordine ad hoc peccatum, nihil est quod præstet tale fundamentum. Pugnat ergo secum, qui ordinem illum a Virgine excludens, ait nihilominus ejus carnem præstitisse ex modo conceptionis fundamentum peccato: exponitque hæc via Patres, qui absolute eam fuisse dicunt carnem peccati. Sed pergamus ad alios.

140. Eusebius Emisenus homil. 2 de nativitate Domini, quæ incipit *Bene nostis*, ita loquitur ad Virginem: *Initiator omnium rerum abs te initiatur: et profundendum pro mundi vita sanguinem de corpore tuo accepit: ac de te sumpsit quod etiam pro te solcat. A peccati etenim veteris nexu per se non est immunis, nec ipsa genitrix Redemptoris. Solus ille licet ex debito renascatur: lege tamen veteris debiti non tenetur*, etc. Neque audiendus neothericus quidam, qui pressus hoc testimonio, dixit auctorem fuisse hæreticum Arianum. Lapsus enim errore historiae, confundit Eusebium Emisenum cum Eusebio Cæsariensi: cui D. Athanasius lib. de decretis Nicænæ Synodi, D. Hieronymus contra Ruffinum, et septima Synodus actione 5, notam illam inurant. Cæterum de Eusebio Emiseno nulla unquam fuit hæresis suspicio.

Videbitur autem prædictum testimonium aliquantulum enervari ex illa particula *per se*: quasi non excludat, quin per alium, scilicet per Christum, aliquis, ut Deipara, omnino fuerit immunis tam a peccato originali, quam ab ejus nexu seu debito. Verum neque ex isto capite vim amittit: nam *ly per se* non additur specialiter pro Deipara, sed pro omnibus: et ita sensus est. non quod aliquis nexum seu debitum peccati de facto non incurrerit; sed quod a tali peccato vel debito jam incurso nemo neque ipsa Redemptoris Genitrix per se. hoc est, propriis meritis liberatur, aut ejus solutionem vel remissionem consequitur: sed per Christi sanguinem in omnium redemptionem effusum. Esseque hanc legiti-

Refellitur secunda.

Salazar.

mam intelligentiam constat tum ex illis verbis: *De te sumpsit quod etiam pro te solvat.* Si ergo necesse fuit Christo etiam pro Matre solvere, ipsa utique tenebatur etiam sub debito: nullus enim potest solvere pro illo, qui non debet. Tum etiam ex subsequentibus: *Solus ille licet ex debito renascatur, lege tamen veteris debiti non tenetur.* Dicens enim Christum natum fuisse ex debito, et ipsum solum debito non teneri; aperte ostendit Virginem, de qua natus est, aliquando sub tali debito mansisse.

Chrysip. Idem aperte tradit Chrysippus Hierosolymitanus in serm. de S. Maria Deipara (habetur tom. 6 Biblioth. veter. PP.) ad illa verba Psalmi 131: *Surge Domine in requiem tuam tu et arca sanctificationis tuæ: cum enim dixisset: Arca pretiosissima est Virgo Deipara,* subdit postea: *Cum enim tu inde surrexeris, sigillabis arcam sanctificationis tuæ, tuncque arca cum omnibus exurgat a lapsu, in quo vel illam constituit Evæ cognatio.* Consentit P. N. S. Joannes Damascenus orat. 2 de dormit. B. Mariæ reddens rationem cur fuerit mortua, sic ait: *Cedit legi latæ ab eo, quem genuit, et ut filia veteris Adam veterem sententiam subiit.* Ita habent lectiones Breviarii Romani: Billius autem sic vertit: *Filii sui legi omnino obsequitur: atque ut quidem veteris Adam filia veteres pœnas subit.* Quomodo autem subiret sententiam et pœnam mortis ut filia Adam veteris, id est, peccatoris; nisi in ipso Adamo et per ejus culpam tali sententia et debito adstricta mansisset?

Ansel. 141. Clarissime loquutus est D. Anselmus lib. 2, cur Deus homo cap. 16, ubi sic habet: *Licet ipsa hominis ejusdem (scilicet Christi) conceptio sit munda et absque carnalis delectationis peccato; Virgo tamen unde assumptus est, est in iniquitatibus concepta, et in peccatis concepit eam mater ejus, et cum originali peccato nata est (nativitate scilicet in utero) quia et ipsa in Adam peccavit, in quo omnes peccaverunt.* Nec refert si dicas, prædicta verba non esse Anselmi, sed Bosonis interrogantis illum. Quoniam Boso interrogans non est alius nisi idem Anselmus, qui per modum dialogi utriusque agit personam, ut ipse animadvertit lib. 1. Adde, in ipsa responsione, quam Anselmus tradit Bosoni, sufficienter insinuari, quod interrogando præmiserat: sic enim ait: *Postquam constat, hominem ipsum esse Deum et peccatorum reconciliatorem, dubium non est eum sine peccato esse: hoc autem esse non valet, nisi absque peccato*

*de massa peccatrice sit assumptus.* Et clarius infra in eodem cap. *Virgo illa, de qua ille homo assumptus est, de quo loquimur, fuit de illis, qui ante necessitatem ejus mundati sunt a peccatis, et in ejus ipsa munditia de illa assumptus est.* Credimus mendose legi *Ante necessitatem*: legendum vero *ante mortem*, ut ex contextu constat: quod non semel repetit in illo cap. et circa finem ita ait: *Si vere non fuisset moriturus, non fuisset vera fides futuræ mortis ejus, per quam et illa Virgo, de qua natus est, et alii multi mundati sunt a peccato.* Mundari autem a peccato necessario supponit ipsum peccatum vel in se contractum, vel in alio commissum, ac proinde ejus debitum.

Ut autem sciremus, Anselmum loquutum fuisse in hoc sensu, annumerasseque Virginem iis a peccato mundatis, qui in Adamo peccaverunt, præmiserat in hunc modum: *Sit enim Rex aliquis, cui totus populus suæ cujusdam civitatis sic peccavit, excepto uno solo, qui tamen est de illorum genere, ut nullus eorum facere possit unde mortis damnationem evadat. Ille autem, qui solus est innocens, tantam apud Regem habeat gratiam, ut possit omnes, qui credent suo consilio, reconciliare quodam servitio ipsi Regi valde placituro, etc. concedit Rex propter magnitudinem servitii illius, ut quicumque confessi fuerint se velle per illud opus veniam impetrare, ab omni culpa sint absoluti, etc.* Hæc similitudine declarat Anselmus modum et efficaciam redemptionis Christi? et iis, qui omnes contra Regem peccaverunt, annumerat B. Virginem, cum subdit postea: *Virgo autem illa, de qua ille homo assumptus est, fuit de numero illorum, qui per eum mundati sunt a peccatis.*

Non minus clare loquutus est Rupertus Tuitiensis lib. 1 in Cant. ad illa verba: *Meliora sunt ubera tua vino,* ubi sic loquitur cum Deipara: *Et tu quidem veraciter dicere potueras. Ecce enim in iniquitatibus concepta sum, et in peccatis concepit me mater mea. Cum enim esses de massa, quæ in Adam corrupta est, hæreditaria peccati originalis labe non carebas.*

142. Accedit Bernardus in epist. 174, quæ est ad Canonicos Lugdunenses: ubi adeo propendit in hanc partem, ut vel nullo modo vel non sine labore possit interpretari de solo debito. Reprehendens enim Canonicos illos, quod festum Conceptionis Virginis celebrabant, quasi in ipso conceptu vel antea sancta extiterit, inter alia sic ait: *Si ergo ante conceptum sui sanctificari minime potuit*



potuit, quoniam non erat, neque in ipso conceptu propter peccatum, quod inerat; restat ut post conceptum in utero jam existens sanctificationem accepisse credatur: quæ excluso peccato, sanctam fecerit nativitatem; non tamen et conceptionem. Pluraque alia habentur ibi pro hac sententia. Evasionem vero, quam adhibent Juniores aliqui innuentes epistolam illam non esse D. Bernardi, recte impugnat Angelus Manriquez tom. I anal. Cisterciensium ad annum 1136, cap. 4. Cujus impugnationi addi potest, quod cum prædicta epistola supponatur scripta, vivente Bernardo (mortuo enim, quis vel amens ejus nomine scriberet?): et non cuivis privatae personæ, sed gravissimæ Ecclesiæ. Fieri non poterat, ut aliqua illius notitia vel ex communi rumore, vel ex ipso Lugdunensis Ecclesiæ rescripto ad aures Doctoris sancti non perveniret: perventa autem, si epistola fuisset supposita, et ejus doctrina sensui Bernardi esset opposita; quomodo non statim novam epistolam mitteret, qua fraudem detegeret, et se ab impostura purgaret? Sane sicut utrunque hoc credibile non est; sic etiam incredibile videtur, epistolam non esse Bernardi. Sed præter eum locum sunt alia ejusdem melliflui Doctoris pro prædicta sententia: præsertim serm. 2 de Assumpt. B. Mariæ, ubi de illa sic loquitur: *Absit ut proprii quicquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, ut in ea proinde scopa Lazari (id est pœnitentia) quæreretur: quod si originalem a parentibus maculam traxit; sed minus a Jeremia sanctificatam in utero, aut non magis a Joanne Spiritu sancto repletam credere prohibet pietas christiana: cum omnimodo constet ab originali contagio sola gratia mundatam esse Mariam.* Bernardi sententiam sequutum fuisse per omnia Petrum Cellensem, constat ex ejus epist. 112, ad Nicolaum Monachum, ubi pro defensione Bernardi et ejus doctrinæ de Conceptione Virginis in prædicta epistola ad Lugdunenses a prædicto Nicolao impugnata, strenue laborat; et ex epistola ipsius Nicolai ad Petrum, quæ inter hujus epistolas est in ordine 166. Habentur vero omnes tom. 12 biblioth. veter. PP.

143. Consonat Richardus de S. Victore lib. I de Emmanuele, cap. 12, ubi dicit, quod *Christus maculam peccati de materna carne non contraxit, sed delevit.* Aperte supponens adfuisse ibi, si non in se ipsa; in suo tamen debito prædictam maculam: quia deleri non posset, si nullo modo adfuisset. Et in-

*Salmant. Curs. theolog., tom. VIII.*

ferius ponit discrimen inter carnem Christi et carnem Virginis, quod illa fuit semper munda et pura; ista vero fuit mundata et purgata a peccato: *Notandum in matre et prole: quia in matre caro mundata, in prole non mundata, sed munda: in illa purgata; in ista pura.* Quæ distinctio et loquutio verificari non posset, nisi in Virgine præcessisset saltem debitum peccati, a quo mundaretur et purgaretur per gratiam. Ostendit vero hic locus, eundem sensum esse, quoties B. Virgo vel ejus caro dicitur a peccato originali aut ab ejus effectibus *mundata* vel *purgata*. Quo loquendi modo utitur ibi non semel, et lib. 2, cap. 26: *Constat pro certo, quia nisi ad plenum purgata fuisset, fructum talem facere non potuisset.* Et cap. 27 et 28, habet non pauca, quæ huic sententiæ suffragantur. Reperitur etiam prædictus loquendi modus in aliis Patribus Richardo antiquioribus, ut Nazianzeno orat. 42, ubi de Christo Nazianz. ait: *Humana omnia, excepto peccato, suscepit, conceptus quidem ex Virgine, et animo et carne a Spiritu purgata, sive præpurgata,* ut habet orat. 38, Germano Patriarcha German. Constantinop. in theoria rerum Ecclesiast. ibi: *Dei sapientia et virtus suam carnem ædificavit ex virum non experta casta matre præpurgata anima et corpore.* Nicephoro Niceph. Constantinopol. in epistol. ad Pontificem Leonem III (extat apud Cæsarem Baron. tom. 9, ad annum 811), ubi dicit Verbum habitasse in utero sanctissimæ incontaminatæ Dei Genitricis Mariæ, et in animo et in carne præmundata Spiritu. Petro Damian. Damian. qui in serm. Assumpt. ad illa verba Cant. 4: *Et macula non est in te,* addit: *Quia Spiritus sanctus supervenit in te, qui te mundavit.* Et aliis, quorum omnium sensum prædictus Richardus explicuit per illam distinctionem inter *mundam* et *mundatam, puram* et *purgatam.*

144. Clarius adhuc loquutus est alter Richardus, scilicet a S. Laurentio in opere de laudibus Virginis lib. 7, cap. *Item quod luna, § Divisa a tenebris,* ubi accommodans B. Virgini illa verba: *In principio creavit Deus cælum et terram,* inquit: *Id est animam et corpus Mariæ. Sed hæc terra erat inanis et vacua ante gratiam sanctificationis: et erant tenebræ super faciem abyssi, quia concepta est in originali.* Idem repetit paulo inferius § *Partim obscura,* et § *Diluculum de quo,* et alibi sæpe in toto illo opere, quod duodecim libris distribuitur. Excussum est autem sub proprio nomine prædicti Richardi Duaci anno 1625. Nut-

per vero Lugduni inter opera Alberti Magni tom. 20, sed ex utroque prologo illi præfixo apparet potiori jure tribui Richardo quam Alberto. Præsertim cum hujus habeamus ingens aliud opus dictum *Mariale*, seu *Super missus est*, ubi 230 quæstionibus collectum et discussum invenitur, quicquid de excellentiis, privilegiis, et laudibus Beatissimæ Virginis excogitabile videtur.

Hugo Carens. Ejusdem sunt sententiæ uterque Hugo, Carensis et Victorinus. Ille enim super 7 caput Ecclesiastes ad illa verba : *Virum de mille unum reperi ; mulierem ex omnibus non inveni*, hæc addit : *Quæ aliquid muliebritatis non haberet, saltem originaliter : etiam B. Virgo originale habuit*. Iste vero lib. 2 de Sacramentis fidei p. 1, cap. 5, sic ait : *Catholicæ veritatis definitio filium Dei (qui pro peccatoribus et de peccatoribus natus est) de carne obnoxia peccato carnem assumpsisse asserit liberam a peccato*. Cum autem non aliunde quam de B. Virgine carnem assumpserit, plane sequitur hujus carnem peccato fuisse obnoxiam.

Alb. Magn. Idem docuit Albertus Magnus in 3, dist. 3, art. 3, in corp. Et ad 1. Et art. 4 ad 4, et art. 5, ubi apertissime loquitur. Et in Mariali super *Missus est* quæst. 127, num. 5, ubi probat B. Virginem fuisse in utero sanctificatam, hoc argumento : *Dicit Anselmus : Ea puritate B. Virgo nitebat, qua major sub cælo nequit intelligi : sed puritas Dei hominis est peccatum originale nec habere nec unquam habuisse : major quidem post illam est originale habuisse, sed statim et ab illo mundatum esse : ergo B. Virgo debuit quidem in originali concipi, sed statim ab illo mundari : ergo debuit in utero sanctificari*.

D. Thom. D. Bon. 145. Idem statuunt Doctores Seraphicus et Angelicus : iste 3 p. quæst. 14, art. 3 ad 1, ibi : *Caro Virginis fuit concepta in peccato originali*. Et latius quæst. 27, art. 2, et quæst. 31, art. 8 et aliis locis, quæ citabimus infra num. 201. Ille vero in 3, dist. 3, art. 1, quæst. 2, ubi post multa contrariam sententiam et pro opinione asserente in B. Virgine originale culpam, tandem concludit : *Huic ergo positioni adhærentes propter honorem Jesu Christi, qui in nullo præjudicat honori Matris, dum filius matrem incomparabiliter excedit, teneamus secundum quod communis opinio tenet, Virginis sanctificationem fuisse post originalis peccati contractionem*. De mente vero utriusque sancti Doctoris, et an possint de solo debito interpretari, dicemus dub. sequenti.

146. Succedunt prædictis Patribus S. Bernardinus Senensis Ordinis Seraphici tom. 4, serm. 4 de Concept. B. Mariæ art. 1, cap. 1, ubi sic ait : *Tertia fuit sanctificatio maternalis, et ista removet culpam originale, et confert gratiam : et hæc fuit in Virgine matre*. Ut autem sanctificatio illa removeret originale culpam, opus erat ut ista adesse deberet ; alias non indigeret remotione. Et art. 3, cap. 2, dicit fuisse in Virgine fomitem peccati secundum essentiam ; quamvis ligatum ne in actum prodiret. Constat autem fomitem esse effectum peccati Adami, nullique competere, nisi quia in eo peccavit. Sentit igitur hoc de B. Virgine ; quamvis quod in se peccatum incurrit, prout aliqui autumant, non senserit, ut num. 199 constabit.

S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus 1 p. titul. 8, cap. 2, sic habet : *Si considerentur Scripturæ et dicta Sanctorum antiquorum et modernorum, qui fuerunt devotissimi Virginis gloriosæ ; manifeste patet ex verbis eorum ipsam in originali peccato conceptam fuisse*. Sed ostendemus dub. sequenti, testimonia Scripturæ et Sanctorum sufficienter exponi de contractione peccati solum quoad debitum.

Alfonsus Tostatus Paradoxa 5. cap. 162, cum retulisset utranque opinionem, asserentem scilicet, et negantem B. Virginem fuisse in peccato originali conceptam ; dicit etiam juxta secundam tenendum esse, quod si ante Christi mortem vitam finiret, non statim ejus anima ad cælum evolaret ; sed ad limbum cum cæteris sanctis descenderet. Et reddit hanc rationem : *Quamquam B. Dei Genitrix originale maculam non incurrisset ; tamen ad limbum sanctorum descendere obligabatur, cum peccatum originale incurrere tenebatur, licet non incurrerit*.

147. His non immerito adnecti potest ob suam venerandam antiquitatem Petrus Lombardus sententiarum et scholasticorum Magister in 3, dist. 3, ubi sic ait : *Quæritur etiam de carne Verbi, an prius quam conciperetur, obligata fuerit peccato, etc. Sane dici potest, et credi oportet juxta Sanctorum attestations convenientiam, ipsam prius peccato fuisse obnoxiam, sicut reliqua Virginis caro : sed Spiritus sancti operatione ita mundatam, ut ab omni peccati contagione immunis uniretur Verbo etc.* Annumerant etiam nonnulli supradictis Patribus quatuor summos Pontifices, qui sapientia et doctrina valde claruerunt, et ut particulares Doctores huic sententiæ subscripsisse dicuntur : videlicet

Bern. Sen.

Anton. Florent.

Tostat.

delicet Innocentium III in serm. Assumpt. B. Virg., Honorium III serm. Dominicæ in Passione, et in quibusdam aliis, Innocentium V in 3, dist. 3, quæst. 1, art. 1, et quæst. 2, art. 1, et Clementem VI in serm. Dominicæ 1 Advent. ad illud: *Erunt signa in sole et luna*. Nos autem in præsentis solius primi, quæ vidimus verba dabimus ex serm. citato deprompta: ait ergo: *Illa (scilicet Heva) fuit sine culpa producta, sed produxit in culpa; hæc autem (scilicet B. Maria) fuit in culpa producta, sed produxit sine culpa.*

Scimus quorundam aliorum Patrum testimonia pro hac sententia referri: quæ quia videre non licuit, missa facimus: non quod illis fidem negemus; sed ut ea solum testemur, quæ vidimus. Scimus etiam vulgare esse apud aliquos Juniores, nonnullos ex præcatis Doctoribus, ut Anselmum, Bernardum, Albertum, Thomam, Bonaventuram, et Antoninum sententiam prius assertam postea revocasse. Sed neque hujus revocationis firmum argumentum aut fide dignum testimonium producitur: neque illa quæ afferuntur, qualiacunque et incerta, ullo modo sonant aut continent negationem debiti, de quo agimus; sed ad summum negationem contractionis peccati. Unde esto fides illis adhiberetur, nullatenus contrariarentur huic sententiæ, quæ non peccati contractionem, sed solum debitum astruit. Quod etiam observatum esse vollimus pro auctoribus § sequenti referendis, si quorum aliquando palinodiam cecinisse dicantur.

#### § IV.

#### *Communis aliorum Doctorum plausus pro hac sententia.*

148. Secundum valdeque robustum huic sententiæ fundamentum præstat unanimis fere assensus cæterorum Doctorum: qui vel Theologiæ scholasticæ, morali, aut expositivæ, vel canonico juri nomen dedere. Quotquot enim rem tetigerunt (præter paucissimos ex citatis pro opposita opinionibus supra num. 124, quos infra num. 230 segregabimus) illi subscribunt. Et quamvis non omnes eadem phrasi et terminis utantur, omnes tamen in re conveniunt quantum ad assertionem debiti, de quo loquimur: dum alii dicunt B. Virginem fuisse peccato obnoxiam, alii carnem peccati habuisse, alii peccavisse in Adamo, et cum eo de ligno

vetito comedisse: quidam etiam peccatum originale (in quo a fortiori debitum clauditur) contraxisse: plurimi vero in propriis terminis asserunt incurrisse debitum peccatum contrahendi, non tamen de facto contraxisse. Qui omnes dicendi modi in idem fere coincidunt, ut constat ex dictis dub. 1 hujus disputationis. Si quid vero dissidii ad rem pertinentis inter eos reperitur, solum consistet penes majorem vel minorem extensionem prædicti debiti, seu penes diversos ejus gradus, qui omnes continentur infra limites debiti proximi supponentis Adami peccatum, ut initio hujus dubii num. 123 animadvertimus, et infra a num. 218 magis declarabimus. Adducemus verba aliquorum de quibus sectatores primæ opinionis dubitarunt, aut eos pro se expendere conati sunt, ut ex ipsis, non ex nostra tantum relatione, quæ sit illorum mens facile innotescat: aliorum autem qui clarius loquuntur, tantum ne gravemus lectorem, quod plurimi sint, solam sententiam, ex eisdem, non ex aliorum citationibus immediate depromptam, referemus.

149. Igitur sententiam hanc statuunt Anctores pro hac sententia. Glos. in cap. *Firmissime* de consecrat. dist. 4. Guido Archidiaconus Bononiensis in suo Rosario super dictum cap. *Firmissime*. Et ibi etiam Cardinalis Joannes de Turrecremata num. 11, ad tertium quæsitum. Joannes Andreas in 2 p. Novellæ. tit. de feriis super c. *Conquestus*. Cardin. Hostiens. in sua summa de pœnit. et remiss. § *Quis debet confiteri*. Et alii ex Canonistis.

Ex Theologis vero tuentur illam Henricus de Gandavo, quod lib. 15, quæst. 13, Gulielmus Antisiodorensis lib. 3 summæ tract. 1, cap. 3, Gulielmus Durantes in Rationali divinar. officior. lib. 7, cap. de Purificatione Virg. num. 4, Ægidius Romanus in 2, dist. 31, quæst. 2. Citatur etiam quodlib. 6, quæst. 20, Gregorius de Arimino in 3, dist. 30, quæst. 2, part. 1, dicens oppositum secundum omnes expositores contradicere sacræ Scripturæ. Durandus a Sancto Portiano in 3, dist. 3, quæst. 1, num. 10. Capreolus eadem dist. quæst. 1, conclus. 1, ubi etiam Matthias Aquarius conclus. 1, dicens esse communem sententiam Scotistarum; et oppositam manifeste errorem. Herveus Natalis quodlib. 4, quæst. ultim., N. Joannes Baconius in 2, dist. 31, quæst. unica: et in 4, dist. 2, quæst. 4. N. Guido Episcopus Majoricensis lib. cui titulus *Quatuor unum, sine Concordia evangelica* in cap. 1 Lucæ ad illa verba, *Quod nascetur ex te sanctum,*

Anctores pro hac sententia. Glos. in cap. *Firmissime* de consecrat. dist. 4. Guido Archidiaconus Bononiensis in suo Rosario super dictum cap. *Firmissime*. Et ibi etiam Cardinalis Joannes de Turrecremata num. 11, ad tertium quæsitum. Joannes Andreas in 2 p. Novellæ. tit. de feriis super c. *Conquestus*. Cardin. Hostiens. in sua summa de pœnit. et remiss. § *Quis debet confiteri*. Et alii ex Canonistis.

Henr. Antis. Guliel. Dur. Ægid. Gregor. Durand. Capreol. Aquar. Herveus

Bacon. Guido.

etc. Jacobus de Voragine serm. 1 de Assumpt. et tribus sequentibus. Vincentius de Castronovo tota disputatione solemniter ad Herculem Estensem Ferrariæ ducem. Didacus Deza Archiepiscopus Hispalensis in 3, dist. 3, quæst. 1, art. 3. Thomas Cajetanus tom. 2 opusculor. opusc. 1, cap. 3, et 1, 2, quæst. 81, art. 3. Franciscus Ferrariensis lib. 4 contra gentes, cap. 50. Melchior Cano lib. 7 de locis Theologicis cap. 3, num. 9, conclus. 4. Bartholomæus de Medina 3. p. quæst. 27, art. 2. Antonius Brixiensis serm. 1 de excellentia sanctific. B. Virginis. Armandus de Bello visu colat: 4 de festo Concept. Albertus Castellanus serm. de Laudib. B. Virginis in festo Concept. Petrus Bergomensis in concordan. D. Thomæ dub. 370. Gregorius Martinez 1, 2, quæst. 81, art. 3, dub. 1. Franciscus de Araujo ibidem in dubio quod movet circa mentem D. Thomæ. Alexandre de Ales Magister Ordinis Seraphici 3. p. quæst. 9, membro 2, art. 1 et 2. Richardus de Mediavilla ejusdem Ordinis in 3. dist. 3, quæst. 1, Alvarus Pelagius Episcopus Silvensis ex eodem Ordine lib. 2 de planctu Ecclesiæ art. 52, acriter feriens contrariam opinionem et ejus sectatores. Ex qua etiam Seraphica familia præsentis sententiæ suffragantur viginti octo sequentes.

150. Scotus in 3, dist. 3, quæst. 1, in solutionibus ad argumenta: cujus verba et scholium adducemus, quia ab aliquibus ejus sensus in quæstionem deductus est. Cum itaque pro sententia affirmante Virginem fuisse in peccato conceptam adduxisset testimonia Scripturæ et Sanctorum, quæ asserunt, omnes descendentes seminaliter ab Adam ita concipi, respondet non quidem excipiendo B. Virginem a prædictis testimoniis, sed exponendo illa, quod intelligantur quantum ad debitum. *Si autem* (inquit) *teneatur pars negativa quæstionis, ad omnes auctoritates in contrariam partem respondetur, quod quilibet filius Adæ naturaliter est debitor justitiæ originalis, et ex demerito Adæ caret ea, et ideo omnis talis habet unde contrahat peccatum originale, etc.* Et inferius: *Ita exponendæ sunt auctoritates, quod omnes naturaliter propagati ab Adam sunt peccatores, id est, ex modo quo habent naturam ab Adam, habent unde careant justitia debita, nisi eis aliunde conferatur.* In quibus verbis (quæ manifeste continent debitum, de quo agimus) comprehendit Scotus tam B. Virginem, quam reliquos Adami posteros: utque illam ab actuali peccati contractione per in-

fusionem gratiæ in primo instante excipiat, subdit: *Sed sicut posset post primum instans conferre ei gratiam; ita posset in primo instante.* Et rursus: *Quando arguitur quod prius natura fuit filia Adæ, quam justificata concedo: quia illam naturam in primo instante naturæ sic conceptam consequeretur esse filiam Adæ, et non habere gratiam, etc.* Quæ verba satis aperte declarant, mentem Scoti fuisse eam quam dicimus. Declaravitque apertius ejus scholiastes Hugo Cabellus sustinens ibidem his verbis: *Docet modum solvendi omnes Sanctorum auctoritates, quæ universaliter neminem excipiunt ab originali: quia intelliguntur quoad debitum: omnes enim naturaliter concepti habent unde contrahant originale ex vi suæ conceptionis: et nisi ex privilegio aliquis eximatur (ut de B. Virgine credimus) de facto omnes illud contrahunt. Quam solutionem moderni in hac quæstione sequuntur: eamque late probant Pitigianus hic art. 5 docens B. Virginem tripliciter fuisse peccato obnoxiam: primo in lumbis Adæ et aliorum parentum: secundo in utero ante animationem, nunc enim existebat secundum partem, et inficienda erat, nisi præveniretur: tertio in primo instante animationis, quia licet in illo eodem instante fuerit in gratia, prius natura existebat sine ea, et debebatur ei secundum se oppositum.*

Ejusdem sunt sententiæ Joannes de Bassolis in eodem 3, dist. 3, quæst. 1, art. 4, ubi etiam Franciscus Lychetus quæst. 1, Nycolaus de Orbelis in responsionibus ad argumenta. Franciscus Ovandus proposit. 6, et in solut. ad argumentum de redemptione. Franciscus de Pitigianis quæst. 1, art. 5, dicens non posse absque errore negari. Petrus de Aquila dictus Scotellus quæst. 1 ad 1, omnes super prædictam 3 dist. Cornelius Musius Episcopus Bitontinus super ad Rom. 5, folio nobis 255, ibi: *Ut Adæ filia non inficior, quod omnino et ipsa (B. sci licet Virgo) cum reliquis omnibus meruerit immunditia illa coinquinari.* Ludovicus Miranda in defensione pro immacul. Virg. concept. quæst. 12, conclus. 3. Antonius de Corduba lib. 1, quæst. 44, dicens, hanc sententiam esse Catholicam, contrariam vero hæreticam: idque probat, quia nisi ita dicatur, non possunt salvari multæ auctoritates sacræ Scripturæ. Didacus Vega serm. 1 de Concept. Pelbartus de Themesvar. lib. 4, Stellarii p. 2, art. 1, cap. 7, Daniel Agricola in suo etiam Stellario in 2, stella coronæ. Alexius a Salo lib. de duodecim stellis in declarat. 2 stellæ, Antonius Ru-

Hug. Cabell.

Bassol.  
Lychet.  
Orbelis.  
Ovandus.  
Pitigian.  
Cor.  
Mus.  
Aquila.  
Miranda.  
Corduba.  
Vega.  
Pelbart.  
Dan.  
Agric.  
Salo.  
Rubius.  
Marques.  
Anto.  
Biton.  
Helmes.  
Phil.  
Diez.  
Aristiz.  
Cartag.  
Fran.  
Her.  
Vuerd.  
Osuna.  
Basaus.  
Castillo.

buis in Assertionibus Catholicis, errore 5, Albertus de Marquesiis lib. 5, cætiloque moral. cap. 17, Antonius Bitontinus super cap. 8 Proverb. quæst. 3, in epist. de festo Concept. Henricus Helmesius serm. 2 de Concept. Philippus Diez serm. 3 de Concept. num. 28 et 32, Petrus Aristizabal in Habacuc cap. 3, versu 31, considerat. ult. § 5, Joannes de Cartagena lib. 7, homil. 15, dicens esse solidiorem doctrinam, nihilque puritati Virginis derogare. Franciscus de Herrera 1 p. instructionis Christianæ, cap. 10, de peccato originali, § 5, dicens, oppositum sentientes nimios esse magis quam devotos. Joannes de Vuerdena author libri, cui titulus *Dormi secure*, serm. 5 de Concept. Franciscus de Osuna serm. 3 de Concept. Eligius Basæus in floribus Theologiæ, verbo *peccatum*, num. 6, Franciscus del Castillo tract. de præservat. Virginis disp. 3, quæst. 1, num. 30. Licet enim renuat concedere in B. Virgine debitum in propria persona contractum; attamen quod peccaverit in Adamo, habueritque in illo debitum culpæ originalis contrahendæ, libenter amplectitur, quod cernat conformius esse doctrinæ Scoti. Sed et Ill. D. Joannes Merinero Episcopus Vallisolet. in responsione ad epistolam Catholici N. Regis Philippi IV pro causa Conceptionis, perpetuus est in adstruendo, ut quid a Catholicis contra Pelagianos communiter receptum, debitum de quo loquimur, usque ad ipsum instans animationis Virginis pertingens. Ut videre est priori proposit. rat. 2, num. 19, et num. 26 et 28, et rat. 3, num. 42, et num. 54 et 56, et posteriori proposit. rat. 4, num. 11. Hi omnes ex Seraphica familia.

151. Pro eadem quoque sunt sententia Petrus de Palude Patriarcha Hierosolymitanus non solum in 3, dist. 3, ubi pro contractione peccati originalis in Virgine stetit, sed etiam in serm. de Concept. B. Virginis Mariæ enarrat. 1, ubi ejus immunitati consulit. Thomas de Argentina in 3, dist. 3, quæst. 1, S. Thomas de Villanova tom. 2, concione 3, prope finem, Jacobus de Valentia super Psal. 45, circa finem : et super canticum *Magnificat* ad illa verba: *Quia fecit mihi magna*, etc. Antonius Rampogolis in compendio figurarum Biblior. de Maria Virgine ad illud *Ecce nubes lucida*. Ægidius a Præsentatione lib. 2 de Concept. Virg. quæst. 4, art. 7, num. 18, dicens, contrarium sine errore affirmari non posse. Basilius Legionensis 1 p. variarum disp. relect. 3, Petrus de Valderrama in

sermonib. de Concept. præsertim serm. 5, Alphonsus Orozco commentar. in Cantic. annot. 3, ad encomia almæ Virginis ex cap. 1, pro festo Concept. Leonardus Nogarolis in epist. ad Sixtum IV, pro Conceptione Virginis, et sui officii approbatione. Et quia non omnino aperte loqui visus est, ponemus ejus verba : *Copiosa (inquit) apud eum redemptio, qui non solum lapsos redimit, sed ex sui natura labe maculandam unicam Matrem merito retinuit. Maculatam forte legisti conceptionem embrionis et seminis, non maculatæ animæ : intellige qui omnia sapis, peccatum tanquam causa et materiale quid in corpore est, formalis vero sola anima capax est.* Ecce concedit, Virginem ex sua natura maculandam fore : de factoque maculam et peccatum tanquam in causa et materia in ejus corpore exitisse, dum formaretur in utero sub forma embrionis, quamvis ad animam propter prævenientem gratiam non pertigerit : quæ omnia important debitum de quo agimus.

Apertius illud concedunt N. Incognitus in Psal. 29, num. 428, N. Ambrosius Spiera serm. 32, consider. 2. Guandisalvus Luzero in Discurso Theologico pro defensione Concept. Deiparæ cap. 3, id supponens tanquam certum in fide. Ludovicus Tena super 7 cap. epist. ad Hebr. diffic. 5, num. 6. Robertus Holkot in cap. 3 Sapien. lect. 160. Marsilius ab Ingen in 3, quæst. 4, art. 1. Jacobus Almainus in 3, dist. 3, quæst. 2, in ultimo argum. Joannes Driedo lib. 3 de regulis sacræ Scripturæ tract. 2, cap. 4. Ambrosius Catherinus in opusc. seu disput. pro immaculata Concept. lib. 2. Et quia citatur alibi pro opposita opinione, dabimus ejus verba : statim enim in principio illius 2 libri concedit quod B. Virgo ex jure et ex vi generationis ab Adam debuit sub peccato originali concludi, ex privilegio tamen fuisse ab eo præservatam. Et inferius : *Dicimus, B. Virginem subjectam esse peccato secundum Adæ meritum : at simpliciter, id est, secundum facti veritatem (seu quantum ad actualem contractionem) nequaquam, quoniam præveniens Christi gratia pro illa obex fuit peccato.* Quas vel similes propositiones invenies multoties repetitas tota illa disputatione : præsertim cap. *de prima contradicentium acie*, etc. § *Statim* in primi argumenti solutione : et paulo inferius § *Corruit enim primo, et § Verum contra primam* : et sæpe sæpius toto illo 2 libro. Imo in opusculo de peccato origin. ubi in contrarium citatur, cap. ultimo § *Vide et octavo*, est

In cog.  
Spiera.  
Luzero.  
Tena.  
Holkot.  
Marsil.  
Almain.  
Driedo.  
Cather.

Merin.

Alii  
Auctores.

Paludan.  
Argent.  
Thom.  
Vill.  
Jac.  
Valen.  
Ramp.  
Ægid.  
Lus.  
Bas.  
Legion.  
Valder.  
Orozco.  
Nogar.

manifeste pro hac sententia : sic enim habet : *Vide et octavo, quod B. Virgo secundum quod fuit vere filia Adæ, debuit hoc peccatum contrahere : sed quod de facto contraxerit, non est opinandum.* Solum ergo negat Virgini actuale peccati contractionem ; concedit vero debitum contrahendi.

Clarius et firmiter tenens hanc sententiam Joannes Gerson alphabeto 15, litera Q, veritate 10, Ludolphus Carthusianus 1 p. vitæ Christi cap. 2, Michael de Palacio in 3, dist. 3, disp. 1 in respons. ad 1 argumentum, Gulielmus Estius in eodem 3, dist. 3, § 15, Joannes Echius homil. 4 de Concept. num. 4, Ludovicus de Sotomajor in Cant. cap. 4, fol. nobis 797, Petrus Cabrera tom. 1, in 3 p. quæst. 2, art. 12, disp. 1, num. 14, N. Petrus Cornejo ad 3 p. tract. 3, disp. 3, dub. 2, Angelus Manriquez tom. 1 annal. Cisterciens. ad annum 1136, cap. 4 et 5, ubi et conatur ad hunc sensum reducere D. Bernardum, et quatuordecim sui Ordinis scriptores, quorum meminit Medina ubi supra : qui videntur docere, Virginem fuisse in peccato conceptam. *Intelligendi enim sunt (ait ille) non de peccato quod de facto contraxit, sed de debito contrahendi.* Horum autem quatuordecim Doctorum Cisterciensium nomina et verba adducit Vincentius de Castro novo disp. citata cap. 14. Idem docet Franciscus de Vivar. in opere cui titulus *SS. Patres vindicati*, etc. lib. 2, § 4, et sequentibus Josephus de la Zerda lib. de Maria et Deo incarnato academ. 3, a num. 64. Seraphinus a Porreta, 3 p. quæst. 27, art. 2. Franciscus Silvius eadem 3 p. eademque quæst. et artic.

152. Ejusdem sententiæ insignes patronos supra viginti septem dedit sacra Religio Societatis Jesu ab initio suæ conditionis. Nam illam primus defendit Alphonsus Salmeron super ad Rom. 5, disp. 49 et 50 : ejus verba adducemus, ut appareat, nullo jure fuisse ab aliquibus de ejus mente dubitatum : sic ergo ait citata disp. 49: *Quartus modus immunitatis est, quo quis a morte omnino incurrenda et a peccato præservatur : et hæc est B. Virginis immunitas, non quidem a peccato jam incurso, sed ex debito naturæ incurrendo, quia nata ex semine Adæ : omnes enim peccavimus in Adam, in quo eramus potentia, non secus ac in arbore sunt fructus, etc.* Et post aliqua exempla quibus rem declarat, subdit : *Ita de Virgine nascitura ex se in peccato, quia comedit in Adamo : noluit tamen eam censi prævaricatricem : nam et si fuisset debitorum contrahendi illam labem,*

*non tamen simpliciter contraxit, sed debitorum ex consideratione naturæ fuit, etc.* Et disp. 50: *Christus longe excedit Virginem, in qua fuit potentia et debitum contrahendi peccatum.* Et iterum solvens argumentum sumptum contra immunitatem Deiparæ ex illis verbis Pauli : *In omnes homines mors pertransiit, sic ait : Habet illa sententia veritatem propter reatum, id est, debitum contrahendæ mortis. Ubi etiam Cajetanus eleganter adnotat, ad fidem catholicam spectare quod omnes, præter unum Christum solum, contrahunt peccatum originale, id est, necessitatem, et debitum habendi illud, etc.* Quid clarius? Quod si argumento ad hominem ex Ferdinando de Salazar uti velimus, referendus erit pro hac sententia Jacobus Lainez ejusdem Societatis præpositus generalis : cui communem quantum ad hoc cum Salmerone fuisse sententiam testatur prædictus auctor in suo opere de Conceptione cap. 41, num. 5. *Quia pater Salmeron (inquit) ejus semper adhærebat placitis.* Evasionem vero quam Salmeronis testimonio ipse Salazar excogitaverit, et ejus impugnationem reperies infra numero 228.

Eandem sententiam tuentur Cardinalis Robertus Bellarminus lib. 4 de amissione gratiæ et statu pecc. cap. 16 dicens, contrariam opinionem esse minus tutam. Qua censura non contentus Gabriel Vasquez probat damnandam esse ut errorem, tom. 2 in 3 p. disp. 115, cap. 3. Severiorique adhuc nota feritur a Gregorio de Valentia tom. 4, disp. 2, quæst. 1, punct. 2. Sed et apud Franciscum Suarez male audit prædicta contraria opinio tom. 2 in 3 p. disp. 3 p. sect. 2. Dabimus eorum verba infra num. 224 et 226, ut constet, num de illorum mente jure sit ab aliquibus dubitatum.

Expresse etiam docent hanc sententiam Petrus Canisius lib. 1 de Deipara cap. 6 et 7, Joannes Azor lib. 4, institut. moral. cap. 34, quæst. 3, Henricus Henriquez lib. 3 summæ, cap. 11, num. 6, litera O, Gaspar Sanchez in Cantic. cap. 1, num. 78 et cap. 2, num. 58, Ludovicus a Ponte tom. 1 meditationum p. 2, medit. 3, punct. 4, Petrus de Ribadenaira tom. 1 Flor. sanct. in festo Conceptionis B. Virginis, Joannes de Salas tom. 1, in 1, 2, tract. 13, disp. 11, sect. 5, quæst. 11, Cornelius a Lapide super ad Rom. 5, num. 293 et super cap. 7 Ecclesiastes versu 29, Joannes Lorinus in 1 epist. Joan. cap. 1, versu 10. Damus ejus verba, quia etiam ab aliquo in contrarium refer-

Lainez.

Bellarm.

Vasq.

Valent.

Suar.

Canis.  
Azor.  
Henriq.  
Sanch.  
Lud.  
a Pon.  
Ribad.  
Salas.  
Cornel.  
Lorinus.Gerson.  
Carthus.  
Palacios.  
Estius.  
Echius.  
Sotom.  
Cabrera.  
Conerjo  
Mañri.Vivar.  
Zerda.  
Seraphi.  
Silv.Auctores  
Societa-  
tis Jesu.  
Salmer.

tur : *Si B. Virgo diceret, non peccavi in Adam, et nos de illa diceremus, non peccavit* (scilicet in Adam) *mendacem faceremus Deum.*

Non minus clare loquitur Jacobus Tirinus super ad Rom. 5, versu 12, Sebastianus Barradas in Evang. tom 1, lib. 6, cap. 3, num. 36 et 37, Joannes Maldonatus super Matth. cap. 9, versu 13, Joannes Philippæus in Oseam cap. 1, versu 6 et 7 § 4, num. 8, Benedictus Justinianus super epist. ad Hebræos cap. 2, versu 6, num. 3, Cosmas Magallanes in Judices cap. 5, versu 7, num. 103. (Quamvis duo isti addant, etiam oppositam opinionem probabilem esse : quæ fuit ratio, ut ab aliquibus pro eo referantur.) Martinus Beccanus tract. 2, cap. 9 de pecc. originali quæst. 10, conclus. 4, Petrus Morales in 1 cap. Matthæi lib. 3, tract. 1, conclus. 5, num. 20 et 21, Philippus Moncæus in disput. Theologicis disp. 7, p. 4, cap. 3, Luisius Turrianus 1 p. Selectarum disputationum disp. 14, dub. 3 et 2 p. disp. 31, dub. 3, Didacus de Baëza lib. 1 Evang. cap 4, § 18, Laurentius Chrysogonus in suo Mundo Mariano discurs. 8, Ferdinandus de Castro Palao 1 p. operis moralis tract. 2, disp. 2, punct. 3, num. 3. Nec dubitandum plures Societatis Scriptores, quos videre non licuit, huic sententiæ subscribere.

153. Subscribunt etiam Laurentius de Aponte in cap. 1 Matth. annot. moral. 22, num. 36, sed luculentius in Sapient. cap. 14, num. 7, homil. 52, Michael Gislerius in Cantic. cap. 1, versu 6, exposit. 4, num. 12, Martinus Bonacina tom. 2, disp. 2, quæst. 1 punct. 3, conclus. 1, Bernardus de Leon 1 p. opusculor. concept. Deiparæ opusc. 9. Philippus Bernal lib. de sententia S. Thomæ in favorem immacul. Concept. discursu 20, fol. nobis 221, Laurentius Guttierrez in serm. Incarnationis Dominicæ typis excusso anno 1618 et iterum 1619, Emmanuel Reinoso serm. 6 de Concept. discursu 4, fol. 149, Joannes Raulinus serm. 18, qui est 2, de Conceptione litera E, Arnoldus Albertinus quæst. 18, de Assumpt. Virginis, N. Elias a Sancta Teresa in legatione Eccles. triumph. tom. 1, lib. 2, cap. 10, num. 7, Ludovicus Crespi in propugnac. Theologico disp. 2, art. 5, sub art. 4 et art. 6, sub art. 1, Joannes a Sancto Thoma tom. 1 in 1 p. in approbat. doctrinæ D. Thomæ disp. 2, art. 2, Vincentius Justinianus tract. de immacul. concept. in additionibus ad ult. cap. vitæ B. Ludovici Bertran § 18. Ludovicus Paramus lib. 3 de edicto fidei quæst.

num. 160, apud quem est omnino certa: ait enim : *Tria tanquam certa supponimus: primum est B. Virginem vere peccasse in Adam: secundum est B. Virginem vere contraxisse debitum culpæ originalis: tertium est, etc.* Petrus de Ona tom. 1 de novissimis fol. nobis 344, dicens, absque ingenti errore negari non posse. Ferdinandus de Orio tom. 1, in Tertull. discurs. 17, § 2, num. 125. Ildefonsus Roman. lib. de conceptione discurs. 4. Denique hanc sententiam tuentur omnes expositores D. Thomæ hac 1, 2, super præsentem articulum quæstionis 81, ubi id asserunt, Alphonsus Curiel § 2, Franciscus Zumel disp. unica conclus. 1 et 3, Didacus Alvarez disp. 174, dicens esse de fide, Ludovicus Montesinos disp. 11, quæst. sua 8, num. 129, Joannes Puteanus dub. 3, conclus. 2 et alii.

154. Adduximus tam copiosam auctorum seriem; quia (ut sæpe diximus) maximum argumentum in hac materia sumi debet ex SS. Patrum et Catholicorum Doctorum auctoritate: tot enim adeoque graves, pios et doctos simul errasse, nec veram de hac sententiam accepisse, temerarium et absurdum videtur asserere. Et quia non levem apud alios præsertim juniores Theologos animadvertimus incuriam in auctoribus referendis, plurimosque sine ullo fundamento pro hac vel illa sententia citari, curavimus omnes hic relatos in suis operibus consulere, nullique quantum callere potuimus, alienam sententiam imponere. Quos vero (etsi ab aliis citatos) videre non licuit, missos fecimus: ne minus certa eorum allegatio huic nostræ relationi aliqua ex parte fidem adimeret.

Unam autem oppones objectionem: quia multi ex præcitatatis in ea sunt sententia, quod B. Virgo contraxerit de facto peccatum originale: et ex hoc fundamento adducuntur a nobis pro debito, quod necessario includitur in prædicto peccato, vel ad illud supponitur: cum autem fundamentum sit falsum, neque ad firmandum auctoritas illorum sufficiat, non est cur præsentis sententiæ firmitatem conciliet.

Respondetur, quod etsi aliqui ex prædictis auctoribus fuerint in illa sententia de contractione peccati (hos supra triginta dedimus num. 149), multo tamen plures illi opponuntur, et solum debitum affirmant, (isti supra centum et decem relati sunt num. 150 et sequentibus) potissimeque ad id affirmandum ex illius negatione moventur. Quia testimonia Scripturæ et SS. Pa-

Ona.  
Orio.  
Ild.  
Rom.  
Curiel.  
Zumel.  
Alvar.  
Montes.  
Putca.

Tirinus.  
Barrad.  
Maldon.  
Philip.  
Ben.  
Justin.  
Magal.  
Becan.  
Morales.  
Monc.  
Baëza.  
Chrysog.  
Cast.  
Pal.

Reliqui  
auctores  
pro hac  
sententia.  
Aponte.  
Gisler.  
Bonacin.  
Leon.  
Bernar.  
Guttier.  
Reinos.  
Raulin.  
Albert.  
Elias a  
S.T.  
Crespi.  
Joa.S.  
Thom.  
Vin.  
Just.  
Param.

trum nisi de debito exponantur (ut possunt re vera sufficienter exponi) vel intelligenda erunt de ipso peccato, vel manebunt insoluta : quod utrumque auctores prædicti et præsens sententia vitare intendunt.

155. Sed neque auctoritas illorum longe minoris numeri, qui affirmant peccatum, quæ ad id convincendum non est sufficiens, minoris faciendæ est pro assertione debiti. Tum quia non minuitur auctoritas alicujus Doctoris circa unam propositionem, in qua convenit cum aliis, ex eo quod a vero deficiat circa aliam, a qua prior illa non dependet : sicut non dependet assertio debiti ab assertione peccati. Aliter non liceret Thomistis afferre Alexandrum, Bonaventuram, Scotum, et alios pro sententiis utrisque communibus ; neque Scotistis adducere pro similibus sententiis D. Thomam, Capreolum, Cajetanum, et alios Thomistas : quia in aliquibus aliis sententiis dissident inter se : quod nemo dicet. Tum etiam quia asserentes, B. Virginem habuisse tam debitum quam peccatum, non in eodem certitudinis gradu utrumque affirmant ; sed debitum ut principium indubitatum et commune omnibus scholis, et quod rationibus illorum, nempe quia aliter B. Virgo non esset vere redempta, etc. omnino convincitur ; peccatum vero, solum ut conclusionem probabiliter inde illatam, pro qua non sic militant eorum rationes : et a qua licet recederent, non ideo desererent prædictum principium : ex eo autem, quod aliquis in deductione probabili alicujus conclusionis deficiat, non frangitur ejus auctoritas circa assertionem principii, cui immobiliter inhæret independenter a tali conclusione ; sed potius ipsum principium ex omni parte roboratur, quatenus tam bene quam male deducentes, et circa illationem inter se dissidentes, in ipso principio conveniunt.

Potestque hoc explicari ex iis, quæ contingunt circa alias materias. Nam quoties principales Theologorum magistri ut D. Thomas, Scotus, et Durandus, et eorum asseclæ in una propositione conspirant, ex eaque quidam aliam inferunt, quidam illationem negant, omnium auctoritas stat pro communi propositione, in qua conveniunt : et ex omnium contestatione adeo roboratur, ut non obstante dissidio circa illationem, habeatur talis propositio pro principio indubitato et communi ; quod in sua veritate non dependet ab illatione, quamvis hujus bonitas et certitudo ab illo dependeat. Sic

autem contingit in præsentibus : quia in hac propositione *B. Virgo peccavit in Adamo, contraxitque inde debitum*, etc. conveniunt omnium Scholarum Magistri, et eorum asseclæ fere omnes : independenterque a quacunque illatione illam tuentur : in illa, autem : *B. Virgo contraxit originalem culpam*, valde dissident, aliquibus contendentes, plerisque vero negantibus deduci ex prima, aut ex aliis Theologiæ locis : unde illa habet se ut principium primario ab omnibus intentum, et pro quo omnium rationes primario militant, quodque ab omnibus accipit firmitatem ; hæc vero ut illatio ab aliquibus intenta, et a multis negata, cujus neque veritas neque falsitas certitudinem prioris diminuit, neque Doctorum auctoritatem erga illam enervat. Debuimus ergo ad roborandam præsentem sententiam utrosque illius prioris assertores conducere, quavis via procedant.

#### § V.

*Expenduntur testimonia Scripturæ pro eadem secunda sententia.*

Plura sunt pro hac sententia testimonia Scripturæ : adducemus specialiora : inter quæ sunt illa Pauli ad Rom. 3 : *Justitia Dei per fidem Jesu Christi in omnes et super omnes qui credunt in eum : non enim est distinctio, omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei*, id est, gratia justificationis, quæ in gloriam Dei maxime cedit, ut exponit D. Augustinus lib. 2 Hypog. circa finem. Et cap. 5 : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*. Quo utroque loco docet Apostolus, omnes homines peccasse in Adamo, quando ille peccavit ; indeque concipi peccato obnoxios, egentes fide et gratia per Christum, ut a tali peccato liberentur.

Porro a prædictis testimoniis neminem, præter ipsum Christum debere excipi constat, tum ex illis verbis quæ habentur in primo : *Non est distinctio, omnes enim peccaverunt et egent*, etc. ac si diceret inter eos qui indigent fide et gratia per Christum, distinguendum non esse, ut aliqui peccaverint, aliquis non peccaverit ; sed omnes sine alicujus exceptione sub peccato Adami comprehendi. Tum etiam quia in utroque testimonio ponuntur duæ propositiones ejusdem universalitatis : prima in primo est illa : *Justitia Dei per fidem Jesu Christi*

Duo priora testimonia. Ad Rom. 3. Ad Rom. 5.



*in omnes qui credunt*, etc., secunda vero : *Omnes peccaverunt et egent gloria*. In secundo prima est : *In omnes homines mors pertransiit*, et secunda : *In quo omnes peccaverunt* : utraque autem propositiones cum simul et ad idem proferantur, debent cum eadem universalitate vel restrictione intelligi : et quisquis non excipitur a primis, non debet excipi a secundis : cum ergo B. Virgo non excipiatur ab illa : *Justitia Dei per fidem Jesu Christi in omnes qui credunt in eum* : hæreticum enim esset dicere, Virginem non fuisse per gratiam et fidem Jesu Christi justificatam : neque ab illa : *In omnes homines mors pertransiit*, cum videamus de facto mortuam fuisse ; plane sequitur excipiendam non esse ab ista : *Omnes peccaverunt, et egent gloria*, neque ab ista : *In quo omnes peccaverunt*. Tum etiam id constat ex alia propositione ejusdem Apostoli eodem cap. 5, quæ hoc confirmat : *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ*. Sane *ly sicut in omnes*, quod est in prima parte, et *ly sic in omnes*, quod est in secunda, eandem omnino tribuunt utrique extensionem : atque adeo vel Deipara debet excipi a secunda, et non dici justificata per justitiam Christi, quod est contra fidem ; vel non debet excipi a prima, sed dici condemnata in Adamo per ejus delictum.

157. Præterea hoc idem convincit expositio SS. Patrum, qui prædictas propositiones sine alicujus, præterquam solius Christi exceptione accipiunt : ut videre est apud Augustinum lib. 2 Hypognost. circa finem, ubi relatis Apostoli verbis : *Non est distinctio, omnes enim peccaverunt*, etc. addit : *Dicendo omnes, nullum excipit ; quinimo totum declarat genus humanum*. Et apud Anselmum lib. de conceptu virg. cap. 22, ibi : *Propter hoc Apostolus omnes filios Adæ, excepto Virginis filio, peccatores et filios iræ in suis scripturis esse pronuntiat*. Ubi non solum signum universale *omnes*, sed etiam negatio exceptionis in Augustino, et exceptio filii Virginis in Anselmo, quæ firmat regulam in contrarium, ostendunt, neminem alium debere inde excipi.

Adde, quod ubi Scriptura non distinguit, neque excipit, sed loquitur omnino universaliter, non debemus nos sine gravi fundamento distinguere aut excipere : esset enim magnum inconveniens, si propositiones illius omnino universales quisque pro suo libito restringeret : ad excipiendam autem

Deiparam a debito peccati originalis, quod in prædictis propositionibus generaliter de omnibus enuntiatur, nullum adest fundamentum neque in ipsa Scriptura, quæ potius exceptionem excludit illis verbis : *Non enim est distinctio, omnes enim peccaverunt*. Neque in SS. Patribus aut aliis gravibus Scripturæ interpretibus, omnibus illis tali exceptioni repugnantibus, ut vidimus § 2 et 3 et 4.

Dices, Concilium Tridentinum sess. 5 decret. de peccato orig. dedisse exceptioni fundamentum, cum declaravit non fuisse suæ intentionis B. Virginem comprehendi in illa propositione Pauli : *In quo omnes peccaverunt* : quasi senserit vel non contineri in illa, vel non ita clare contineri, ut oppositum opinari non liceat.

158. Respondetur negando suppositum : Concilium enim in prædicta declaratione solum loquitur de decreto a se statuto circa contractionem peccati originalis ab unoquoque ex posteris Adami in sua propria persona ; non vero de propositione Pauli, quatenus enuntiat, omnes peccasse in Adamo, quando ipse peccavit. Quod constat tum ex verbis declarationis : *Declarat sancta Synodus non fuisse suæ intentionis comprehendere sub hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, B. et immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem : sed observandas esse constitutiones felicitis recordationis Sixti Papæ IV*. Loquitur ergo solum de suo decreto, quatenus in eo agitur de peccato originali seu de ejus contractione, non vero de testimonio Pauli, ubi non fit sermo de prædicta contractione, sed de ejus causa, quæ fuit peccatum actuale ab Adamo commissum, in quo omnes peccaverunt. Tum etiam quia Concilium, ut ex prædictis verbis constat, nihil aliud circa hoc statuit, nisi quod statuerat Sixtus IV in sua constitutione *Grave nimis* : quam innovat, et præcipit observari : Sixtus autem in prædicta constitutione non meminit peccati commissi in Adamo, aut debiti inde consurgentis, sed solum ipsius peccati originalis contracti in propria Virginis persona, ut legenti constabit.

Potuit tamen Concilium uti prædicto Pauli testimonio ad confirmationem sui decreti, etiam ex ea parte qua agit de peccato originali et ejus contractione ab unoquoque nostrum : quia supposito quod omnes in Adamo peccaverint, ut docet Apostolus, omnes debent in se ipsis peccatum originale incurrere : et incurrerent de facto, nisi alicui

Idem.

August.

Anselm.

Replica.  
Conc.  
Trid.

Enodatur.

Habetur  
in Extrav.  
com. de  
Reliq.  
et ven.  
Sanct.

in instante conceptionis speciali Dei gratia fuerit subventum, prædictumque debitum impeditum, ne peccatum de facto inde resultet: unde quia hanc specialem gratiam nulli alteri præterquam Beatissimæ Virgini factam fuisse potest probabiliter affirmari: ideo ex verbis Pauli intulit Concilium, quod seclusa per præcisionem Deipara, a cujus causa se subtrahit, omnes prædictum peccatum incurrunt. Quare ea exclusio Concilii adhuc præcisiva solum cadit supra illationem ex testimonio Pauli, et supra decretum de actuali peccati contractione deductum a Concilio ex prædicto testimonio: quatenus ita maneret nobis liberum sentire et affirmare fuisse concessum Deiparæ illud privilegium, ne contraheret in sua propria persona maculam originalem, cui ex vi peccati commisi in Adamo obnoxia manebat: ut neque interdiceretur auctoribus opposita sententiæ contrarium asserere; sed utranque partem relinqueret indeterminatam.

Tertius  
locus  
Script.  
2. Cor. 5.

159. Aliud testimonium habetur 2 Corinth. cap. 5, ubi Apostolus probat, omnes homines mortuos fuisse in Adamo per ejus peccatum, quia Christus mortuus est pro omnibus: *Si unus (inquit) pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: et pro omnibus mortuus est Christus.* Et quia hic locus satis efficax est pro præsententi sententia, elucidabimus illum sequenti discursu. B. Virgo fuit de numero illorum pro quibus mortuus est Christus: sed omnes pro quibus Christus mortuus est, mortui sunt in Adamo: ergo ipsa fuit de numero illorum qui in Adamo sunt mortui: non autem sunt mortui nisi quia ibi peccaverunt: igitur B. Virgo vere in eo peccavit, incurritque proinde debitum contrahendi originalem culpam. Discursus est legitimus: et major certa secundum fidem, quæ non permittit ut a beneficio mortis Christi Virgo excludatur. Minor vero, pro qua sola potest peti probatio, suadetur. Tum ex verbis Pauli, non solum quia dicit: *omnes fuisse mortuos*, quod Augustin. lib. 20 de civit. Dei, cap. 6, glossat: *Omnes mortui sunt in peccato, nemine prorsus excepto.* Sed etiam quia infert, *unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt.* Si namque ultra eos qui mortui sunt in Adamo, Christus pro aliquo fuisset mortuus, non bene intulisset, omnes mortuos fuisse, quia mortuus est pro omnibus: ut igitur hypothetica hæc *Christus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt*, quoad primam partem

August.

sine exceptione sit vera, debet etiam verificari sine exceptione quoad secundam: et per quamlibet ab ista exceptionem falsificabitur propositio, ut intuenti constabit. Tum etiam suadetur ex D. Augustino lib. 6 contra Julianum cap. 1, cujus verba ad plenum adduximus dub. præcedenti, modo vero pauca repetemus, quia continent valde efficacem probationem illius minoris. Sic igitur arguit contra Hæreticum: *Quoniam unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt: et pro omnibus mortuus est Christus. Nullo modo hic negare permittaris, non nisi pro his qui mortui sunt, mortuum fuisse Jesum. Quos igitur hoc loco intelligis mortuos? Nunquid eos qui de corpore exierunt? Quis ita desipiat, ut hoc sapiat? Eo modo itaque intelligimus mortuos, pro quibus omnibus mortuus est Christus, quomodo alibi dicit: Et vos cum essetis mortui in delictis et præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo. Ac per hoc unus, inquit, pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt: ostendens fieri non potuisse ut mereretur nisi pro mortuis. Ex hoc enim probavit, omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est unus. Vide, quia consequens esse voluit, ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est. Quia ergo non in corpore, restat ut in peccato esse mortuos omnes nemo neget, nemo dubitet, qui se non negat aut dubitat esse Christianum.* Quæ Augustini verba et discursus tollunt omnem tergiversationem, quæ prædicto testimonio posset excogitari. Legatur a cap. 2 usque ad 5, ubi multa loquitur ad intentum, urgens ubique prædictam consequentiam: *Unus pro omnibus mortuus est: atque adeo sentiens, neminem contineri in iis, pro quibus mortuus est Christus, quin non comprehendatur sub illis, qui in Adamo mortui sunt.*

Idem.

Idem.

Cajet.

Adde ex Cajetano opuse. citato, cap. 3, ubi ita discurrit: *Oportet de Virgine firmiter credere, quod Christus est mortuus pro ipsa: et quod ipsa est mortua (scilicet in Adam) morte peccati: quoniam in sacra Scriptura habetur hæc conditionalis: Si Christus est mortuus pro omnibus, omnes mortui sunt: ut patet 2 ad Corinth. 5. Constat enim quod omnis conditionalis vera est necessaria: et quod a destructione consequentis ad destructionem antecedentis valet argumentum. Formata ergo ratione clare apparebit Scripturam esse falsam (si Virgo excipiatur a debito) procedendo sic. Si Christus est mortuus pro omnibus, omnes mortui sunt: sed per istam positionem (negantem scilicet Deiparam peccasse*

casse

casae in Adamo) non omnes mortui sunt, quia B. Virgo non est mortua morte peccati: ergo Christus non est mortuus pro omnibus: quod est manifeste hæresis. Nec potest hic locus glossari, quod omnes distribuat generaliter, et quod patitur exceptionem: quoniam constat, quod in hac propositione illud signum Omnes distribuit pro omnibus sine ulla exceptione: quoniam Hæreticum constat esse dicentem, Christum non esse mortuum pro omnibus sine ulla exceptione.

160. Quartus locus est ille I ad Corint.

15: *Per hominem mors: et per hominem resurrectio mortuorum: et sicut in Adam omnes moriuntur; ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Ubi ut cernis, de omnibus illis affirmatur mortuos fuisse in Adam per ejus peccatum, de quibus asseritur vivificandos seu resuscitandos esse per Christum: cum igitur B. Virgo sit de numero eorum, qui in Christo vivificantur; necesse est ut fuerit de numero illorum, qui in Adam moriuntur. Audiamus Augustinum lib. citato contra Julianum cap. 12, ubi ex hoc Pauli testimonio arguit contra Pelagianos, qui a prædictis propositionibus volebant aliquos excipere, intelligentes per *ly omnes* non omnes omnino, sed *multos*, ut ita daretur locus exceptioni. *Omnes ergo (inquit) ad mortem per Adam: omnes ad vitam per Christum: quia sicut in Adam omnes moriuntur; ita in Christo omnes vivificabuntur: id est, ex prima origine generis humani nemo ad mortem nisi per Adam, et nemo per Adam nisi ad mortem; et nemo ad vitam nisi per Christum, et nemo per Christum nisi ad vitam.* Vos autem dum non omnes sive per Adam condemnatos esse, nisi per Christum liberatos vultis intelligi, horrenda perversitate Christianæ religioni estis infesti. Ecce ex Augustino sicut nemo regeneratur in Christo nisi ad vitam, et nemo, neque adhuc B. Virgo regeneratur ad vitam nisi in Christo; ita nemo, neque adhuc B. Virgo, generatur ex semine Adæ nisi ad mortem, et nemo generatur ad mortem nisi quia ex tali semine.

Observa autem, quod sicut vivificatio Christi non pervenit de facto et secundum efficaciam ad omnes homines in seipsis; bene tamen extenditur ad omnes quantum ad sufficientiam: quia ejus meritum, nullum excludit, sed omnibus meruit salutem et vitam animæ; licet in multis harum consequutio impediatur. Ita mors seu peccatum Adami non dicitur pertinere ad omnes homines quasi omnes sine ullius exceptione

in seipsis de facto illud contrahant; sed intelligitur saltem quantum ad sufficientiam: quia demeritum Adami ex se sufficiens erat omnibus sine exceptione tale peccatum inferre: quia demeruit pro omnibus. Quod autem in aliquo, puta in B. Virgine, contractio actualis prædicti peccati ex speciali privilegio impediatur, non officit testimonio Pauli et ejus universalitati: sicut non officit, quod vivificatio per Christum de facto in aliquibus impediatur. Obeset autem, si vel Christi meritum, vel demeritum Adami, quantum erat ex se et secundum sufficientiam, non ad omnes sine alicujus exceptione se extenderent.

161. Plura alia sunt Scripturæ testimonia, quæ huic sententiæ opitulantur: ut Luc. 19: *Filius hominis venit quærere et salvum facere quod perierat.* Matth. 9: *Non est opus valentibus medico, sed male habentibus: non veni vocare justos, sed peccatores.* Et cap. 15: *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt, etc.* Et I ad Timoth. 1: *Christus Jesus venit in mundum peccatores salvos facere.* Adde ex Luc. 15, parabolam pastoris quærentis ovem perditam, et inventa gaudentis atque in humeris eam sublevantis. In qua significari totum genus humanum, quod cum omnibus suis individuis perierat in Adam, Christus vero illud suo adventu quæsivit, et in crucis brachiis veluti in humeris sublevavit, adeo ut neminem levaverit, nisi fuerit ovis perdita, est satis communis expositio, præsertim apud Ambrosium lib. 7 in Lucam cap. de Pastore et ove perditam, ubi optime loquitur ad intentum. Et apud Augustinum lib. 1 de pecc. merit. cap. 27, ubi inter alia ait: *Totius Ecclesiæ vox est: Erravi sicut ovis perdita: omnium membrorum Christi vox est: Omnes ut oves erravimus, et ipse traditus est pro peccatis nostris.* Qui ergo ab ista universalitate ovis perditæ, ut declarata per Ambrosium et Augustinum, Virginem exceperit, eo ipso constituet illam extra Ecclesiam Christi, et extra ejus corpus et membra: quod est erroneum. Omittimus alia testimonia, majoremque horum expansionem, quia illa jam adduximus et expendimus dub. præced. § 2 et 3. Ex illis vero aperte constat, omnes ad quos quærendos venit Christus, et pro quibus mortuus est, periisse aliquando, et fuisse peccatores saltem in Adam. Cum ergo potissimum venerit ad quærendam et salvandam B. Virginem, plane sequitur eam fuisse de numero illorum, qui in ipso peccaverunt, et ut oves errantes perierunt.

Insi-  
nuantur  
alia loca.  
Luc. 19.  
Matth. 9  
et 15.  
1. ad  
Tim. 1.  
Luc. 15.

Locus  
I. ad  
Cor. 15.

August.

## § VI.

*Eadem sententia rationibus fulcitur.*

Prima ratio ex redemptione. 162. Prima ratio pro hac sententia, et cui ejus auctores, ut præcipuo fundamento nituntur, sumitur ex Virginis redemptione in hunc modum. B. Virgo fuit vere et proprie Christi morte et sanguine redempta : sed vera redemptio supponit peccatum, ad minus originale, vel saltem ejus debitum in illo qui redimitur : ergo licet fuerit immunis a prædicto peccato contracto in propria persona, non tamen a debito illud contrahendi. Consequentia est legitima : et major ita certa, ut salva fide, negari non possit, propter testimonia Scripturæ, quæ ubique clamant Christum fuisse universalissime omnium hominum redemptorem. 1, ad Timoth. 2 : *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Ubi glossa interlin. exponens illud signum *omnibus* ait : *Nullum excepit.* Et cap. 4 : *Qui est salvator omnium hominum.* Et Matth. 1 : *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Sicut autem impium esset Virginem a Christi populo excludere, sic etiam ab ejus redemptione. Unde ipsa B. Virgo Luc. 1, vocat Christum salvatorem suum : *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* In Christo autem idem est salvatorem esse, et esse redemptorem ; sicut in hominibus idem est salvari et redimi. Et ita intellexit D. Augustinus serm. 1 de Assumpt. ubi ait : *Hæc Virgo mirabili et inæstimabili modo suum et omnium peperit Salvatorem.* Et Eusebius Emissenus, quem retulimus supra num. 140, loquens cum Virgine ait : *Initiator omnium rerum profudendum pro mundi vita sanguinem de corpore tuo accepit, ac de te sumpsit, quod etiam pro te solveret.* Quid est autem pro Virgine solve, nisi eam redimere ? Et D. Bernardinus Senensis tom. 4, serm. 4 de Concept. Virg. art. 3, cap. 3, juxta novam editionem : *Primogenita* (inquit) *Redemptoris filii sui Jesu fuit B. Virgo : et plus pro ipsa redimenda venit, quam pro omni alia creatura.*

Deinde hæc est constans sententia Theologorum, a qua nullus fidelium etiam ex assertoribus primæ opinionis usque modo ausus est recedere. Præsertim vero illam expresse tradunt ut veritatem necessario credendam Alexander, D. Thomas, D. Bonaventura, Scotus, Cajetanus, Bellarminus, Suarez, Corduba, et alii plurimi citati in præcedentibus. Ex quibus Ægidius Lusita-

nus, lib. 3 de præservat. Virginis a peccato orig. quæst. 9, art. 4, § 2, sic statuit : *Sit prima conclusio omnium dicendorum basis et fundamentum. Asserendum est B. Virginem vere et proprie fuisse Christi sanguine redemptam. Hæc conclusio statuenda est in hac disputatione tanquam fidei regula, a qua si qua opinio deflectat, a fide catholica deflectat, necesse est.* Et inferius : *Cum vero in hac veritate, quæ est de fide, omnes conveniamus, non est quod in citandis Patribus immoremur.* Tota ergo difficultas in hac ratione ad minorem reducitur, videlicet non posse dari veram redemptionem sine peccato vel debito in eo qui redimitur. Sed quia hoc efficaciter demonstravimus dub. præced. ibique non mediocris labor pro firmanda ista ratione impensus fuit, non oportet circa eam immorari.

163. Secunda ratio præcedenti affinis est hujusmodi. B. Virgo fuit per Christum Deo reconciliata, fuitque ipse Christus mediator inter Deum et illam : sed neutrum istorum potuit habere sine peccato, vel ejus debito orto ex culpa primi parentis : igitur contraxit inde prædictum debitum. Major habetur ex sacra Scriptura : in qua sicut Christus universaliter nominatur *hominum redemptor* ; sic etiam dicitur *omnium reconciliator*, et *apud eum mediator*. 2 ad Corinth. 5 : *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum, et dedit nobis ministerium reconciliationis, quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Ad Colossen. 1 : *Cum placuit per eum reconciliari omnia in ipsum.* Mediator etiam dicitur 1 ad Timoth. 2 : *Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Et ad Hebr. 9 : *Novi testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, etc.*

Ab horum autem testimoniorum universalitate non esse excipiendam Deiparam constat, tum quia eadem est universalitas respectu reconciliationis, sicut respectu redemptionis, a qua certum est illam non excipi. Tum etiam ex communi intelligentia SS. Patrum et interpretum, qui neminem excipiunt. Quin potius D. Augustinus relat. a glossa super ad Galat. 3, expresse comprehendit omnes, qui Christi fidem et humilitatem sequuntur. *Sancti sunt* (inquit) *ab impietate superbix* : hæc fuit primaria malitia peccati Adami, ut infra constabit) *ut reconcilientur Deo quicumque homines humilitatem Christi et per revelationem, antequam*

1 ad Tim. 2.  
Glossa.  
1 ad Tim. 4.  
Matth. 1.

Luc. 1.

D. Aug.

Euseb. Emiss.

Bern. Sen.

Ægidius.

Secund. ratio ex reconcilia-tione.

1 ad Cor. 5.

ad Colos.

1 ad Tim. 5.

ad Hebr.

D. Au.

quam fieret, et per evangelium, postquam facta est, credendo dilexerunt, et diligendo imitati sunt. Cum ergo B. Virgo credendo dilexerit, et diligendo imitata sit Christi humilitatem, sequitur juxta mentem Augustini eam fuisse Deo reconciliatam. Et lib. 1 de peccat. meritis cap. 28, sic habet: *Consideratis omnibus divinis testimoniis, quæ commemoravi, nihil invenitur, nisi quod universa Ecclesia tenet, omnem hominem separari a Deo, nisi qui per mediatorem Christum reconciliatur Deo; nec separari quenkum nisi peccatis intercludentibus posse.* Ne ergo ponamus Virginem a Deo separatam, oportet ponere illam per Christum mediatorem reconciliatam. Idem etiam epist. 28 ad Hieronym. paulo a principio: *Certus sum (inquit) nec omnino esse animam ullam in genere humano, cui non sit necessarius ad liberationem mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.* Quibus verbis præcludit aditum cui-cunque exceptioni a prædicta doctrina.

164. Deinde exceptio Deiparæ a beneficio reconciliationis licet externa specie in ejus obsequium facta videatur, revera tamen derogat Christi dignitati, sicut derogaret exceptio a redemptione: non enim minus cedit in Christi gloriam pro perfectissima creatura mediatorem et reconciliatorem fuisse, quam redemptorem: atque adeo non minus gloriæ ei subtrahitur negato munere reconciliatoris talis creaturæ, quam negato munere redemptoris: ergo neutrum debet negari. Præterea Christus præstat munus reconciliatoris et mediatoris pro aliquo, quatenus passione et morte sua facit, ut ad Deum accedat, admittaturque ad consortium ipsius per gratiam et beatificam visionem, juxta illud ad Rom. 5: *Per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Et inferius: *Gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus.* Sed nihil hujusmodi beneficii negandum est Virgini accepisse per Christum: ergo nec negari debet ipsum fuisse illius reconciliatorem.

Quo sensu B. Virgo reconciliatrix.

Quod si aliquando SS. Patres ipsam B. Virginem *mediatricem* aut *reconciliatricem* appellant, non ideo loquuntur, quia senserint non fuisse per Christum redemptam et reconciliatam, aut quia ipsa suo merito operata sit redemptionem: unus enim solus est redemptor et reconciliator Deus et homo Christus Jesus: sed quia per eam datus est omnibus ipse Deus et homo reconciliator et

redemptor: ut recte declarat Driedo lib. 3 de regul. sacræ Scripturæ tract. 2, cap. 4, fol. nobis 127, sic dicens: *Maria invenit gratiam, non quia ipsa est gratiæ in humano genere reparatrix, sed quia est ejus qui gratiam humano generi reparavit, genitrix. Ideo ipsa benedicta, quia mater est ejus, a quo venit et in se et in cæteros omnes benedictio. Hinc SS. Patres non horruerunt appellare illam mediatricem nostram: non quæ nos Deo Patri reconciliaverit et redemerit: scientes unum solum mediatorem Jesum, per quem ipsa Maria filia Adæ fuit a peccato liberata, sanctificata, et Deo Patri reconciliata: sed talem, per quam salus venit in mundum, per quam descendit gratia et misericordia in universum genus humanum, per quam gratia habuit ad nos accessum: quæ et assidua est advocata nostra apud filium suum Jesum, qui unus est advocatus apud Deum Patrem.*

165. Minor vero, videlicet beneficium reconciliationis aut mediationis intelligi non posse sine peccato vel debito in eo, qui reconciliatur, probatur tum ex ipsa natura et essentia reconciliationis, quæ nihil aliud est nisi restauratio sive reparatio amicitiae deperditæ: ut diffinit D. Thomas in 4, dist. 15, quæst. 1, art. 5, quæstiunc. 2, atque adeo si sit reconciliatio cum Deo, necessario supponit peccatum, saltem in Adamo, per quod deperdimus ejus amicitiam. Et idem docet D. Isidorus lib. Etymologiar. cap. 112, ubi ait, illos proprie dici reconciliatos, *qui ex inimicis amici sunt effecti.* Tum etiam quia *reconciliatio et mediatio* ex ipsis nominibus supponunt separationem inter eos, qui reconciliantur: inter Deum autem et homines solum peccatum separat: ergo necessario debet hoc reconciliationem et mediationem præcedere. Quocirca ubi Scriptura dicit, Christum reconciliasse nos Deo, et mediatorem pro nobis fuisse, statim exprimit talem reconciliationem fuisse a peccatis. Ut videre est loco cit. ad Corinth. ubi post illa verba: *Erat Deus in Christo mundum reconcilians,* immediate additur: *non reputans illis delicta ipsorum.* Et ad Coloss. 1: *Cum essetis aliquando alienati et inimici, nunc reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem.* Ad Rom. 5: *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus.* Ad Ephes. 2: *Reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicicias in semetipso.* Et nullibi invenies, Scripturam uti prædicto nomine, nisi ubi aliqua discordia, divisio aut separatio præcessit. Idemque est de nomine *medii et me-*

Driedo.

D.Thom.

D.Isid.

2 ad  
Cor.5.ad  
Colos.1.ad  
Rom.5.ad  
Ephes.2.

*diatoris* ; nam medium quæritur, ut extrema quæ inter se dissidebant, uniantur sibi, et ad concordiam reducantur : et ita necessitas mediatoris inter hominem et Deum, supponit dissidium et differentiam inter illos, quæ solum ex peccato oriuntur.

Hoc etiam docuerunt concorditer SS. Patres, apud quos munus reconciliatoris et mediatoris, quod Christus pro nobis exercuit, semper intelligitur in ordine ad peccata, quæ nos separant a Deo. Unde Bernardus epist. 190, prope finem sic ait: *Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quoniam cum adhuc peccatores essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus. Ubi reconciliatio, ibi et remissio peccatorum. Nam si dicente Scriptura, peccata nostra separant inter nos et Deum, manente peccato non est reconciliatio. Itaque ubi reconciliatio, ibi remissio peccatorum, etc.* D. Augustinus lib. 1 de peccat. merit. cap. 20, ita inquit: *Peccata enim sola separant inter homines et Deum, quæ solvantur Christi gratia: per quem mediatorem reconciliamur, cum justificat impium.* Idem tract. 41, in Joan. ante medium: *Si exhortatur (inquit) et obsecrat Apostolus, ut reconciliemur Deo, inimici eramus: nemo enim reconciliatur nisi ex inimicitis: inimicos autem non natura, sed peccata fecerunt.* Et in Enchirid. cap. 108: *Cum factus est Adam homo rectus, mediatore opus non erat. Cum vero genus humanum peccata longe separaverunt a Deo, per mediatorem qui solus sine peccato natus est, reconciliari nos oportebat Deo.* Et lib. 4 contra duas epistol. Pelagian. cap. 4: *Si in omnibus necessaria est reconciliatio per Christum per omnes transivit peccatum, quo inimici fuimus, ut opus reconciliari haberemus.* Et alibi sæpissime. Eodem modo loquitur Anselmus vel auctor commentariorum, qui illi adscribuntur, super ad Rom. 5: *Nemo (inquit) reconciliatur nisi ex inimicitis.* Et idem repetit 2 ad Corinth. 5, addens: *Et nihil inter Deum et homines fecit inimicitias, nisi peccatum.* Patet igitur ex istis testimoniis, quod si Christus B. Virginem reconciliavit, et pro illa mediator extitit, necessario debuit ipsa præcedere aliquo modo inimica et separata a Deo ratione peccati: cumque id non habuerit ratione peccati contracti de facto in se ipsa, sequitur ut ratione illius quod in Adamo commisit, et ex quo debitum contrahendi originalem culpam surrexit.

*Triplex alia ratio pro hac sententia.*

166. Tertia ratio sumitur ex baptismo B. Virgo fuit baptizata. Virginis. Pro qua ratione supponendum est illam fuisse a Christo Domino baptizata, quod omnino certum esse, et ab omnibus Theologis receptum docet Suar. tom. 2, in 3 p. disp. 18, sect. 3, refertque verba Euthymii super cap. 3 Joan. ubi ait: *Scribunt quidam Apostolorum temporibus proximi, quod Christus Petrum et Virginem Matrem baptizaverit, Petrus vero reliquos Apostolos.* Quod etiam docent Albert. Magnus super *Missus est*; in responsione ad quæst. 36, quæ responsio habetur post quæst. 43, Sotus in 4, dist. 5. quæst. unic. art. 2, Guido Briansonis in eodem 4, docum. 1, et alii. Rationem vero tradit Suarez: tum quia præceptum baptismi omnibus generatim positum est: et verbum illud Joan. 3: *Nisi quis renatus fuerit, neminem excipit: neque oportet ut nos B. Virginem ex aliquo speciali privilegio excipiamus, cum nec fundamentum habeat, neque ad ejus perfectionem pertineat.* Tum etiam quia per baptismum fideles constituuntur et signantur membra Ecclesiæ prout a Christo institutæ: cujus sicut perfectissimum membrum debuit esse Deipara, sic etiam debuit esse præcipua inter baptizatos. Tum denique quia per baptismum datur potestas utendi sacramentis novæ legis: Beatissima autem Virgo eis uti debuit, præsertim Eucharistia: ergo debuit baptizari. Hæc Suarez. Pluresque alias rationes invenies apud Alberium citata quæst. 36.

Secundo supponendum est, quod ut alicui personæ rite applicetur aliquod sacramentum, debet esse talis conditionis, ut verba quæ sunt forma talis sacramenti, possint de illa verificari in eo sensu, in quo prædictam formam constituunt: non enim rite applicaretur alicui sacramentum, cujus forma in illo falsificaretur. Unde etiam debet reperiri in ea persona pro aliqua duratione materia sufficiens, supra quam cadat prædicta forma: nam verba significant operationem circa talem materiam. Sicut autem verba quæ sunt forma sacramenti penitentia, significant remissionem a peccatis actualibus per modum medicinæ et curationis, et ideo hæc sola habent esse materia sufficiens talis sacramenti: ista verba quæ sunt forma baptismi significant ablutionem per modum regenerationis ab eo saltem peccato,

peccato, quod primo excludit homines a regno Dei, vel saltem ab obnoxietate et debito talis peccati, quod est peccatum originale, seu quod in Adamo commisimus, quamvis cum illo tollantur cætera, si forte adsint.

Formatur  
tertia ratio.

167. Hinc sic formatur ratio. B. Virgo fuit baptizata baptismo Christi, adeoque habuit aliquando materiam sufficientem, ratione cujus verificaretur forma talis baptismi: sed hæc verificari non poterat, nisi Virgo saltem in Adamo fuisset sub peccato ab eo commisso, atque adeo habuisset in se debitum contrahendi culpam originalem: ergo de facto fuit in Adamo sub tali peccato, et habuit in se prædictum debitum. Major habetur ex prænotatis. Minor vero suadetur. Tum quia forma baptismi significat lotionem et ablutionem: idem quippe est dicere *Ego te baptizo*, atque *ego te abluo* vel *lavo*: ablutio autem spiritualis non est nisi a peccato, saltem in alio commisso: qui enim nullibi immundus aut inquinatus fuit, non indiget ut lavetur. Tum etiam quia baptismus essentialiter est sacramentum regenerativum in vita spirituali: regeneratio autem supponit saltem in alio amissionem vitæ, ad quam homo regeneratur; atque adeo si sit regeneratio in vita spirituali, supponere debet amissionem vitæ spiritualis per aliquod peccatum saltem in alio commisso.

Confir.  
prima.

Confirmatur: ideo Christus non suscepit sacramentum baptismi a se institutum, quia nullibi fuit sub peccato, a quo ablueretur: adeoque nihil habuit, ratione cujus verbum abluo verificaretur: ergo si B. Virgo illud suscepit, fuit alicubi sub peccato, a quo lavari posset, atque adeo saltem in Adamo illud commisit.

Confir.  
alia.

Confirmatur secundo: nam quia verba sacramenti pœnitentiæ significant absolutionem a peccatis personalibus, nullus qui non habuisset hujusmodi peccata, posset illud suscipere: ut patet in ipsa B. Virgine: de qua tenent communiter Theologi non suscepisse tale sacramentum ob rationem dictam: igitur nisi habuisset saltem in Adamo peccatum originale a quo posset lavari, non susciperet sacramentum baptismi, cujus forma significat prædictam lotionem. Adde ex D. Augustino lib. I de peccat. merit. cap. 28, ubi sic ait: *Neminem unquam eorum, qui ad Christum accesserunt per baptismum, sana fides, et sana doctrina putavit exceptum a gratia remissionis peccatorum*. Ergo si B. Virgo fuit per Christum

baptizata, facta fuit ei gratia remissionis alicujus peccati: et cum non alterius, illius proculdubio quod in Adamo commisit.

168. Dices, probari hac ratione non tantum quod B. Virgo peccaverit in Adam, sed etiam quod manserit sub illo peccato, quousque ad baptismum perveniret: hoc autem est hæreticum: ergo, etc. Sequela ex eo probatur: quia si prædictum peccatum esset ante baptismum illi jam dimissum, nihil adesset tunc a quo ablueretur, et ratione cujus forma baptismi verificaretur.

Objectio.

Pro solutione hujus replicæ oportet amplius declarare, quid significet forma baptismi, et qualiter respiciat culpam originalem, et eam quam in Adamo commisimus. Quod recte explicabitur a simili in sacramento pœnitentiæ, cujus forma significat absolutionem a peccatis personalibus, sicut forma baptismi ab originali: quia sacramenta efficiunt quod significant, efficiunt vero gratiam, eadem ratione dicemus prædictas formas respicere peccatum, sicut respexerit gratia collata per talia sacramenta. Porro gratia collata per pœnitentiam essentialiter habet, quod sit remissiva peccati actualis, hoc est, tendens per se et ex sua natura ad illud remittendum, remittensque de facto, si non invenerit remissum: ad quod necessarium est, commissum fuisse prædictum peccatum: quia sicut peccatum dum non est commissum, per se est incapax remissionis: ita nulla gratia potest per se et ex natura rei tendere ad illud remittendum: semel autem commisso, potest gratia tendere per se ad ejus remissionem, vel conferendo illam de facto, vel confirmando et veluti ratam habendo illam, quæ collata jam fuit.

Diluitur.

Ad hunc ergo modum gratia baptismi dicitur ablutiva et remissiva culpæ originalis, seu ejus quam commisimus in Adamo, quia ex natura sua ad id tendit, remittitque de facto ubi remissa non est: ubi vero remissa jam est, confirmat et ratam habet talem remissionem. Ad quod necessario postulatur præexistentia talis culpæ, sicut in Sacramento pœnitentiæ requiritur præexistentia culpæ actualis: et sicut in hoc non sufficit sola possibilitas ad personaliter delinquendum, ita in baptismo non sufficit possibilitas ad peccandum in Adamo, nisi utrobique peccatum de facto fuerit commissum: quia ut dicebamus, peccatum nondum commissum per se est incapax remissionis, et ideo nulla gratia potest per se tendere ad illud remittendum;

commissum vero ex eo quod remissum jam sit, ad summum per accidens est remissionis incapax, et ita non impedit gratiam per se et ex natura sua ad ejus remissionem tendentem : quia natura gratiæ non attenditur, neque variatur secundum illud quod est per accidens, sed secundum id quod est per se.

Patet ergo, ex nostra ratione non sequi Virginem permansisse sub peccato originali usque ad baptismum : imo nec sequitur contraxisse in sua propria persona tale peccatum : quia ut baptismus et ejus gratia vere dicantur remissiva primæ culpæ, non est necesse ut de facto illam remittant : sed sufficit ut per se ad id tendant : ut autem per se ad id tendant, satis est quod persona baptizanda, fuerit in Adamo sub tali culpa, et in se ejus contractioni obnoxia. Nam sicut prædicta culpa et obnoxietas ad sui expiationem per se semper postulant gratiam baptismi ; quamvis aliquando ante baptismum alia via auferantur : ita ipsa baptismi gratia quandocumque conferatur, semper respicit per se prædictam expiationem ; quamvis aliquando eam jam factam supponat.

169. Alia via urget tertium hoc argumentum D. Augustinus lib. 6 contra Julia. cap. 1 et 2, ubi ex eo quod omnes parvuli indigent baptismo Christi, concludit, omnes illos nasci peccato originali obnoxios. Quia baptizari in Christo juxta Apost. ad Rom. 6, est baptizari in morte Christi : baptizari autem in morte Christi est mori peccato, propter quod mortuus est Christus : atque adeo supponitur, eum qui baptizatur, obnoxium fuisse tali peccato, cui possit mori. Et quia verba Augustini in duobus prædictis capitibus longiora sunt pro hac sententia, lectorem illuc remittimus, paucis inde huc transumptis, quibus præsens ratio urgentius continetur. In primo ergo capite sic loquitur ad Pelagianos : *Quoniam universaliter prolata sententia est : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest intrare in regnum Dei : eadem vos universitas comprimit, dicente Apostolo, Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte illius baptizati sumus. Ergo et parvuli qui baptizantur in Christo, quoniam in morte ipsius baptizantur, peccato moriuntur, etc. Quia non est aliud in morte Christi baptizari, nisi peccato mori. Si ergo (prosequitur inferius) peccato non moriuntur parvuli, procul dubio in Christi morte non baptizantur. Si in Christi morte non baptizantur non in Christo*

*baptizantur. In Christo autem baptizantur : peccato ergo moriuntur. Cui peccato, quæso, nisi quod originale traxerunt ? etc. Et cap. 2 : Sed verte omnes te in facies (loquitur ad Julianum), et contrahe quicquid sive animis sive arte vales. Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus : ergo verum est nos mortuos esse peccato in morte Christi, qui fuit sine peccato. Et inferius : Aut ergo agnoscite, parvulos in baptismo mortuos esse peccato, et fatemini habuisse cui morerentur, peccatum originale ; aut aperte dicite non eos in morte Christi baptizatos, cum baptizarentur in Christo : et Apostolum mendacio redarguite dicentem, Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte illius baptizati sumus. Quæ verba et plura alia quæ omittimus, modusque arguendi et deducendi originale peccatum in parvulis ex baptismatione in Christo, valde premunt, ut intelligamus nemini prorsus eorum, qui in illo baptizati sunt, defuisse peccatum saltem commissum in Adamo, et contractum in debito, cui moreretur per ipsum baptismum : atque adeo vel negandum esse, B. Virginem fuisse in Christo baptizatam ; vel fatendum, prædicto peccato in Adamo, prædictoque debito subjacuisse.*

170. Quarta ratio sumitur ex morte temporali ipsius Virginis : ex qua sic arguitur. Si B. Virgo non peccasset in Adamo, non subjacuisset morti corporali : sed fuit corporaliter mortua, ut tenet Ecclesia : ergo in illo peccavit. Minor et consequentia liquet. Major vero probatur. Tum quia mors non competit humanæ naturæ ex sua primæva institutione ; cum a Deo condita sit immortalis et impassibilis : sed dumtaxat ex Adami peccato : juxta illud Genes. 2 : *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Quod non tantum de morte animæ, quæ est ipsum peccatum, intelligendum esse, sed etiam de morte corporali, cui Adamus et posterius ejus ex tunc jam mansimus obnoxii, conceditur ab omnibus Theologis, ut videbimus infra quæst. 84, art. 5. Et ita dicit Apostolus ad Rom. 5, quod : *Sicut per unum hominem peccatum in mundum intravit : sic etiam per peccatum mors.* Ergo si B. Virgo non fuisset particeps illius culpæ, neque in sententia illa comprehensa fuisset, non descendisset ad eam prædicta mors : cum æquum non sit pœnam extendi ultra demeritum culpæ, aut legis supplicio puniri quem ejus sententia non comprehendit. Tum etiam quia si Adamus antequam

Urgetur  
alia  
via  
eadem  
ratio.

Rom.6.

D.Aug.

Ratio  
quarta.

Genes.2.

Ad  
Rom.5.



antequam peccaret, generaret aliquem filium, et iste etiam non peccaret, nequam moreretur; quamvis ipse Adamus postea delinquens mortem incurreret: non nisi quia talis filius utpote e lumbis Adami jam egressus, non committeret in eo prædictum peccatum: igitur si B. Virgo simile peccatum in illo non commisisset, nequam corporali morti, quæ fuit illius pœna, subjecta mansisset. Eo præsertim quia sicut filio illi orto ante peccatum Adami non modo non deberetur mors, sed positive deberetur immortalitas, quæ omnibus non peccantibus fuerat promissa: ita si B. Virgo in Adamo non peccasset, non solum mortis debitum non incurreret, sed positive deberetur ei immortalitas illa promissa omnibus non peccantibus.

171. Dices, Deiparam debuisse mori non ex demerito peccati Adami, sed (sicut Christus mortuus est) ad delendum illud peccatum. Vel debuit mori, ut Christo morienti et resurgenti conformaretur.

Sed hoc bene impugnat Suarez ubi supra: quia Deus neminem sine ejus culpa privat donis, quæ semel concessit, aut ad quæ concessit jus: saltem quoties ea dona aliis præstantioribus non sunt impedimentum: cum ergo immortalitatem concesserit naturæ humanæ pro omnibus individuis, quæ quidem immortalitas nulli majori bono erat impedimentum, non debuit neque Deipara neque alius simili dono sine prædicta culpa privari. Quod autem dicitur Virginem debuisse mori ad delendum peccatum Adami, etiamsi tale peccatum non eam comprehenderit, falsum est. Tum quia id tanquam contrarium fidei damnat Augustinus lib. 2 de peccat. merit. cap. 35, et lib. 4, contra duas epist. Pelag. cap. 4, verba utriusque loci adduximus § 2, num. 136, ubi doctrina hujus evasionis impugnata fuit. Tum etiam quia pro peccato Adami nullus mortuus est nisi vel ut debitor, vel ut fidejussor: at B. Virgo non fuit mortua ut fidejussor: quia munus fidejussoris, sicut et munus redemptoris proprium est solius Christi, ut vidimus num. 164; igitur fuit mortua ut debetrix, atque adeo ex demerito illius peccati.

Adde, quod cum Deus mortem non fecerit, ut dicitur Sapient. 1, omnis mors vel est pœna peccati Adami, effectusque inde illatus; vel est aliquid ordinatum in remedium et satisfactionem talis peccati: mors autem Virginis non est ordinata præcise in remedium et reparationem peccati Adami:

*Salmant. Curs. theolog., tom. VIII.*

sola enim mors Christi ad id fuit ordinata, fuitque sufficientissime illius reparatio et remedium: ergo mors B. Virginis habuit rationem pœnæ illatæ ex prædicto peccato. Neque Virgo mortua fuisset ob hoc præcise, ut se Christo morienti conformaret, si aliunde non adfuisset moriendi necessitas: sicut non est corporaliter vulnerata, flagellata, aut mortua in cruce propter prædictam conformitatem: non enim spectat ad perfectionem creaturæ rationalis conformari Christo in omnibus pœnis et miseriis, quas pro nobis assumpsit: ut in Angelis constat. Quod ergo fuerit simpliciter mortua, prædictos vero cruciatus perpessa non fuerit, aliunde oriri debuit quam ex motivo conformitatis. Neque aliunde oriri potuit, nisi quia simplex mors erat in illa sicut in cæteris pœna et effectus illatus ex peccato Adami; secus vero illæ aliæ pœnalitates quæ comitatæ sunt mortem Christi.

172. Quinta ratio sumitur ex alio effectu peccati Adami in hunc modum. Si B. Virgo moreretur antequam Christus, non statim sanctissima ejus anima ad cælum evolveret, sed expectaret mortem ipsius Christi in limbo cum cæteris sanctis Patribus; ut docent communiter Theologi, et probat Abulensis paradoxa 5, cap. 162; ante enim Christi mortem janua cæli omnibus erat clausa, neque ab alio quam ab ipso poterat aperiri: sed si B. Virgo non peccaret in Adamo, nec tangeretur demerito illius culpæ, non debuisset a cœli ingressu præpediri, neque esset ratio cur ad limbum descenderet, expectaretque ibi Christi mortem cum cæteris, in quibus tota ratio detentionis et expectationis fuit demeritum illius peccati: ergo, etc.

### § VIII.

*Reliquæ ejusdem sententiæ rationes.*

173. Sexta ratio valde efficax pro ista sententia formatur sic. Si B. Virgo non peccasset in Adamo, non indigeret gratia sibi infusa in instante animationis, ut conciperetur sine culpa originali; imo omni gratia tunc seclusa non posset concipi in illa: sed hoc est falsum: ergo, etc. Major suadetur: tum quia culpa originalis est terminus peccati actualis Adami, essentialiter supponens illud, et inde procedens: et ideo quisquis expers fuisset prædicti peccati, maneret absque alia gratia nedum expers, sed incapax talis culpæ. Tum etiam quia

de ratione culpæ originalis est, ut sit voluntaria voluntate Adami tanquam capitis naturæ, ex qua voluntate culpa ipsa processit: illi autem qui non peccavisset in Adamo, non posset esse ita voluntaria, cum ponatur aliena omnino ab eo prædicta voluntas, et nullo modo in eum influens. Tum præterea, nam ei qui non peccavisset in Adamo, non magis nocuisset peccatum illius eo quod seminaliter ab eo descenderet, quam si non descenderet, sed ex terra vel aliunde a solo Deo produceretur: cum enim Adamus in tali casu respectu illius posterius (saltem in illa actione peccaminosa) non esset caput morale continens ejus voluntatem aut consensum, sed dumtaxat principium naturale, uti sunt reliqui parentes respectu filiorum, processio seminalis omnino per accidens et de materiali se haberet ad prædictum effectum: sicut habet se in reliquis parentibus proximis ad traducenda eorum peccata: sicut ergo quia filii in hujusmodi parentibus non peccaverunt, nullum ex eis hæreditant peccatum, neque ad id opus est gratia; ita quicumque in Adamo non peccavisset, seclusa omni alia gratia, non posset peccatum ab illo contrahere: atque adeo etiam gratia non infusa in instante animationis, conciperetur sine peccato. Ad hæc: etiamsi B. Virgo conciperetur sine gratia, si tamen non peccavisset in Adamo, neque proinde voluntas qua ille peccavit, fuisset moraliter voluntas ipsius Virginis, carentia illa gratiæ cum qua conciperetur, nullo modo esset ei voluntaria: non enim ratio voluntarii aliunde quam ex prædicta voluntate Adami, quatenus fuisset voluntas Virginis, poterat ad prædictam carentiam descendere: ergo neque talis carentia haberet rationem peccati, cum hoc intelligi nequeat, nisi præintellecta voluntarii ratione.

174. Minor vero hujus rationis supponi videtur ab omnibus Catholicis: omnes enim præservationem Deiparæ a culpa originali tribuunt præstantissimæ gratiæ, qua præventa et sanctificata est in instante conceptionis; in quo cæteri omnes ob defectum talis gratiæ in peccato concipiuntur. Nemoque non male audiet, si negare ausus fuerit necessitatem prædictæ gratiæ et sanctificationis ad peccatum originale a Virgine eliminandum. Deinde si B. Virgo conciperetur carens gratia, illa carentia non esset solum negatio, uti esset in statu naturæ puræ, sed esset privatio et carentia formæ sibi debitæ: si enim cæteris omnibus ex Adamo

nascentibus debita erat gratia, et hac ratione ejus carentia est privatio, cur Virgini ex illo procedenti similiter non deberetur? Esset igitur in ea prædicta carentia similiter privatio, ac proinde malum vel solius culpæ, vel pœnæ supponentis culpam: omne quippe malum creaturæ rationalis vel est culpa, vel est pœna supponens culpam, juxta doctrinam D. Thomæ I, p. quæst. 88, art. 5.

Ad hæc: fideles colentes Virginis conceptionem propter immunitatem a peccato, non colunt illam præcise ob peccati negationem independentem a gratia; alias posset coli propter similem negationem illi qui in puris naturalibus sine gratia et sine peccato produceretur: ideo ergo prædictam immunitatem venerantur, quia credunt, illam fuisse effectum gratiæ sanctificantis: si igitur hujusmodi gratia defuisset, defuisset etiam prædicta immunitas: nam deficiente causa deficit effectus.

175: Dices, ipsum *non peccasse Virginem* in Adamo fuisse illi magnam gratiam: quia gratia fuit excipi a lege imposita Adamo de traductione peccati, quæ cæteros ejus posteros comprehendebat. Unde quovis modo sine peccato Virgo fuerit concepta, debet hoc censi effectus gratiæ, ut fideles agnoscunt.

Ex quo ad primum quod in majoris probatione additur, dicendum erit, ex vi illius primæ gratiæ, per quam Virgo fuit a prædicta lege excepta, fuisse illi debitam gratiam sanctificantem infundendam in instante animationis: quia prædicta exceptio facta fuit a Deo ex amore efficaci conferendi talem gratiam: et ita non poterat Virgo in sensu composito illius exceptionis et amoris concipi sine gratia. Ad secundum dici poterit, immunitatem Virginis a peccato coli ratione gratiæ, vel quia fuit simul cum illa saltem concomitanter, vel quia talis immunitas fuit effectus ipsius gratiæ, quatenus fuit effectus illius voluntatis, per quam Deus voluit gratiam conferre, processitque ex amore conferendi illam: sicut media procedunt ex amore finis, et ideo sunt effectus finis.

176. Hæc tamen evasio facile impugnetur. Nam primum quod in ea dicitur, corrumpitur ex doctrina dubii præcedentis, ubi § 5 ostendimus, exceptionem Virginis ab illa lege seu pacto de transfusione peccati (quod simul aut per prius respiciebat transfusionem justitiæ) non fore gratiam aut beneficium,

cium, sed potius beneficii negationem. Unde ex hoc capite nequit immunitas conceptionis reduci ad gratiam; sicut non reduceretur in illo, quem Deus aliunde quam ex Adamo in puris naturalibus produceret. Tum etiam quia admissio prædictam exceptionem habere rationem beneficii, oriri que per se ex aliqua gratuita Dei voluntate, nequaquam tamen ad id postulabatur voluntas conferendi gratiam intrinsecam, sed solum favor quidam extrinsecus non comprehendendi Deiparam sub illo pacto, sub quo casura prænoscebatur: uti fieret illi, quem Deus non crearet, eo quod damnandum prænosceret. Sicut enim adstante hujusmodi favore, omnique alia gratia seclusa, certum esset Virginem non casuram in Adamo, neque peccatum in se contracturam; ita quælibet alia gratia, et voluntas eam conferendi, per accidens et de materiali se haberet ad hanc non contractionem: tota ergo ratio, in quam sicut in causam deberet reduci, esset ille favor extrinsecus, non vero gratia in instante animationis infusa.

Secundum quod dicitur in evasione, etiam corrumpitur: quia sicut exceptio Virginis a pacto Adami non postulabat, neque inferebat gratiam in instante animationis infundendam, sed solum prædictum favorem extrinsecum; ita ex vi illius non erat debita prædicta gratia, sed id solum per quod tempore sanctionis pacti fieret illa exceptio: ad quam satis erat prædictus favor, ex vi cujus, etiam nullo alio dono intellecto, negatum maneret peccatum tempore conceptionis.

177. Ultimum quod additur, quoad primam partem facile impugnatur: quia fideles in Virgine non solum venerantur gratiam concomitantem immunitatem ejus a culpa, sed etiam ipsam immunitatem et peccati exclusionem: unde hanc et non illam tantum confitentur ut sanctam et cultu dignam, non nisi quia est effectus formalis gratiæ sanctificantis: ob idque in natura pura, ubi non esset gratia, immunitas a culpa, cum qua homines nascerentur, non haberetur ut sancta, neque coleretur: ut ergo veneretur in Virgine, debet gratia habere se ad illam antecederent, seu tanquam causa, non vero pure concomitanter.

Quoad secundam partem impugnatur etiam animadvertendo, quod ut aliquid colatur et veneretur ut sanctum, non sufficit esse effectum gratiæ utcumque, puta in genere causæ finalis: quia non omne quod ad gratiam vel sanctitatem ordinatur, tanquam

sanctum habetur: sed debet esse talis effectus, qui involvat ipsam gratiam, adeoque effectus in genere causæ formalis: et ideo quamvis substantia prædestinati et alia ordinis naturæ ordinentur per prædestinationem ad gratiam et gloriam, sintque proinde istarum effectus in genere causæ finalis, non ideo ea colimus aut veneramur ut sancta: quia non sunt effectus in genere causæ formalis involventes ipsam gratiam. Veneramur vero et colimus conversionem et justificationem alicujus, quia sunt effectus formales gratiæ, ipsam includentes. Hinc sic arguitur. Ex eo quod Deus exciperet B. Virginem a pacto Adami ex amore conferendi ei gratiam in instante animationis, solum haberetur, quod talis exceptio, et consequenter immunitas a contractione peccati inde illata, essent effectus ipsius gratiæ in genere causæ finalis, quatenus prædicta exceptio et immunitas ordinaretur sicut ad finem ad gratiæ infusionem; non autem haberetur, quod ipsa gratia in genere causæ formalis ad talem immunitatem concurrat, in cave includatur: igitur non ideo posset prædicta immunitas coli et venerari ut sancta.

Confirmatur: nam supposito quod B. Virgo fuerit excepta a pacto Adami, prius omnino intelligimus eam immunem a contractione culpæ originalis, quam intelligamus infundi ei gratiam: primum enim illud sufficienter intelligitur ex sola exceptione a pacto; ex qua tamen sola non intelligitur secundum: si autem prædicta immunitas esset effectus formalis gratiæ involvens eam, non posset intelligi, non intellecta gratia, ut est per se notum: ergo, etc.

Confirmatur secundo. Si Deus alium alium excepisset a prædicto pacto per decretum producendi illum sine semine viri, quamvis infunderet ei gratiam in instante productionis, non ideo diceretur indignis tali gratia, ut peccatum effugeret, neque immunitas ab eo tribueretur ipsi gratiæ, vel sicut sancta coleretur: quia ex vi prædicti decreti independentem ab illa evaderet immunis: ergo similiter in nostro casu: utrobique enim ratio adæquate excludens peccatum est exceptio a pacto sine indigentia ulterioris gratiæ.

178. Septima ratio affinis huic sextæ sumitur ex doctrina præcedentis dubii, potestque ad hanc formam redigi. Pactum quod Adamus accepit in ordine ad conservationem vel amissionem justitiæ originalis, comprehendebat B. Virginem, sicut cæteros

posteris ipsius Adami : ergo peccatum, quo pactum illud fuit transgressus, etiam Virginem comprehendit, atque adeo peccavit illa tunc, sicut et cæteri peccaverunt. Consequentia liquet : quoniam Adamus pro omnibus illis peccavit, pro quibus pactum acceperat : peccavit enim pro eis, quatenus erat morale ipsorum caput, quod habebat ratione pacti : unde sicut fuit caput omnium, pro quibus illud accepit, ita pro omnibus peccavit, et omnes in eo peccaverunt. Antecedens vero probatur : tum quia prædictum pactum comprehendit omnes descendentes ab Adamo per propagationem seminalem : hanc enim fidei regulam Ecclesia semper custodivit, ut æque patuerit ratio et influxus capitis moralis in Adamo, sicut ratio influxus principii naturalis per prædictam propagationem. Ob idque Sancti et Doctores Christum a primo illo influxu excipiunt, quia exceptum vident ab hoc posteriori, conceptumque de Virgine et Spiritu sancto, ut vidimus a num. 130. Cum igitur B. Virgo per seminalem propagationem ab Adamo descenderit, non est cur exceptam fuisse dicamus a prædicto pacto. Tum etiam quia constitutio illius pacti fuit magnum Dei beneficium erga genus humanum, utpote per quod elevati sunt ad supernaturalem ordinem quotquot pactum comprehendit; juxta dicta dub. præcedenti num. 85, æquum autem non erat, ut negarentur Dei paræ beneficia, quæ cæteris conferebantur. Tum præterea, nam si Adamus non peccaret, B. Virgo hæreditaret ab illo originalem justitiam : cum decens non esset ut cæteris omnibus cum prædicta justitia nascentibus, sola illa tanto dono careret : non autem hæreditaret eam, nisi fuisset comprehensa sub pacto, quia hoc fuerat Adamo tota ratio transfundendi tam peccatum quam justitiam : ergo, etc.

179. Dices, Virginem in illo casu nascituram cum originali justitia, non ex vi pacti Adami, sed ex alio Dei decreto, quo statuit prædictam justitiam illi conferre.

Sed contra : nam in primis gratis fingitur tale decretum, cujus existentia suaderi nequit aliqua sufficienti ratione, aut aliquo Scripturæ vel Patrum testimonio. Deinde vel illud decretum fuit dandi Virgini justitiam originalem absolute et independentem a peccato Adami, vel fuit decretum dandi illam sub conditione, *si Adamus non delinqueret* ? Primum dici non potest, cum videamus de facto, ex quo ille peccavit, non fuisse Virgini collatam talem justitiam. Si

vero dicatur secundum, jam prædictum decretum non distingueretur a pacto communi pro omnibus, siquidem hoc nihil aliud continebat nisi promissionem justitiæ originalis, si Adamus non peccaret, et ejus denegationem si delinqueret. Præterea quovis modo prædictum decretum confingatur, verificari debet quod ratione illius erat promissa et debita B. Virgini justitia originalis, ne in hoc cæteris maneret deterior : et verificatur etiam, quod ratione peccati Adami habuit privari tali justitia, et quod tale peccatum fuit titulus saltem quoad sufficientiam, ut eam non reciperet : ergo fuit comprehensa sub tali peccato : nulli enim potest esse titulus amittendi justitiam aut gratiam, peccatum quod non ipsum comprehendit. Denique sive prædicta justitia promissa fuerit Virgini ex pacto communi, sive ex aliquo peculiari decreto, facta jam promissione, vere illi erat debita : adeoque ejus carentia non esset tantum negatio, sed privatio. Cum ergo peccatum Adami fuerit ei ratio non accipiendi talem justitiam, sequitur quod idem peccatum fuerit ratio et debitum incurrendi ejus privationem, in qua originale peccatum consistit.

180. Dices secundo, B. Virginem fuisse exceptam ab illo pacto, quatenus respiciebatur transfusionem peccati in posteris ; fuisse vero comprehensam sub illo, quatenus respiciebat transfusionem justitiæ. Prævidens enim Deus Adamum peccaturum, noluit Virginis voluntatem quantum ad hunc effectum voluntati ejus committere ; voluit tamen, ut promissio Adamo facta de transfusione justitiæ casu quo non peccaret, ad Virginem se extenderet, ne ab eo beneficio maneret exclusa. Et ideo Adamo non peccante, hæreditaret B. Virgo sicut cæteri prædictam justitiam ; peccante vero, neque justitiam neque peccatum acciperet, quantum erat ex vi illius promissionis.

Sed neque hoc solvit argumentum. Tum quia supposita prædicta promissione, eo ipso quod B. Virgo ob defectum observationis pacti, ab Adamo non acciperet ejus justitiam, debebat accipere, quantum erat ex illo capite, privationem talis justitiæ, cum respectu formæ promissæ et debitæ non detur medium inter privationem et ipsam formam : cum autem talis privatio sit ipsum peccatum originale, plane sequitur in prædicto casu adfuisse debitum, quantum erat ex illo capite, ut ejusmodi peccatum acciperet, licet de facto ob aliam prævenientem gratiam illud non contraxerit. Tum etiam

Effugium aliud

Evertur.

etiam quia pactum, quo Deus promisit Adamo justitiam, et comminatus fuit ejus privationem, erat quædam promissio conditionata, cujus una pars ab alia dependebat, eratque hac ratione prorsus indivisibilis, nullatenusque admittens eam distributionem, quam fingit evasio : et ita vel debuit B. Virgo sub tota illa, vel sub nulla ejus parte comprehendi. Non igitur fieri potuit, ut comprehensa sub illo pacto, quatenus respiciebat transfusionem justitiæ, non contineretur sub eo ut respiciente peccati transfusionem. Quod vero dicitur, Deum scientem Adamum peccaturum, noluisse ei committere Virginis voluntatem, omni caret fundamento, quia ut dubio præced. num. 87 vidimus, commissio illa etiam cum præscientia futuri peccati erat magnum Dei beneficium respectu cujuscunque individui naturæ humanæ, a quo proinde B. Virgo non debebat excludi. Nisi forte alia via absolute et independenter a peccato Adami justitia originalis ipsi promitteretur, et tribueretur : quod cum factum non sit (non enim Virgo de facto justitiam originalem accepit, ut ejus passibilitas et mortalitas ostendebant), liquet eam non debuisse excludi a communi illo beneficio.

181. Denique pro hac sententia esse videtur decretum quoddam Sanctæ Romanæ Inquisitionis, ubi cavetur, ne titulus *Immaculatæ* quo utimur agentes de Virginis conceptione, ipsi conceptioni, sed dumtaxat ipsi personæ Virginis tribuatur, in hunc modum : *Conceptio immaculatæ Virginis*; non in istum, *Conceptio immacolata*. Ita sancitum seu confirmatum fuisse dicitur Romæ ann. 1627, die 23 Februar. et iterum anno 1638, die 28 Aprilis : et tandem anno 1644, die 20 Januarii, meminitque hujus decreti epistola Regis N. Philippi IV. de qua mentionem fecimus supra num. 150. Cum autem prædicto decreto non prohibeamur sentire, et affirmare, B. Virginem in primo instante animationis fuisse sanctificatam, et sine peccato conceptam ; consequenter non videtur prohiberi appellatio *immaculatæ* cadens præcise supra conceptionem passive seu terminative sumptam, quæ non differt a persona concepta. Id ergo solum interdici putandum est, aut saltem credendum est omnino interdici, ne videlicet carentia et immunitas a peccato tunc reperta, aliqua ratione adscribatur conceptioni activæ, seu actioni generativæ; quasi ob id *conceptio immacolata* appelletur, quia in prædicta actione seu conceptione, aut in

dispositionibus ex parte ejus se tenentibus non fuerit vis et necessitas peccatum inducendi, aut quasi non debuisset Virgo illud incurrere ex merito talis actionis seu conceptionis. Porro qui negant, illam peccasse in Adamo, et habuisse debitum, de quo loquimur, totum hoc asserunt : siquidem conceptioni activæ et dispositionibus ex parte ejus se tenentibus negant omnem vim peccati inductivam : alioquin si talem vim eis concederent, ibi jam prædictum debitum agnoscerent, faterenturque Virginem comprehensam fuisse sub peccato Adami, ex quo, et non aliunde poterat vis illa ad ejus conceptionem derivari. Unde juxta eorum opinionem non modo persona Virginis seu ejus conceptio passive accepta, sed etiam prædicta actio et conceptio activa deberet dici *immacolata*, utpote immunis et expers non modo omnis peccati et malitiæ, sed etiam omnis infectionis potentis inducere malitiam et habentis ordinem ad peccatum. Militat ergo directe contra ipsos prædictum decretum: militantque omnia tum ex auctoritate, tum ex ratione hucusque prolata.

En tibi, studiose lector, sententiæ affirmantis B. Virginem peccasse in Adamo, traxisseque ab illo debitum culpæ originalis, præcipua fundamenta, qua valuimus sedulitate et claritate proposita : quæ dum mature perpendis, et quantum ei firmitatis et certitudinis concilient, alia nobis quæstio agenda se offert, neque injucunda neque inutilis, cujus examen, nostrum de hac re judicium manifestare compellet. Illud vero usque modo tacuimus, et usque ad dub. sextum reticebimus, ut ante ejus probationem, eorum quæ in hac materia attendenda diximus, nihil inconsultum relinquamus.

#### DUBIUM V.

*Quæ ex præmissis sententiis magis propitia sit causæ immunitatis Deiparæ?*

182. Causam immunitatis Deiparæ a contractione culpæ originalis ante retro sæculis diu pervexatam, assiduus jam scriptorum labor, et Theologorum valde communis assensus, populorum plausus, piorum ac præsertim magnorum Principum ardens votum ad eum statum perduxerunt, ut ejus Catholica diffinitio non sine spe in desiderio sit. Quandiu tamen ea veritas inter fidei dogmata non collocatur, aut latitudinem opinionis (verissimæ licet, et quæ infra

hanc latitudinem omnem subit probabilitatem et auctoritatem) non egreditur, nullus labor, quo peroptatus ille finis juvari possit prætermittendus est. Cum itaque plurimi Theologi, qui hujus causæ patrocinium susceperunt, ingentem auctoritatum et rationum copiam suis scriptis prodixerint, quibus prædicta veritas valide fulcitur, prædictaque diffinitio directe et quasi a priori ex postulatur; operæ pretium duximus non nihil studii nostri in eandem piam causam impendere, quo veluti a posteriori juvetur, ostendaturque ejus bonitas ex remotione prohibentium, quibus cernitur præpediri.

Neque idcirco labor noster despiciendus, vel posthabendus, quod humilior videatur: nam ut pulchre in prologo Galeato D. Hieronymus: *In templo Dei offert unusquisque quod potest: alii aurum, argentum, et lapides preciosos: alii byssum, et purpuram, coccum offerunt et hyacinthum: nobiscum bene agitur, si obtulerimus pelles et caprarum pilos. Et tamen Apostolus contemptibilia nostra magis necessaria judicat. Unde et tota illa tabernaculi pulchritudo pellibus tegitur et ciliciis, ardoremque solis et injuriam imbrium ea quæ viliora sunt, prohibent.* Pulchre sane et ad rem nostram: fortasse enim aderit ex sapientibus, qui opellam hanc qualemcunque et vilem, contra argumentorum tamen adversæ partis imbrem et ardorem, piam sententiam protegentem, præ aliis sublimioribus pro præsentis causæ statu necessariam judicabit.

### § I.

*Ostenditur secunda sententia favorabilior causæ Deiparæ.*

Assertio  
pro secunda  
sententia.

183. Dicendum igitur est secundam sententiam adstruentem in B. Virgine debitum originalis culpæ, causæ ejus de immunitate ab actuali contractione valde propitiam esse; primam vero quæ prædictum debitum negat, in multis illi officere, et in nullo opitulari. Hanc conclusionem a nemine sub his terminis propositam vidimus, sicut nec præsentem difficultatem ita in particulari excitatam: est tamen adeo consona doctrinæ dubii præcedentis pro secunda sententia, ut plurimos illius sectatores isti suffragium luros minime dubitemus, multosque ex aperto patronos habemus. Adducemus pro omnibus verba P. Francisci Suarez tom. 1 ad 1, 2, D. Thomæ tract. 5,

qui est de vitiis et peccatis disp. 9, sect. 4, num. 11, ubi refertur, quod cum jam senex a quodam socio per literas interrogaretur, an permaneret in illa sententia, quam docuerat tom. 2, in 3 p. disp. 3, sect. 3, asserente nimirum in B. Virgine debitum proximum incurrendi culpam originalem; rescripsit illi sequentibus verbis: *Respondeo, nunquam me eam putasse adeo veram, ac hodie judico: quia cum viderem aliqua eorum, quæ cum pietate dicta et excogitata hactenus sunt, et vellem iis fulcire magis opinionem piam, ex iisdem occasionem habui firmiter adhærendi illi sententiæ quam citato loco sequutus sum* (nempe quod B. Virgo habuerit debitum, de quo loquimur). *Et addo, quemlibet prudentem Theologum Dominæ nostræ valde affectum debere non inclinare ad illud extremum* (videlicet quod prædicto debito caruerit), *quoniam ad honorem Virginis nihil refert, neque immaculatæ Conceptionis veritatem juvat, præbetque occasionem adversariis dicendi non posse nos immaculatam Conceptionem defendere, nisi declinando ad opiniones vel censura dignas, vel diminuentes Christi redemptionem, etc.* Ecce egregius iste Doctor non modo assertionem nostram tuetur, sed admonet quemlibet prudentem Theologum et Dominæ nostræ valde affectum ab illa non recedere, quod ea sententia aptior multo sit ad tuendam Virginis immunitatem; opposita vero veritatem illam non adjuvet, sed potius ei noceat, et ad honorem ejusdem Virginis nihil referat. Idem admonet Ill. D. Joannes Merinero in responsione supra num. 150 citata, proposit. 1, rat. 3, num. 55, et sequentibus: *Quia* (inquit) *opinio negans debitum Deiparæ, præterquam quod omnino aliena sit ab Scoto, difficillima est, et admodum difficilibus principiis subnixæ: præcluditque aditum, ut Patrum testimoniis occurramus, nisi concedendo (ut præfatæ opinionis defensores concedunt) illos in suis assertis inconstantes et sibi contrarios extitisse. Reducere autem controversiam, quæ est inter Catholicos circa præservationem Virginis a peccato originali, ad istas angustias, a sectatoribus pie sententiæ valde cavendum est.* Hæc ille.

184. Ut autem ratione ostendamus quod in assertione statuimus, supponendum est, illam sententiam magis propitiam esse causæ immunitatis Deiparæ, quæ proximius conducit, securiusque viam aptat, ut prædicta veritas (si Deo placuerit) per Apostolicam diffinitionem inter fidei dogmata collocetur:

Suarez.

Merin.

Unde  
sumend  
ratio pr  
assertio  
ne.

locetur : hæc autem erit, quæ evidentius diluit objectiones, et solvit argumenta, quibus opinio asserens conceptionem Virginis in peccato, diffinitioni obsistit, prædictamque veritatem intra limites assertionis humanæ quasi captivam detinet. Sententia vero quæ prædictis argumentis solutionem negat, vel de illis evertendis non curat, quantumvis pro diffinitione pugnare videatur, incassum laborat : cum evidens sit, nihil posse pro vero diffiniri, quod non possit et debeat ab impugnationibus vindicari.

Præcipua autem argumenta, quibus opinio astruens peccatum, a suis auctoribus communiri solet, adeo ut credant, piam sententiam non posse ut veram diffiniri, ad tria capita reducuntur. Primum continet loca Scripturæ, quæ generaliter omnes Adami posteros sub ejus peccato comprehendunt, et nullius præterquam solius Christi admittunt exceptionem, ut vidimus dub. præcedenti a num. 156. Secundum continet testimonia SS. Patrum, quæ et ratione similis generalitatis in aliquibus, et in aliis ratione determinationis ad B. Virginem, non patiuntur eam a prædicto peccato omnino excludi : ut constat ex illorum verbis relatis a num. 131. Tertium caput continet asserta, quæ de B. Virgine, non secus ac de reliquis seminaliter descendentibus ab Adam Catholici fatentur : ut quod fuerit per Christum redempta et reconciliata Deo : quod Christus pro ea mortuus fuit, quod sua morte solvit et satisfacit pro illa : aliaque hujusmodi quæ connexionem habere videntur cum peccato. Cum igitur perspicuum sit, nihil diffiniendum ab Ecclesia, quod hujusmodi testimoniis et assertis præjudicium inferat, frustra laborem impendet pro diffinitione quisquis prædicta asserta et testimonia cum veritate, quæ diffinienda est, non adæquat : atque adeo quisquis objectionibus et argumentis, quæ ex illis desumuntur, denegat solutionem : in quo, quia res est perspicua, non immoramur.

185. Hinc autem formatur ratio pro nostra assertione in hunc modum. Sententia negans B. Virgini debitum ad contrahendam culpam originalem, non salvat veritatem testimoniorum sacræ Scripturæ et SS. Patrum, quæ de hac re loquuntur, neque cohæret cum aliquibus propositionibus, quas Catholici de ipsa B. Virgine necessario confitentur; quæ vero prædictum debitum admittit, omnia illa testimonia legitime exponit, et cum omnibus quæ tenenda sunt,

recte cohæret : atque adeo hæc posterior viam expedit ad diffinitionem veritatis, de qua loquimur; prior vero illi aditum præcludit: igitur illa non prodest, sed officit causæ immunitatis Deiparæ; hæc autem plurimum suffragatur. Consequentia liquet ex iis, quæ prænotavimus. Prima vero antecedentis pars, videlicet sententiam negantem debitum non salvare ea quæ diximus, quantum ad testimonia Scripturæ et Sanctorum suadetur : nam ex prædictis testimoniis illa quæ in generali loquuntur, adeo sunt universalialia, ut neminem præter solum Christum a peccato Adami et obnoxietate culpæ originalis excipi permittant, prout ex ipsis testimoniis legitime expensis videre est dub. præcedenti, § 2 et 5. Quæ autem in particulari procedunt, ita sunt expressa pro B. Virgine, ut tergiversationi locus non detur, ut videre est toto § 3. Unde ea tantum ratione poterit excipi a contractione peccati originalis sine præjudicio prædictorum testimoniorum, quatenus exponenda erunt de peccato commisso in Adamo, et de peccato originali in obnoxietate et in debito. Qui ergo tam a peccato quam a debito excipit Deiparam, vel negabit veritatem prædictis testimoniis, vel argumenta contra Virginis immunitatem ex illis desumpta insoluta relinquet. Deinde prædictam sententiam non salvare alia necessario credenda, præsertim Virginis redemptionem, constat ex dictis toto dub. 3, ubi probavimus, exceptionem B. Virginis a debito culpæ originalis tali redemptioni omnino præjudicaturam : sicut etiam non compati cum reconciliatione Virginis per Christum, cum morte ejus corporali, cum baptismi susceptione, et aliis hujusmodi, habetur ex dictis dub. præced. § 6 et 7, et 8. Frustra igitur laborat pro diffinitione conceptionis extra culpam, qui hac via procedit.

186. Secunda antecedentis pars, nimirum juxta sententiam adscribentem Deiparæ debitum culpæ originalis, negantem vero actualem contractionem, omnia prædicta componi probatur discurrendo per singula : in quo aliquantum immorabimur, quia illud potissime intendimus, ut ex decisione hujus dubii compertum maneat, illa quæ dub. præcedenti ad roborandam secundam sententiam adduximus, et quæ auctores illius, quæ peccatum originale Virgini adscribit, in sui favorem afferre poterunt, non officere piæ sententiæ præservanti illam a peccati contractione; sed convincere dumtaxat debitum, de quo loquimur.

Cajet.

Ad quod præmittere placuit verba Cardinalis Cajetani tom. 2 opusculor. opusc. 1, ubi conceptioni B. Virginis obsequium gerens, et causæ nostræ consulens, magnum discrimen assignat quoad ea, de quibus nunc loquimur, inter sententiam adstruentem in Deipara debitum culpæ originalis, negantem vero actualem contractionem, et inter opinionem seu errorem (ut ipse loquitur) negantem etiam prædictum debitum, his verbis: *Inter has igitur opiniones hæc mihi videtur quoad fidem differentia, quod positio dicens B. Virginem esse præservatam a peccato originali et reatibus, etc. est contraria fidei Catholicæ, quoniam repugnat iis quæ in sacra Scriptura et aliis documentis fidei certis et necessariis continentur. Et inferius: Et ne longius protrahatur hoc, oportet summarie ante oculos habere, quod istæ quinque propositiones sunt omnino confitendæ, scilicet Christus mortuus est pro B. Virgine: B. Virgo est aliquo modo mortua morte peccati: B. Virgo est reconciliata Deo per Christum: B. Virgo est redempta per mortem Christi: B. Virgo etiam post sanctificationem sui, non nisi per Christi mortem aditum habuit paradisi apertum. Quibus adduntur aliæ aut per se notæ: ut quod omnis reconciliatus fuit inimicus: quod B. Virgo mortua est morte temporali: aut determinatæ per Ecclesiam: ut quod omnis homo redemptus a Christo, fuit vere captivus: quod mors est pœna peccati originalis, etc. quæ nullo modo aut vix possunt salvari ab hujusmodi opinione: si tamen opinio nominanda est, cum videatur manifestus error in fide. Damnanda ergo videtur specialiter hæc positio: quamvis neminem adhuc sciam hoc tenuisse. Hæc de opinione negante debitum Deiparæ.*

Idem.

187. De agnoscente vero illud, et solum actualem peccati contractionem negante, ita loquitur: *In secundo autem sensu intellecta opinio de præservatione B. Virginis, scilicet quod præservata est a macula peccati originalis, et non ab infectione carnis, ac per hoc neque a debito in propria persona illius maculæ, non est contraria sacræ Scripturæ, neque determinationi Ecclesiæ, neque aliquibus necessario creditis. Quoniam B. Virgo preservata ex speciali præventionem gratiæ a macula originalis peccati, et habens cætera quæ diximus, non est extra latitudinem mortuorum, inimicorum, indigentium remissione peccatorum, captivorum, habentium carnem peccati, obnoxiorum morti et clausuræ cæli. Et consequenter non est extra latitudinem eorum, pro quibus Christus mortuus est,*

*reconciliatorum, liberatorum, redemptorum, mundatorum, introductorum denique per Christi mortem in vitam æternam animæ et corporis. Et in promptu ratio est: quia ex eo quod habuit carnem infectam cum fomite ligato et reatibus, egebat futuro remedio per incarnationem, et mortem Jesu Christi exhibendo: et ex eo quod in propria persona habuit debitum contrahendi maculam originalis peccati, imo initium unde redundare in animam suam debebat originalis peccati macula, gratia illa, quæ præveniando sanctificavit eam, habuit rationem, gratiæ mundatiæ, reconciliatiæ, redemptivæ, etc. Liberans namque animam a macula non actualiter habita, sed ex propria carne tunc debita, et in eadem carne tunc initiatiæ, non est extra latitudinem liberantium a peccato, mundantium a sorde, redimentium a captivitate. Neque enim uno modo tantum quodlibet horum dicitur sed latitudinem habet. Dicitur namque captivus non solum qui totaliter in captivitatem est redactus, sed qui cæpit in sui aliqua parte duci in captivitatem, et obnoxius est captivitati. Et similiter dicitur mors peccati non solum ipsa actualis mors, sed debitum et initium in propria persona habendi illam. Et similiter dicitur a peccato originali mundatus, non solum qui a contracta actuali macula mundatus est, sed qui a macula, quidem in debito et initio, et reliquis tot quasi partibus peccati originalis actualiter contractis mundatus est, et sic de aliis.*

Idem.

Et inferius: *Salvatur quoque in hac positione singularis prærogativa Jesu Christi, quod solus conceptus est sanctus, et non in carne peccati: non solum quia ipse ex vi suæ conceptionis sanctus nascebatur, sed etiam quia B. Virgo concepta est cum carne infecta, sed cum anima sancta ex gratia impediente redundantiam infectæ carnis in maculam animæ. Salvantur et omnes universales propositiones in Scriptura et Ecclesiæ determinationibus, ut facile puto apparere exercitatis ingenii ex dictis. Hæc, brevitatis causa intersecuimus: sed et plura Eminentissimus Cardinalis. Quæ sane sufficerent ad firmandam nostram rationem, quantum ad testimonia Scripturæ et alia necessario credenda: præsertim cum auctor ubique gravissimus, in hac parte apud omnes sit insuspectus, ut qui non amore sententiæ, de qua loquimur (non enim illam tuetur), sed rei veritate compulsus, ita proclamavit.*

188. Sed ut veritas magis appareat, ostendemus singula, quæ proposita sunt, ex doctrina quàm in hac disputatione tradidimus.

Etenim



Etenim sufficere ad Virginis redemptionem debitum, de quo loquimur, neque requiri actualem contractionem peccati originalis, probatum manet dub. 3, a num. 118. Unde constat rationes aut verba, quæ ad intentum illius dubii ex operibus D. Augustini vel aliunde accepimus, nihil amplius quam prædictum debitum in B. Virgine evincere. Quod etiam satis esse, ut indigeret reconciliatione cum Deo, liquet tum ex dictis dub. 1, num. 49. Tum etiam quia quisquis præcedit vel in se vel in alio sub Dei offensa et inimicitia, indiget mediatore et reconciliatore, qui inimicitiam auferat, et offendentem offenso conjungat : eo ipso autem quod B. Virgo habuerit prædictum debitum, fuit quidem quamvis non in propria persona, bene tamen in Adam sub Dei offensa et inimicitia, fuitque ab eo elongata et differens : igitur habuit opus mediatore, qui solvens illam Adæ inimicitiam, ipsam Deo uniret et reconciliaret. Similiter id satis fuit, ut incurreret mortem temporalem, et ut janua cæli esset clausa pro illa, sicut pro cæteris justis, quousque aperiretur per mortem Christi : quia hæc et similia sunt pænæ peccati actualis Adami, consequentesque illud in omnibus, qui prædictum peccatum in Adamo commiserunt : unde sicut in omnibus permanent post ablationem culpæ originalis, sic potuerunt esse in Virgine sine actuali illius contractione, ex eo dumtaxat quod in Adamo deliquerit. Denique sufficere prædictum debitum in B. Virgine, ut verificaretur quod Christus mortuus fuit et satisfacit pro illa, quod ipsa fuit de numero mortuorum et captivorum per peccatum, aliaque id genus, quæ Cajetanus verificanda dixit, constat ex dictis dub. 1, numero 49 citato.

## § II.

### *Exponuntur loca sacræ Scripturæ.*

189. Veniamus ad loca Scripturæ relata dubio præceden. § 5, quæ sane ad sui verificationem nihil ultra prædictum debitum in B. Virgine exposcere, ex ipsis constabit. Quæ enim afferuntur ex Paulo, et urgentiora videntur, solum loquuntur de commissione peccati in Adamo, et de morte incursa in illo, neque descendunt ad actualem culpæ originalis contractionem in propria persona, ut videre est ad Rom. 3 : *Non est distinctio, omnes enim peccaverunt, et egent gloria, id est, justificationis gratia : ly enim*

*peccaverunt* non sonat peccati originalis contractionem : non enim puer *peccare* dicitur, quando in sua conceptione illud contrahit : sed sonat peccatum actuale commissum ab omnibus, quatenus fuimus in Adamo : seu (quod idem est) commissum ab Adamo ex persona omnium ; quod satis est, ut omnes gratia justificationis indigeant, per quam peccatum in Adamo commissum remittatur, deleaturque macula originalis inde orta, vel orienda impediatur. Clarius cap. 5 : *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, in quo omnes peccaverunt.* Loquitur ergo de peccato, quo omnes peccaverunt in illo uno primo homine, quando (ut ait Augustinus epist. 25, et lib. 4, contra duas epistolas Pelag. cap. 4) omnes in illo unus fuerunt, et ipse pro omnibus peccavit. Hoc autem quod est peccasse in Adamo, et fuisse unum in illo, clauditur in debito, de quo loquimur, ut videre est supra num. 15.

190. Similiter cum dicitur in eodem cap. *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem*, etc. solum denotatur, delictum actuale ab Adamo pro omnibus commissum, fuisse, quantum est ex se, sufficientem causam, ut omnes etiam B. Virgo inde damnationem et maculam originalem contraherent : cui veritati nequaquam opponitur quod ipsa B. Virgo illam de facto non incurrerit propter specialem gratiam talem incursum impediendam, et ab eo præservantem.

Ulterius quod habetur 2 ad Cor. 5 : *Si unus pro omnibus mortuus est : ergo omnes mortui sunt*, etc. legitime exponitur de morte sive corporali sive spirituali solum quoad debitum, qualiter omnes illam in Adamo incurrimus. Tum quia loquitur de præterito : quo pacto non ita verum est omnes in propriis personis mortuos jam fuisse, sicut verum est omnes in Adamo debitum moriendi incurrisse. Tum etiam quia sufficit, quod omnes mortis debitum contraxerint, ut necesse fuerit Christum mori pro omnibus, cum non minus indigeat liberatore, qui est ad supplicium condemnatus, quam qui in ipso supplicio jam tenetur : quod et nihil amplius Apostolus ibi intendebat. Tum denique, nam in prædicto loco sermo est non solum de morte animæ, in qua peccatum consistit, sed etiam de morte corporis, quæ est ejus effectus : est autem satis probabile non omnes de facto corporaliter morituros, licet omnes sub mortis debito teneantur. Sicut ergo non

præjudicaret huic testimonio, quod aliquis speciali Dei privilegio a morte corporali omnibus debita præservaretur; ita non officit ejus veritati, quod Beatissima Virgo speciali Dei gratia præservata fuerit ab actuali contractione mortis animæ, scilicet originalis culpæ, sub cujus debito cum cæteris continebatur.

1 Cor. 15. 191. Non minus clarus est pro hac intelligentia locus ex 1 ad Corinth. 15: *Sicut in Adam omnes moriuntur; ita in Christo omnes vivificabuntur.* Expresse enim est sermo de morte in Adam, adeoque de peccato commisso in illo: neque in hoc aut in cæteris Pauli testimoniis est verbum compellens nos ea in sua universalitate de contractione peccati originalis immediate intelligere: atque adeo etiamsi ut verba sonant, et sine exceptione alicujus accipiuntur, in nullo præjudicant immunitati Virginis a maculæ contractione. Diximus *immediate*, quia non dubitamus haberi ex prædictis testimoniis per optimam, et legitimam consequentiam, omnes eos qui in Adamo peccaverunt contrahere in seipsis, dum concipiuntur, originalem maculam, nisi speciali privilegio præserventur: quod privilegium quia nemini præterquam Deiparæ concessum est, recte Concilium Tridentinum ses. 5, intulit ex testimonio illo ad Rom. 5: *In quo omnes peccaverunt*, etc. omnes seminaliter descendentes ab Adam prædictam maculam incurrere; non tamen comprehendendo sub ea illatione ipsam Virginem Deiparam, sed ab hoc præscindendo.

Concil.  
Trid.  
Rom. 5.

uc. 19.  
Matth. 9  
et 15.

1 ad  
Tim. 1.  
Luc. 15.

Eundem fere sensum habent testimonia Evangelii, quæ adduximus num. 161, ut Luc. 19: *Filius hominis venit quærere et salvum facere, quod perierat.* Matth. 9: *Non est opus valentibus medico, sed male habentibus.* Et iterum: *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Et cap. 15: *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt*, etc. Et 1 ad Timoth. 1: *Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere*, etc. Et parabola pastoris et ovis perditæ, quæ habetur Luc. 15. Quæ omnia probare videntur neminem eorum, pro quibus Christus venit, et mortuus est, excipi debere a numero peccatorum. Ad horum igitur et similium testimoniorum veritatem sufficit, ut omnes homines, comprehendendo etiam Deiparam, peccaverint, erraverint, perierint in Adamo: nam ratione illius peccati, et ratione debiti inde orti, etiam prius tempore vel natura quam in se peccatum contrahant, aut etiam si aliquis,

ut B. Virgo, non contrahat, possunt omnes dici *peccatores*: et quia fuerunt peccatores in Adamo, et quia in seipsis habuerunt esse tales, saltem causaliter et in debito, ut constat ex dictis dub. 1, a num. 45. Stat ergo veritas prædictorum testimoniorum (quibus nulla urgentiora ex Scriptura producentur) cum immunitate B. Virginis ab actuali contractione maculæ originalis, per solam inclusionem sub peccato commisso in Adamo, et sub debito prædictam maculam incurrendi.

### § III.

*Patrum testimonia quæ universaliter loquuntur, legitime explanantur.*

192. In his quæ hactenus tradidimus, convenit nobiscum Cajetanus, et conveniunt aliqui tenentes cum illo, Virginem non fuisse ab originali præservatam; quatenus fatentur, sententiam sibi oppositam non esse contrariam sacræ Scripturæ, neque alicui determinationi Ecclesiæ, neque aliquibus necessario credendis, ut vidimus numero 187, quamvis etiam huic doctrinæ aliqui alii ejus opinionis reluctentur. Omnes autem ad permanendum in sua sententia potissime nituntur testimoniis SS. Patrum, quæ sibi ita expressa apparent, ut congruam expositionem non admittant. Si igitur ex doctrina nostra constiterit prædicta testimonia apte exponi sine præjudicio præservationis Deiparæ a contractione maculæ originalis per solam non præservationem a debito, habebimus remota præcipua impedimenta pro diffinitione, quam optamus. Pro quo revocanda sunt in memoriam, quæ diximus dub. 1 hujus disputationis a num. 15, declarantes prædictum debitum: ac præsertim quomodo claudatur sub eo tam peccatum actuale ab Adamo pro omnibus commissum, quam obligatio et necessitas in unoquoque posterorum inde orta ad incurrandam in propria persona maculam originalem. Simulque præ oculis haberi debent loquutiones, quas eodem dub. 1 a num. 44, ratione prædicti debiti verificari diximus, etiam non secuta maculæ contractione. Dum enim omnia hæc ibi explicuimus in casu fictæ hypothesis, huc respeximus, ut opus non esset iterum ea inculcare. Igitur quæ Ecclesiæ Patres de hac re proferunt, quædam in communi loquuntur, comprehendendo sub peccato omnes posteros Adæ et solum Christum excipiendo: quædam de-

terminate

terminate de B. Virgine id videntur asserere : singula examinabimus in hoc § et duobus sequentibus : incipimus vero ab his, quæ procedunt in generali.

Ambros. August. Primo ergo occurrit D. Ambrosius relatus ab Augustino lib. 2 contra Julia. cap. 2 et cap. 9, cujus verba reddunt hanc propositionem : *Solus Christus non tenetur vinculis obnoxix generationis : cæteri vero omnes sub peccati obligatione nascuntur* : vel ut habet cap. 9, *nascuntur sub peccato*. Hæc autem propositio quoad priora verba legitime exponitur (saltem quod attinet ad Virginem) de solo debito : quia *vinculum, obnoxietas et obligatio*, etiam in rigore terminorum non sonant hoc quod est peccatum habere, sed esse sub debito et necessitate habendi illud. Posteriora autem verba scilicet *sub peccato nascuntur*, quamvis magis peccatum videantur implicare, sufficienter etiam intelliguntur de debito. Tum quia debemus illa exponere per præcedentia, scilicet *nasci sub obligatione peccati*, cum Ambrosius in utrisque eandem sententiam incluserit. Tum etiam quia *nasci* sive *concipi sub peccato* non est omnino idem, ac habere peccatum in conceptione, vel concipi cum illo ; sed dicit habere in conceptione respectum aliquem subjectionis ad peccatum : quem respectum habet, quisquis concipitur sub debito peccatum contrahendi, quia ipsum debitum, etiam contractione non sequuta, est aliquis modus subjectionis, et aliquis respectus ad ipsum peccatum.

August. 193. Secundo occurrit ipse D. Augustinus lib. 1 de peccat. merit. et remis. cap. 20, unde sumitur hæc propositio : *Nullus est præter Christum, qui non ex peccato ad justitiam transierit, et qui nullo unquam peccato fuerit adstrictus*. Sed hæc ultima verba nihil sonant ultra debitum : quia *esse adstrictum peccato* solum dicit esse illi obligatum et obnoxium, adeoque sub debito ipsum incurrendi. Prima autem verba sufficienter intelliguntur de peccato commisso in Adamo : ab hoc enim, prout ante instans conceptionis Deiparæ permanebat pro ea non remissum, factus fuit transitus in illo instante ad justitiam et gratiam illi infusam, per quam remissum fuit, juxta dicta disp. præced. num. 93, et juxta ea quæ dicemus disp. sequenti num. 74, agentes de termino a quo justificationis. Potest etiam dici, B. Virginem in sua justificatione transitum fecisse ad justitiam a peccato originali, non quod habuit, sed quod habere debebat, haberetque de facto nisi in illo instante per

gratiam impediretur : sæpe enim debitum vel jus ad aliquam rem pro re ipsa usurpatur : quia quod prope est ad actum, nihil ab actu differre videtur.

In eodem lib. cap. 21, hæc propositio continetur : *De nullo constituto in hac vita veraciter dici potest, quod nullum habuit peccatum, excepto uno mediatore*, etc. Sed sufficienter, sicut præcedentes, verificatur de Deipara ratione debiti, et ratione peccati in Adamo commissi : quisquis enim in eo peccavit, habuit prout ibi illudmet peccatum. Et insuper debitum contractum in propria persona, potest *peccatum* nuncupari : quia et est peccati originantis effectus, et quantum est ex se, causa originalis : sicut concupiscentia dicitur peccatum ab Apostolo Rom. 7, quia ex peccato est, et ad peccatum inducit. In lib. de perfect. just. circa finem dicit idem Augustinus, neminem esse præter Christum, cui necessaria non fuerit remissio peccatorum. Sed et hoc recte verificatur de B. Virgine sine maculæ contractione ratione peccati commissi in Adamo : quia omnes, qui prædictum peccatum in illo commiserunt, opus habent, ut sibi remittatur, sine qua remissione semper ipsis imputaretur.

Lib. 20 de Civit. Dei cap. 6, sic dicit : *Idem. Omnes mortui sunt in peccato, nemine excepto, et pro omnibus mortuus est Christus*. Respondetur etiam B. Virginem posse dici *mortuam in peccato*, non in propria persona ratione peccati originalis in se contracti, sed in Adamo ratione peccati originantis in illo commissi. Et ulterius potuit dici *mortua in peccato originali*, non secundum actum, sed secundum debitum : pro mortuo enim reputatur, qui est morti obnoxius. Quodlibet autem istorum consonat menti Augustini, quia solum intendit omnes ita esse mortuos per peccatum, ut indigerent redemptione per mortem Christi. Præterea lib. de fide ad Petrum cap. 26, (refertur cap. *Firmissime* de consecrat. dist. 4), de omnibus qui ex viro et fœmina concipiuntur, affirmat, cum peccato originali nasci (loquitur autem de nativitate in utero, quæ est ipsa conceptio, ut notat glossa loco citato). Respondetur sufficere ad veritatem hujus loci, quod omnes cum prædicto peccato concipiuntur, quantum est ex vi seu debito suæ generationis, atque adeo nisi gratia præveniens actualem peccati contractionem impediatur, ut impedit in B. Virgine. Denique lib. 5 contra Julianum cap. 7, omnem carnem præter carnem

Idem. Christi dicit fuisse *carnem peccati*. Sed ad hoc etiam satis esse prædictum debitum, constat ex dictis num. 48.

D.Hier. 194. Tertio occurrit D. Hieronymus super ad Corinth. 5, dicens, solum Christum fuisse immaculatam hostiam oblatam Deo pro omnibus, qui erant in peccato. Respondetur Hieronymum loqui de hostia immaculata omnibus modis, quæ neque in se, neque in Adamo peccati macula aut ejus debito tangeretur: qualem, verum est, non fuisse B. Virginem, quia in Adamo peccatum incurrit, et in se debito subjacuit.

D.Greg. Sequitur quarto D. Gregorius lib. 11 Moral. cap. ult. ubi ait, B. Job unum solum vidisse hominem, scilicet Christum, de immundo semine non conceptum, et qui ita in mundum venerit, ut nihil habuerit de immunda conceptione. Et rursus: *Solus in carne sua vere mundus exstitit, qui delectatione carnis tangi non potuit*: et lib. 18, cap. 27: *Ille solus veraciter sanctus natus est*, etc. Respondetur, omnibus istis loquutionibus excludi a Christo Domino non tantum peccatum originale, sed etiam debitum: quia qui sub isto concipitur, concipitur de immundo semine, et habet aliquid immundæ conceptionis: ipsum enim debitum semen infectum includit, ut explicuimus num. 16. Et propter eandem rationem dicitur solus Christus vere mundus in carne sua et sanctus exstitisse, id est, elongatus et penitus immunis ab omni peccati contagione, quia neque peccatum, neque peccati debitum (quod explicatur per carnis delectationem seu conceptionis libidinem) ipsum ullo modo tetigit. Hoc autem munditiæ et sanctitatis genus non competit Deiparæ, eo ipso quod cum debito peccati fuerit concepta: et ideo quamvis peccatum ipsum non incurrit, excluditur cum cæteris a prædictis loquutionibus, ipsæque soli Christo Domino reservantur.

Origen. Succedunt verba Origenis homil. 12 in Levit. ex quibus sequens propositio conflatur: *Omnis qui ingreditur in hunc mundum per originem paterni seminis, in quadam contaminatione fit, atque in patre et matre contaminatus et pollutus dici potest*. Hæc autem propositio quoad utranque partem exponitur eodem modo, sicut quæ ex D. Gregorio adductæ sunt. Ratione enim infecti seminis etiam ante actualem contractionem peccati potest, qui sic concipitur, dici *contaminatus*, et *pollutus in patre et matre*: imo et aliquo modo in se, quia talis infectio ex parte corporis semper pertingit usque ad personam

conceptam: licet in B. Virgine ob prævenientem gratiam animam non tetigerit.

195. S. Leo Papa serm. 1 de nativitate sic ait: *Dominus noster sicut nullum a reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit*. Et serm. 5: *Solus Dominus Jesus innocens natus est* (nativitate scilicet in utero). Et serm. 8: *In solo Christo erat natura sine culpa*. Et serm. 12: *Solus B. Virginis natus est filius absque delicto*. Prima ex his propositionibus sufficienter intelligitur de debito etiam in rigore terminorum: quia nomen *reatus* indifferenter significat alligationem sub culpa contracta, et obligationem culpam contrahendi, ut observavimus dub. 1, numero 46. Unde cum ejus propria significatio salvetur in hoc secundo sensu, non est necesse quoad Virginem sumere illud in priori. Secunda propositio intelligitur de innocentia omnimoda, et sic est verissima: non enim concipitur ut omnino innocens, qui concipitur sub delicto Adami, et propter illud obnoxius originali maculæ contrahendæ: sicut concipiuntur omnes præter solum Christum, quem nullum delictum nullumve debitum comprehendit. Tertia verificatur de culpa vel contracta de facto vel contrahi debita. Et similiter intelligitur quarta, scilicet de delicto commisso in Adamo, et in se vel contracto, vel contrahi debito: in quo sensu prædictæ propositiones neque Deiparam, sed solum Christum Dominum excipiunt. Possunt etiam omnes illæ aliter verificari, etiamsi intelligantur de peccato formaliter, nam sensus erit, quod solus Christus ex se, ex sua natura, et ex modo suæ conceptionis non potuit illud incurrire, quia ex nullo horum capitum aderat in eo peccati principium: quo pacto nullus alius, neque etiam B. Virgo dici potest peccatum non habuisse; quamvis absolute, et non facta illa reduplicatione, fuerit ab eo immunis.

Uno autem ex his duobus modis intelligentiæ verificantur quæ cæteri Patres affirmant. S. Ephren. serm. de Passione Domini: *Solus Dominus sine peccato erat*. S. Ephr. Greg. Nys. Gregor. Nyssenus: *Solus hic partus masculinus esse conspicitur qui nihil de scditate culpæ portavit*. Cassiodorus psal. 138: *Solus Christus sine peccato esse dignoscitur*. Græcus Anonymus super Lucam: *Solus hic fructus benedictus, quia sine peccato producitur*. Et Cassianus collat. 22: *Immaculatum et sine peccato esse, unius Domini nostri Jesu Christi singulariter convenit majestati*, etc. His enim et similibus loquutionibus, quæ in Patribus reperiuntur,

reperiuntur, solum significatur omnes homines, præter Christum, et peccasse in Adamo, et in propria persona, cum conciperentur, peccati debitum, adeoque infectionem et immunditiam aliquam incurrisse, ratione cujus in aliquo vero sensu dici possint *immundi et infecti*; sive talis infectio pertingat ad animam inducendo culpam originalem, sive animam gratia præoccupante, in carne sistat, ut in B. Virgine accidit: quam proinde non est necesse pro ejus tuenda immunitate a similibus universalibus loquutionibus excipere: præsertim cum tenor verborum suadeat, prædictam exceptionem esse violentam. De Bernardo dicemus § sequenti: modo vero quod attinet ad verba ex epistola ad Lugdunens. relata num. 132, quibus universaliter loquitur, sufficienter posset exponi modo nuper dicto: et nisi addidisset alia specialiora, quæ retulimus num. 142, parum negotii epistola illa piæ sententiæ faceretur.

## § IV.

*Testimonia quæ procedunt in speciali lucem accipiunt.*

196. Veniamus ad loca, quæ in speciali de ipsa Virgine loquuntur, relata etiam dub. præced. toto § 3. Primus est D. Augustini super psal. 34, concion. 2, ubi ait: *Maria ex Adam mortua propter peccatum*. Carpit Granados Cajetanum, quod ita legerit, ut nos, et non sicut ille, *propter peccatum Adæ*. Sed insulse revera, nam in editione Parisiensi anno 1586, omnium emendatissima, solum legitur: *Maria ex Adam mortua propter peccatum*, neque habetur genitivum *Adæ*, quod ex alia editione Granados desumpsit. Et licet veritatis non intersit (subintelligitur enim prædictum genitivum, licet non exprimatur), debuisset censor editiones selectiores consulere, vel a sugillatione abstinere. Ad rem ergo: Beatam Virginem mortuam fuisse propter peccatum, scilicet Adæ, solum probat, peccatum illud ad eam sicut ad cæteros Adami posteros pertinuisse, et ex persona omnium fuisse commissum. Sicut enim ex hoc ipsa Virgo cum cæteris debitum maculæ originalis incurrit, sic etiam incurrit debitum moriendi in pœnam prædicti peccati. Nec repugnat, ut primo illo debito ex Dei dispensatione a sui actu impedito, hoc posterius expeditum remaneat, prædictamque pœnam suo tempore inducat: sicut de facto

in aliis justificatis post ablatam originalem maculam permanet debitum moriendi, ipsaque mors suo tempore infligitur in pœnam illius peccati: de quo diximus supra num. 18.

Secundus Augustini locus adducitur ex lib. 2 de peccat. merit. cap. 24, ubi dicit, carnem Virginis fuisse *carnem peccati*. Et tertius ex lib. 10 de Genesi ad liter. cap. 18, ubi ait, prædictam carnem *fuisse de propagine peccati conceptam*. Utrunque vero sufficienter verificari ratione debiti, etiam sine actuali contractione maculæ originalis, constat ex dictis dub. 1, num. 48, ubi rationem tradidimus; quia humana caro non ideo dicitur *caro peccati*, aut *caro ex peccato*, vel *in peccato*, vel *ex peccati propagine concepta* aut *propagata*, quasi ipsa peccati maculam formaliter in se suscipiat: non enim subjectum peccati quoad suum formale habet esse caro, sed anima: sed ita appellatur, quia est caro fabricata per semen ex peccato Adami vitiatum et infectum, adeoque caro simili modo ex prædicto peccato infecta et vitiatata, suaque infectione et vitio maculæ originalis inductiva: quod totum clauditur in debito, de quo loquimur, ut explicuimus numero citato.

197. Eundem sensum habent verba D. Fulgentii lib. de Incarnatione et gratia Jesu Christi: et D. Ildephonsi lib. contra disputant. de perpet. virginit. B. Mariæ: solum enim continent prædictam propositionem, quod *caro Virginis caro fuit peccati*. Et quamvis Fulgentius addat: *Quæ in iniquitatibus fuerat humana solemnitate concepta*, hoc tamen in idem redit: quia hæc verba non appellant supra personam Virginis, sed solum supra ejus carnem, cum qua dumtaxat concordare debet relativum *quæ*, et adjectivum *concepta*; carnem vero conceptam esse in iniquitatibus vel in peccato, nihil aliud dicit quam esse conceptam per semen vitiatum, et cum prædicta infectione, quæ dici potest peccatum causaliter: non enim major alias iniquitas aut formalior malitia quam hæc causalis potest ad carnem pertinere: vide supra citato num. 48.

Eusebius Emissenus homil. 2 de Nativit. nihil habet, quod sonet ultra debitum, nam utitur ipso nomine *debiti*, et nomine *nexus*, quod idem significat. Verba Chryssippi Hierosol. serm. de S. Maria Deipara, denotant Virginem fuisse lapsam cum cæteris Adami posteris. Sed intelligenda sunt de lapsu in ipso Adamo, quando ille ex om-

Bernard.

D. Aug.

Idem.

Fulgent.  
Ildeph.Euseb.  
Emiss.

Chrysip.

nium persona deliquit. Poterunt etiam exponi de lapsu in propria Virginis persona, non quidem formali, sed radicali et initiativo: ipsum quippe debitum labendi in originalem culpam potest dici *lapsus initiativus et radicaliter*. Locus Damasceni quovis modo legatur, solum probat, B. Virginem sustinuisse mortem corporalem in penam peccati Adami, adeoque commisisse cum cæteris illud peccatum, prout fuit in ipso Adamo. Quod vero inde maculam in propria persona contraxerit, non insinuat prædictus locus.

Damasc. Anselm. Rupert. 198. Duriora sunt verba Anselmi lib. 2, *Cur Deus homo* cap. 16 et Ruperti lib. 1, in Cantic. adeo ut Suario et etiam Vasquezio visum fuerit non habere congruam explanationem. Dicunt enim aperte Virginem fuisse in peccatis et in iniquitatibus conceptam. Sed juxta nostram doctrinam utriusque erit facilis solutio non ex proprio Marte fabricata, sed petita ex ipso D. Anselmo lib. de concept. virgin. cap. 7, ubi cum cap. 6 præcedente dixisset, solam animam sive voluntatem esse peccati subjectum, quærit et explicat, quomodo puer qui concipitur, statim ab ipso conceptionis exordio, quando nondum fœtus informatur anima rationali, sed solum embrio aut semen in utero existit, dicatur jam concipi in iniquitatibus et in peccatis, sic accipiens illud Psal. 50: *In iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea. Videtur itaque sequi (inquit) quod aut infans statim ab ipsa conceptione animam habeat rationalem, aut in eo non est peccatum originale mox cum conceptus est. Quod autem mox ab ipsa conceptione rationalem animam habeat, nullus humanus suscipit sensus, etc. Et infra: Sed si non statim infans ab ipsa conceptione habet peccatum, quid dicit Job Deo: Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu qui solus es? Et quomodo verum est, quod dicit David: In iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea. Quæram igitur, si possum, quomodo quamvis non statim ab ipsa conceptione sit in infantibus peccatum, de immundo tamen semine in iniquitatibus et peccatis concipi dicantur. Sæpe utique divina Scriptura asserit aliquid esse, quando non est, idcirco quia certum est futurum esse. Sic quippe Deus Adæ de ligno vetito dicit: In quacumque die comederis ex eo, morte morieris: non quod ea die mortuus sit corpore, sed quoniam die illa necessitatem accepit aliquando moriendi, etc. Simili modo de immundo semine in iniquitatibus, et pecca-*

*tis concipi potest homo intelligi, non quod in semine sit immunditia peccati, aut peccatum sive iniquitas: sed quia ab ipso semine et ipsa conceptione, ex qua incipit homo esse, accipit necessitatem, ut cum habeat animam rationalem, habeat peccati immunditiam, quæ non est aliud quam peccatum et iniquitas, etc. Huc usque Anselmus.*

Cujus verba et sententiam quisquis præ oculis habuerit, nullo negotio, per doctrinam nostram sine præjudicio immunitatis Deiparæ occurret testimonio ipsius Anselmi et testimonio Ruperti, aliisque similibus, ubi de illa affirmetur, quod fuerit in peccato originali concepta. Constat siquidem ad verificandam ab aliquo hanc propositionem in via D. Anselmi necessarium non esse exspectare instans animationis, illius qui concipitur, ubi peccatum formaliter contrahendum est; sed veram esse toto tempore antecedenti ab initio conceptionis, quando quia nondum est rationalis anima, nondum est formaliter peccatum; ob necessitatem et debitum illud incurrendi. Hac igitur ratione verificari potuit prædicta propositio de B. Virgine ratione prædicti decreti, præscindendo ab eo quod in instante animationis originalem maculam contraxerit. Quod cum Sanctus Doctor ita luculenter declaraverit, superflua erit major expansio prædictæ doctrinæ.

199. Pergamus ad alia, quæ idem Anselmus ait citato cap. 16, ubi continetur hæc propositio: *B. Virgo fuit a peccato originali mundata*: (alia enim quæ ibi habetur, nempe quod caro Virginis fuit *de massa peccatrice*, exponenda est, ut explicuimus Augustinum, Fulgentium et Ildephonsum, appellantes eam *carnem peccati*.) Eundem loquendi modum tenuit Richardus Victor. lib. 1 de Emanuele cap. 12 et lib. 2, cap. 26 et 28, ubi non semel ait, Virginem et ejus carnem fuisse *a vitiorum contagio mundatam et purgatam* prout etiam dixerunt Nazianzenus orat. 42, Germanus Patriarcha in theoria rerum eccles. Nicephorus Constantinop. in epistola ad Leonem III, Petrus Damianus in serm. Assumpt. Et alii alii ex Patribus sic loquuntur. Cæterum ad veritatem prædictæ propositionis sufficit debitum, de quo loquimur, neque necessaria est actualis peccati contractio. Tum quia ratione prædicti debitum contraxit B. Virgo vitiositatem et infectionem inferentes, quantum erat ex se, maculam in anima, a quibus purgata fuit per gratiam earum effectum impediens, et vim omnem illativam ipsius

Idem.

Richardus Victor.

Nazianzenus Germanus Nicephorus Constantinop. Con. Petr. Dam.

sus maculæ extinguentem. Tum etiam quia ut purgatio et mundatio, de qua citati Patres, intelligatur esse non tantum a prædicta infectione, sed etiam ob originali culpa, non est necesse, quod ista præcesserit de facto contracta, sed sufficit quod debuisset præcedere, seu quod præcesserit in debito et radice: reputatur enim quasi jam præsens malum, quod de proximo imminet et timetur: unda quia culpa originalis proxime in prædicto debito imminet, non immerito præsertim ab illa per gratiam Patres dixerunt mundationem et purgationem.

Bern. Sen. Ob eandemque rationem dici potuit *ablatio et remotio talis culpæ*, ut appellavit D. Bernardinus Senensis serm. 4 de concept. B. Mariæ art. 1, cap. 1. Quod vero art. 4, admittit fomitem in B. Virgine, ligatum quidem per primam sanctificationem, et per secundam penitus extinctum, non officit præsentī veritati: quia non repugnat fomitem ex speciali dispensatione separari a culpa originali, et contrahi illa non contracta: sicut separatum fuit debitum moriendi et alia, quæ ex natura rei prædictam culpam consequuntur. An vero de facto B. Virgo fomitem contraxerit, constabit infra a num. 221. Verba Hugonis Victorini lib. 2 de sacrament. 1 p. cap. 5 et Magistri sententiarum in 3, dist. 3, solum continent debitum de quo loquimur: aiunt enim carnem Christi in matre fuisse peccato obnoxiam, sicut reliquam Virginis carnem: quod idem est atque obligatam et sub debito constitutam. Nullus ergo prædictorum Patrum, etiamsi nomina aut verba a propriis significatis non extrahantur præjudicabit veritati articuli cui consulimus, si a prædicto debito Virginem nolimus excipere; cum tamen ea exceptione facta, omni careant probabili expositione.

D. Bern. 200. Non ita sane aliorum qui examinandi supersunt, verba, et sententias liberum nobis erit inoffenso pede percurrere. Epistola enim D. Bernardi ad Canonicos Lugdunenses jam olim multis in hac materia lapis fuit offensionis, et petra scandali: cujus sane verba relata dub. præced. num. 142, cum aliis quæ in eadem epistola et serm. 2 de Assumpt. continentur, pluribus Theologis negotium facessere: nec leviter insudarunt, ut ostenderent intelligenda esse non de conceptione completa, et consummata, qua fœtus anima rationali informatur, sed de antecedenti, et præparatoria, quæ longe ante inchoatur, quando semen in

vulva suscipitur: et de peccato originali non in se formaliter contracto, sed habito dumtaxat in necessitate et debito, juxta doctrinam quam ex Anselmo lib. de conceptu virgin. supra tradidimus. Cui provincie, quia illam docti, et graves Bernardi alumni ex munere susceperunt, præsertim Franciscus de Vivar. in lib. de Bernardo vindicato, et Angelus Manriquez tom. 1 annal. Cisterc. ad annum 1136, cap. 4 et 5, supersedendum duximus, relinquendo lectoris judicio, num prædicti Doctores adeo feliciter sicut erudite, et studiose laboraverint. Id autem est nobis et illis omnino per se notum, videlicet quod saltem sine recursum ad debitum, quod explicuimus, nulla supersit via exponendi mellifluum Doctorem, ne immunitati conceptionis Deiparæ refragetur. Unde quod aliqui neotherici suadere conati sunt, Bernardum neque peccatum originale, neque ejus debitum proximum in Virgine asseruisse, omni caret probabilitate.

Mitius loquitur Albertus magnus aliquibus in locis, ubi quod attinet ad sonum verborum, posset de peccato commisso in Adamo, et de debito inde contracto ad originale incurrendum utcumque interpretari. Qui vero omnia consuluerit, animadvertet non satis hac via mentem illius exponi. Minus autem prædictam expositionem admittit D. Bonaventura, quia illam expresse impugnat in 3, dist. 3, art. 1, quæst. 2. Idem dicendum de Ricardo a S. Laurentio in libris de Laudib. Virg. et de B. Antonino 1 p. tit. 8, cap. 2. At vero Hugo Cardinalis super cap. 7 Ecclesiast. videtur posse probabiliter intelligi, ut immunitati Deiparæ non omnino repugnet. Tum quia potuit referre ibi inter alias illam expositionem non ut sibi veram, sed ex aliorum sententia, et ut probabilem: familiare enim est Scripturam sacram exponentibus afferre omnia, quæ ad loci elucidationem conducunt; quamvis non omnia vera, sed aliqua tantum probabilia arbitrentur. Tum etiam quia cum non nominet expresse *peccatum* vel *culpam*, sed solum *originale*, aliquale dedit fundamentum, ut intelligatur de quolibet ad originale peccatum pertinente, ac proinde de debito contrahendi illud, quod aliquid originale et originalis peccati est. Fatemur vero aliquid esse in textu, cui hæc secunda solutio non satis cohæret.

Vivar. Mauri.

Albert. mag.

D. Bona. Ricard. a S. Lau. D. Ant. Hugo. Cord.

## § V.

*Quid tenendum de mente Angelici Doctoris.*

201. Unus superest examinandus Angel. Doctor : cujus doctrinam, prout præsentem tangit articulum, varie exagitatam, auctores aliqui nolentes piam sententiam illius scriptis deesse, ita modificare, et ad eam temperiem reducere conati sunt, ut præservationi Deiparæ a culpa originali non refragetur. Sed et nos quoque dolentes piæ sententiæ tanti Doctoris deesse suffragium, prædictam concordiam summopere concupivimus. Quid vero si effectus non in omnibus voto respondit? Subjiciemus breviter (neque enim ex professo res agitur); quæ diversis testimoniis accurate inspectis, et inter se collatis de mente Magistri nostri assequi valuimus. In illis igitur saltem debitum, de quo loquimur, contineri, nullaque alia via sine præjudicio immunitatis Deiparæ verificari posse negabit nullus, qui in medio solis nolit cœcutire. An vero prædictum debitum pro vera expositione sufficiat, hoc opus, hic labor est. Quem utinam non subire liceret.

Pro rei ergo intelligentia nota, in scriptis D. Thomæ quædam esse testimonia, quæ non utcumque universos descendentes ab Adam (uno excepto Christo Domino) sub originali peccato comprehendunt, sed id tanquam certum in fide diffiniunt, et oppositum damnant ut errorem. Ita in hoc art. 3, ex quæst. 81 primæ secundæ, et quæst. 4 de Mal. art. 6, et in 4, dist. 43, quæst. 1, artic. 4. In his vero locis non nominat B. Virginem, nec circa illam in particulari aliquid determinat, sed loquitur in generali et in communi, cum sola tamen Christi exceptione. Alia sunt quæ de ipsa B. Virgine determinate asserunt fuisse in peccato originali conceptam, aut non fuisse in instante conceptionis vel animationis, sed post illud instans sanctificatam. Hæc habentur 3 p. quæst. 14, art. 3 ad 1, et quæst. 27, art. 2 in corp. et ad 2 et 3 et 4, quæst. 31, art. 8 ad 2 in 3, dist. 3, quæst. 1, art. 1, quæstiunc. 1, et ad Anibald. eadem dist. quæst. unica, art. 1. Quodlib. 6, quæst. 5, art. 7, opusc. 22, cap. 224, et opusc. 8 circa medium. Psal. 13 ad illa verba: *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*: et alibi. In nullo vero istorum locorum affirmavit D. Thomas aliquid tanquam de fide, neque oppositum suæ opinionis censura

notavit, sed simpliciter tantum illam asseruit.

202. Quod ergo attinet ad prima testimonia, pro comperto habemus, Angelicum Doctorem locutum fuisse de contractione peccati originalis non determinate quoad actum, sed vel quoad hunc vel saltem quoad debitum. Quidquid enim sit, an ipse crediderit, Virginem fuisse de facto in originali conceptam, id tamen de fide esse, nunquam existimavit, neque ex ejus verbis aut rationibus similis error potest deduci, cum sine improprietate aut violentia intelligi valeant de contractione peccati quomodolibet sumpta, adeoque abstrahendo ab hoc quod sit vel solum quoad debitum, vel etiam quoad actum. Fuisse vero hanc illius mentem, et nihil amplius tanquam de fide statuere voluisse constat, tum ex communi intelligentia Thomistarum, quibus hac in parte tanquam piæ sententiæ favente accedendum est. Tum etiam ex ratione, qua S. Doctor utitur: quia videlicet secundum fidem tenendum est, omnes homines præter solum Christum fuisse per eum redemptos: quam rationem probare quidem debitum, sed non amplius, ostensum est dub. præced. a num. 118. Tum præterea nam ipse Ang. Doctor seipsum ita explicuit in 4, dist. 43, quæst. 1, art. 4, quæstiunc. 1 ad 3, utens promiscue et nomine *peccati*, et nomine *debiti*. Postquam enim dixerat, erroneum esse affirmare, quod aliquis sine peccato originali concipiatur præter Christum: quia qui ita conciperetur, non indigeret ejus redemptione, et sic Christus non esset omnium hominum redemptor, subdit: *Liberari autem a malo, vel a debito absolvi non potest, nisi qui debitum incurrit, vel in malum dejectus fuit: et ita non possent omnes fructum Dominicæ redemptionis percipere, nisi omnes debitores nascerentur et malo subjecti: unde dimissio debitorum et liberatio a malo non potest intelligi, quod aliquis sine debito vel immunis a malo nascatur, sed quia cum debito natus per gratiam Christi liberatur, etc.* Vides, D. Thomam non determinate exigere, neque ad verificanda illa, quæ fides tradit, neque ad redemptionis fructum percipiendum, peccatum de facto contractum, sed sub disjunctione vel peccatum, vel debitum: id enim expresse dicunt illa verba: *Liberari a malo vel a debito absolvi non potest nisi qui debitum incurrerit, vel in malum dejectus est.* Et illa: *Nisi omnes debitores nascerentur et malo subjecti.*

Unde

Quid  
priora  
conti-  
neant.

D. Thom.

Duplex  
testimo-  
niorum  
genus  
apud  
D. Thom.



Unde quod Angelicus Doctor in illa solutione negat recursum ad gratiam præservativam : quia tunc beneficium non fieret immediate personæ conceptæ, sed parentibus, etc. intelligendum est de gratia præservante non modo a peccato, sed etiam a debito in propria persona contracto ; talis enim gratia est, quæ solis parentibus fieret, juxta ea, quæ diximus dub. 1, num. 34. Non autem loquitur de gratia ita a peccato præservante, ut in ipsa persona concepta debitum supponat saltem pro aliquo priori naturæ. Hic autem locus ita clarus lucem dat, ut alia ejusdem D. Thomæ ubi suam sententiam de fide esse pronuntiat, non aliter quam prædicto modo accipiantur.

203. Cum igitur ea omnia ita planam intelligentiam admittant, seu potius contineant, et indigent, qui turpiter errare non eligant, jure optimo P. Laurentius de Aponte homil. 59 citata, num. 5 Ferdinandum de Salazar reprehendit, quod in opere de conceptione cap. 42, sæcul. 13, posuerit in cælum os suum audens et dicens, D. Thomam non leviter errasse 1, 2, quæst. 81, art. 3, ubi (ut putat Salazar) sententiam de præservazione Deiparæ ab originali culpa, gravi censura notavit: quam sententiam ex summorum Pontificum decretis constat simili censura feriri non posse: *Asserendum (inquit) omnino videtur S. Thomam, cum eam notam illi imposuit, non leviter errasse, adeoque putandum, eum errorem reliquæ doctrinæ abrogasse fidem, potius quam conciliasse: non jure ipso comparatum est, ut testis illius nulla sit fides, qui suo testimonio aliquid mendacii et erroris manifeste inseruit.* Hæc ille et alia in D. Thomam. A cujus tamen doctrina et scriptis omnem penitus abesse errorem Summi Pontifices non semel proclamaverunt. Nec Salazarius solum in ea censura a reverentia et veneratione Angelico Doctori debita, exhibitæque ab omnibus, alienum se ostendit; sed omnino contra veritatem prædictum errorem illi impingit. Nam præterquam quod censura illa, quæ post Sixti IV constitutionem erronea esset, tempore D. Thomæ non errorem, sed probabilem multorum opinionem continebat; falsum etiam est Angelicum Doctorem notam aliquam piæ sententiæ inussisse: locus enim allegatus ex 1, 2, et alia, ubi assertionem suam de fide esse pronuntiat, et oppositum tanquam errorem damnat, intelliguntur de contractione peccati quantum ad debitum, ut nuper expli-

*Salmant. Curs. theolog., tom. VIII.*

cuius: neque est in prædictis locis verbum aliquod, quod huic expositioni contradicat; imo sunt plura, unde necessario colligitur. Sub prædicto autem debito etiam Deiparam comprehendere tenent tanquam de fide, vel saltem ita certum, ut oppositum sit error, Salmeron, Vasq. Corduba, Egidius, Valentia, et alii immunitatis Deiparæ strenui propugnatores, quos præcedenti dub. § 4 retulimus, dabimusque eorum verba infra a numero 224. Unde cum prædicta loca D. Thomæ nihil amplius contineant, liquet Salazarium non verum errorem, sed a se temere excogitatum illi imposuisse: adeoque (ut argumento ejus utamur) putandum hunc errorem reliquæ suæ doctrinæ fidem abrogasse, cum jure comparatum sit, ut testis illius nulla sit fides, qui suo testimonio mendacium manifeste inserit.

Qui autem minus sapiens stomachum et bilem in D. Thomam ita commovit, movisset etiam in Augustinum, si eum legisset lib. de perfecta justit. cap. 21 et lib. 2 de peccat. merit. cap. 35 et lib. 4, contra duas epistol. Pelag. cap. 4 et alibi, unde D. Thomas assertionem suam deprompsit. Sic enim ait in primo loco: *Quisquis fuisse vel esse in hac vita aliquem hominem vel aliquos homines putat, excepto uno mediatore Dei et hominum, quibus necessaria non fuerit remissio peccatorum, contrarius est divinæ Scripturæ, ubi Apostolus ait: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit: et necesse est, ut impia contentione asserat esse posse homines, qui sine mediatore Christo liberante atque salvante sint liberi, etc.* In secundo ita habet: *Teneamus indeclinabilem fidei confessionem, solus unus est, qui sine peccato mortuus est propter nostra peccata, etc.* Et in tertio: *Pati mortem sine meritis mortis de uno solo mediatore Dei et hominum homine Christo Jesu Catholica fides novit etc.* Vides Augustinum sæpius affirmantem ut notum ex fide, neminem præter solum Christum peccati fuisse expertem. cui tamen nullus Catholicorum errorem a Salazario excogitatum imponere ausus fuit: cur ergo impingendus Divo Thomæ, qui nihil aliud suis assertis affirmat? Etsi verba Augustiniana sensum habent verum et catholicum quem nuper tradidimus, cur Thomistica, quæ ipsissima sunt, in alium accipiuntur?

204. Veniamus ad ea loca, quæ nihil continent censuræ, sed simpliciter tradunt, Virginem fuisse in originali conceptam, aut

August.

Quid tenendum quoad alia testimonia D. Thom.

non nisi post instans animationis fuisse sanctificatam. Hæc autem sincere considerantibus, sive quæ juvenis super sententias, sive quæ senior in Summa Theologiæ aut aliis locis scripsit, ita pro peccati contractione sunt perspicua et sibi ipsis coherentia, ut coram propria conscientia non audeamus illa de solo debito intelligere. Legimus sæpenumero prædicta loca, seriem, verba, et apices attente meditati sumus, summopere cupientes et inquirentes viam, ut sine veritatis præjudicio enuntiare possemus, D. Thomam piæ sententiæ non refragari : illam tamen (quod non sine animi dolore proferimus) usque modo invenire non potuimus. Utinam vel proprio, vel aliorum studio peritiores facti, quam cito inveniamus. Dum autem majori luce non fruimur, satius nobis fuisse arbitramur (insufficientiam nostram hac in re confidentes) quoad unam istam opinionem, quam D. Thomas tunc temporis ut probabiliorem et communem (uti erat revera) sequutus, Thomisticum rigorem assuetum nobis remittere, quam aut extortis et violentis uti expositionibus, quas textus ipse abjicit, aut commentitiis quibusdam solutionibus, ad detrahendum potius D. Thomæ scriptis, præsertim Summæ Theologiæ, temere excogitatis, quas quidam neotherici spargunt, locum aperire. Præsertim cum sciamus, aliquas prædictarum solutionum, et expositionum sine fundamento adductas per sacrum Inquisitionis tribunal condemnatas fuisse, et deleri jussas ex Elucidario Joannis Baptistæ Poza : ut videre est in Indice expurgatorio edito anno 1640. Neque idcirco quia videamur oneri succumbere, affectui nostro in D. Thomam minus aliquid tulisse credimus, aut a fidelissimo ejus discipulatu, quem semper ambivimus, vel minimum defecisse. Tum quia licet prædictæ opinioni non hæreamus; ob reverentiam tamen Angelici Doctoris veneratione quam magna illam prosequimur. Tum etiam quia dum piæ sententiæ subscribentes, non omnia ipsius D. Thomæ loca cum ea adæquamus, non quæ modo ejus sententia sit, putamus deserere; sed quasi per epiikeiam de præsententi intentione supra verba judicantes, menti inhæreremus. An vero si sanctissimus Doctor modo superviveret, in antiqua illa opinione permaneret, vel contrariam amplecteretur? alibi tractabitur.

Prudentissimè  
D. Thomam  
ita sensit.

205. Porro ut ipse olim ita scriberet, coegit unanimis fere assensus pro opposita opinione, quæ tunc temporis ita percrebue-

rat, ut synchronus D. Thomæ S. Bonaventura in 3, ubi supra scriptum reliquerit : *Omnes fere illud tenent, quod B. Virgo habuerit originale*. Et inferius de Sanctis loquens : *Nullus invenitur dixisse, de his quos audivimus auribus nostris, Virginem Mariam a peccato originali fuisse immunem*. Quin et ipse Scotus, qui assertorum immunitatis Deiparæ Princeps habetur, et triginta fere annis post obitum D. Thomæ et D. Bonaventuræ scripsit, cum pervenisset ad præsentem quæstionem, quam in 3, dist. 2 instituit sub his terminis : *Utrum B. Virgo fuerit concepta in originali peccato?* non modo partem affirmativam communem agnovit, sed negativæ difficultatem et novitatem valde timuit. Ob idque præmissis tribus modis, quibus B. Virgo potuit sanctificari, ad articulum de facto accedens, solum ait : *Quod autem horum trium, quæ ostensa sunt esse possible, factum sit, Deus novit : si auctoritati Ecclesiæ, vel auctoritati Scripturæ non repugnet, videtur probabile, quod excellentius est, attribuire Mariæ*. Et inferius : *Si autem teneatur pars negativa, etc.* Ex quibus liquet, illum satis formidasse novitatem prædictæ sententiæ : adeo ut nec tanquam absolute probabilem eam proferre ausus fuerit, sed sub illis conditionalibus : *Si auctoritati Ecclesiæ, etc. Si teneatur pars negativa, etc.* et cum illa formidine, *videtur probabile, etc.* atque adeo constat, tempore illo communem et universalem Theologorum sensum ab opposita fuisse, quæ contractionem peccati affirmat : eamque omnibus probabiliorem, multis vero indubitam probabiliorem, multis vero indubitam extitisse.

Cum igitur res ita se haberent, prudentissime D. Thomas prædictæ sententiæ subscripsit, non quidem ut certæ et indubitatæ, sicut alii, sed ut probabiliori et magis communi, adeoque servans oppositæ suam etiam probabilitatem (qua probabilitate aliquando forte usus fuit). In quo nihil falsum sensisse videtur : quia licet prædicta sententia alias vera non sit, veruntamen est, et verum semper erit, pro tempore illo communem et probabiliorem extitisse. Qua via non incongrue Angelicus Doctor poterit ab assertionem falsi circa hunc articulum in quocunque eventu vindicari : quia qui sequitur aliquam opinionem non a se fabricatam, nec rationibus ex proprio Marte communitam, sed ab aliis, quibus probata fuit tempore quo probabilior haberetur, acceptam, etiam si absolute eam amplecti videatur, revera

revera solum profitetur majorem probabilitatem talis opinionis : et ideo nunquam poterit falsitatis convinci, quia nunquam erit falsum illam opinionem pro illo tempore probabiliorem fuisse ; licet postea falsa aut minus probabilis evadat.

206. Compulit deinde ad ita asserendum magna D. Thomæ reverentia erga SS. Patres, qui ad supprimendam omnino Pelagii hæresim, in id extremum inclinarunt, ut neminem præter Christum a lege peccati originalis exciperent : quorum verba tametsi divina providentia temperaverit, ut possent (quod attinet ad Deiparam) de solo debito exponi, prout nos exposuimus ; non tamen hanc viam oportuit tempore illo ita innotescere, cum adhuc supererant Pelagianorum reliquiæ, nitentium aliquos a prædicta lege extrahere ; quibus pro Deipara permissa prædicta expositione, haud difficile in suæ hæresis favorem ea abuterentur, et alios exciperent. Quod sane eventurum haud obscure colligitur ex Beda in prolog. super Cantic. ubi ait, Julianum Pelagii discipulum ex immunitate Christi a culpa originali voluisse argumentum desumere ad universaliter asserendum : *Nullum esse peccatum congenitum hominibus. quando quidem ille et veritate carnis circumdatus, et maculæ immunis extiterit.* Qui igitur ex immunitate Christi de Spiritu Sancto concepti ita perverse ansam desumebant, ut cæteris hominibus originalem culpam denegarent, quanto magis si immunitas Virginis conceptæ ex viro et fœmina illis proponeretur, uncum inde acciperent ad errorem suum proterve defensandum. Hæc itaque ratio cum aliis in causa fuit, ut vel Deus ante tempora D. Thomæ mysterium immunitatis Virginis non aperte manifestaret : vel Ecclesiæ Patres si illius acceperunt notitiam, non palam de illo loquerentur ; sed viderentur potius sub lege originalis culpæ omnes concludere, cum solius Christi exceptione. Quamvis alias tot laudes et encomia de B. Virgine enuntiaverint, ut non obscure possimus ejus exceptionem ex illis deducere.

Cernens igitur hæc Ang. Doctor, noluit primus novum dogma (a quo pro insita modestia communiter abstinuit) ex proprio Marte introducere : quod forte illa tempestate ob rationem tactam minus proficeret, quam noceret : sed tempori et occasioni cedens, ita calamum temperavit, ut licet a via tunc communi non discederet ; non tamen ei nova tela adversus piam opinionem ministraret, aut rigidus vel importunus

hujus censor et impugnator existeret, sicut alii extiterunt. Evertit accurate illam, quæ ponebat Virginem sanctificatam ante animationem, adeoque sine debito in propria ejus persona contracto, quia vel asserebat rem impossibilem, vel redemptioni plurimum derogabat : quod vero fuerit in gratia, vel in peccato concepta, neque directe aliquando quæsivit, neque omnino per se examinavit, nec circa hoc nimium fuit sollicitus. Ubi tamen occasio se obtulit, sequutus est doctrinam tunc communem et probabiliorem de sanctificatione post animationem et peccati contractionem. In qua neutiquam ipse dux vel antesignanus, ut imperitum vulgus autumat, sed majorum assecla et pedisequus fuit. Idem dicimus de SS. Bonaventura, Alberto, Richardo a S. Laurentio, et aliis, qui ætate illa floruerunt. Nec mirum si prædicta doctrina tunc esset probabilior, quam modo : quia cum probabilitas non sit annexa veritati, imo multa sint falsa probabiliora veris, potest successu temporis, et doctorum hominum studio, aut aliis viis diminui et augeri, ut innumeris aliis opinionibus accidit.

207. Adde, ob aliam rationem debuisse tunc temporis D. Thomam, Bonaventuram, et alios prædictæ opinioni adfavere, et piæ <sup>Tertia ratio ad id compellens.</sup> minus consulere, quia nimirum in rebus ex sola Dei voluntate dependentibus, uti erat Virginem ab originali macula præservare, non est liberum unicuique pro suo captu judicium ferre, sed juxta communes Scripturæ regulas ; dum non apparet specialis revelatio, aut urgens argumentum, quod aliquem ab eis excipiendum persuadeat ; cum autem communes Scripturæ regulæ omnes posteros Adami sub prædicto peccato comprehendant, nec peculiaris revelatio pro excipienda Deipara usque ad tempora D. Thomæ innotuisset, non debuerunt illi, nec debuere antiquiores prædictæ exceptioni subscribere, sed communiter de omnibus juxta prædictas regulas judicare : stabat enim secundum illas pro inclusione possessio, nondum probata exceptione. Secus vero deinceps cum jam talis exceptio (saltem ut probabilissima) satis efficacibus argumentis manifestata est, et comprobata : ex eisdemque probationibus deductum, regulas illas Scripturæ, prout omnes universalissime comprehendunt, non tam de facto quam de jure, seu non tam de actuali peccati contractione quam de ejus debito et obnoxietate esse intelligendas. Ut enim scite D. Gregorius homil. 16. Ezech. *Pei D. Greg.*

*incrementa tempora crevit scientia spiritualium Patrum.* Unde sicut nos modo prudentissime et probabilissime piæ positioni assentimus, propter prædictam specialem notitiam posterioribus sæculis manifestatam; ita antiquiores, quibus nonnisi communes Scripturæ regulæ traditæ erant, æque prudenter et probabiliter oppositæ assensum præbuerunt: imo minus prudenter et minus probabiliter tunc agerent, si aliter opinarentur. Quocirca non defuit ex assertoribus piæ sententiæ, qui hoc nostro ævo eam excitaverit quæstionem: *Quis nimirum sapientius coram Deo egerit, D. Thomas sequendo majorum vestigia pro opinione tunc communi et probabiliori; aut Scotus ab illis recedendo pro ea, quam modo veram existimamus?* Curiosa sane quæstio: quam uniuscujusque Doctoris asseclæ pro suo Magistro decident: qui vero primus illam excitavit, pro Angelico Doctore indubitanter resolvit.

Curiosa quæstio.

Seraphicus Ordo commendatur ab studio erga causam Deiparæ.

208. Absit tamen, ut nos sacro Seraphico Ordini eam gloriam invidemus, aut denigrare velimus, quam ex assertionem et defensione immunitatis Deiparæ præ omnibus aliis Ordinibus optimo jure consequutus est a tempore ipsius Doctoris subtilis Scoti: qui primus scholasticorum (eorum saltem quorum habemus opera) pro tuenda hac veritate, felici sorte in arenam descendit: ex tuncque piæ sententiæ sectatoribus dux constitutus est, et facem accendit. In quo sane licet primus et antesignanus, refragantibusque illius sæculi Theologiæ proceribus, non imprudentiæ vel audaciæ insimulari; sed ut pius ac de Virgine optime meritis commendari debuit. Tum quia ad id forte luce peculiari adjutus fuit, ut nonnulli suorum autumant, nosque pro viri sanctitate et causæ bonitate inficias non imus. Tum etiam quia licet in firmandis rationibus piæ sententiæ, et solvendis objectionibus haud contracto calamo scripserit; in resolvendo tamen ita sobrie et modeste loquutus est, ut ea tantum ejus verba habeamus, quæ nuper retulimus, videlicet: *Si auctoritati Ecclesiæ, vel auctoritati Scripturæ non repugnet, videtur probabile, quod excellentius est, attribuire Mariæ.* Qua modestissima cautaque satis responsione et nos multa docuit, et ipse pius et humilis seipsum subtilem et sapientem superavit. Hujus Doctoris sequuti vestigia cæteri ejusdem Seraphicæ familiæ, tanta vi tantoque successu piam sententiam continuo propugnarunt, ut quicquid secundæ sortis, quicquid bonitatis, et progressus usque modo consequuta

Scotus pius et humil. s.

est, totum illis deberi non dubitemus: sed et felicem quem optamus exitum non aliorum cura vel studio (experientia ipsa testante) futurum arbitramur. Gratulamur itaque, non invidemus huic sacræ et seraphicæ familiæ pro suo in Deiparæ causam singulari zelo et labore, quo cæteras ad idem studium provocat, imo vincit: sed et prædictæ familiæ congloriamur, quod quemadmodum Carmelo nostro tot ante sæcula prima hujus sacramenti revelatio innotuit, juxta ea quæ initio disputationis in præludio observavimus: ita illi plenior lux, perfectiorque notitia per suum subtilem Doctorem in scholastica palestra comparata, felici omine affulxit.

Dum igitur D. Thomæ, D. Bernardi, D. Bonaventuræ, et aliorum Patrum, qui Scotum præcesserunt, etiam in electione contrariæ sententiæ sapientiam et prudentiam commendamus, nequaquam prædictam gloriam Seraphico ordini, eidemque Doctore subtili aliqua ex parte diminuere intendimus; sed sanctorum, ut æquum est, honori et venerationi hac in causa consulimus. Nam ut recte P. Laurentius de Aponte ubi supra num. 6: *Non sic honori Mariæ sanctissimæ addicti esse debemus, ut splendorem et majestatem SS. Doctorum denigremus: sed Dominum N. Jesum Christum imitantes, qui ut adnotat Cyrillus lib. 3, in Joann. solebat Sanctorum virorum gloriam non deprimere, sed confirmare: sic nos Virginem sanctissimam defendamus, ut semper sarta tectaque sit Sanctorum auctoritas, et dignitas.* Hæc ille immunitatis Deiparæ acerrimus defensor.

209. Ex dictis satis probatum credimus illud, quod in ratione num. 185, assumpsimus: nimirum juxta sententiam affirmantem in B. Virgine debitum culpæ originalis etiam sine actuali contractione, legitime explicari fere omnium Patrum testimonia, quæ de hac re loquuntur: cum ita exponi valeant supra viginti sex ex antiquioribus, ut vidimus a num. 192 usque ad num. 200. Quod si aliqua D. Thomæ loca eam intelligentiam non admittant, admittunt saltem alia ubi pressius loquitur, et doctrinam tradit de fide. Unde prædicta sententia viam parat, ut veritas, de qua loquimur, sine communi præjudicio SS. Patrum diffinitioni mandetur; cui tamen diffinitioni opposita opinio negans prædictum debitum iter ocludit: atque adeo illa est valde propitia causæ immunitatis Deiparæ, cui consulimus; hæc vero inimica et adversaria.

Neque

Neque huic rationi excogitabitur evasio fundamento subnixæ, aut aliquid opponetur, quod non facile diluatur ex illo principio quod supra tetigimus, nimirum quia Ecclesia tanti semper habet SS. Patrum auctoritatem et doctrinam, ut contra illorum communem assensum ad diffiniendum aliquid processura non sit, sicut neque usque modo processit: memor illius oraculi: *In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia.* Job. cap. 12. Et Eccles. 8: *Non te prætereat narratio seniorum: ipsi enim didicerunt a Patribus suis.* Ex hoc autem principio in Ecclesia firmiter observato, et ex insufficientia opinionis negantis debitum ad exponenda loca Sanctorum, quæ dub. præcedenti adduximus, ruent quæcunque evasiones aut objectiones adversus rationem nostram poterunt excogitari, in quibus proinde non immoramur.

## DUBIUM VI.

*Quæ ex prædictis sentiis vera censenda sit: et qualiter contrariæ fundamentis occurrendum?*

Resolutio dubii 4, quæ scopus est totius disputationis, quamque ob rationem ibi insinuatam usque modo distulimus, majorem suspensionem non patitur: cum omnia hactenus tradita ita iudicium determinant, ut electioni vix locum relinquunt.

## § 1.

*Auctoris iudicium.*

210. Statuimus itaque pro conclusione secundam sententiam illic propositam, et probatam, quæ debitum culpæ originalis ortum ex pacto et peccato Adami in B. Virgine fuisse agnoscit: primam vero quæ prædictum debitum negat, omnino rejicimus. Cogimur ad ita pronuntiandum primo testimoniis sacræ Scripturæ, quæ prædictam secundam sententiam efficaciter persuadent, nec possunt juxta oppositam salva consistere: ut constat ex dictis a num. 156, ubi ea adduximus et expendimus. Secundo testimoniis supra triginta Ecclesiæ Patrum relatis a num. 130, quæ illam ita evincunt, ut nulla alia via interpretationem admittant, nisi omnino violentam et extortam. Tertio auctoritate illorum centum quadraginta gravium Doctorum, quos retulimus a num. 149, quorum communi assensui nefas sit

refragari, aut contra tantam nubem testium interpositam aliud sentire. Præsertim cum eorum non pauci graves et docti, immunitatisque Deiparæ assertores acerrimi, primam illam opinionem negantem debitum hæreticam vel erroneam aut temerariam arbitrentur, et has ei notas inurant, ut videbimus a num. 224. Quarto movemur octo rationibus pro eadem sententia efformatis supra a num. 162, quæ valde efficaces sunt: præsertim illa quæ sumitur ex Virginis redemptione, pro qua toto dubio 3 laboravimus, quæque iudicio nostro veritatem hanc demonstrative convincit. Et licet aliquibus illarum excogitari possint novæ evasiones, novæque objectiones in eas efformari, haud difficile tamen erit ex doctrina hujus disputationis evasionibus aditum præcludere, et objectiones omnino enervare: ob idque, simul et consulendi brevitati gratia, neque ibi pro omnibus prolixè immorati sumus, neque hic iterum immorabimur.

211. Denique compellit nos prædictam sententiam indubitanter amplecti, præcedentis dubii resolutio et doctrina, ex qua constat illam valde propitiam esse causæ immunitatis Deiparæ, dum ejus diffinitioni viam parat; e contra vero oppositam inutilem, imo inimicam illi existere, dum iter occludit prædictæ diffinitioni. Quæ sane ratio urgentissima esse debet apud omnes, qui ex corde affectant, ut præservatio Virginis gloriosissimæ a contractione maculæ originalis inter fidei dogmata numeretur. Qui autem opposita via gradiuntur, vel ex hoc convinci debent non desiderare hujus articuli diffinitionem, sed potius continua bella et lites in hac materia: quia si eorum positioni standum sit, prædicta diffinitio vel redditur impossibilis, vel saltem difficillima: cum ex hucusque dictis nemo non videat, ea quæ Scriptura docet, quæ Ecclesia credit, quæ Patres communiter tradunt, vel nullo modo, vel difficillime verificari posse (prout necessario verificanda sunt, ut diffinitioni locus servetur) sine recursu ad debitum, de quo loquimur.

Præterea nullus vel cæcus negare potest, piam sententiam, quæ subnixæ prædicto debito, prout a suis præcipuis assertoribus tradita fuit, non pauca ardua et difficilia superavit, novæ huic viæ alligatam, novis difficultatibus ex ipsa debiti negatione insurgentibus intricari, novisque obicibus præpediri, majorisque futurum molis, si nova hæc velimus devincere, quam fuit priora

Job. 12.  
Eccles. 8.Eligitur  
secunda  
sententia.Motiva  
ad eligendum.Motivum  
aliud.

adæquare. Qui igitur hac nova via graditur, non diffinitionis brevitati consulit, neque pro hujus causæ celeri felicitique expeditione laborat; sed iterum bella concitat, novasque reducit lites, quibus prædicta diffinitio implicata diutius protrahatur. Sane cum videamus, Sedem Apostolicam fere ab hinc ducentis annis pro hujus articuli declaratione iterum atque iterum summis precibus exorata, nihilominus eam suspendere, expectare credenda est, ut ea quæ ex Scriptura et Patribus difficultatem ingerunt, sufficienti probabilitate omnino evincantur: quare ii tum demum prædictam declarationem avidius, et sapientius quærere dicendi sunt, qui planiori faciliorique via intra latitudinem probabilis loca Scripturæ et Patrum ad eum sensum reducunt, ut decernendæ veritati non adversentur, sed potius adæquentur. Hoc autem facilius et evidentius præstari juxta sententiam adstruentem debitum, quam juxta negantem, nemo inficias ibit: cum notum per se sit, omnia testimonia quæ sine recurso ad debitum utcumque explicari possunt, facilius, et evidentius explanari cum prædicto recurso: et insuper non pauca, quæ negato debito, omnino carent probabili solutione absque præjudicio piæ sententiæ; illo concesso sine tali præjudicio probabilissime declarari. Jubet igitur recta ratio, ut qui causam hanc non obicibus implicare, sed facilem et cito expeditibilem reddere curant, opinione negante debitum de quo agimus, penitus rejecta, astruente illud omnino subscribant.

Confir-  
matio.

212. Quæ omnia efficaciter confirmare possumus ex modo procedendi in hac materia, quem apud auctores illius opinionis reperimus. Eorum enim major pars omnia illa, quæ dub. 4, pro sententia nostra adduximus, vel nullo modo, vel primis tantum labiis degustarunt proindeque absque solutione penitus reliquerunt: quasi sat eis fuerit sine firmitatis et veritatis examine novum aliquid ad plausum protulisse: aut quasi in supremo causæ discrimine perfunctorie agenda res sit; et non singula severe et radicitus exploranda. Alii vero, qui Patrum testimonia Virginem sub peccato claudencia præviderunt, duplici via ea enervare conati sunt. Primo enim quia juxta sua principia non adest recursus ad contractionem peccati solum quoad debitum aut ejus commissionem præcise in Adamo (quo pacto possunt prædicta testimonia suaviter exponi, et a nobis exposita sunt) indubitanter concedunt contineri in illis

actualement peccati contractionem, pluresque ex Patribus asseruisse. Dicunt tamen non esse quoad hoc eorum auctoritati deferendum: *Quia in ea sententia mobiles et inconstantes fuerunt* (ita illi loquuntur) *adeo ut quæ modo aiebant, iterum facile abnegarent.* Secundo (unus tamen aut alter) minoris adhuc SS. Patrum auctoritatem pendentes, dicunt non omnino obesse illorum scripta: quia potestas Romanæ Sedis in ordine ad statuum aliquid de fide superior est, et nullis cæterorum Doctorum suffragiis alligata. Referuntque speciales casus, ut suadeant, Ecclesiam de facto contra valde communem Patrum consensum aliqua diffiniisse.

213. Sed utranque istam solutionem, credimus non levem injuriam inferre tum ipsis SS. Patribus, quos inconstantia gratis et immerito insinuat, et eorum auctoritatem satis parvipendet: tum etiam Ecclesiæ, quæ illos summa veneratione prosequitur, ut quorum sententiis et doctrina hæreticorum machinas secure evertit, communesque ictus feliciter elidit. Id quod satis superque esset pro prædictarum solutionum explosione. Sed adhuc prioris falsitatem, et quantum causæ immunitatis Deiparæ officiat, ostendit citatus D. Joannes Merinero in Respon. superius allegata, priori proposit. rat. 3 a num. 54, ubi sic ait: *Sed antequam ad ulteriora progrediamur, animadvertere necessarium duxi, sapientissimum P. Ferdinandum de Salazar sibi objecisse auctoritates Patrum, in quibus ad extirpandam hæresim Pelagianam absolute pronuntiant: Omnes descendentes ex Adamo, excluso Christo, contrahere peccatum originale, vel Virginem peccatum originale contraxisse, et his similes. Et cum in suis principiis ad eas respondere non posset id quod communiter sectatores piæ sententiæ respondent, scilicet in prædictis auctoritatibus Patres solum intendisse statuere contra Pelagium, omnes descendentes ex Adamo per seminalem propagationem ex vi pacti seu legis universalis contracturos peccatum originale, seu, quod idem est, habere debitum contrahendi illud, imo quod de facto illud contrahunt, nisi speciali privilegio ab actuali illius contractione præserventur: prædictum Patrem huic tam levi oneris succubuisse, affirmando, sicut de facto affirmat, in prædictis auctoritatibus Patres sententiam contrariam piæ sustinuisse, sed non propter hoc pro sententia contraria piæ esse numerandos, quia in aliis locis meliora sapientes oppositum sustinuerunt, ut ex locis supra adductis constare potest. Ecce prior solutio:*

accipe

Vindican-  
tur  
sancti  
Patres.

Meri-  
nero.

accipe vero ejusdem Doctoris impugnationem.

Idem.

*Sed bona venia, hæc solutio a sectatoribus piæ sententiæ maxime cavenda est. Primo quia nititur principio admodum difficili, etc. Secundo quia solutio ista Patris Salazar, quæ admittit plures Patres aliquibus in locis sustinuisse, Virginem de facto peccatum originale contraxisse, tela præbet adversariis, quibus resistere non potuit auctor iste, nisi admittendo, Patres istos inconstantes fuisse et sibimet ipsis contrarios, quod sustinere non decet: Patres enim in suis assertis constantes fuerunt, et nullibi sibi contrarii. Nam cum disputant contra Pelagium, semper statuerunt, ex vi legis seu pacti universalis omnes descendentes ex Adamo per seminalem propagationem (sine exceptione Virginis) non solum contracturos peccatum originale, sed quod de facto, secluso privilegio, illud contrahunt, etc. Hæc Ill. Antistes. Quibus etiam adde, quod cum auctor illius solutionis primam ejus partem, videlicet multos SS. Patres tenuisse contra Virginis immunitatem, serio affirmaverit; secundum, nempe revocasse illos prædictam sententiam, nullo legitimo testimonio aut firmo argumento valuit persuadere. Quæcunque enim loca ex iisdem Patribus in contrarium adducit, vel nihil pro re continent, sed communes Virginis laudes et generales locutiones, quæ contractioni peccati, vel saltem ejus debito nulla ratione opponuntur. Vel talia loca spuria et incerta sunt, ex similibus libris decerpta seu relata; vel truncata aut falsificata leguntur: ut si volueris perscrutari, facile deprehendes.*

Vindicantur iterum.

214. Non minori autem jure rejicienda est secunda solutio: quia dum Ecclesiæ Doctores parvipendet, ab hæreticis stat, et ipsam Ecclesiam exarmat, demens huic fortissima tela, quibus illi feriuntur. Cum enim hæretici pravis et extortis Scripturæ intelligentiis in propriis se dogmatibus tueantur, nec semper ex solo grammaticali verborum sono ita convinci valeant, ut non sit opus formalio rem sensum inquirere, alias vero infallibili Ecclesiæ declarationi ipsi non credant, opus est ad Sanctorum et antiquorum Patrum expositionem recurrere: quibus doctrinæ et vitæ splendor, ipsaque per se venerabilis antiquitas tantum auctoritatis et fidei etiam apud Ethnicos conciliarunt, ut vel ipsi hæretici eos pro suis dogmatibus esse vellent, sibique non adversari ubique exambiant: ne si illorum communi assensui aperte repugnarent, a suismet sequacibus

male audirent, et despectui haberentur. Ob idque dixit D. Hieronymus in epist. ad Damasum, de prædictis hæreticis loquens: *Nihil aliud ambiunt, nisi ut auctoritate communionis nostræ fulti, prædicent, etc.* Quæcunque ergo solutio vel opinio in id inclinet, ut SS. Patrum auctoritatem et doctrinam minoris pendat, vel non pro viribus tueatur, cavenda est viro Catholico, velut male olens, et in ordine ad fidem suspecta.

Et sane (ut in casu nostro versemur), cum omnes Catholici compertum habeamus, Romanum Pontificem in omnibus, quæ de fide loquitur, infallibilem habere Spiritus-sancti assistentiam, nullatenusque errare posse; non est ad præsens disputare, quid ipse possit facere in hac vel illa causa de lege (ut sic dicamus) absoluta, sed quid re ipsa faciet, prudenter et juxta communes Ecclesiæ regulas operando, seu quid in similibus facere soleat, et suo modo debeat, ut attentam adhuc communi prudentiam, digne et sapienter operetur. Neque enim immunitatis Dei paræ assertores id intendere debent, ut necessarium sit Pontifici pro ejus diffinitione ad prædictam legem absolutam recurrere: sed ita res disponere, et difficultates hujus materiæ evincere, ut attentam communi lege, suavique operandi modo, juxta quem Ecclesia regulariter procedit, prædictam diffinitionem quam citius expediendam possumus expectare. Porro Pontifices in similibus summopere attendere, ea quæ SS. Patres tradunt, neque ab eorum communi consensu aliquando recedere, constans est inter Catholicos: qui in quovis fidei conflictu iis potissimum armis adversus hæreticos decertant, quæ sibi Patrum opera subministrant: quæ proculdubio facile ab illis spernerentur, nisi ipsa in primis Ecclesia eorundem Patrum doctrinam summopere custodiret, aut si aliquando minoris faceret, vel parvipenderet. Quo circa cap. *Prima salus*, 25, quæst. 1, ex Hormisda Papa sic dicitur: *Prima salus est rectæ fidei regulam custodire, et a constitutis Patrum nullatenus deviare*: et cap. *Contra statuta* eadem quæst. ex Zozimo: *Apud nos inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum sanxere reverentiam*. Ita Patrum sanctiones et doctrinam Ecclesia observat, suspicit, veneratur.

215. Et merito quidem, nam ut recte vidit Vincentius Lirinen. in suo Commonit. Lirinen. adversus profanas novitates cap. 6, innumera in Ecclesia mala introducta sunt: *Dum bene fundata antiquitas scelestam novitatem subruitur, dum superiorum instituta*

*violantur, dum rescinduntur scita Patrum, dum convelluntur definita majorum, dum sese intra sacratæ atque incorruptæ vetustatis castissimos limites profanæ ac novellæ curiositatis libido non continet.* Antiqui enim

Cassiod. Ecclesiæ Doctores (teste Cassiodoro apud Gisler. cantic. 3, versu 7) sexaginta illi fortes sunt, qui lectum Salomonis, ipsam scilicet Ecclesiam indefesse custodiunt, dum illam suis sententiis et scriptis adversus hæreticorum tela communiunt, et defendunt. Imo ipsi sunt (ait D. Prosper lib. 2 de vita contemplat) qui per Dei gratiam fiunt divinæ voluntatis indices, ecclesiarum Christi post Apostolos fundatores, fidelis populi duces, veritatis assertores, pravæ doctrinæ hostes, patres in fide Catholica re-generatorum, prædicatores caelestium, primi phalanges invisibilium præliorum, exempla bonorum operum, documenta virtutum, et forma fidelium. Ipsi sunt Ecclesiæ duces, ipsi columnæ firmissimæ, quibus in Christo fundatis innititur omnis multitudo credentium, etc. His et aliis quæ omittimus, satis edocemur, quæ sit in Ecclesia SS. Doctorum existimatio et reverentia, et quam longe ab ea sit illorum doctrinæ et communi sententiæ refragari. Unde quod juniores aliqui, quibus non ita acceptum it Majorum doctrinis alligari, proferre ausi sunt, sedem Apostolicam de facto contra Doctorum Ecclesiæ sensum aliquas veritates diffinisse, falsum omnino est, falsisque narrationibus et allegationibus fultum : nisi forte cum ipsi Ecclesiæ Doctores ita inter se dissident, ut pro neutra parte eorum consensus possit dici communis. Quod in casu, de quo agimus, locum non habere, sed communiter a nobis stare, ostendunt illa, quæ dub. 4, § 2 et 3 tradidimus.

Ad hæc, cum ita sint, videat quilibet im-munitatis Deiparæ assertor et amator, qua supervestita specie pia sententia supremo coram fidei iudice gratior assistet, securiorque optatam ejus benedictionem assequetur, nostra nimirum, quæ etiam sine ulla culpa vel macula in ipsa Virginis persona, tantum cum debito, omnia quæ Scriptura docet, quæ Ecclesia tenet, et quæ SS. Patres affirmant, sarta et tecta custodit; aut vero illorum, qui debitum negantes, prædictam sententiam nudam penitus argumentorum jaculis exponunt, vel illi ex ficta SS. Patrum inconstantia et vertibilitate, aut etiam ex neglectu et omissione erga ipsos, quo se tueatur, cingulum aptant?

Evasio. 216. Dices, auctores quos impugnamus,

non alligare piam sententiam suæ opinioni : nam cum fateantur, nostram esse probabilem, consequenter dicent, posse in prædicta causa utraque via incedi, sumendo ex unaquaque opinione, quod favorabilius sit, adeoque recurrendo ad nostram pro solutione argumentorum, quæ juxta ipsorum viam nequeunt ita bene dissolvi.

Sed hoc facile refellitur : nam vel prædicti auctores volunt suam opinionem esse tantum probabilem, non tamen et veram ; nostram autem veram esse, et non tantum probabilem : vel e contra? Evidens namque est utranque veram esse non posse. Si primum, nobis assentiunt : qui potissimum intendimus demonstrare veritatem nostræ sententiæ, nec multum curamus, an opposita, supposito quod sit falsa, probabilis sit vel improbabilis. Si autem (ut dicent) dicas secundum, eo ipso tenentur omnia quæ contra piam sententiam militant, juxta suam opinionem adæquare, neque ad nostra principia pro aliquorum solutione recurrere. Nam omnis opinio vera et non tantum probabilis, vere et non solum probabiliter debet juxta sua principia salvare veritatem pro cujus defensione laborat, debetque omnia illa verificare, quæ cum prædicta veritate habuerint necessariam connexionem : ita ut ei opus non sit ad contrariam opinionem, quam falsam arbitratur, pro aliquo istorum recurrere. Sicut enim ex vero nunquam sequitur falsum, sed semper verum ; ita nunquam habet necessariam connexionem nisi cum vero : ac proinde omne id, cum quo habeat talem connexionem, debet esse verum, juxta axioma commune quod *verum vero consonat*. Ut igitur opinio quam impugnamus, vera et non falsa esse comprobetur, necesse est ut suis adstricta principis, et sine recurso ad aliquid quod falsum existimet, uti existimat nostram sententiam, veritatem præservationis Deiparæ, in cujus obsequium laborare dicitur, et omnia necessario illi connexa tuta et illibata conservet. Unde si inter hæc dentur aliqua, quæ juxta prædictam opinionem salva non consistant, sed necesse habeant ad nostram doctrinam recurrere (ut multa id genus inveniri ostensum est dub. præcedenti) eo ipso convincitur non illam, sed istam veritatem continere ; quicquid sit de probabilitate.

217. Ad hæc : nostræ sententiæ defensores pro tuenda prædicta veritate in nullo recurrunt ad opinionem negantem debitum, neque illa pro alicujus argumenti solutione,

Refellitur.

aut



aut pro firmanda aliqua ratione utuntur : et si in aliquo ad hujusmodi recursum vel usum teneremur, inde saltem deberemus falsitatis convinci ex illo principio, quod non potest esse vera sententia, quæ omni vero non consonat, et omnia vera non salvat. Ergo ut prædicta opinio vera et non falsa comprobaretur, deberet sine recursum ad nostram, prædictam veritatem defendere ; sin minus ex hoc jam convincetur manifestæ falsitatis, quia aliquod verum non salvat, neque illi consonat. Adde secundo, quod in supremo et finali hujus causæ judicio omnia cum quibus habet necessariam connexionem debent juxta veram sententiam adæquari ; nulla autem juxta falsam sive probabilem sive improbabilem : non enim segura esset veritas connexa alicui falso : igitur qui volunt suam veram esse, et contrariam falsam, debent juxta eam omnia verificanda verificare, et non pro aliquibus ad contrariam recurrere. Evanescit ergo hæc postrema solutio, quæ admittit juxta opinionem negantem debitum, non salvari omnia, a quibus pia causa dependet, sed pro aliquibus saltem ad nostram necessario recurrit : manetque sufficienter comprobatum, piæ sententiæ amatores non per negationem prædicti debiti, sed per ejus assertionem, optatam diffinitionem debere exquirere.

## § II.

*Satisfit aliquibus interrogationibus.*

218. Ad plenioram doctrinæ traditæ intelligentiam, et ut qualitas seu gradus debiti, quod B. Virgini tribuimus, melius cognoscatur, nonnulla hic interroganda duximus, quorum resolutio majorem præcedentibus lucem conciliet. Inquires ergo primo, quo pertigerit in B. Virgine debitum culpæ originalis, seu quid in ea incluserit? Ad ejus quæsiti solutionem oportet recollere doctrinam, quam dub. I hujus disputationis tradidimus pro explicatione debiti, de quo agimus. Inde enim constat sub prædicto debito in primis comprehendi, ut is cui tribuitur, inclusus fuerit sub pacto Adami, ratione cujus inclusionis, peccante Adamo, ipse etiam peccaverit in illo, manseritque, prout ex tunc repræsentabatur, offensus Deo et dignus privari originali justitia, quandocumque in rerum natura conciperetur. Et hic est primus gradus prædicti debiti, de quo diximus a numero 13, voca-

turque ab aliquibus *debitum remotum*, quia non existit immediate in ipsa persona, quæ denominatur *debens*, sed in Adamo vel aliis parentibus : nos autem hujusmodi debitum sub proximo inclusimus, prout istud comprehendit tam intrinsecum quam extrinsecum. Ex hoc primo gradu oritur secundus, scilicet talis modus generationis per semen vitiatum et infectum, ut necessario, quantum est ex se, inducat in instante animationis privationem prædictæ justitiæ : ita ut hæc necessitas et vis illativa physice et intrinsece afficiat et tangat ipsum conceptum, saltem pro duratione immediate antecedente prædictum instans : sicut afficiunt dispositiones proxime antecedentes et inferentes animationem. Et hic erit secundus gradus, quem explicuimus a num. 35. Tertius et ultimus erit ; cum necessitas et vis inductiva peccati non finitur in duratione immediate antecedente instans animationis, sed etiam in illo instante perdurat ex sigillatione (ut sic dicamus) materiæ, et connotatione dispositionum præcedentium, virtute quarum adhuc tunc urgent pro peccati introductione, quod qualiter fieri possit, existente tunc jam gratia, declaratum est a num. 37. Extensio vero prædicti debiti ultra illud instans, quam num. 27 tribuimus iis, qui in peccato concipiuntur, et non statim justificantur, nihil refert ad præsens, ubi loquimur de Deipara, quæ in prædicto instante gratiam justificantem accepit, et peccati contractionem vitavit.

Igitur Auctores, qui in B. Virgine debitum culpæ originalis agnoscunt, omnes fatentur fuisse sub pacto Adami comprehensam, peccasseque in illo, atque adeo tribuunt ei primum gradum prædicti debiti. Imo et secundum vix est qui neget ; quamvis aliqui minus clare loquantur. Tertius gradus negatur ab aliquibus junioribus non satis capientibus, quomodo in illo instante ubi gratia jam adest, peccati debitum intrinsece existat : de quo videri potest Ægidius a Præsentatione lib. 2, quæst. 4, art. 5. Cæteri ejusdem sententiæ propugnatores nullam in hoc impossibilitatem cernentes, affirmant etiam hunc tertium gradum : quem inter alios probant Valentia, Corduba, Vasq. Suarez, Bellarmin. Pitigianus, Hugo Cabellus, et alii plurimis locis ubi supra.

Primus dicendi modus non videtur improbabilis : nam gradus ille debiti sufficit ad salvanda verba Scripturæ, et aliqua testimonia SS. Patrum, quamvis non omnia. Secundum absolute probabilem censemus :

Primum  
quæsi-  
tum.Triplex  
gradus  
debiti.

Ægid.

quia non tantum in Adamo et in aliis parentibus, sed etiam quodammodo in ipsa Virginis persona debitum constituit, ut postulant necessario multæ SS. Patrum locutiones. Tertius est verus, et statuitur a nobis pro conclusione. Quia neque in illo adest aliqua repugnantia, ut ostensum fuit dub. 1, a num. 37, neque sine illo testimonia Sanctorum, præsertim D. Augustini, congrue explicantur, neque ea quæ ex fide credenda diximus, aliter integra omnino consistent: ut singula intuenti constabit. Nec denique in bona consequentia negari potest hic tertius gradus debiti, suppositis primo et secundo.

219. Dices, pro viribus consulendum esse Virginis honori et immunitati: adeoque quidquid ab ea vel peccati vel debiti relegare possumus, non esse illi tribuendum: et si igitur ob testimonia et rationes dubii 4, aliquid debiti ei tribuamus, debemus tamen, quantum fieri possit, illud restringere, et non usque ad tertium gradum extendere.

Respondetur, prædicta testimonia et rationes efficaciter convincere debitum contractum in ipsa Virginis persona quæ cum formaliter non fuerit ante instans animationis, necesse est, ut prædictum debitum intrinsece pertingeret usque ad tale instans: in quo consistit tertius gradus a nobis expositus. Adde, hujusmodi tertium gradum ita indispensabiliter consequi ad secundum, ut neque de potentia absoluta, manente persona concepta, possint separari, ut constabit legenti illa, quæ dub. 1, a num. 37 tradidimus. Unde vel secundus gradus negandus est, vel tertius necessario concedendus. Negare autem secundum non permittunt testimonia et rationes allata, et præsertim illa quæ ex D. Augustino dub. 3 adduximus, ut constat ex ibidem dictis a num. 66 et 121. Ergo. Adde rursus, etiam secundum gradum deduci necessario ex primo; nisi Deus miraculose sanaret naturam parentum B. Virginis, non solum quantum ad conditiones personales, sed etiam in ratione naturæ, per restitutionem in integrum justitiæ originalis: quo casu illam gratiam non fieri immediate Deiparæ, sed parentibus, neque specialiter pro illa concedi, sed communiter pro omnibus, qui possent ab illis generari, neque ad vitandam peccati contractionem opus fore gratia in instante animationis infusa, ostendimus dub. 1, num. 34, ex hacque ratione prædictum dicendi modum ut incongruum re-

jecimus. Quotquot igitur in hac materia consequenter discurrunt, debent admissio primo gradu, fateri secundum, et hoc admissio, concedere etiam tertium, ut nos et fere omnes adstruimus.

220. Secundo inquiri potest, quousque perduraverit in B. Virgine prædictum debitum. Ad hoc tamen sufficienter diximus dub. 1, a num. 20, in hypothesi ibi proposita: quæ revera omnino eadem est cum casu, de quo agimus: et ideo quicquid illic dictum fuit de permanentia, et extinctione prædicti debiti, debet hic ad Virginem applicari: adeoque tenendum, aliquid prædicti debiti extinguere, et extinctum esse in ipso animationis instante; aliquid vero post tale instans, juxta distinctionem debiti moralis et debiti physici, quam posuimus num. 41.

Tertio quæres, an sicut B. Virgo habuit debitum contrahendi originalem culpam, habuerit etiam debitum incurrendi ejus pœnas? Cui quæsito, quod attinet ad pœnas temporales, respondendum esse affirmative constat ex eodem dub. 1, num. 18, ubi ostendimus, debitum pœnæ sufficienter oriri ex peccato commisso ab Adamo pro omnibus, et ex debito contrahendi originalem culpam; quamvis hæc de facto non fuerit contracta. Imo inde etiam constat, tale debitum non omnino extinguere, quando extinguitur debitum culpæ, sed manere per totam vitam, quousque per corporalem mortem totaliter solvatur. Diximus, *quod attinet ad pœnas temporales*, etc, nam debitum pœnæ æternæ non est concedendum fuisse in B. Virgine absolute et simpliciter: sicut non est absolute dicendum quod fuit rea prædictæ pœnæ, aut condemnata ad illam: hæc enim loquutio denotat contraxisse de facto culpam originalem. Potest vero concedi, quod habuerit debitum talis pœnæ in Adamo, vel *mediate et radicaliter*. Cujus rationem, necnon discrimen inter hujusmodi debitum et debitum contrahendi culpam, tradidimus eodem dub. a num. 47, in 3 corollario: quod ideo ibi deduximus, ut modo opus non esset majori explicatione.

221. Dubitabis quarto, an debitum quod admittimus in B. Virgine, incluserit vel secum habuerit illum defectum, qui dicitur *concupiscentia* seu *fomes peccati*, ita ut is etiam fuerit in illa, sicut prædictum debitum?

Hæc interrogatio, si res plene tradenda esset, latius examen requirebat: quod tamen

Verus  
dicendi  
modus.

Secundum  
quæsitum.

Tertium

opportuniore loco reservabimus : quia quod Deipara incurrit debitum, de quo loquimur, independens est ab hac difficultate de contractione fomitis : a qua etiam non dependet pia sententia de præservatione a culpa originali. Stat enim Virginem contraxisse illud debitum usque ad tertium gradum, et fomitem non habuisse; staretque etiam quod incurreret tam debitum quam fomitem, et quod non contraheret prædictam culpam : quamvis non stet contractio peccati aut fomitis sine contractione debiti. Tam enim fomes quam peccatum supponunt debitum; hoc vero neutrum illorum supponit aut includit, sed utrumque præcedit. Unde non recte dixit Salazar cap. 15, turpius quid arguere debitum, de quo loquimur, quam fomes, cum e contra dicendum sit : quandoquidem fomes se habet ex additione ad debitum supponens ipsum.

Salazar.

Vetus-  
tior  
opinio.

Igitur quod ad ipsam rem attinet, si antiquiores Theologos consulas, vix reperies, qui asseruerit, fomitem in B. Virgine ex toto non fuisse, aut fuisse per primam ejus sanctificationem omnino sublatum vel extinctum : sed dicunt mansisse in ea secundum essentiam usque ad conceptionem Verbi exclusive, ligatum tamen et restrictum (non restinctum, ut male citatus auctor) ne in aliquem inordinatum actum vel motum prosiliret: in ipsa autem Verbi conceptione per copiosorem illam gratiam et plenissimam sanctificationem sublatum fuisse, vel penitus extinctum. Et hæc est perfectissima illa mundatio seu purgatio, de qua agentes aliqui SS. Patres et antiqui Theologi dicunt, B. Virginem in secunda sanctificatione pro conceptione Verbi fuisse ad plenum mundatam vel purgatam ab omni vitiorum sorde, et a reliquiis originalis culpæ : quem dicendi morem passim in eis offendes. Quia prædictus fomes (qui ex eo quod est effectus relictus ex peccato Adami, *reliquiæ originalis* dici potest ; sicut quia ex se ad vitia inclinatur, potest dici *sordes vitiorum*) per primam Virginis sanctificationem in ejus conceptione solum fuit ligatus et cohibitus, ne in aliquem inordinatum actum prorumperet : at vero per secundam in conceptione filii fuit totaliter extinctus, nullaque ad malum inclinatio in illa remansit. Sic censuere communiter antiquiores, sive qui Virginem in peccato conceptam asseruerunt, sive qui eam a peccato præservarunt.

Vasq.

222. A qua doctrina in re non recedit Vasq. licet verbis eam impugnet 3 p. disp.

118, cap. 4. Agens enim de hac difficultate admittit in B. Virgine inclinationem habitualement ad malum, et difficultatem ad bonum : dicit vero non mansisse in illa fomitem, quia iste non supponit pro prædicta inclinatione, sed pro actibus et motibus inordinatis illi correspondentibus, quorum nullus fuit in Deipara. Porro hunc dicendi modum verbis tantum ab antiquorum doctrina discedere, ex eo liquet, quia dum illi aiunt, prædictum fomitem ex vi primævæ sanctificationis Virginis mansisse ligatum, et non ablatum vel extinctum, non intendunt, quod habuerit aliquem actum vel motum inordinatum; imo id expresse negant, ut videre est apud Albertum, Alensem, D. Thomam, Bonaventuram et alios in 3, dist. 3, sed solum quod manserit illa inclinatio habitualis ligata et prohibita, ne in actum prorumperet : hujusmodique inclinationem potius quam ejus actum *fomitem* appellarunt. Unde cum Vasquez ponat in Virgine hanc eandem inclinationem, et solum neget motus actuales, non est in quo ab illis discernatur; nisi in modo loquendi, dum nomen *fomitis*, quo illi pro habituali inclinatione utuntur, tribuit ipse motibus actualibus. Quem loquendi modum sectandum non esse, sed antiquum retinendum, suadet fere unanimis Theologorum usus, etiam juniorum; qui sicut pro eodem sumunt *fomitem et concupiscentiam*, ita utrumque nomen non actibus, sed prædictæ inclinationi accommodant.

Albert.  
Alens.  
D. Thom.  
D. Bona.

Cæterum a prædicta antiquorum sententia recedunt jam plurimi Theologi asserentes, prædictum fomitem per primam sanctificationem, qua Virgo præservata fuit a culpa originali, fuisse non modo ligatum, sed ablatum et extinctum. Quod qualiter fieri potuerit per ipsam sanctificationis gratiam, juniores non satis explicant : sed explicuit recte D. Thomas, 3 p. quæst. 27, art. 5, ubi sic ait: *Posset intelligi quod totaliter fuerit sublatus fomes hoc modo, quod præstitum fuerit B. Virgini ex abundantia gratiæ descendenti in ipsam, ut talis esset dispositio virium animæ in ipsa, quod inferiores vires nunquam moverentur sine arbitrio rationis : sicut dictum est fuisse in Christo quem constat peccati fomitem non habuisse et sicut fuit in Adam ante peccatum per originalem justitiam : ita quod quantum ad hoc gratia sanctificationis in Virgine habuit vim originalis justitiæ.* Hæc D. Thomas. Itaque sicut gratia primi status, licet quantum ad essentiam esset ejusdem speciei cum nostra, habebat

Alter  
dicendi  
modus.

D. Thom.

tamen quendam modum perfectionis, quem nostra non habet, ratione cujus plene subiciebat vires sensitivas rationi, et per talem subjectionem concupiscentiæ ac fomiti locum præcludebat, ut disp. sequenti dub. 1, et deinceps declarabimus: ita hac via incedendo, dicendum est, gratiam concessam Deiparæ in instante conceptionis habuisse similem perfectionis modum quantum ad prædictum effectum, et ratione illius nihil concupiscentiæ aut fomitis secum permisisset.

Objectio. 223. Dices: in debito quod admisimus, clauditur aliqua infectio ex parte carnis, quæ nata est peccatum in animam inducere: nihil autem aliud videtur fomes, nisi talis infectio: ergo vel non debemus admittere prædictum debitum in Virgine pro aliqua ejus duratione; vel debemus necessario fomitem concedere. Respondetur, illam infectionem non esse fomitem proxime et formaliter: quia iste ponitur in potentiis in ordine ad operandum, dicitque in illis destitutionem ordinis, per quem rationi subduntur; prædicta vero infectio potius est immediate in ordine ad unionem corporis cum anima, adeoque in ordine ad essendum. Et quamvis ex tali infectione tanquam ex radice per se sequatur prædicta destitutio in potentiis, sicut in anima consequitur peccatum, ob idque dici possit *fomes radicaliter*: sicut hoc etiam modo peccatum dicitur: attamen sicut peccati pro formali impedita fuit resultantia per gratiam animæ B. Virginis infusam sanctificantem ipsam, existente in carne prædicta infectione: ita impedi potuit resultantia prædictæ destitutionis per perfectionem a gratia descendentem ad potentias, et eas rationi subcientem. Non ergo ex hoc vel ex alio capite, qui fatemur debitum in B. Virgine, tene-mur fomitem pro aliqua ejus duratione etiam ligatum concedere.

Ultimum quæsitum. 224. Denique rogabis, an opinio negans B. Virgini debitum culpæ originalis, quam deseruimus, non modo sit falsa, sed etiam improbabilis, et gravi censura digna? Et est sermo de prædicta opinione, ut negat, Virginem peccasse in Adamo, atque adeo debitum secundum omnes tres gradus, quos explicuimus. In qua dubitatione declaramus, nostræ intentionis non esse severiori censura prædictam opinionem ferire, quam illi inurunt fundamenta, quæ pro opposita sententia dub. 4 adduximus: non enim tam verbis, quam rationibus sugillare consuevimus ea, quæ falsa judicamus. Sed licet

nostram suspendamus censuram, nequibimus tamen prædictam opinionem ab illis vindicare aut tueri, quibus graves Theologi, et immunitatis Deiparæ a culpa originali acerrimi defensores, omnem ei probabilitatem auferunt, errorisque, et etiam hæresis notam inurunt: quas hic recitative tantum subjungemus; id tamen satis superque erit, ad informandum lectoris iudicium. Igitur Antonius de Corduba Ordinis Minorum lib. 1, quæst. 44, conclus. 5, damnat illam ut hæreticam: et nostram asserit esse de fide: ita enim ait: *Conclusio quinta. B. Virgo in sua propria persona fuit obnoxia ad contrahendum peccatum seu maculam originalem.* Quam conclusionem ibi latissime ostendit ex eo quod aliter verificari non possunt multæ auctoritates sacræ Scripturæ, quas adducit: neque quod Christus fuerit Virginis redemptor, reconciliator, et vivificator: neque quod pro illa fuerit mortuus: pluraque id genus alia, quæ omnes Catholici fatentur. Tandemque concludit: *Igitur prædicta conclusio est Catholica, et opposita hæretica est.* Quam censuram (quæ fuerat Cajetani et Medinæ) approbant Salmeron super ad Rom. 5, disp. 50, fol. nobis 623, colu. 1, cujus verba dedimus supra num. 152. Et Gregorius de Valentia tom. 4, disp. 2, quæst. 1, puncto 2: *Itaque (ejus sunt verba) recte Cajetanus in opusc. de concept. cap. 4, affirmat, omnino esse certum, quod B. Virgo contraxerit hoc debitum incurrendi peccatum, atque adeo etiam illam infectionem carnis, quæ, ut supra diximus, continetur hoc ipso debito: neque posse hoc negari absque hæresi: cum alioqui sequeretur, B. Virginem minime fuisse redemptam.*

225. Astipulatur his auctoribus Ill. Joannes Merinero in suprascripta Responsione, ubi frequenter ait, esse communem et constantem Catholicorum adversus hæreticos sententiam, quæ B. Virginem in pacto et lege Adami includit, et in eo peccasse affirmat: qui est primus gradus debiti, de quo loquimur, juxta dicta num. 218. Et similiter quod ejus conceptio tempore antecedenti animationem fuit peccato originali obnoxia: in quo consistit secundus gradus, quem ibi explicuimus. De opinione vero id negante sæpe tanquam de hæresi Pelagiana loquitur. Unde in priori proposit. rat. 2, num. 19, sic ait: *Circa primam difficultatem (tangentem scilicet prædictum debitum) nulla lis inter Catholicos Doctores. Omnes enim fatentur, in illo decreto, quo Deus decrevit dare primo parenti justitiam originalem*

Cordub

Opinion  
neganti  
debitum  
notam  
hæresis  
qui inu-  
rant.

Salmer.

Gregor.  
Valent.

Meriner

lem

lem ea lege seu pacto, quod si non peccaret, transfunderet illam in omnes ab ipso per seminalem propagationem descendentes; at si peccaret, illam non solum sibi amitteret, sed etiam omnibus, inclusam fuisse Virginem Mariam, et solum fuisse exclusum Christum Dominum, et consequenter peccante Adamo (sicut de facto peccavit) ex vi hujus decreti seu legis universalis Virginem contracturam in instante suæ animationis peccatum originale. Et num. 26 : De hac enim conceptione (videlicet antecedente animationem Virginis) qui sustinent non fuisse obnoxiam peccato, sicut sustinebant Pelagiani, dum asserbant, ex vi legis universalis aliquos non contracturos peccatum originale, seu, quod idem est, non habuisse debitum contrahendi illud, optime procedit censura D. Thomæ et D. Bernardi, scilicet id asserentes, necessario cogi sustinere, Virginem non indignisse redemptione per Christum, et insuper puritate Christum adæquasse : quia in istorum sententia non solum non contraxit peccatum originale, sed neque debitum contrahendi illud. Et rursus num. 28 : De hac enim conceptione concors sententia est inter Catholicos fuisse peccato obnoxiam. Et tandem posteriori proposit. rat. 4, num. 11, omnia prædicta resumens, iterato eadem confirmat. Et nota, quod hic Ill. Doctor Seraphici Ordinis pro causa diffinitionis immunitatis Deiparæ scribens hoc eodem tempore, quo nos calamo incumbimus, adeoque visis omnibus, quæ a junioribus pro opinione negante debitum afferuntur, idque attendens quod diffinitioni magis expediat, censuit talem opinionem a catholicorum sensu eliminandam : quia et veritati diffiniendæ, et causæ expeditioni adversam et inimicam judicavit.

226. Ulterius Gabriel Vasq. 3 p. disp. 115, cap. 3, prædictam opinionem (quam ipse Catharino tribuit) non semel pro errore condemnat : semel vero sic ait : *Agamus igitur ratione efficaci, et Catharinum erroris convincamus, quod dixerit B. Virginem nec in Adamo peccasse, neque necessitatem contrahendi originale peccatum subiisse.* Quod ad longum probat toto illo cap. ex multis contra fidem, quæ ex prædicta opinione aperte sequuntur. Eodem modo loquitur Petrus de Ona tom. 1, de Novissimis fol. nobis 334, dicens negari non posse sine ingenti errore, quod B. Virgo prædictum debitum contraxerit. Non minori censura videtur feriri a Francisco de Pitigianis ad 3, Scoti dist. 3, quæst. 1, art. 1, feritur-

que a Francisco Zumel 1, 2, quæst. 81, art. 3, disp. unica, proposit. seu conclus. 2, et 3, et a Gundisalavo Luzero in disc. Theolog. pro defensione concept. cap. 3, ubi sententiam nostram statuunt ut certam secundum fidem. Quos sequutus Ægidius a Præsentatione lib. 2 de Concept. quæst. 4, art. 7, num. 18, sic ait : *Ego non solum cum Bellarmino existimo non esse tutum in fide, B. Virginem in Adamo non peccasse; sed id sine errore asseri non posse, etc.* Ubi simul habes censuram Cardinalis Bellarmini lib. 4, de amissione gratiæ cap. 16, qua etiam plures alii prædictam opinionem notant.

Denique Franciscus Suarez in alienis opinionibus sugillandis modestissimus, de hac sic loquitur tom. 2 in 3 p. disp. 3, sect. 2 : *Mihi videtur dicendum non posse sine errore negari B. Virginem ex vi peccati Adæ ita fuisse obnoxiam maculæ, et peccato contrahendo, ut si per Christum non esset vere et proprie redempta, illud contraheret, etc.* Et inferius : *Si quis autem contendat potuisse Virginem esse obnoxiam peccato Adæ contrahendo, atque adeo proprie redemptam per Christum, et nihilominus non peccasse in Adamo, talis opinio non posset censura notari, quia utcumque salvat Scripturarum locutiones. Mihi tamen nullo modo probanda videtur, quia neque consequenter loquitur, neque omnibus testimoniis adductis potest plene satisfacere, neque ad tuendam Virginis dignitatem est necessaria.* Idem repetit tom. 1 ad 1, 2, tract. 5, disp. 9, sect. 4, num. 11, ubi inter alia quæ retulimus supra num. 183 : *Addo (inquit) quemlibet prudentem Theologum, Dominæ nostræ valde affectum, debere non inclinare ad illud extremum (videlicet quod debito caruerit) quoniam ad honorem Virginis nihil refert, neque immaculatæ conceptionis veritatem juvat, præbetque occasionem adversariis dicendi, non posse nos immaculatam conceptionem defendere, nisi declinando ad opiniones vel censura dignas, vel diminuentes Christi redemptionem, vel speciem talium habentes.* Ita censent de opinione negante, B. Virginem peccasse in Adamo, et contraxisse prædictum debitum, Doctores isti, et alii qui piam sententiam pro viribus defendunt : ut omittamus eos, qui pro ea minus loquuntur, quique severe admodum de prædicta opinione judicant. Porro quamvis nos, ut diximus non novam censuram contra illam proferamus ; ab his tamen, quæ adversus eam per prædictos auctores latae sunt, a nobis vero solum relatæ, ipsam vindicare

Zumel.  
Luzero.

Ægidi.

Mitior  
censura  
Francis-  
ci Suar.

Idem.

Eadem  
opinio a  
quibus  
error ju-  
licetur?  
Vasq.

Ona.

Pitigianis.

vel tueri haud sinunt testimonia et rationes, quibus tota hac disputatione contrariam communivimus.

Opinio negans debitum sine fundamento dicta probabilior.

227. Ex his manifeste deprehendes, falso dixisse Jacobum Granados, prædictam opinionem negantem debitum Deiparæ, attentis omnibus, esse probabiliorē quam opposita: sicut etiam insulse et sine fundamento a quibusdam junioribus spargi cœptum est, quod jam talis opinio sit communis. Quo pacto enim *probabilior*, aut *communis* dici potuit opinio omni antiquitate destituta, triginta SS. Patrum stylo reprobata, aliorumque centum quadraginta auctorum, cum antiquorum, tum juniorum calculo explosa, et inter hæreticas vel erroneas, aut gravi alia censura dignas duodecim, quos nunc dedimus, censoria virga rejecta; licet a paucis neothericis in tutela sit, qui nec rem plene examinarunt (imo plures eorum nullo præmisso examine) neque ad ita asserendum vero et firmo alicujus Patris testimonio, aut legitimæ rationi nituntur, ut ex solutione eorum, quæ pro se afferunt, statim patebit? Num major censenda erit pro concilianda probabilitate vel communi assensu decem vel duodecim Theologorum seu concionatorum auctoritas (si tot prædictæ opinioni usque modo subscribunt) quam centum et quadraginta (omissis adhuc Patribus) neque minoris notæ, neque inferioris classis, qui illam impugnant, et nostram sententiam tuentur? Qua ergo veritatis specie dicta est prædicta opinio *probabilior* vel *communis*? Nisi velis, rumorem ipsum, quo a suis patronis *communis* et *probabilior* vulgari cœpta est, gradum istum, quem aiunt, majoris probabilitatis, et communis assensus ei conciliasse! Quod sane, sicut in aliis falsis et periculosis, quæ in vulgus pro acquirenda probabilitate quotidie jactantur, non parum dolendum, ita in hac, auctoritate et robore satis destituta nequam admirandum. Sed examinemus jam fundamenta prædictæ opinionis, ut ex eorum infirmitate, nostra, et communis sententia amplius roboretur.

### § III.

*Examinantur auctores citati num. 124, pro prima opinione.*

Auctores qui pro prima opinione falso allegantur.

228. Inter patronos opinionis negantis B. Virginis debitum culpæ originalis, quos adduximus initio dubii 4, aliquos numeravimus ex aliorum relatione, quos ubi con-

suluimus, non eam sequi, sed potius pro opposita esse conspeximus. Hujusmodi sunt Alphonsus Salmeron, Cornelius Musius, Nicolaus de Cusa, Catharinus, Viguierus, Benedictus Justinianus, Magallanes, Valentia, Turrianus, Salas, Basilius Legionensis, Angles, Suarez, Vasquez, Lorinus, et Zumei. Et quidem verba Salmeronis retulimus dub. 4, num. 152, quæ adeo sunt expressa pro nostra sententia, et contra hanc opinionem, ut Ferdinandus de Salazar in suo opere de Conceptione cap. 41, num. 5, non alia via potuerit illis occurrere, nisi dicendo prædicta verba spuria esse, et ab aliquo alio suffecta: *Quod* (inquit) *vel cæcus videbit ex ipsa verborum incohærentia: ait enim: Quartus modus, cum non præcesserit secundus nec tertius.* Propterea vero nostram sententiam illi assutam putat, *quia eo tempore quo codices illius in lucem dati sunt, nimia severitas quorundam theologorum priori sententiæ gravem censuram et notam vel temeritatis vel hæresis inusserat.*

Sec hæc frivola sunt, et sine fundamento dicta, ut pleraque alia quæ in illo opere absque examine inseruntur. Quod vel cæcus viderit: nam ait, verba Salmeronis non sibi cohærere, quia ponit *quartum modum*, cum non præcesserit secundus nec tertius: hoc autem quantum a veritate aberret, ostendit ipse textus, in quo solus cæcus non vidisset ante illum quartum modum, tertium et secundum, ex quorum defectu arguit Salazarius verborum incohærentiam. Nam cum in suprascripta disputatione 49, super ad Rom. 5, pag. nobis 615, col. 1, præmississet Salmeronius, variis modis posse aliquem dici *a morte vel peccato immunem*, assignat ibi primum his verbis: *Primo igitur et summo modo dicitur quis immunis a morte, etc.* Col. vero sequenti ponit secundum: *Secundo modo dicitur, immortalis quis et a morte liber, etc.* sequenti autem pagina, scilicet 616, col. 1, assignat tertium. *Tertio dicitur immunis a morte ille, qui etsi, etc.* Post hæc vero pagina sequenti col. 2, ponitur quartus his verbis (quæ supra jam num. 152 adduximus): *Quartus modus immunitatis est, quo quis a morte incurrenda, et a peccato præservatur: et, hæc est B. Virginis immunitas: non quidem a peccato jam incurso, sed ex debito naturæ incurrendo, quia nata ex semine Adæ. Omnes enim peccavimus in Adam, etc.* Vide supra num. citato alia, quæ ex hoc auctore adduximus pro nostra sententia. Præcessere ergo quartum istum modum tertius, et secundus, et primus.

Vindicatur ab impostura Salmer.

Salme

mus. Ubi igitur verborum incohærentia? Sed qui in re admodum clara oscitavit, et falsus fuit, merito sibi fidem abrogavit. Vide, an militet contra Salazarium argumentum ipsius in D. Thomam, de quo supra num. 203, nempe *jure comparatum esse, ut testis illius nulla sit fides, qui suo testimonio aliquid mendacii et erroris manifesti inseruit.*

Et sane cum editio operum Salmeronis non extraneorum curæ commissa fuerit, sed sacræ Religionis Societatis studio et correctione in lucem prodierit, dum Salazarius prædicta verba spuria dicit, ipsammet Societatem infidelitatis insimulat, ut quæ propriam auctoris sententiam abraserit; alienam vero et oppositam fuse expensam et probatam, ut illius propriam inseruerit. Illud autem boni consulimus, quod fateatur Salazar, suam opinionem *hæresis* vel *temeritatis* notam tunc temporis incurrisse: nam et antea et modo a plerisque simili censura notatur, ut § præcedenti vidimus. Quod cum ita sit, quo pacto verum erit, prædictam opinionem in Tridentina Synodo cum primis celebratam et approbatam, atque in decreto de peccato originali contentam, ut asserit prædictus Salazar ubi supra? Sententiam namque de mente Concilii, et inibi a Patribus celebratam, nemo et tam cito *hæresis* vel *temeritatis* insimularet, aut in lucem egredi prohiberet, ut est per se notum.

229. Non majori fidelitate adducitur pro prædicta opinione Cornel. Musius: nam expresse tenet nobiscum super 5 cap. ad Rom. ubi citatur, ut ostendunt ejus verba quæ adduximus supra num. 150. Turrianus in illa epistola ubi citatur, repetit non semel, Virginem fuisse peccato originali obnoxiam: et nullibi oppositum aperte tradit. Nicolaus de Cusa solum negat, Virginem contraxisse in sua propria persona, aut in suo primo esse peccatum originale: quia ne illud incurreret, præservata fuit: et ita non indignit liberatore a peccato contracto, sed habuit *præliberatore*, ut ipse loquitur, ne quod ex communi debito contrahendum erat, de facto incurreret. Ex hoc autem minime infertur Virginem non habuisse debitum, de quo loquimur, saltem in Adamo, et extrinsecum. De Viguero ita ait Vasq. citata disp. 115, cap. 1: *Multo minus Viguero prædictam opinionem docuit: nam solum asserit, B. Virginem fuisse præventam gratia Dei et præservatam, ne peccatum originale contraheret: ex quo potius opposi-*

*tum videtur sequi, nimirum nisi præservata fuisset, fore ut peccatum originale contraheret, eo quod lege universali alioquin teneretur.*

De Catharino num. 151 vidimus, quomodo sit pro assertionem debiti. Quod si alias negare videatur Virginem peccasse in Adamo, aut fuisse sub lege ejus comprehensam, vel exponendus erit juxta ea quæ ex Gregorio de Valentia statim adducemus, vel tanquam voces aut illationem ignorantis non multum de ejus testimonio curandum. Norunt enim docti, quam levis sit Catharini auctoritas, ob plurima erronea, vel improbabilia, quæ suis opusculis inseruit: de quo videndus est expurgatorius Index verbo *Ambrosius Catharinus*: et Bellarminus lib. de Scriptor. ecclesiast. ad annum 1552. Nec mirandum, toties eum a vero deviasse, qui, (ut ait Soto) repente Theologus, satique audax in enuntiando prodiit: quique non pauca in proprium sanctissimum Ordinem sine causa dictavit, immemor illius sententiæ, *Stultus homo despicit matrem suam*, Proverb. 15. Unde parum vel nihil propriam opinionem commendant, qui prædictum auctorem ducem sibi constituunt.

Benedictus Justinianus super ad Hebr. 2, versu 6, num. 3. Magallanes super Judices cap. 5, ver. 7, num. 103, Basilius Legionensis 1 p. variar. disp. relect. 3, circa medium, Salas. tom. 1, in 1, 2, tract. 3, disp. 11, sect. 5, quæst. 11, expresse nostram sententiam ut omnino veram amplectuntur. Unde ea solum ratione potuerunt pro opposita referri, quia non judicant illam improbabilem aut censura dignam: quo pacto possemus et nos etiam adversarios pro nostra adducere. Angles nihil dicit pro ea opinione. Lorinus ubi citatur, et a nobis adductus fuit supra num. 152, expresse illam rejicit. Vasquez, Suarez, Valentia, et Zumel severe in illam animadvertunt: ut constat ex dictis § præced. num. 226. Ut videas, quam sine delectu in auctorum relatione adversarii procedant.

230. Id quod sane vitium nuper incidisse comperies Joannem Antonium Velasquez, lib. 1 de Maria immaculate concepta, disert. 4, adnot. 1, ubi pro sententia conciliante immunitatem Deiparæ cum ejus redemptione, et utranque singillatim asserente (loquitur autem de immunitate tam a peccato, quam a debito, ut declarat num. 1 illius adnotationis, promittens auctorum nomina ad calcem se daturum) inter alios refert Scotum, Baconium, Cordubam, Ovan-

Quid de Catharino?

Index exp. Bellarm.

Prov. 15

Bened. Just. Magalla Basil. Legio. Salas.

Velasq.

Quorundam vitium reprehenditur.

vidicantur alij. Corn. Mus.

dum, Bellarminum, Vasquez, Suarez, Valentiam, Azor, Barradas, et Morales : qui omnes eam sententiam, ut a prædicto auctore propositam et probatam, cum negatione scilicet tam peccati quam debiti, omnino rejiciunt : ut constat locis a nobis citatis : plures autem illam tanquam hæreticam vel erroneam condemnant, ut vidimus num. 224 et sequentibus. Sed et Ambrosius Penalosa eandem passus deceptionem in suis vindiciis disp. 10, cap. 1, num. 4, tribuit Emin. Cardin. Lugo de Incarnat. disp. 7, sect. 2 et Ægidio a præsentat. lib. 2, quæst. 4, art. 3, opinionem negantem, Virginem peccasse in Adamo, et habuisse ullum debitum culpæ originalis : cum tamen prior ejusmodi opinionem neque asseruerit, neque negaverit, subtrahens se omnino a decisione ; posterior vero ubi citatur, contrarium statuat his verbis : *Statuendum est, in B. Virgine necessario admit-tendum esse verum et proprium debitum contrahendi peccatum originale ortum ex peccato Adami.* Nec simpliciter tantum hoc asserit, sed oppositum pro errore condemnat, ut vidimus num. 226. Quæ idcirco libuit adnotare, quia animadvertimus, hujusmodi infidelitatis vitium in auctores referendo apud juniores aliquos ita inolevisse, ut non nisi collatione ad fontes habitae eorum relationibus standum sit.

Remanent ergo legitimi assertores prædictæ opinionis N. Lezana, Salazar, Grana-dos, Benedictus Fernandez, Novarinus, Aldrete, Bartholomæus de los Rios, Penalosa, Velasquez et pauci alii minoris notæ Theologi sive concionatores, qui perfunctorie rem agentes, et ad pauca respicientes ob colorem potius quam ob rationum momenta novitati plaudunt. Sed hi omnes quid inter tantos, adeoque graves et classicos, sicut pro opposita sententia adduximus ?

231. Adverte autem, non omnes qui ajunt, B. Virginem exceptam fuisse a lege Adami, aut ab ejus sententia, negare illi debitum, de quo loquimur : quia ut recte vidit Gregorius de Valentia ubi supra, sufficienter intelliguntur de exceptione quantum ad effectum, qui est contractio culpæ vel pænæ, scilicet privationis gratiæ ; etiamsi quantum ad causam et obligationem manserit comprehensa. In quo decepti sunt aliqui ex adversariis, qui ex quibuslibet verbis exceptionem a lege illa innuentibus, suam opinionem confirmant, non animadvertentes prædictam distinctionem, quæ in hac materia et in pluribus juris canonici et

civilis communissima est. Sæpissime enim dicitur *excipi a lege* ille, qui ex judicis favore non subit de facto mortem aut pœnam, quam ex lege debebat incurrere. Juxta quem modum recte dici potest B. Virgo *excepta a lege et sententia in Adamum prolata*, quia exceptio et effectus talis sententiæ et legis, ubi sequenda erat contractio originalis culpæ, ex speciali Dei favore non eam comprehendit ; comprehendisset autem, attenta dumtaxat ipsa lege, et favore illo secluso.

Adde etiam ex eodem Valentia circa finem illius 2 puncti, ubi cum pro certo statuisset, Virginem fuisse sub lege Adami comprehensam, in eoque cum cæteris de ligno vetito comedisse, neque de hoc quoad rem ipsam esse posse controversiam, quærit viam, ut necesse non sit ita loqui, ut dicamus B. Virginem in Adamo peccasse, sed possit salva veritate vitari hæc locutio. Sic ergo ait : *Sed quamvis de hoc non possit esse controversia nisi de nomine et modo loquendi ; videtur tamen mihi non esse necesse ita loqui, ut scilicet dicamus B. Virginem in Adamo peccavisse : nam verbum hoc peccandi cum dicitur de posteris Adami, ut in Adam sumpserunt cibum vetitum, ex recepta quidem et usitata consuetudine loquendi non solum videtur significare actum illum, quo in Adamo posteri gustarunt contra legem illum cibum ; sed simul etiam connotare futurum peccatum originale ab ipsis posteris, cum jam actu esse incipiunt, re ipsa contrahendum. Itaque cum hoc originale peccatum B. Virgo non fuerit re ipsa contractura, potest vitari ille loquendi modus, quo dicatur, B. Virginem in Adamo peccasse.* Hæc ille, et opportune pro aliquibus qui agnoscentes re ipsa in B. Virgine debitum, de quo loquimur, ad verba accedentes renuunt concedere, eam in Adamo peccasse : qui proinde adducendi non sunt pro opinione prædictum debitum negante.

#### § IV.

*Testimonia allata pro eadem prima opinione discutiuntur.*

232. Veniamus ad testimonia, quæ ex Patribus afferuntur num. 125. Locus Cypriani si integre legatur, potius favebit sententiæ asserenti debitum : ad illa enim verba, quæ in argumento referuntur, hæc præcedunt : *Nihil in hac re petiit ultio, nec præcedens delectatio aliquam expetiit pœnarum*

Penal.  
Lugo.  
Ægid.

Assertores legitimi primæ opinionis.

Anima d-  
versio  
notatu  
digna.

Gregor.  
Val.

Locus  
Cypriani  
non est  
vinci



*rum usuram Spiritu Sancto obumbrante, incendium originale extinctum est: ideoque innoxiam affligi non decuit, etc.* Si igitur fuit ibi incendium originale, quod Spiritus Sanctus extingueret, fuit etiam debitum peccati; sine quo nihil incendii potuit intelligi. Sed revera prædictus locus neutri opinioni suffragatur: quia non loquitur de statu Virginis in sua conceptione; sed de conceptione et partu divini Verbi: in quo partu dicit, nihil fuisse ultionis: quia quæ in concipiendo nihil carnalis delectationis experta fuerat, nihilque etiam levissimæ culpæ admiserat, auferente seu potius impediante Spiritus Sancti obumbratione omnem libidinis æstum, æquum non erat, ut in partu subiceretur pœnis et molestiis, quibus subiciuntur cæteræ mulieres, quæ cum delectatione carnali, et vix sine aliqua saltem levissima culpa concipiunt. Hic est sensus legitimus illius loci; ut ostenditur ex ipso contextu. Adverte autem, librum illum de operibus carnalibus Christi, ubi prædicta verba continentur, potius esse incerti auctoris, quam D. Cypriani, ut probat Bellarminus lib. de Scriptor. eccles. ad annum 250.

233. Ad secundum testimonium, quod est D. Augustini lib. de natur. et gratia cap. 36 respondetur, ibi esse sermonem de peccatis personalibus. Loquitur enim Augustinus de hominibus adultis, plures commemorans sanctos et justos, de quibus inquit, quod si dum manebant in hac vita, interrogarentur, an haberent peccatum? responderent illud Joannis: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Peccatum autem de quo Joannes loquitur, et sine quo justus se non esse fatentur, non est peccatum originale sed sunt peccata venialia, de quibus dicitur Proverb. 24: *Septies in die cadit justus.* Ab hac igitur communi justorum regula excipit Augustinus Deiparam, nihil agens de culpa originali, vel de ejus debito: et ita intellexerunt eum antiqui scholastici cum Magistro in 3, dist. 3. Sed esto Augustinus ibi excluserit a B. Virgine etiam peccatum originale, nulla ratione probari potest, quod debitum excluserit. Imo verba illa: *Scimus gratiam illi collatam fuisse ad vincendum omni ex parte peccatum, etc.* oppositum insinuant. Nam si B. Virgo non continetur sub prædicto debito, opus non haberet gratia sibi collata et infusa ad peccatum originale vincendum, seu vitandum, antecedenter enim fuisset illi aditus præclusus

per exclusionem a pacto et a peccato actuali Adami: seu, ut verius loquamur, nullus unquam fuisset aditus per quem ingredi posset, cum solum prædictum peccatum talem aditum aperuerit. Adverte tamen, hoc testimonium non nihil infirmari per illa verba: *Unde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum sit ad vincendum, etc.* quæ potius esse videntur interrogantis, quam aliquid asserentis. Quocirca si ita legendum sit (ut habent de facto omnia exemplaria, quæ ad manus habere potuimus) infringitur non parum prædictum testimonium: cum ex illo potius habeatur, D. Augustinum voluisse a quæstione illa abstrahere, quam aliquid certo diffinire. Sed nos legendum credimus vel sine conjunctione *enim* hoc modo: *Unde scimus, etc.* vel si cum illa, non *Unde*, sed *Inde enim scimus, etc.* quæ sunt verba affirmantis, et reddentis causam ejus, quod præmiserat: et ita legunt Magister in 3, dist. 3, D. Thomas, Bonaventura, et alii, in qua observatione prævenit nos Franciscus Sylvius tom. in 3 p. quæst. 27, art. 2, ubi sic ait: *Observari hic potest, B. quidem Thomam hoc loco, et Bonaventuram in 3, dist. 3, verba Augustini sic referre. Inde enim scimus, quod plus ei collatum est, etc. Cæterum codices tam excussi quam manuscripti aliter habent, ita nimirum. Unde enim scimus, ut sint verba Augustini Pelagium reprehendentis, quod dixisset, necesse esse pietatis confiteri, matrem Salvatoris fuisse sine peccato. Cui respondet Augustinus non esse certum id, quod Pelagius ut certum asservaret: et propterea non deesse locum inquisitioni: quam tamen Augustinus propter honorem Domini vult omittere. Et certe si Augustini verba essent, Inde enim scimus, etc. non dixisset, nullam habere volo, sed nullam habere possum quæstionem, etc.* Hactenus Sylvius. Desumpsimus vero prædictam observationem ex adnotationibus ad citatum lib. et cap. Augustini, quæ habentur ad calcem tomi 7.

234. Ad tertium locum, qui dicitur esse Bernardi serm. 13 in cœna Domini utentis eodem Augustini testimonio, respondetur, solum probare B. Virginem non fuisse in peccato originali conceptam; nihil autem haberi, quod ad debitum pertineat: solum enim est sermo de conceptione in peccato, vel sine peccato: *Non enim est* (inquit) *qui non in peccatis fuerit conceptus, præter matrem immaculati, etc.* Quod libentissime concedimus. Atque utinam sermones illi essent D. Bernardi, ut illum pro sententia

pia haberemus. Sed alienos et spurios esse probat Bellarm. lib. de Scriptor. Eccles. ad unum 1130 et multi alii deprehenderunt: proditque stylus minus gravis, omninoque a mellilluo Doctore extraneus. Ad quartum, qui est D. Ildefonsi aientis, B. Virginem maledicto Evæ non subjacuisse, respondeatur, non loqui de maledictione, quæ fuit culpa originalis, aut ejus debitum, sed de illa qua dictum est Evæ, *In dolore paries filios*, quæ fuit effectus et pœna peccati pro illis, quæ ex viri semine conciperent: a qua et ab aliis ærumnis, quæ reliquas puerperas comitantur, B. Virgo omnino fuit libera: quia ipsa in lætitia Dominum peperit, quem solius Spiritus sancti virtute conceperat. Quod plane animadvertet quicumque textum Ildefonsi consuluerit, et ideo ejus verba omittimus. Per quod patet ad quintum testimonium, quod est Bernardi: loquitur enim in eodem sensu, atque Ildephonsus, ut ostendunt ejus verba: *Mutata (inquit) in Virgine nostra maledictio Evæ: peperit enim filium sine dolore. O beata sola inter mulieres benedicta, et non maledicta, sola a generali maledicto libera, et a dolore parturientium aliena.*

Quid sentiat D. Ildephonsus. 235. Ad sextum locum, ubi ait Anselmus, conceptionem Verbi debuisse fieri de matre purissima, ea scilicet puritate, qua sub Deo nequit major intelligi, plures solutiones, satisque ad mentem Anselmi tradunt D. Albertus, Bonaventura, et alii. Sufficiat nobis dicere cum D. Thoma in 3, dist. 3, quæst. 1, art. 1, quæstiunc. 2 ad 3, quod puritas B. Virginis debet esse maxima, quæ potest intelligi in iis qui indigent redemptione: nam et ipsa fuit vere redempta: puritas autem, quæ tam peccatum quam debitum excludit, non habet locum in redemptis, ut probatum est dub. 3. Et ideo inter homines non est sub Deo, sed propria Dei hominis redemptoris. *Hæc enim puritas (ait D. Thomas) soli homini Deo debebatur, ut ipse quasi unicus redemptor humani generis nulla peccati servitute teneretur: cui competebat, omnes a peccato redimere. Unde non hanc puritatem, sed sub hac maximam Virgo mater ejus habere debuit: scilicet quæ etsi excludat omne peccatum, supponat tamen ejus obnoxietatem et debitum, sine quo nequit vera redemptio intelligi.*

Albert. magn. Locus omni fide caret. 236. Septimum testimonium, quod adducitur ex Alberto magno, omni fide caret: quia in toto opere de laudibus Virginis, unde sumptum dicitur (quod non unico libro, sed duodecim comprehenditur) non inveniuntur

illa verba: *Hæc virgo ab illa regula excipitur, Omnes in Adam peccaverunt*, quæ Salazarius, et alii ex Canisio, Canisius vero absque designatione libri vel capituli adducit. Quid autem ad fidem illorum, quod dicat Salazarius se legisse librum, si verba non legit? Deberet sane vel ex hoc convinci, ea falso allegari, et Alberti non esse, quæ in opere a se perlecto non offenderat, cur id non dixit? cur non libri numerum et caput assignavit, qui testatus est, se eum vidisse, et perlegisse? Vidimus et nos, seduloque perlegimus duodecim libros de laudibus Virginis, qui tomo vigesimo operum B. Alberti continentur, nec non opus ipsius æque extensum de eadem materia, dictum *Mariale*, seu *super Missus est*; prædicta autem verba aut alia æquivalentia nullibi prædictorum operum offendere potuimus. Reperimus vero non pauca, quæ sententiam nostram aperte confirmant, lib. 3, § 1 et lib. 4, cap. 27 et lib. 7, cap. 7 et 8 et in Mariali quæst. 127, num. 5. Forte primo decepto occasio fuere verba alia apparenter similia, quæ habentur lib. 1 de laudibus Virginis cap. 6, ubi B. Virgo excipitur a maledictione illa specialiter mulieribus post peccatum indicta, *In dolore paries filios*, juxta ea quæ diximus ad testimonia Ildephonsi et Bernardi. Sed hanc exceptionem cum exceptione a regula Pauli, *Omnes in Adam peccaverunt*, confundere, non levis ignorantia esset.

237. Illud quod adducit Velasquez ex nova Apocalypsi Amadæi, nullius est roboris, utpote de cujus doctrina an sit tolerabilis, anceps satis est opinio: sane si iis, quæ Abraham Bzovius tom. 18 annalium Ecclesiast. ad annum 1471, scribit, standum esset, opus illud inter hæretica, erronea, blasphema, fabulosa, et nugatoria potius rejici deberet, quam ad veri alicujus confirmationem allegari. Absit tamen, ut nos huic tam acri censuræ pareamus: cum plures alii, quos in libri et auctoris commendationem adducit Bibliotheca Virginalis tom. 1, a pag. 659, mitius loquantur. Ex quibus Hippolytus Marracius (prout ibi pag. 661 refertur, ait: *quæ opere illo continentur, non Dei esse revelationes et oracula, sed ipsius Amadæi piæ meditationes.* Et Cornelius a Lapide pro ejusdem commendatione adductus super I cap. Apocal. sic ait: *Ego eas (scilicet Amadæi revelationes) Romæ diligenter quæsi, inveni, perlegi, reperi nomina septem Angelorum, quæ paulo ante memoravi: sed ibidem legi nonnulla paradoxa, et de falsitate*

Idem

Apo-  
lyp  
Amadæi  
aucto-  
ritate  
BzovBib-  
liotheca  
Virginalis  
Mar-  
ci  
a l

*sitate plane suspecta* (post quorum relationem). Adde, *opiniones Scoti, qui fuit Minorita uti et Amadæus, in iis passim inseri quasi oracula : ut non sine causa vir gravis dixerit : Angelus B. Amadæi fuit Scotista.*

In qua censura (ait collector prædictæ Bibliothecæ) *Cornelius pium, doctum, et modestum se ostendit.* Nam qui prædictum opus serio perlegerit, majori castigationi obnoxium judicabit. Historia vero Ordinis Seraphici I p. lib. 23, cap. 31, affirmat, plurima illius libri non fuisse ab Amadæo conscripta, sed ab aliis postea suffecta, ita ut jam dici non possit *liber Amadæi.* Quæcum ita sint, liquet nullum ex illo opere posse desumi testimonium pro alicujus veri confirmatione : ita enim falsa et fabulosa veris admixta sunt, ut discerni non valeant, si quæ revelatio suggestit, ab iis quæ vel alii inseruerunt, vel auctor ex proprio cerebro fabricavit. Esse vero hujus posterioris generis, falsumque omnino illud, quod adducitur a Velasquez ex verbis Sancti Thomæ Apostoli, constat ex D. Joanne Damasceno in historia dormitionis Deiparæ, quam universalis Ecclesia recipit, et in officio Assumpt. 4, die octavæ inserta est : ubi dicitur Thomam abfuisse Jerosolymis, quando B. Virgo vitam finivit, et non nisi potest triduo adventasse, cum jam ejus corpus non modo sepultum, sed assumptum erat in cælum ; et tamen Amadæus dicit, illam laudem Virgini jam morturæ B. Thomam cecinisse, ab eaque cum cæteris Apostolis Vale postremum accepisse : vide ergo cui credendum ? Sed esto Amadæi narrationibus fides adhiberetur, non obsent nostræ sententiæ : nam tam illud quod refert ex Apostolo Andrea, *Non tu mortua in Adam fuisti, quam quod ex S. Thoma, Adæ peccato præviso, non fuisti cum aliis condemnata,* posset sufficienter exponi de morte et condemnatione quantum ad executionem sententiæ in propria Virginis persona, juxta ea quæ ex Gregorio de Valentia numero 231 observavimus.

238. Ad ea, quæ in eodem primo argumento afferuntur ex officio Bernardini de Bustis, respondetur, quod etsi in illo officio multa asseverent præsertationem B. Virginis a peccato, nihil tamen ibi est, quod præsertationem a debito persuadeat. Nam quod dicitur, Virginem non sensisse labem nec fœtorem Adami, intelligitur quoad culpam in propria persona. Et quod dicitur legem pro ea latam non fuisse, intelligitur quantum ad effectum et executionem, juxta dicta num. 231. Quo etiam sensu accipien-

dum est, cum dicitur Mariam esse supra omnes, et non annumerandam omnibus (quamvis hoc neque in illo officio, neque in alio Leonardi Nogarolis legatur) quia supra omnes habuit, ne in sua propria persona prædictæ legis executioni subjaceret. Verba etiam, quæ illic ex Ambrosio et Augustino afferuntur (falso tamen, ut statim ostendemus) licet excludant a Deipara peccatum originale, non tamen debitum : nam quod dicitur ex Ambrosio, *Hæc est virga, in qua* Ambros. *nec nodus originalis, nec cortex venialis culpæ fuit,* ly *nodus* non dicit aliud a culpa originali, sed dicit nodum, qui est ipsa culpa : sicut ly *cortex venialis* non dicit aliquid præter ipsam culpam venialem, sed est sensus, *cortex qui est venialis culpa.* Quod vero dicitur ex Augustino, non potuisse August. Virginem inquinari, cum Deus eam faceret, intelligendum est in sensu composito gratiæ, cum qua fuit concepta : supposito enim quod gratia tunc extiterit, nequibat simul adesse peccatum. Quod sicut non tollit, quominus absolute et in sensu diviso potuerit B. Virgo in peccato concipi ; ita non tollit quominus habuerit debitum, ut conciperetur cum illo.

239. Secundo respondetur, non licere iis Nonnulla fabulosa in prædicto officio. qui nobis arguunt, ex illo officio testimonia desumere, quæ ipsi aliquando ut fictitia et Aldrete. fabulosa rejiciunt : ut videre est apud Aldrete citata disp. 22, sect. 3. Narratur enim in prædicto officio 2, die octavæ lect. 5, D. Bernardum post mortem cuidam de suis monachis totum lucidum apparuisse, præterquam quod in pectore maculam nigerimi coloris gestabat, ob assensum quem vivus sententiæ asserenti conceptionem Virginis in peccato, præstiterat, etc. Cumque hanc historiam Aldrete sibi ex prædicto officio objecisset, respondet : *Plures graves auctores* (quibus ipse accedit) *existimare, illam revelationem esse commentitiam.* Quam solutionem sumpsit ex Salazario cap. 42, Salazar. sæculo 12, ubi præmissa eadam narratione, velut ab aliis credita, subdit : *Sed tamen plures alii censent, id plane confictum ac fabulosum esse : his assentior, et præfatam visionem commentitiam esse mihi persuadeo.* Et eodem cap. sæculo 13, rejicit simile quid, quod idem Bernardinus narrat, scilicet D. Thomam apparuisse post mortem Episcopo Patavino, suamque sententiam de Virginis conceptione declarasse. *Sed longissime absum* (ait Salazar) *ut huic visioni fidem habeam.* Et infra : *Me judice, commentitia prorsus ac vana est hæc revelatio.* En quanti

Historia  
Ord.  
Seraph.

Damas.

id de  
licio  
rnard.  
Bustis.

pendant auctoritatem Bernardini de Bustis et officii a se compilati, qui inde contra nostram sententiam testimonia desumunt. Et sane nec nos postquam illud officium perlegimus, negare possumus, aliqua ibi falsa et fide indigna reperiri; ut propterea credamus, prædictum officium, prout nunc extat, vel non esse illud quod Sixtus IV approbasse dicitur; vel ita successu temporis depravatam esse et corruptam, ut firmum ex eo testimonium desumi non valeat, et in multis quæ SS. Patribus attribuit, cito falsitatis convincatur. Si quis vero nostræ relationi minus credat, conferat prædictum officium in iis quæ ex Patribus accepta dicuntur, cum eorum operibus (sicut auctor Armamentarii Seraphici, ubi hoc et alia officia habentur, contulit officium sanctificationis Virginis a Bandello compilatum) et fiet ei manifestum quod diximus: scietque æqualem in utroque officio a SS. Patribus dissonantiam reperiri.

Locus  
Ambrosii  
vitiatus.

210. Quod nos necesse habuimus pro testimoniis Ambrosii et Augustini adductis supra num. 126, in argumento, cui damus solutionem. Primum enim ita ex præcitato officio refertur: *Hæc est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis culpæ fuit.* Quæ verba nullus hactenus in operibus D. Ambrosii reperire potuit: adeo ut Jacobus Granad. dicat putandum periisse aliquod ejus scriptum, in quo continerentur: satis superque esse, ut credamus fuisse Ambrosii, quod in aliquibus breviariis antiquis tanquam ejus verba recitentur. Sed hoc divinare est; nec sufficiens argumentum, quod recitentur in illis breviariis prædicta verba: potuerunt enim recitari, quia vera; licet non quia Ambrosii. Et si in aliquibus Ambrosio tribuantur, annumeranda erit talis attributio iis, ob quæ prædicta breviaria a Pio V et Clemente VIII prohibita vel correctata sunt. Melius ergo Guillelmus Pepin, qui ante annos 130, adeoque priusquam breviaria, quæ Granados commemorat, in lucem ederentur, pro Virginis conceptione scripsit, in opere de imitat. Sanctor. serm. de Concept. Virg. declarat, quæ prædictorum verborum sint Ambrosii, quæ vero illi assuta, dum ita ait: *Tertio B. Ambrosius in quodam sermone de eadem Virgine dicit sic: Maria est in qua, nec nodus nec cortex culpæ fuit. Quod autem in primo sermone de eadem conceptione in tract. de secretis secretor. addidi dicens, Maria est in qua nec nodus originalis culpæ, nec cortex venialis fuit: hoc de proprio addidi ad majo-*

Guill.  
Pepin.

rem declarationem dicti ipsius Ambrosii. Sicut enim non est derogandum dictis Sanctorum, minus dicendo quod dixerint; ita nec illis imponendum est quod non dixerunt. Possunt tamen quandoque pie interpretari dicta eorum.

Non minus vitiatus legitur secundus locus, qui tribuitur Augustino lib. de quinque hæresibus sub istis verbis: *Si potuit inquinari mater mea, cum ipsam facerem, potui et ego inquinari, cum ex ea nascerer.* Ita in illo officio. At Augustinus ita ait: *Hanc quam despicias Manichæe, mater est mea, sed manu fabricata est mea. Si potui inquinari, cum eam facerem, potui in illa inquinari cum ex ea nascerer.* Vide quantum differat si potuit pro persona Virginis, a si potui pro ipsa Christi persona. Prima enim locutio denotat, Virginem non potuisse inquinari peccato cum a Deo facta fuit, adeoque in primo instante conceptionis, quod Augustinus non dicit. Secunda vero denotat Deum, dum Virginem produxit, non potuisse ex hac productione inquinari, sicut inquinari non potuit ex eo quod ab illa nasceretur: et hoc affirmat Augustinus. Agebat enim contra Manichæum negantem res corporeas, et visibiles a Deo fuisse factas; quasi indignum Deo esset ad hæc visibilia causalitatem suam extendere, et quasi ex tali causalitate posset inquinari: quod delirium reprehendit, et impugnat Augustinus supradictis verbis ex persona Christi prolatis: *Si potui inquinari cum eam facerem, potuissem inquinari cum ex ea nascerer.* Atque adeo sicut nascendo ex matre corporea et visibili, inquinatus non fuit; ita nec creando illam, inquinari potuit. Nec mirandum hæc et alia a veritate aliena in prædicto officio successu temporis irrepsisse, cum videamus, id ipsum breviori spatio, nempe a tempore Pii V, usque ad Clementem VIII, breviario Romano accurate custodito, vel typographorum negligentia et incuria, vel nimia aliorum audacia et licentia, in multis satisque gravibus accidisse, ut ipse Clemens VIII in sua recognitione testatur. Liqueat ergo ex prædictis officiis, etiamsi ab antiquis Pontificibus approbata dicantur, non posse firmum desumi testimonium pro aliqua sententia: cum nobis certo constare non possit, quæ in illis Pontifices approbarunt, et quæ ab aliis postmodum addita vel corrupta sint.

August.  
mendose  
legitur.

241. Neque hæc tantum loca, quæ deteximus, falso producuntur; sed plura alia ex Augustino, Anselmo, Bernardo et aliis Patribus, a junioribus sine delectu citantur,

aut

aut vero etiam verba afferuntur, quorum si fidem quæras, nullam invenies: sæpeque hæc nutat ex ipsa relatione, dum vel non assignatur certus liber aut tractatus, vel caput omittitur, vel is qui refert, non ea tradit, qui in fontibus vidit; sed quæ inde transcripta, sæpe quidem aucta, sæpe diminuta, non semel vero omnino quoad sensum in contrarium permutata, apud alios offendit. Hacque ratione cujuslibet vitium in referendo, cæterorum scripta pervadit. Quod etsi aliquando amanuensium vel typographi incuriæ tribuendum sit (a qua nec nostra scripta libera ire præsumimus) multoties tamen ipsa mendorum series et mutatio aut confictio verborum, scriptoris negligentiam vel malitiam prodit. Ut autem hoc vitium ab hac nostra disputatione exularet, curavimus in ea, quantum in nobis fuit, in auctorum dictis et sententiis referendis nihil alienæ fidei committere, sed fontes ipsos consulere, et quicquid legitimum non comprobavimus, ut spurium relegare. In quo causæ immunitatis Deiparæ satis consuluisse credimus; cui alii sine delectu et examine ex quibusvis procedentes, nullaque non credentes, non leve inferunt præjudicium: dum veritas, quæ ex legitimis fundamentis illi assistit, falsis allegationibus implicatur: seria et certa, quibus abundat, fabulosis aut apocryphis commiscetur: et triticum, quo uberrime ali potest, ne mundum cerni valeat, paleis et aristis confunditur. Quocirca licet plures hac in causa non sine fructu laboraverint, is tum demum fructuosius bene mereri incipiet, qui rejectis inutilibus, incertis, fabulosis, aut apocryphis quorum in supremo causæ judicio ratio habenda non est, ea tantum quæ seria, quæ vera, quæ certa, aut valde probabilia comprobentur, in acervum segregarit.

## § V.

*Evertitur secundum fundamentum ejusdem primæ opinionis.*

Prima  
solutio.

Conc.  
Trid.

242. Ad secundum primæ opinionis fundamentum propositum supra num. 126, respondetur ex doctrina, quam num. 158 tradidimus, declarationem illam additam a Concilio pro B. Virgine ad calcem sui decreti, solum modificare illud quoad eam partem, quæ agit de peccati originalis contractione, ut ostendunt ipsa declarationis verba: *Declarat Sancta Synodus non fuisse*

*suæ intentionis comprehendere sub hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, etc.* Alia autem, quæ decretum includit, vel supponit, uti est Pauli locus, prædicta declaratio non tangit, neque ullo ex capite restringit; quod vero Concilium usum fuerit prædicto testimonio ad stabiliendum suum decretum, non probat, declarationem restringentem decretum, restringere etiam prædictum testimonium: quia non omnino de eodem loquuntur: decretum enim quantum ad id in quo declaratur, procedit immediate de peccato originali, quod in nobis contrahimus, ut ostendunt prædicta verba: Paulus vero dicens *in quo omnes peccaverunt*, immediate loquitur de peccato actuali, quod in Adamo commisimus, quod non est ipsum peccatum originale, sed ejus causa et origo. Quia tamen unum ex altero necessario deducitur, nisi speciali Dei privilegio impediat: quod privilegium pro Virgine adesse, censuit Concilium valde probabile; pro cæteris vero opinari non quimus: noluit in illatione sui consequentis, scilicet quod omnes de facto peccatum originale contrahunt, B. Virginem positive comprehendere; quamvis sub antecedente Pauli esset comprehensa: sed præcisive se habuit, relinquens eam partem, vel oppositam aliunde venandam, ut ita probabilitati piæ sententiæ consuleret, nullumque ei præjudicium inferret. Itaque Concilii declaratio hoc præstat, ut sciamus non esse ab Ecclesia diffinitum, an ex eo quod omnes sine exceptione peccaverint in Adamo, omnes similiter sine exceptione peccatum originale in seipsis contrahant; vel potius sit aliquis, scilicet sola B. Virgo, quæ licet in illo peccaverit, in se tamen prædictum peccatum non contrahat ob singulare privilegium (nulli alteri concessum) impediens ejus contractionem.

243. Secundo respondetur prædictam declarationem, etiamsi extenderetur ad omnia, quæ decretum tangit, atque adeo etiam ad illam legem, quod *omnes in Adam peccaverunt*, solum efficere, ut opinio quæ Deiparam excipit a tali lege, non sit per Concilium damnata, nec debeat pro hæretica reputari, ut reputanda esset, si Concilium non ita declarasset, aut si ejus verba eam declarationem non admitterent. Quod autem sit vera, aut quod non sit falsa, non habetur ex prædicta declaratione. Et ratio est perspicua; nam Concilium non declarat, Virginem non comprehendi reipsa sub culpa originali etiam quantum ad actualem con-

Secunda  
solutio.

tractionem, aut sub decreto vel iudicio, quod Deus habet de comprehensio sub tali culpa, aut sub testimoniis Scripturæ, quæ de ea re loquuntur (utinam ita declarasset, ut prædictam veritatem de fide haberemus): sed dicit, quod cum de cæteris statuerit seu declaraverit comprehendi sub prædicta culpa; circa Virginem tamen quid factum sit, non declarat, neutramque partem determinat, sed negative seu præcisive se habuit, relinquens veritatem alia via a Theologis investigandam. Itaque non negamus, Concilium positive excludere B. Virginem a sua intentione circa decretum, quo nobis notificat, et credere jubet, omnes posteros Adami contrahere culpam originalem, cum dicat positive, non fuisse suæ intentionis comprehendere illam sub tali decreto. Dicimus vero, prædictam exclusionem ad hoc additam fuisse, ut sciremus manere per omissionem extra Concilii decretum, adeoque indeterminatum et indecisum, an B. Virgo reipsa incurrerit, vel non incurrerit prædictam culpam: seu an fuerit vel non fuerit de numero illorum, quos talis culpa et iudicium quod Deus habet erga illam, ac testimonia Scripturæ, ubi continetur tale iudicium, comprehendunt: tam enim ab hac comprehensione, quam ab opposita exclusionem subtraxit se Concilium, suspenditque suum decretum et intentionem: et hanc subtractionem ac suspensionem nihilque amplius manifestavit nobis per prædictam declarationem.

**Obiectio.** 244. Dices, Concilium in ea declaratione favisse non parum præservationi Deiparæ a culpa originali, ut omnes concedunt: ergo non se habuit solum negative vel præcisive: nec potuit non in eodem gradu favere exceptioni ejus a debito et a testimonio Pauli:

**Diluitur.** *In quo omnes peccaverunt.* Respondetur, Concilium duplici ex capite favore prosequutum fuisse piam sententiam præservantem Virginem a peccato: primo quia sua declaratione certum nobis fecit, non fuisse ab eo diffinitum pro B. Virgine, quod pro aliis omnibus diffinivit, scilicet incurrisse de facto culpam originalem; sed ab hoc abstraxisse: adeoque reliquisse nobis aditum patentem ad negandam prædictam contractionem ex aliis principiis, quæ illam negandam persuadent. Qui favor minor esset, si Concilium, tradita universali regula, declarationem illam omisisset: putarent enim non pauci, Deiparam mansisse sub prædicta regula per Concilium comprehensam, et nova circa hoc controversia in-

surgeret. Ex hoc tamen capite pro opinione negante B. Virgini debitum, aut comprehensionem sub testimonio Pauli, solum habetur, quod non sit per Concilium damnata, sed omissa: sicut pleraque alia falsa et improbabilia, de quibus non egit. An vero ex aliis principiis prædicta opinio sit vera vel falsa, probabilis vel improbabilis cujus examini locus a Concilio non præcluditur, ex dictis hac nostra disputatione, præsertim dub. 4 et hoc dub. 6, venandum est. Secundo favit Concilium piæ sententiæ, quia innovat Constitutionem Sixti IV, ubi non tantum a censuris vindicatur, sed magna ei probabilitas tribuitur: quam probabilitatem concedit etiam Tridentinum, eo ipso quod approbavit, et innovavit prædictam constitutionem. Cæterum ex isto capite nullus favor pro opinione negante debitum: quia prædicta constitutio solum loquitur de præservatione a contractione peccati; præservationis vero a debito contrahendi nulla ibi fit mentio, ut legenti constabit.

245. Illa vero consequentia Jacobi Granados in argumento, cui damus solutionem, videlicet *Concilio non fuit intentio comprehendendi B. Virginem sub illa generali Pauli, Omnes in Adam peccaverunt: ergo qui comprehendunt, habent intentionem contrariam intentioni Concilii*, inutilis est, et de subjecto non supponente: quia Concilium circa comprehensionem vel non comprehensionem Virginis sub prædicto testimonio nullam habuit intentionem, nisi subtrahendi se a determinatione alicujus partis, et ita quicquid alius intendat, non contrariabitur intentioni Concilii: nam est propositio, ut diximus, de subjecto non supponente.

Nec minus illegitime infertur in confirmatione: *Intentio Concilii est intentio Spiritus Sancti: ergo si Concilium non intendit comprehendere Deiparam sub testimonio Pauli, neque Spiritus Sanctus id intendit.* Ridicula sane illatio: num quia omnis intentio Concilii sit intentio Spiritus Sancti, e contra inferre licet: omnem intentionem Spiritus Sancti esse intentionem Concilii? aut nihil aliud comprehendere Spiritum Sanctum suo iudicio et intentione, quam iudicium et intentio Concilii comprehendunt? Similis est huic prædicta consequentia: *Omnis effectus causæ secundæ est effectus causæ primæ: ergo omnis effectus causæ primæ est effectus causæ secundæ: vel ergo quod non causat causa secundæ, non causat causa prima.* Cujus nullitatem vel inscius deprehendet. Ad hæc: perspicuum est, homines quantumvis

Granad.

Inutilis consequentia.

quantumvis a Deo illuminatos, non omnia suo iudicio aut intentione comprehendere, adeoque circa multa habere se negative, nihil decernentes, sed iudicium suspendentes : quæ tamen suspensio absurde tribueretur divino iudicio omnia comprehendenti. Ex suspensione igitur iudicii aut intentionis Concilii Tridentini circa comprehensionem Deiparæ sub Pauli testimonio, sinistre in prædicta confirmatione inferitur suspensio vel negatio iudicii et intentionis Spiritus Sancti circa talem comprehensionem. Maneat ergo, ex præfata Concilii declaratione non haberi inclusionem aut exclusionem Deiparæ a culpa originali, vel ejus debito ; sed utrunque relinqui Theologis per alia principia investigandum.

246. Hæc cum ita sint, non boni consulent piæ sententiæ veri defensores, quod Salazarius citato opere de Concept. cap. 41, can. 1, prædictam Concilii declarationem Jacobo Lainio suæ Societatis Præposito generali debere affirmet his verbis : *Et quidem (absit verbo invidia) eam exceptionem, quæ ad calicem decreti de peccato originali pro Virginis immunitate subjecta est, Lainio debere constans fama tenet.* Quod etiam scribunt Granados ubi supra, et Laurentius Chrysogonus in suo Mund. Marian. discurs. 5. Reddunt vero rationem, quia cum Patres Tridentinæ Synodi audiissent Lainium tribus horis pro immunitate Deiparæ magna vi, magnoque succensu perorantem, ejus oratione et auctoritate ita permoti sunt, ut exceptionem illam e vestigio addendam censuerint. Sed quis non videat narrationem hanc firmitati piæ sententiæ potius officere, quam ejus auctoritati consulere? Dum enim, ne a Patribus Concilii sub communi decreto de peccato originali comprehensa, adeoque damnata remaneret, tam longa, tamque fervida illa Lainii oratione opus fuisse commemorat; aperte insinuat prædictos Patres illuc usque, et quantum erat ex se, propensos extitisse ad comprehendendam Deiparam sub tali decreto ; imo et quod de facto comprehensam relinquerent, nisi eximius ille orator tam longe et efficaci sermone illos a proprio sensu revocasset : si namque in favorem piæ sententiæ ex se ipsi propenderent, quamvis Lainius abesset, aut non orasset, prædictam sententiam illæsam et intactam relinquerent. Prædictam igitur narrationem credent, qui eam qualem qualem sibi gloriam ambiunt ; nobis autem haud facile persuadebunt. Neque enim

Patres Tridentinæ Synodi sic aliquando piæ sententiæ adversos meditatur, ut Lainii sermone opus haberent, quo propitii, tantum ne damnarent illam, redderentur. Quin potius ita Patres illos a seipsis immunitati Deiparæ, addictos contemplamur, ut licet expediens non judicaverint veritatem illam suffragiis determinare ; semper tamen in animo habuerint sic decreta sua disponere, ut nullum ei præjudicium inferrent : adeoque non quasi aliena tantum inducti oratione, sed sponte omnino sua, et bonitate causæ allecti, prædictam declarationem suo decreto addiderunt.

Sane qui gesta in Tridentina Synodo, præsertim circa controversiam de Conceptione B. Virginis ses. 5 excitatam, omni cura adnotarunt, haud meminere præfate Lainii rationis ; sed inter Patres Dominicanos ex una parte, et Franciscanos ex alia totum hujus controversiæ negotium actum fuisse insinuant. Narrant vero inferius circa sessionem 23, ubi de residentia Prælatorum diu controversum fuit, prædictum Lainium per duas horas et amplius orationem ad Concilium habuisse (non tamen ita acceptam, quin jussus fuerit eam scripto non vulgare). Et forte ex æquivoco hanc orationem Salazarius et alii in causa Conceptionis Virginis fuisse arbitrantur. Narrant quoque circa eandem ses. 5, quod cum Legati Concilii Præsides Pontifici nuntiasent admirabilem omnium Patrum contra doctrinam Lutheri concordiam, et Synodi in ea damnanda determinationem, simul significarunt quæ de Conceptione Virginis contentio fuerat excitata. *Illis vero Roma responsum (damus formalia verba) huic controversiæ manum nullatenus admovendam, sed ut partes sibi invicem concilientur, et utrisque satisfiat admittendum : in primis vero diploma Sixti IV diligenter attendendum. Legati intellecta Pontificis voluntate tam per se quam Præsulum prudentiorum interventu partibus persuadent deponere contentiones, et junctis viribus, Lutheranis se opponere. Illi vero non recusabant rem omnem silentio transire, dummodo opinioni suæ interim non præjudicaretur. At canonem sibi præjudicium afferre dicebant Franciscani, nisi Maria nominatim exciperetur : et Dominicani vicissim, si exciperetur, suam sententiam damnari. Itaque modus necessario erat investigandus, quo Virgo neque canone comprehendi, neque affirmate excipi videretur. Franciscanis tandem instantibus, Dominicani sunt assensi, ut solum diceretur*

Narratio  
minori  
fide di-  
gna.

Salazar.  
Granad.  
Chrysog.

non fuisse Concilii intentionem, eam generali propositione complecti: illud additum servandas Sixti IV constitutiones. Hæc ex vetusto codice: nec plura circa prædictam controversiam fide digna reperimus. Suadent vero haud obscure, prædictam Virginis exceptionem ad instantiam PP. Minorum, Prædicatoribus (ut quorum opinioni non præjudicat) assentientibus, potiusquam ad Lainii suasionem Tridentini decreto adjectam fuisse.

247. Sed et suadent, potiori jure rejiciendum esse extremum aliud æque a veritate aberrans, cujus auctor Nicolaus Lanzizius ex eadem Societate tom. 2 Opusculor. spirit. opusc. 11, cap. 13, ubi narrat, quod cum Patres Concilii essent jam in pro-cinctu ad diffiniendum hunc articulum, cunctis fere piæ sententiæ subscribentibus, ob instantissimas paucorum preces diffinitionem non vulgarunt, sed alio distulerunt (innuens conditam fuisse de facto) ne Religioni Sancti Dominici nota inureretur. Junge hoc extremum præcedenti a Salazario et aliis intento: et meditare in uno Patres Concilii ita indifferentes, seu parum affectos erga piam sententiam, toto illo, quem audivimus, Lainii labore opus fuerit, tantum ut declararent non manere condemnatam, sed antiqua sua probabilitate gaudere permissam; in alio vero sic in eam propensos, ut nisi obsessent instantissimi rogatus, diffinitionem ejus vulgarent: et videbis incohærentiam. Sed licet utrunque falsum, cavendum tamen magis hoc posterius. Tum quia valde injurium sacro Concilio: dum veritatem in eo compertam, et Ecclesiæ satis necessariam, tantum ob privatas quorundam preces dissimulasse fingit. Tum etiam quia sanctissimo, gravissimoque Ordini gravem notam inurit, simulans fore illi maculam diffinitionem et declarationem hujus articuli: quod et veritati et religioni contrariatur. Quo pacto enim nota esse poterat veritatem ubique quærentibus, et pro ea assequenda continuo laborantibus, uti quærit, et pro ea laborat sacra Prædicatorum Religio, quod ipsa veritas manifestaretur, et palam omnibus proponeretur. Aut quomodo non eam ultro ablatam apertis ulnis susciperent, et amplexarentur, qui ejus studio et amore flagrantissime exardent? Aut denique quæ major nota aliunde incidere posset gravissimæ familiæ quam si in generali Synodo, adeoque non in angulo, non in abdito, sed in oculis Solis, in conspectu totius Ecclesiæ,

nulloque non teste ex ibi congregatis, veritatem tot precibus a Deo sæpe expostulatam, tandemque eximio beneficio et favore concessam, iterum ocludi vellet, aut ejus manifestationi contradiceret? Abeant igitur fabulæ; apage paradoxa, quæ et a veritate exulant, et in præjudicium urgunt charitatis.

248. Hic etiam plectendus venit modus dicendi, quem refert Joannes Antonius Velasquez lib. de Maria immaculate concepta dissertatione tertia adnotatione quarta, videlicet piam de immunitate Virginis opinionem post Concilii Tridentini decretum adeo esse veram et indubitatum, ut opposita, nulla omnino ratione defendi possit. A quo (subjungit) non multum abeunt nostri Theologi, Pater (inquam) Petrus Canisius libro primo de Mariæ Deipara capite octavo, qui adeo certum existimat, Concilium pro immaculata Deiparæ conceptione stare, ut hac de re nullam cum catholicis concertationem instituat; sed rem sibi cum hæreticis solum esse velit. Hic igitur dicendi modus nedum ut temerarius, sed ut in fide suspectus a Catholicorum sensu eliminandus est, penitusque rejiciendus. Quis enim si omnino Catholicus ita palam summis Pontificibus contradicere auderet, ubique declarantibus, nullam istius controversiæ partem hactenus ab Ecclesia esse determinatam, et omnibus pro utraque sentire libertatem facientibus. De quo Pius V in constitutione *Super speculam*, sic ait: *Nos qui prædecessorum nostrorum saluberrima decreta pro viribus salva esse cupimus, potissimum illa, quæ a sacrosancta Synodo Tridentina denuo sunt confirmata, liberam cuique facultatem relinquentes, opinandi hujus controversiæ quamlibet partem*, etc. Et iterum in eadem constitutione reprehendens illos, qui pro alterutra parte pertinaciter contendunt, ait: *Quibus illud Prophetæ convenire videtur, dicunt, ait Dominus, cum ego non sim locutus: cum sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum magistra de ea re hucusque non definiarit, nemo absque temeritate præjudicare, vel alterius partis sententiam damnare potest*, etc. Quo pacto ergo Catholicus contra tam aperta Ecclesiæ testimonia affirmare audebit, unam istius controversiæ partem post Concilium Tridentinum adeo esse certam et indubitatum, ut opposita nulla omnino ratione defendi possit.

Ex hæreticis vero Kemnitius modo isti asserendi plaudet, ut dum supponere vult Concilium declarasse, aut certum fecisse privilegium

Lanziz.  
Relatio  
a fide  
aliena.

Velasq.  
Modus  
dicendi  
repre-  
hensione  
dignus.

Pius V.

Favet  
hæreti-  
cis ille  
modus  
dicendi.



privilegium immunitatis Deiparæ, occasionem sumeret procaciter ingerendi illud, quod refert Canisius loco citato : *De speciali Virginis Mariæ privilegio cum cœleste diploma protulerint, credemus quod jactant.* Audax sane, imo stultum hæretici pronuntiatum : non modo quia absque cœlesti diplomate exhibito, in nullo Ecclesiæ credendum putat (qui in multis sine ullo testimonio sibi vult credi) sed etiam quia intelligere nolens verba Concilii, fingit hostem, quem feriat, supponens : prædictum B. Virginis privilegium fuisse a Tridentino declaratum ; cum potius notum sit, Concilium minime id præstitisse, sed in utranque partem sentiendi ex Sixti IV constitutione liberum reliquisse, ut expendit Canisius cap. citato. Abigendus ergo similis discursus ; qui ansam præbet hæreticis ad ita desipiendum. Adde, prædictum dicendi modum vix differre ab eo, quem expurgatorius Index deleri jussit ex Elucid. Joan. Bapt. Poza lib. 4, cap. 7, ubi affirmabat *opinionem de Conceptione Virginis plena, propria et absoluta canonizatione decretam esse quoad veritatem et sanctitatem illius ex vi decreti Gregorii XV.* Quæ verba cum aliis deleri jussa sunt, *quia virtualiter continent qualificationem oppositæ sententiæ*, ut dicitur in prædicto Expurgatorio.

249. Quo autem fidejussore asseruerit Velasquez, Theologos Societatis non multum abire a prædicto discursu non constat ; constat vero P. Canisium, in quo uno ponit exemplum longissime inde abesse : falsoque illi imponi, quod noluerit de hac controversia ullam cum Catholicis concertationem instituere, aut quod rem sibi solum cum hæreticis esse velit, ut affirmat Velasquez. Etenim lib. 1 de Maria Deipara ab eo citato, agit ex professo de hoc puncto per quatuor capita a 5 usque ad 8, et cum cap. 5 communia aliqua expediisset, accedens ad difficultatem cap. 6, præfigit et hunc titulum : *Disputatio contra eos, qui salva Ecclesiæ fide, immaculatam Virginis Mariæ conceptionem oppugnant.* Sub quo titulo ita inchoat : *Duplex nobis adversantium est genus, qui Mariæ conceptionem a lege peccati nolunt excipi : alterum quidem Catholicorum contra illam, salva Ecclesiæ fide disputantium*, etc. Consumit vero in hac disputatione cum Catholicis totum illud caput, et sequens cap. 7, post quæ instituit octavum contra hæreticos, qui sententiæ neganti exceptionem Virginis a peccato errores aliquos admiscunt : ita ut

quæ prout ab aliquibus Catholicis defenditur, probabilitatem subit, ut asserta ab ipsis, hæresis vel erroris notam mereatur : unde prædicto cap. 8, sic incipit : *Quoniam quidem satis, ut opinor, cum illis disputavimus, qui Catholicam religionem profitentes, nec vulgari zelo contra Sanctam sanctæ Virginis conceptionem suadent atque pronuntiant, superest modo, ut sectariis, qui ad eundem sane finem, sed longe alia, et tortuosiori via contendunt, aliquid respondeamus*, etc. Sic Canisius. Qui ergo ex eo ita legis, quæras rogamus, qua veritatis specie citatus Junior serio affirmaverit, P. Canisium hac de re nullam cum Catholicis instituere disceptationem, sed solum cum hæreticis rem sibi esse velle : atque ex his disce in reliquis non omnia credere, sed probare.

## § VI.

*Reliqua ejusdem opinionis argumenta diluuntur.*

250. Ad tertium argumentum propositum num. 127, concesso antecedente, neganda est consequentia : non enim valet a potentia ad actum. Et ad primam probationem, potest negari antecedens. Pleraque enim sunt quæ licet non repugnent creaturæ, cederentque in ejus dignitatem, non idcirco Virgini conceduntur : ut quod fuerit de Spiritu sancto concepta, aut ex parentibus alienis a culpa originali, aut quod fuerit simul viatrix et comprehensor, et similia, quæ Christus sibi specialissime reservavit. Esto vero prædictum antecedens admittatur, debet intelligi de illis, quæ nec repugnant creaturæ, nec ejus redemptioni per Christum : nam B. Virgo fuit per illum redempta. Unde quia præservatio tam a peccato originali, quam a debito non stat cum vera redemptione, ut dub. 3 ostensum est, censetur de numero illorum quæ B. Virgini repugnant. Adde, illam regulam tribuendi Deiparæ quicquid excellentiæ creaturæ non repugnat, condiendam esse gransalis, sicut eam accepit Scotus, cujus verba adduximus num. 205, ita scilicet, quod Virgini tribuitur, non contradicat sacræ Scripturæ vel Ecclesiæ determinationibus, aut Sanctorum Patrum et Theologorum communi sententiæ : quibus omnibus ostensum est repugnare prædictam præservationem. Ad secundam probationem respondetur, quod si esset efficax, probaret Christum non

Solutio  
tertiæ argu-  
menti.Falso  
tribui-  
tur Cani-  
sio.

Diluitur secunda probatio. solum matrem, sed avos et proavos, cæterosque ascendentes debuisse eligere alienos a culpa originali et ejus debito : quia unusquisque nostrum, si sibi daretur, hos omnes eligeret quanta posset nobilitate decoratos. Sicut ergo quod Christus elegerit avos et proavos originali culpa infectos, nihil derogat summæ ejus dignitati, sed potius commendat maximam charitatem, dum qui pro peccatoribus venit, dedignatus non fuit e peccatoribus originem trahere ; ita nihil derogat, quod matrem elegerit de illis, quæ in Adamo peccaverunt, adeoque peccato originali, quantum erat ex se, obnoxiam. Imo potius ex hoc Scriptura et Patres Dei misericordiam et charitatem valde commendant, quia veniens ad liberandos peccatores, et eos qui in Adamo ceciderunt, non aliunde quam ex ipsis voluit carnem assumere. Quod autem in eadem probatione dicitur, ignominiam matris redundare in filium, frivolum est, ubi filius est Deus, qui non naturæ necessitate, sed amore et charitate matrem habere elegit : in quem proinde nulla potest redundare ignominia, quovis modo illa fuerit concepta. Ut enim

Amselm. dixit Anselmus lib. de conceptu virg. sicut Deus de facto elegit matrem semper mundissimam, potuisset absque ulla sui ignominia vel indecentia eligere aliam, quæ aliquando fuisset inquinata peccatis, sive originali sive personalibus, et ab eis per gratiam mundata. Quis enim in hoc implicationem ostendet? cum tamen sit implicatio, aliquid ignominia aut indecentia in Deum refundi.

Diluitur tertia. 251. Tertia probatio nullius est roboris, quoniam Christus utpote supremus Dominus non ex debito vel præcepto aliquo, sed ex gratia et dignatione honorem Virgini tribuebat : adeoque pro libito poterat quousque vellet extendere illum, vel non extendere : extenditque de facto, ut sibi expediens visum fuit, et non amplius. Non autem expediebat, quod extenderetur usque ad præservandam a debito culpæ originalis : quia hoc derogaret gloriæ ipsius Christi, qui in tali casu non posset esse Virginis redemptor : ut dub. 3 ostensum est.

Diluitur quarta et ultima. Ad quartam dicas, ideo Christum non præstitisse B. Virgini præservationem a debito originalis culpæ, quia voluit sibi gloriam redemptoris ipsius Virginis, quam non consequeretur, si eam a tali debito præservasset. Unde talis non præservatio, neque derogat divinæ potentia, neque amoris : sicut neutri derogat, quod ipsam

Virginem non fecerit de Spiritu sancto conceptam, aut genitam a parentibus, qui et ipsi geniti fuissent sine culpa originali.

Ad ultimam respondetur, excellentiam præservationis a debito esse de numero illarum, quæ nequeunt, salva fide, Virgini concedi : cum ex fide habeamus, et quod fuit vere redempta, et quod redemptus dici non potest, qui vel re vel debito non fuit per peccatum ante captivus, ut ex determinatione Zozimi Papæ vidimus num. 105. Sed quicquid de hoc sit, num quia in tribuendo Virgini honorem, sequimur vestigia Patrum, qui illam a prædicto debito præservare communiter renuerunt, indevoti aut ingrati arguendi sumus? ut opponit arguens in prædicta probatione? Indevotus ne Virginis Ildefonsus? indevotus Bernardus? indevotus Anselmus? indevoti Rupertus, Richardus, Albertus, Thomas, Bonaventura, et alii qui nostræ sententiæ suffragantur? apage; imo potius omnes de Virgine optime meriti, omnes capellani addictissimi, illius amore flagrantissimi : quos proinde non tepens devotio, non minor gratitudo, sed prudentia major, profundior sapientia in prædictam sententiam deduxit. Ipsorum ergo potius quam recentiorum contrariæ opinionis devotionem ambientes, dicimus cum Bernardo in epistola ad Lugdun. *Nunquid Patribus doctiores aut devotiores sumus? Periculose præsumimus quicquid ipsorum in talibus prudentia præterivit.*

252. Ad quartum argumentum num. 128 efformatum respondetur, debitum de quo agimus, non ad hoc præcise requiri in B. Virgine, ut ejus electio et gratia fieret ex meritis Christi Redemptoris, sed ut fieret ex meritis illius in quantum redemptoris ejusdem Virginis : quod sine peccato vel debito intelligi non posse, dub. 3 demonstravimus. Et quoad confirmationem dicendum est, perfectissimum redemptionis modum tribuendum Deiparæ uti excellentissime redemptæ, in hoc consistere, quod cum cæteri tam a peccato commisso in Adamo, quam ab eo quod in se contraxerunt, redimantur, ipsa quia in se nullum contraxit, pro primo illo dumtaxat indiguit redemptione, quæ simul a posteriori præservaret. Ille vere modus, qui fingitur, redimendi a peccato, quod neque in se contractum est, neque in alio commissum, cum non salvet naturam redemptionis, non potest dici perfectissimum redemptionis

demptionis modus: nam propositio est de subjecto non supponente.

253. Ad quintum positum eodem num. 128 respondetur, peccatum veniale utpote personale derogare Virginis perfectioni in sua propria persona, adeoque omnino esse ab ea relegandum: quia personam Virginis, ut talis persona est, debemus ponere ex omni capite perfectissimam. Quod vero peccaverit in Adamo, non derogat personali dignitati, licet derogat naturæ: quia peccatum illud non personæ Virginis, sed naturæ fuit. Non autem asserere tenemur Virginem fuisse talis naturæ, quæ nullibi fuerit sub peccato, seu quæ ubique habuerit maximam perfectionem. Imo tenemur dicere fuisse illius naturæ, quæ in Adamo peccavit, ut verificetur Deum ad reparandam illam naturam quæ ceciderat ex eademmet carnem assumpsisse: et quod unde vulnus prodiit, orta est et medela. Adde non ex eo quod ob Virginis perfectionem excludamus ab ea peccatum veniale, quod minus est, legitime inferri debere etiam excludi hoc quod est peccasse in Adamo, quod majus est. Nam etiam ob Baptistæ perfectionem excludimus ab eo peccata venialia ex deliberatione, quæ minora sunt; et non ideo excludimus contractionem peccati originalis, quod est majus. Adde secundo, ita procedendum esse in hac materia, ut nihil aliud de genere peccati Virgini tribuamus, nisi quod necessarium sit et sufficiat ad veram ejus redemptionem: nam Scriptura et Patres ita illam prædicant a peccato immunem, ut fateantur simul esse redemptam: ad redemptionem autem nihil refert, quod peccaverit venialiter; refert vero quod peccaverit in Adamo, ut ostensum est dub. 3; unde hoc posterius est illi tribuendum, et primum negandum.

254. Ad sextum ex eodem num. dicas, sententiam nostram et quicquid ex ea legitime deducitur, nullum scandalum generare posse viris doctis: cum et ipsi omnes ferme ita sentiant, et loquantur; quod autem ignaris et plebeis ob ipsorum imperitiam scandalum generaret, non est nobis curandum, quia non istis loquimur aut scribimus, sed sapientibus. Probat vero prædictum argumentum, hujusmodi quæstiones non esse coram rudibus discutiendas, qui rem non capientes adhærent argumento, et solutionem non percipiunt, indeque scandalum patiuntur: multoque minus hæc et similia, quæ non nisi Theologorum sunt, in concionibus aut privatis colloquiis esse

vulgo venditanda, ut satis indiscrete quo a popularibus plausum capiant, faciunt nonnulli, qui omissis veris et præclarissimis Virginis laudibus, quas nunquam humana lingua enarrare sufficet, ad inutiles et impertinentes quæstiones, quas ut in plurimum neque ipsi satis intelligunt, neque audientes valent percipere, sermonem convertunt, devotionis specie tenus, animo vero popularis auræ capiendæ. Quod sanctissimus ille Pontifex Pius V, amare dolens, in sua constitutione *Super speculam*, ubi de hac materia tractat, gravissime reprehendit his verbis: *Verum quod neque sine animi dolore accepimus, nec referre possumus, quidam diversorum Ordinum regulares, clericique sæculares, omissis quæ divinæ Majestatis gloriam, et sanctissimæ Dei genitricis venerationem, atque fidelium pietatem promovere poterant, languent circa quæstiones et pugnas verborum, etc. Et quasi desint præclarissima Inventricis gratiæ merita, quæ neque angelica quidem lingua satis digne referri possunt, et quasi ex illo uberrimo fonte puteoque aquarum viventium non possint saluberrimas haurire aquas, quibus fidelis populus magna cum utilitate atque dulcedine reficeretur, ad dissipatas cisternas occurrunt, stultas scilicet et sine disciplina quæstiones, quas nec frequens multitudo intelligere, nec viri sapientes qui capiunt, utiliter percipere valent: præsertim quoniam ut experimento didicimus, ipsorum concionatorum, qui ad quæstiones hujusmodi proponendas facilius erumpere solent, major numerus materiæ difficultatem prorsus ignorantes, neque intelligentes quæ loquuntur, simplicium animos indiscretæ devotionis obtentu, vel potius loquacitatis et ostentationis affectu ad tumultus et similtates concitant, quos, tumultuantes atque dissidentes componere sedareque potius oportebat. Quod utinam hac nostra tempestate experimento probari non posset.*

255. Unde etiam reprehendendum venit, quod aliqui juniores sub prætextu examinandi difficultatem hujus articuli, vulgari sermone edere ausi sunt libellos, materiam immunitatis Deiparæ fuse tractantes, et unius partis assertionem, alteriusque impugnationem ratione et auctoritatibus communientes: quibus non tantum viris laicis, sed et mulierum conventiculis, quæ ut primum ignorantia et curiositatis vitio æque laborant, res istæ abstrusæ et difficillimæ cum manifesto plurimorum errorum periculo tractandæ et disquirendæ offeruntur, quasi illarum plausibus et votis hac in

Andreas  
Mendo.  
Soc.  
Jes.  
Joseph.  
Guarnizo  
Soc.  
Jes.

causa etiam sit deferendum. Quanta vero hujusmodi ausus animadversione dignus sit, ignorare videntur libellorum similium auctores, nescii fortasse prædictæ constitutionis *Super speculam*, ubi Pontifex gravibus sub pœnis interdicit: *Quatenus nemo cujuscunque ordinis, gradus, conditionis vel dignitatis existant, etc. de hac ipsa quæstione, cujusvis pietatis aut necessitatis prætextu, vulgari sermone scribere vel dictare præsumant: qui contra fecerit suspensionis pœnam a divinis absque nova declaratione ipso facto incurrat, si modo fuerit in sacris constitutus, et quocunque præterea gradu, sive dignitate, vel administratione fungatur, illis omnibus sit ipso jure privatus: et ad eadem vel similia munera obtinenda vel obeunda, perpetuè inhabilitatis censuræ ipso etiam facto sit obnoxius: pro quibus nisi a Romano Pontifice pro tempore existente dispensari sive absolvi non possit, etc.* Hæc ibi.

Septimum argumentum enervatur.

Ad septimum argumentum, quod habetur num. 129, ubi refert Granados assertiones illas Patrum Minorum B. Virginem a debito originalis culpæ vindicantes, post delatas ad Sanctæ Inquisitionis tribunal permissas fuisse libere defendi (præterquam quod non inde habetur veras esse prædictas assertiones, sed ad summum non esse improbables, hacque ratione quamvis falsas, fidei censoribus tolerari et permitti) responderetur ex Ægidio a Præsentatione lib. 2, quæst. 4, art. 2, § 6, et art. 5, § 1, ubi ait, theses illas (de quibus affirmat se certio rem factum) solum excludere debitum intrinsicum afficiens ipsam Virginis personam in instante suæ conceptionis, atque adeo tertium gradum debiti, quem explicuimus num. 218, non vero excludere, quod in Adamo peccaverit, adeoque quod contraxerit debitum in primo gradu, vel etiam in secundo, citato num. explicatis. Porro licet nos verius judicaverimus fuisse in B. Virgine debitum secundum omnes tres prædictos gradus, admisimus etiam ut probabilem sententiam ipsius Ægidii et aliorum, qui tertium gradum negant, concedentes primum et secundum: neque improbabilem censuimus, quæ primum concedens, negat secundum et tertium. Ex hoc vero nequit desumi argumentum nedum pro veritate, sed neque pro probabilitate opinionis, quam ex professo impugnamus, quæ negans Virginem peccasse in Adamo, nullum prædictorum graduum debiti admittit.

Enodatur ultimum.

256. Ultimum argumentum ex citato num. 129, solutione non eget: testimonia

enim et rationes adductæ dub. 4, pro sententia adstruente debitum, adeo sunt perspicua, ut vel cæcus videat, illam efficaciter convincere; nihil vero probare contra immunitatem Virginis a peccati contractione, partim ostendimus ibidem inter ipsa argumenta, partim vero dub. præcedenti a num. 189. Sane sicut a potentia ad actum nullus vel tyronus fecit formalem consequentiam, neque ex negatione actus coactus est potentiam negare, aut ex hujus concessionem illum concedere: neque similiter aliquis facit illationem a debito mortis ad actum moriendi, cum plurimi morti obnoxii principis favore vel alia via a morte eruantur: ita ex debito contrahendi culpam originalem in Virgine sinistre arguitur actualis contractio: perperamque ex negatione istius negatio illius infertur: cum optime potuerit, adstante prædicto debito, contractio actualis divina gratia et favore impediri; sicut adstante potentia, potest impediri actus.

Ad illud quod ex juniore additur, constat ex dictis in hoc dubio, quomodo opinio negans debitum Deiparæ, ex nullo capite conducat ad stabiliendam ejus præservationem a culpa originali; sed potius definitioni hujus articuli aditum ocludat; e contra vero quæ debitum adstruit, plurimum juvet, viamque sternat, ut inter fidei dogmata collocetur. Cum vero subdit quod *semel ostenso Virginem in Adamo non peccasse, regia est via ad demonstrandum non contraxisse culpam originalem*, perbelle diceret, nisi difficilius aut forte impossibile supponeret, ut tota hac disputatione ostendimus. Nunc vero quis non videat extra viam incedere, qui veritatem alias tuto expeditibilem, difficillimo principio ac forte improbabili alligare intendit, et quod minus difficile est, per difficilius probare conatur. Sane qui ita procedit, similis est militi, qui nolens cum singulari et moderato hoste configere, ex quo victoriam jure speraret, eligit pugnare contra duos cum evidenti mortis periculo, et sine spe ulla victoriæ, ut se ostendat ab uno tantum non vinci. Opinio quippe negans B. V. præservationem a culpa in se contracta, supposito quod in Adamo deliquerit et debitum incurrerit, hostis quidem est piæ sententiæ, singularis tamen et moderatus, ex quo seorsim sumpto jure credimus victoriam reportandam: qui vero præservatione illa non contentus, præservationem etiam a prædicto debito adstruit, plures hostes quærit, aut primo robor superaddit;

peraddit ; et secunda vel probabilissima sprete unius victoria cum evidenti casu periculo adversus plures decertare eligit, ne videatur uni succumbere. Et hæc pro hac disputatione : quam sicut et cætera omnia non modo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sed et cunctorum de Virg. Beatissimæ immunitate bene merentium iudicio et correctioni submittimus.

## ARTICULUS IV.

*Utrum si aliquis ex humana carne formaretur miraculose, contraheret originale peccatum ?*

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod, si aliquis formaretur ex carne humana miraculose, contraheret originale peccatum. Dicit enim quædam glossa Genes. 3, quod in lumbis Adæ fuit tota posteritas corrupta : quia non est separata prius in loco vite, sed postea in loco exilii : sed si aliquis homo sic formaretur, sicut dictum est, caro ejus separaretur in loco exilii : ergo contraheret originale peccatum.

2. Præterea peccatum originale causatur in nobis, in quantum anima inficitur ex carne : sed caro tota hominis est infecta : ergo ex quacumque parte carnis homo formaretur, anima ejus inficeretur infectione originalis peccati.

3. Præterea : peccatum originale a primo parente pervenit in omnes, in quantum omnes in eo peccante fuerunt : sed illi, qui ex carne humana formarentur, in Adam fuissent : ergo peccatum originale contraherent.

Sed contra est : quia non fuissent in Adam secundum seminalem rationem, quod solum causat translationem peccati originalis, ut Augustinus dicit 10, super Genes. ad litteram.

Respondeo dicendum, quod, sicut jam dictum est, peccatum originale a primo parente traducitur in posteros, in quantum moventur ab ipso per generationem, sicut membra moventur ab anima ad peccatum actuale ; non autem est motio ad generationem nisi per virtutem activam in generatione : unde illi soli peccatum originale contrahunt, qui ab Adam descendunt per virtutem activam in generatione originaliter ab Adam derivatam, quod est secundum seminalem rationem ab eo descendere. Nam ratio seminalis nihil aliud est, quam vis activa in generatione. Si autem aliquis formaretur virtute divina ex carne humana, manifestum est, quod vis activa non derivaretur ab Adam : unde non contraheret peccatum originale. Sicut nec actus manus pertinet ad peccatum humanum, si manus non moveretur a voluntate hominis, sed ab aliquo extrinseco movente.

Ad primum ergo dicendum, quod Adam non fuit in loco exilii nisi post peccatum. Unde non propter locum exilii, sed propter peccatum traducitur originalis culpa ad omnes, ad quos activa ejus generatio pervenit.

Ad secundum dicendum, quod caro non inficit animam, nisi in quantum est principium activum in generatione, ut dictum est.

Ad tertium dicendum, quod ille, qui formaretur ex carne humana, fuisset in Adam secundum corpulentam substantiam, sed non secundum seminalem rationem, ut dictum est : et ideo non contraheret originale peccatum.

*Prima conclusio : Illi soli peccatum originale contrahunt, qui ab Adam descendunt per virtutem activam in generatione originaliter ab Adam derivatam : quod est secundum seminalem rationem ab eo descendere.*

*Secunda conclusio : Si aliquis formaretur virtute divina ex carne humana, vis activa non derivaretur ab Adam : unde non contraheret peccatum originale.*

*Commentarius.*

1. Ex utraque ista conclusione habetur legitima intelligentia illius pronuntiati, quod in hac materia sæpe repetimus, videlicet, *omnes et solos descendentes ab Adamo per seminalem propagationem contrahere originale culpam*. Nam per propagationem seminalem nihil aliud intelligitur nisi vis active movens ad generationem, quæ quidem vis residet in semine. Et ita solum includitur in prædicta loquutione, quod hujusmodi vis seminalis, et non tantum materia, ex qua formatur conceptus, active sit ab Adamo. Unde per formationem miraculosam in hoc articulo omnis, et sola illa formatio intelligitur, in qua vis activa formationem operans non est semen infectum ab Adamo descendens, sed aliqua alia causa : sive hæc sit immediate divina virtus, sicut cum ex costa Adami formavit Evam : sive aliud semen, aut etiam idem numero, quod homo formare posset ; non tamen ab illo, sed a Deo miraculose formatum.

Atque hinc habetur solutio sequentium <sup>Quinque casus.</sup> casuum, qui possunt inquiri. Primo an contraheret originale peccatum ille, qui formaretur per semen a viro decisum ; non tamen naturali modo, sed miraculose, vel arte dæmonis ad vulvam transportatum ? Secundo an illud contraheret, qui ex eodem, vel ex alio viri semine, non tamen concurrente active, sed mere passive se habente virtute divina formaretur : sicut posset formari ex sanguine, vel ex quavis alia materia. Tertio an si humana femina ex bruto hominem conciperet ? Sicut legitur apud Ludovicum Lemosium lib. 1 de naturalibus facultat. cap. 9, et Nicolaum Florentinum tract. 1, cap. 23, ex femina rationali, et ex urso natum fuisse filium virum probum, et strenuum, a quo nobilissimum Italiæ genus fuit exortum. Et similia non semel accidisse narrant aliæ historiæ. Quarto an si Deus miraculose tolleret ab aliquo ex posteris Adami omnem fomitem concupiscentiæ, qui juxta Augustinum, et Thomam est ratio in generante, ut peccatum traducat : vel etiam concederet illi justitiam originalem ; nonne filii ab isto geniti contraherent originale peccatum ; vel sine illo nascerentur ?

Tandem quid dicendum, si ex illis, qui de facto per propagationem seminalem ab Adamo processuri sunt, qui proinde jam in ipso peccaverunt, Deus se solo per creationem sine gratia, vel justitia originali ali-

quem produceret, ut revera posset? Si enim homo ita formatus contraheret originalem culpam, infringitur doctrina hujus articuli, ut intuenti constabit. Si autem non contraheret, sequitur aliquem, qui in Adamo peccaverat posse sine privilegio non contrahere peccatum in se, quod omnes negabunt. Ad hæc: eo ipso quod talis homo fuisset ex illis, qui in Adamo peccarunt, haberet debitum justitiæ originalis: atque adeo istius carentia haberet in illo quovis modo producto rationem privationis: ergo rationem peccati.

Deciditur  
primum

2. Hujusmodi igitur casus ex doctrina præsentis articuli habent facilem solutionem. Nam ad primum respondendum est affirmative: quia semen illud, quantumvis miraculose, vel artificiose ad vulvam deferatur; secundum se tamen, et secundum suam substantiam, et activitatem esset descendens ab Adamo, et formatum per virtutem propagativam hominis, essetque in ea generatione principium activum. Neque illa conceptio dicenda esset miraculosa, vel artificiosa quantum ad substantiam, sed solum quantum ad modum, vel applicationem virtutis activæ ad materiam.

Deciditur  
secundus.

Ad secundum respondetur negative: quia ubi semen non concurreret active, materialissime semen dicitur, neque magis deserviret ad traductionem peccati, quam alia quævis materia, puta terra, caro, vel sanguis, ex qua divina virtute aliquis homo formaretur: tota enim vis activa aliunde esset; ex Adamo autem non nisi materia, sicut fuit in formatione humanitatis Christi ex purissimo sanguine Deiparæ.

Tertius.

Ad tertium negandum est suppositum: repugnat enim veræ philosophiæ, omninoque ratione contradicit ex bruto generari hominem, etiam si fœmina sit mulier. Neque historiis id commentientibus habenda est fides. Si autem disputationis gratia admittamus figmentum, respondendum est negative propter rationem articuli: quia vis activa talium generationum non est ex Adamo, sed aliunde fingitur emanasse.

Quartus.

3. Ad quartum respondetur, quod licet Deus auferret ab aliquo omnem concupiscentiam actualem ligando ita ejus fomitem, et libidinem, ut nullum inordinatum motum sentiret, aut haberet; non idcirco tolleretur ab eo concupiscentiam, et libidinem habituales: quia adhuc maneret appetitus sensitivus destitutus originali justitia, propendensque habitualiter in bonum sensibile rationi contrarium. Hoc autem sufficeret,

ut talis homo transmitteret peccatum in posteros: quia concupiscentia, quæ ponitur ut peccati originalis effectiva, non est illa actualis, quæ potius se habet per modum signi, sed ista habitualis ut recte explicat D. Thom. quæst. sequenti art. 4 ad 3: *Dicendum, quod libido, quæ transmittit peccatum originale in prolem, non est libido actualis: quia dato, quod virtute divina concederetur, quod nullam inordinatam libidinem in actu generationis sentiret, adhuc transmitteret in prolem originale peccatum: sed libido illa est intelligenda habitualiter, secundum quod appetitus sensitivus non continetur sub ratione, soluto vinculo originalis justitiæ: et talis libido in omnibus est æqualis.*

D. Thom.

Urgetur  
hic  
casus.

Sed quia casus propositus ulterius ascendit ad illum, quo Deus conferret alicui ex posteris Adami justitiam originalem, per quam sine dubio concupiscentia, et fomes etiam habitualis tolleretur, videndum est, num filii ab illo homine sic justitia originali prædito procedentes originale peccatum contraherent? Respondetque D. Thom. in 2, dist. 31, quæst. 1, art. 2 ad 5: *Dicendum, quod hoc non posset esse, ut concupiscentia habitualis, quæ in deordinatione virium animæ consistit, tolleretur ex toto, nisi natura penitus reintegraretur: et hoc quidem nulli dubium, quin Deus facere posset, et si hoc feret, proculdubio geniti sine originali culpa nascerentur.* Ubi D. Thom. manifeste loquitur de reintegratione facienda per collationem justitiæ originalis: quia vix alio modo posset natura humana in viatoribus perfecte sanari, et reintegrari, nisi donum amissæ justitiæ originalis illis restitueretur. Sed observandum est, dupliciter posse Deum hujusmodi justitiam alicui conferre. Vel pro se dumtaxat, ut in ipso sisteret: vel pro se, et pro posteris, ut eam illis communicaret. Primo modo esset tantum donum personale: et ideo non penitus reintegraretur per illam tota natura, sed præcise quoad illam personam: unde et quoad ipsam personam tantum concupiscentia aboleretur. Secundo, esset etiam donum naturæ, utpote pro tota illa ex tunc concessum: et sic totam eam reintegraret, et ab ea tota concupiscentiam excluderet: constituereturque per illam collationem talis homo caput morale illorum, qui ab ipso procederent. Et juxta hunc sensum, non vero juxta primum loquitur D. Thom. Ratioque videtur perspicua. Nam si prædicta justitia pro illa tantum persona tribueretur, non conferret ejus semini vigorem supra explicatum ad

ad eam communicandam : atque adeo prædictum semen in ordine ad id munus esset vitiatum, et infectum per privationem talis vigoris : unde necessario communicaret proli naturam vitiatam, et infectam per privationem prædictæ justitiæ.

4. Quod vero Augustinus, et D. Thom. aiunt concupiscentiam habitualemente patris esse rationem traducendi peccatum ad filios, sine distinctione verum est, loquendo de facto, et de rebus ut nunc se habentibus, quia cum modo detur formaliter ea concupiscentia ex Adami peccato causata, nihil obstare potest, quominus virtutem ejus in se contineat, per ipsamque ad prædictam traductionem concurrat. At vero in casu illo de possibili sufficeret, quod remaneret concupiscentia quantum ad naturam non formaliter, sed virtualiter, quatenus concessa justitia originali pro illa tantum persona, vis generativa ejus non maneret roborata, neque perfecta ad gignendum alios in esse perfecto ; sed privata, et destituta vigore supradicto : et hæc privatio diceretur concupiscentia virtualis quantum ad naturam, quia erat ibi virtus ad traducendam cum natura concupiscentiam formalem, et hoc sufficeret, ut eadem virtus traderet peccatum.

Diximus *non formaliter, sed virtualiter* : quia, ut vidit Ang. Doctor 2 p. quæst. 27, art. 3, repugnantiam involvit, ut sublata ab aliquo totaliter concupiscentia quantum ad personam, maneat in eo quantum ad naturam, loquendo, ut S. Doctor ibi loquebatur, de permanentia formali. Ea tamen repugnantia non invenitur in permanentia tantum virtuali, quam explicuimus. Quod si hanc etiam virtualemente concupiscentiæ permanentiam velis ab illo genitore per prædictam justitiæ originalis collationem removeri, adhuc poterit probabiliter defendi filios contracturos peccatum originale non virtute seminis ad id active concurrentis ; sed illa alia secunda via, quam disp. 14, dub. 3 a num. 90 explicuimus.

5. Cæterum concessa, seu restituta tali justitia etiam pro successoribus, conferret semini pro illis gignendis prædictum vigorem : et ita cum non procederent per semen infectum, sed potius vigorosum, non erat quo pacto acciperent naturam peccato infectam, sed ornata justitia originali. Quare dum sæpe diximus, omnes descendentes ab Adamo per seminalem propagationem contrahere originalem culpam, intelligendum est de illis, qui procedunt per semen infec-

tum, sicuti procedunt omnes de facto, quia de facto omne semen Adami trahit ex ejus peccato prædictam infectionem. Non autem loquimur in casu de possibili, qua Deus vellet aliquem ex posteris Adami caput sequentium constituere, ejusque semen mundare, et amissum vigorem illi restituere.

Unde non obest si urgeas tum quod Adamus moveret active ad hujusmodi generationes, et non ut justus, sed ut peccator : ergo in omnes peccatum suum traderet. Tum etiam quod omnes sic procedentes essent de numero illorum, qui peccaverunt in Adamo, et pro quibus peccatum illud irretractatum permansit : ergo non possent non contrahere peccatum originale in se ipsis.

Respondetur enim, Adamum tunc movere remote, solumque ut principium naturale, atque adeo quantum ad communicationem naturæ ; non autem ut caput in esse morali : quia influxus ejus secundum hanc rationem intercessus fuit in illo successore, cui pro se, et pro sequentibus collata esset justitia, iste quippe per hanc collationem sicut acciperet rationem capitis moralis respectu successorum, sic rationem membri moralis respectu Adami tam pro se, quam pro illis exueret.

6. Ad secundum dupliciter dici potest : vel negando, illos, qui ita procederent, fuisse de numero eorum, qui peccaverunt in Adamo : quia nulla est ratio, ut si Deus decrevisset ornare proximum parentem pro se, et pro illis justitia originali, et morale caput efficere, non excepisset illos a decreto, in quo solus Adamus sortitus fuit prædictam rationem capitis. Vel saltem nullum habemus fundamentum, ad affirmandum hujusmodi decretum illos comprehendisse. Quod enim ex Scriptura et Patribus edocemur, omnes descendentes ab Adamo per seminalem propagationem comprehensos fuisse in illo decreto, ac proinde peccasse in Adamo, manifeste intelligitur de his, qui de facto processerunt, et processuri sunt : quorum nullus aliter genitus est, aut generabitur, quam per semen vitiatum, et infectum. Non autem Deus nobis manifestavit, quid conditionaliter decreverit pro innumeris aliis solum possibilibus, qui præcesserunt virtualiter in lumbis Adami, possentque variis modis inde educi.

Secundo dici potest non esse inconveniens admittere, eos de quibus loquimur, peccasse in Adamo ; in se tamen peccatum non contracturos. Nam sicut Deus de facto præ-

Objectio  
bimem-  
bris.

Solvitur  
prima  
pars.

Diluitur  
secunda.

Alia  
solutio.

servavit Deiparam per prævenientem gratiam ab actuali peccati contractione, etiam si in Adamo peccati debitum incurrerit juxta dicta in disput. præcedenti : ita licet homines illi fuissent de numero illorum, qui in Adam peccaverunt, præservarentur ab actuali contractione, saltem per ipsam justitiam originalem unicuique in sua prima conceptione infusam. Tuncque ad minus peccatum Adami pro illis virtualiter retractaretur, sicut retractatur modo pro parvulis in Baptismo, quando infunditur eis gratia. Imo et a contractione inchoativa, et radicali essent immunes, eo ipso quod talis conceptio non per semen infectum, sed per vigorosum inchoata fuisset : totumque hoc esset privilegium speciale illis hominibus concessum, si semel damus (ut in hac solutione admittimus) eos comprehensos fuisse in præsentis decreto de conservatione vel amissione justitiæ originalis, atque adeo peccasse in Adamo.

Tertia solutio verosimilis.

Addimus vero in fine hujus solutionis esse etiam apud nos verosimile, quod si Deus auferret ab aliquo viro concupiscentiam conferendo illi etiam pro sua persona tantum justitiam originalem, ejus filii non contraherent originale peccatum, quamvis neque etiam prædictam justitiam ; sed nascerentur quantum est ex hoc capite, ut in pura natura. Tuncque dicendum esset, omnes a viro illo procedentes non fuisse a Deo comprehensos in suo decreto de peccato, aut justitia originali : et ita neque hanc, neque vim ad eam ipsis communicandam habuisse rationem debiti, neque proinde alicujus ex eis carentiam fore privativam, vel habere rationem infectionis. Pro quo modo dicendi neque potest efficax ratio adduci, neque efficaciter impugnari : quia non est unde nobis certo constet, quid Deus decreverit circa conditionalem illam, et circa eos qui ad rerum naturam ita pervenirent. Admittimus autem prædictum dicendi modum ut verosimilem, quia juxta illam verba D. Thomæ ex 2 sentent. relata, et ea, quæ habet 3 part. loco allegato, nec non alia, quæ habentur in 3, dist. 3, quæst. 1, art. 2, quæstiuncula 3 ad 3, in 1 solut. sine distinctione intelliguntur.

Decisio ultimi casus.

7. Ad ultimum casum debet negari suppositum, neque potuisse aliquem ex his, qui in Adamo peccaverunt, aliter produci in sensu composito præsentis pacti, quam per seminalem propagationem. Et ratio est : quoniam præsens pactum constituens Adamum caput moralem posterorum, ipsosque

posterorum ejus membra per transfusionem voluntatum, quam disputat. 14 a num. 32 explicuimus, non comprehendit aliquem præcise secundum se spectatum, et abstrahendo ab hoc, vel illo modo productionis, sed ut stantem sub præscientia, atque sub diffinitione saltem conditionali, quod esset seminaliter ab Adamo processurus, cui præscientiæ omnino Deus pactum, seu decretum illud alligavit. Unde sicut hæc præscientia componi nequit cum productione per creationem, sic prædictum decretum : et sicut ante illam erat indeterminatum, an hic, vel ille ex contentis physice in Adamo esset hoc vel illo modo producendus : ita indeterminatum erat, an esset, vel non esset in eo peccaturus, comprehendendus, vel non comprehendendus in tali decreto, vel pacto. Non ergo negabimus, potuisse Deum quemlibet ex illis, qui in Adamo peccaverunt, absolute consideratum producere per creationem : sed negamus, quod cum præscientia, et pacto a quibus peccatum illud dependebat, possit componi talis productio. Hoc autem sufficit, ut locum non habeat difficultas hujus casus : siquidem talis præscientia, et pactum omnino sunt invariabilia. Quocirca signum evidens esset, quod aliquis non fuisset de numero illorum, qui peccaverunt in Adamo, neque in prædicto pacto comprehensus, si Deus illum per creationem, aut aliter quam per seminalem ab Adamo propagationem efficeret.

Circa id, quod in solutione ad secundum ait D. Thom. videlicet carnem inficere animam, quatenus est principium activum in generatione, et non aliter, videnda sunt quæ diximus disp. 14, num. 89.

#### ARTICULUS V.

*Utrum si Adam non peccasset, Eva peccante, filii originale peccatum contraherent ?*

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod si Adam non peccasset, Eva peccante, filii originale peccatum contraherent : peccatum enim originale a parentibus contrahimus, in quantum in eis fuimus, secundum illud Apostoli Roman. 5 : *In quo omnes peccaverunt*. Sed sicut homo præexistit in patre suo, ita in matre : ergo ex peccato matris homo peccatum originale contraheret, sicut et ex peccato patris.

2. Præterea : si Eva peccasset, Adam non peccante, filii passibiles, et mortales nascerentur : mater enim dat materiam in generatione, ut dicit Philosophus in 2 de generatione animalium : mors autem, et omnis passibilitas provenit ex necessitate materiæ : sed passibilitas, et necessitas moriendi sunt pœna peccati originalis : ergo si Eva peccasset, Adam non peccante, filii contraherent originale peccatum.

3. Præterea : Damasc. dicit in lib. 3, quod Spiritus sanctus prævenit in Virginea, de qua Christus erat absque peccato originali nasciturus, purgans eam : sed illa purgatio non fuisset necessaria, si infectio originalis peccati non contraheretur ex matre : ergo infectio originalis peccati ex matre



matre trahitur, et sic Eva peccante, ejus filii peccatum originale contraherent, etiam si Adam non peccasset.

Sed contra est, quod Apostolus dicit Roman. 5: Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit: magis autem fuisset dicendum, quod per duos intrasset, cum ambo peccaverint, vel potius per mulierem, quæ primo peccavit, si femina peccatum originale in prolem transmitteret: non ergo peccatum originale derivatur in filios a matre, sed a patre.

Respondeo dicendum, quod hujus dubitationis solutio ex præmissis patet: dictum est enim supra, quod peccatum originale a primo parente traducitur, in quantum ipse movet ad generationem natorum. Unde dictum est, quod si materialiter tantum aliquis ex carne humana generaretur, originale peccatum non contraheret. Manifestum est autem secundum doctrinam philosophorum, quod principium activum in generatione est a patre, materiam autem mater ministrat. Unde peccatum originale non contrahitur a matre, sed a patre, et secundum hoc si Adam non peccasset, Eva peccante, filii originale peccatum non contraherent: e converso autem esset, si Adam peccasset et Eva non.

Ad primum ergo dicendum, quod in patre præexistit filius sicut in principio activo; sed in matre sicut in principio materiali, et passivo: unde non est similis ratio.

Ad secundum dicendum, quod quibusdam videtur, quod Eva peccante, si Adam non peccasset, filii essent immunes a culpa; paterentur tamen necessitate moriendi, et alias passibilitates provenientes ex necessitate materie, quam mater ministrat, non sub ratione pœnæ, sed sicut quosdam naturales defectus: sed hoc non videtur conveniens: immortalitas enim, et impassibilitas primi status non erat ex conditione materie, ut in primo dictum est; sed ex originali justitia, per quam corpus subdebatur animæ, quamdiu anima esset subjecta Deo: defectus autem originalis justitiæ est peccatum originale. Si igitur Adam non peccante, peccatum originale transfunderetur in posteros propter peccatum Evæ, manifestum est, quod in filiis non esset defectus originalis justitiæ: unde non esset in eis passibilitas, vel necessitas moriendi.

Ad tertium dicendum, quod illa purgatio præveniens in Beata Virgine non requirebatur ad auferendam transfusionem originalis peccati: sed quia oportebat, ut Mater Dei maxima puritate niteret: non enim est aliquid digne receptaculum Dei, nisi sit mundum, secundum illud Psal. 93: Domum tuam Domine decet sanctitudo.

*Conclusio est negativa.*

*Duplex adnotatio.*

Circa conclusionis probationem est primo notandum, non adduci a D. Thoma ut rationem demonstrativam absolute, et nullo præsupposito: quia quod non Eva, sed solus Adamus peccatum suum in posteros traduxerit, dependens fuit a libera Dei institutione, qua solum virum caput morale posterorum constituit. Si namque etiam Evæ prædictam capitis dignitatem tribuisset (in quo non cernitur implicatio) proculdubio tam ipsa, quam Adamus peccatum suum nobis transmisisset. Cæterum ut intelligamus, eam dignitatem jure fuisse Adamo, et non Evæ concessam, optima congruentia est, qua D. Thom. in hoc articulo, et in præcedentibus utitur: videlicet quod vir sit principium activum in generatione; mulier vero passivum. Tum quia cum sit de ratione capitis, ut membra ab illo dirigantur, et moveantur: *movere au-*

tem proprium sit principii activi, sicut *moveri* est passivi, merito solus vir, qui active concurrit ad generationem posterorum, ipsosque generando movet, et in esse producit, debuit respectu illorum sortiri munus capitis. Tum etiam quia cum in uno corpore non deceat esse nisi unicum caput, non oportuit, ut Deus utrumque principium scilicet tam virum, quam feminam, sed unum ex eis tantum in ea dignitate constitueret: facta vero inter eos collatione, aptior sane erat vir ratione activitatis: quia activum suapte natura præeminet passivo, et illud superat. Semel autem ex hac congruentia, et ex aliis, quas Deus prævidit, constituto Adamo in ratione capitis, eaque dignitate ab Eva exclusa, non modo congruenter, sed efficaciter convincitur, illius, et non hujus peccatum ad posteros transisse: quia impossibile est cum, qui non sit caput, peccatum suum in alium transfundere.

Secundo est notandum, quod etsi D. Thom. sequutus fuerit veram, et Aristotelis sententiam, quod scilicet solus vir concurrat active ad generationem; femina autem solum passive, seu ministrando materiam, quam activitas viri disponat: non tamen necesse est conclusionem articuli huic sententiæ alligari: sed habet veritatem etiam in contraria medicorum asserentium etiam feminam habere aliquem concursum activum. Tum quia concursus viri saltem est principalior, et magis præcipuus juxta omnium sententiam: et hoc sufficit ut dignitas capitis, quæ uni tantum tribuenda erat, illi potius, quam feminae donaretur. Tum etiam quia esto præstet femina aliquem influxum activum; hujusmodi tamen influxus non requiritur ad *simpliciter esse* generationis, sed tantum ad *melius esse*: et ideo existente activo concursus viri, etiamsi deficeret ex parte feminae, posset fieri generatio, licet non ita bene, minime tamen e contra, ut recte vidit Thom. Sanchez lib. 9 de matrim. disp. 17. Unde solus vir potest dici principium activum simpliciter, etiam in illa sententia: femina vero secundum quid, et diminute. Constat autem in ordine ad dignitatem capitis præferendum fuisse principium simpliciter activum activo secundum quid, et simpliciter passivo.

## QUÆSTIO LXXXII.

*De originali peccato quantum ad suam essentiam in quatuor articulos divisa.*

*Deinde considerandum est de peccato originali quantum ad suam essentiam.  
Et circa hoc quærentur quatuor.*

## ARTICULUS I.

*Utrum originale peccatum sit habitus?*

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod originale peccatum non sit habitus: originale enim peccatum est carentia originalis justitiæ, ut Anselmus dicit in lib. de conceptu virginali: et sic originale peccatum est quædam privatio: sed privatio opponitur habitui: ergo originale peccatum non est habitus.

2. Præterea: actuale peccatum habet plus de ratione peccati, quam originale, in quantum habet plus de ratione voluntarii: sed habitus actualis peccati non habet rationem culpæ, alioquin sequeretur, quod homo dormiens culpabiliter peccaret: ergo nullus habitus originalis habet rationem culpæ.

3. Præterea: in malis actus semper præcedit habitum: nullus enim habitus malus est infusus, sed acquisitus: sed originale peccatum non præcedit aliquis actus: ergo originale peccatum non est habitus.

Sed contra est, quod Augustinus dicit in lib. de baptismo puerorum, quod secundum peccatum originale parvuli sunt concupiscibiles etsi non sint actu concupiscentes: sed habitus dicitur secundum aliquem habitum: ergo peccatum originale est habitus.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est, duplex est habitus. Unus quidem, quo inclinatur potentia ad agenda, sicut scientiæ, et virtutes dicuntur habitus; et hoc modo peccatum originale non est habitus. Alio modo dicitur habitus dispositio alicujus naturæ ex multis compositæ, secundum quam bene se habet, vel male ad aliquid, et præcipue cum talis dispositio fuerit quasi in naturam versa, ut patet de ægritudine, et sanitate. Et hoc modo peccatum originale est habitus: est enim quædam inordinata dispositio proveniens ex dissolutione illius harmoniæ: in qua consistebat ratio originalis justitiæ, sicut etiam ægritudo corporalis est quædam inordinata dispositio corporis, secundum quam solvitur æqualitas, in qua consistit ratio sanitatis: unde peccatum originale languor naturæ dicitur.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut ægritudo corporalis habet aliquid de privatione, in quantum tollitur æqualitas sanitatis, et aliquid habet positive, scilicet ipsos humores inordinate dispositos: ita etiam peccatum originale habet privationem originalis justitiæ, et cum hoc inordinatam dispositionem partium animæ. Unde non est privatio pura, sed est quidam habitus corruptus.

Ad secundum dicendum, quod actuale peccatum est inordinatum quædam actus: originale vero cum sit peccatum naturæ, est quædam inordinata dispositio ipsius naturæ, quæ habet rationem culpæ, in quantum derivatur ex primo parente, ut dictum est. Hujusmodi autem dispositio naturæ inordinata habet rationem habitus; sed inordinata dispositio actus non habet rationem habitus; et propter hoc peccatum originale potest esse habitus: non autem peccatum actuale.

Ad tertium dicendum, quod obiectio illa procedit de habitu, quo potentia inclinatur in actum: talis autem habitus non est peccatum originale. Quamvis etiam ex peccato originali sequatur aliqua inclinatio in actum inordinatum, non

directe, sed indirecte, scilicet per remotionem prohibentis, id est, originalis justitiæ, quæ prohibebat inordinatos motus, sicut etiam ex ægritudine corporali indirecte sequitur inclinatio ad motus corporales inordinatos, nec debet dici, quod peccatum originale sit habitus infusus, aut acquisitus per actum, nisi primi parentis: non autem hujus personæ, sed per vitiatam originem innatus.

Prima conclusio: *Peccatum originale non est habitus, quo inclinatur potentia ad agenda.*

Secunda conclusio: *Peccatum originale est quædam inordinata dispositio habitualis quasi in naturam versa proveniens ex dissolutione illius harmoniæ, in qua consistebat ratio originalis justitiæ.*

Utraque conclusio postulat non breve examen: quod fiet sequenti disputatione.

## ARTICULUS II.

*Utrum in uno homine sint multa originalia peccata?*

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod in uno homine sint multa originalia peccata. Dicitur enim in Psal. 50: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea: sed peccatum, in quo homo concipitur, est originale: ergo plura peccata originalia sunt in uno homine.

2. Præterea: unus et idem habitus non inclinatur ad contraria: habitus enim inclinatur per modum naturæ, quæ tendit in unum: sed peccatum originale etiam in uno homine inclinatur ad diversa peccata, et contraria: ergo peccatum originale non est habitus, sed plures.

3. Præterea: peccatum originale inficit omnes animæ partes: sed diversæ partes animæ sunt diversa subjecta peccati, ut ex præmissis patet: cum igitur unum peccatum non possit esse in diversis subjectis, videtur, quod peccatum originale non sit unum, sed multa.

Sed contra est, quod dicitur Joan. 1: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi, quod singulariter dicitur, quia peccatum mundi, quod est peccatum originale, est unum, ut glossa ibidem exponit.

Respondeo dicendum, quod in uno homine est unum peccatum originale, cujus ratio dupliciter accipi potest. Uno modo ex parte causæ peccati originalis: dictum est enim supra, quod solum primum peccatum primi parentis in posteris traducitur. Unde peccatum originale in uno homine est unum numero, et in omnibus hominibus est unum proportionem in respectu scilicet ad primum principium. Alio modo potest accipi ratio ejus ex ipsa essentia originalis peccati: in omni enim inordinata dispositione unitas speciei consideratur ex parte causæ; unitas autem secundum numerum

merum ex parte subjecti, sicut patet in ægritudine corporali: sunt enim diversæ ægritudines speciei, quæ ex diversis causis procedunt, puta ex superabundantia calidi, vel frigidi, vel ex læsione pulmonis, vel hepatis: una autem ægritudo secundum speciem in uno homine non est nisi una numero. Causa autem hujus corrupte dispositionis, quæ dicitur originale peccatum, est una tantum, scilicet privatio originalis justitiæ, per quam sublata est subjectio humanæ mentis ad Deum. Et ideo peccatum originale est unum specie, et in uno homine non potest esse nisi unum numero: in diversis autem hominibus est unum specie, et proportionem; diversum autem numero.

Ad primum ergo dicendum, quod pluraliter dicitur in peccatis secundum illum morem divinæ Scripturæ, quo frequenter ponitur pluralis numerus pro singulari: sicut Matth. 2: Defuncti sunt, qui quærebant animam pueri: vel quia in peccato originali virtualiter præexistunt omnia peccata actualia, sicut in quodam principio: unde est multiplex virtute, vel quia in peccato primi parentis, quod per originem traducitur, fuerunt plures deformitates, scilicet superbiæ, inobedienciæ, gula, et alia hujusmodi: vel quia multæ partes animæ inficiuntur per peccatum originale.

Ad secundum dicendum, quod unus habitus non potest inclinare per se, et directe, id est, per propriam formam ad contraria, sed indirecte: et per accidens, scilicet per remotionem prohibentis, sicut soluta harmonia corporis mixti, elementa tendunt in loca contraria: et similiter soluta harmonia originalis justitiæ, diversæ animæ potentiæ in diversa feruntur.

Ad tertium dicendum, quod peccatum originale inficit diversas partes animæ, secundum quod sunt partes unius totius, sicut et justitiæ originalis continebat omnes animæ partes in unum: et ideo est unum tantum peccatum originale, sicut etiam est una febris in uno homine, quamvis diversæ partes corporis graventur.

*Conclusio. Peccatum originale in omnibus hominibus est unum specie, et proportionem, et est diversum numero in diversis: in singulis autem non est nisi unum numero peccatum.*

Utriusque unitatis tam numericæ, quam specificæ originalis peccati legitimas rationes tradit D. Thom. in corpore articuli.

### ARTICULUS III.

*Utrum originale peccatum sit concupiscentia?*

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod peccatum originale non sit concupiscentia: omne enim peccatum est contra naturam, ut dicit Damascenus in secundo libro: sed concupiscentia est secundum naturam, est enim proprius actus virtutis concupiscibilis, quæ est potentia naturalis: ergo concupiscentia non est peccatum originale.

2. Præterea: per peccatum originale sunt in nobis passionnes peccatorum, ut patet per Apostolum Roman. 7, sed multæ aliæ sunt passionnes præter concupiscentiam, ut supra habitum est: ergo peccatum originale non magis est concupiscentia, quam aliqua alia passio.

3. Præterea: per peccatum originale deordinantur omnes animæ partes, ut dictum est: sed intellectus est supremus inter animæ partes, ut patet per Philosophum in 10 Ethic. per peccatum originale magis est ignorantia, quam concupiscentia.

Sed contra est, quod Augustinus dicit in lib. Retractat. Concupiscentia est reatus originalis peccati.

Respondeo dicendum, quod unumquodque habet speciem a sua forma: dictum est autem supra, quod species peccati originalis sumitur ex sua causa: unde oportet, quod id, quod est formale in originali peccato, accipiat ex parte causæ peccati originalis. Oppositorum autem oppositæ sunt causæ: est igitur attendenda causa originalis peccati ex causa originalis justitiæ, quæ ei opponitur: tota autem ordinatio

originalis justitiæ ex hoc est, quod voluntas hominis erat Deo subjecta, quæ quidem subjectio primo et principaliter erat per voluntatem, cujus est movere omnes alias partes in finem, ut supra dictum est: unde ex aversione voluntatis a Deo consequuta est inordinatio in omnibus aliis animæ viribus. Si ergo privatio originalis justitiæ, per quam voluntas subdebatur Deo est formale in peccato originali: omnis autem alia inordinatio virium animæ se habet in peccato originali sicut quiddam materiale: inordinatio autem aliarum virium animæ præcipue in hoc attenditur, quod inordinate convertuntur ad bonum commutabile, quæ quidem inordinatio communi nomine potest dici concupiscentia. Et ita peccatum originale materialiter quidem est concupiscentia, formaliter vero est defectus originalis justitiæ.

Ad primum ergo dicendum, quod quia in homine concupiscibilis naturaliter regitur ratione, in tantum concupiscere est homini naturale, in quantum est secundum rationis ordinem: concupiscentia autem, quæ transcendit limites rationis, inest homini contra naturam et talis est concupiscentia originalis peccati.

Ad secundum dicendum, quod, sicut supra dictum est, passionnes irascibilis ad passionnes concupiscibilis reducuntur sicut ad principales, inter quas concupiscentia vehementius movet, et magis sentitur, ut supra habitum est. Et ideo concupiscentiæ attribuitur tanquam principaliori, et in qua quodammodo omnes aliæ passionnes includuntur.

Ad tertium dicendum, quod sicut in bonis intellectus, et ratio principalitatem habent: ita e converso in malis inferior pars animæ principalior invenitur, quæ obubilat, et trahit rationem, ut supra dictum est: propter hoc peccatum originale magis dicitur esse concupiscentia, quam ignorantia, licet etiam ignorantia inter defectus materiales peccati originalis contineatur.

*Conclusio: Peccatum originale materialiter est concupiscentia, formaliter vero est privatio originalis justitiæ.*

In hac conclusione petit amplius examinari, tum quid nomine *concupiscentiæ* importetur? et quo pacto ad materiale originale peccati pertineat? Tum etiam an, et quomodo formale prædicti peccati sit privatio originalis justitiæ? Quod totum disputationi reservamus.

*Notanda circa literam.*

In solutione vero ad primum nota, quo pacto concupiscibilis dicatur esse *juxta*, vel *contra naturam hominis*? Nam ut supra disp. 2, num. 13 vidimus, id dicitur *juxta naturam hominis*, quod est *juxta inclinationem inditam ab auctore naturæ*, quæ inclinatio in natura rationali est ad agendum secundum rationis regulas. Unde quatenus appetitus sensitivus ex aliquo rationis participio, quod in se recipit, inclinatur ad rationis ductum sequendum, dicitur esse *juxta prædictam naturam*. Quatenus vero ex sua et hominis defectibilitate, et ex destitutione originalis justitiæ, ad oppositum tendit dicitur esse *contra illam*. Et hoc modo vocatur in præsentibus *concupiscentia*, ut disp. sequenti dub. 4, magis declarabitur.

In solutione ad tertium ejusdem articuli primo notandum est; quod *inferior pars animæ* vocatur ibi pars sensitiva, et ejus appetitus: nam dividitur contra intellectum, et rationem, ut ibidem habetur: et etiam contra voluntatem, ut sumitur ex corpore articuli. Dicitur vero ea pars sensitiva *principalior in malis*, non quia formalis malitia primario ex ea sit: prius enim reperitur in voluntate, indeque ad appetitum, et alia descendit: sed quia regulariter malitia initium sumit a parte sensitiva, et in ea inchoatur dum ipsa suis motibus, et passionibus obnubilat rationem, et eo trahit, ut delinquat. Secundum habetur ex prædicta solutione pro iis, quæ dicemus disp. sequenti dub. 4, etiam ignorantiam pertinere ad materiale peccati originalis, et posse dici materiam ejus, sicut dicitur concupiscentia.

## ARTICULUS IV.

*Utrum peccatum originale sit æqualiter in omnibus?*

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod peccatum originale non sit æqualiter in omnibus: est enim peccatum originale concupiscentia inordinata, ut dictum est: sed non omnes æqualiter sunt proni ad concupiscendum: ergo peccatum originale non est æqualiter in omnibus.

2. Præterea: peccatum originale est quædam inordinata dispositio animæ, sicut ægrotudo est quædam inordinata dispositio corporis: sed ægrotudo recipit magis, et minus: ergo peccatum originale recipit magis, et minus.

3. Præterea: Augustinus dicit in lib. de nupt. et concupisc. quod libido transmittit originale peccatum in prolem: sed contingit esse majorem libidinem unius in actu generationis, quam alterius: ergo peccatum originale potest esse majus in uno, quam in alio.

Sed contra est: quia peccatum originale est peccatum naturæ, ut dictum est: sed natura æqualiter est in omnibus: ergo et peccatum originale.

Respondeo dicendum, quod in originali peccato sunt duo, quorum unum est defectus originalis justitiæ: aliud autem est relatio hujus defectus ad peccatum primi parentis, a quo per vitiatam originem deducitur. Quantum autem ad primum, peccatum originale non recipit magis, et minus: quia totum donum originalis justitiæ est sublatum; privationes autem totaliter aliquid privantes, ut mors, et tenebræ, non recipiunt magis et minus, sicut supra dictum est. Similiter etiam nec quantum ad secundum: æqualiter enim omnes relationem habent ad primum principium vitiatæ originis, ex quo peccatum originale recipit rationem culpæ: relationes enim non recipiunt magis, et minus. Unde manifestum est, quod peccatum originale non potest esse magis in uno quam in alio.

Ad primum ergo dicendum, quod soluto vinculo originalis justitiæ, sub quo quodam ordine vires animæ continebantur, unaquæque vis animæ tendit in suum proprium motum, et tanto vehementius, quanto fuerit fortior. Contingit autem vires aliquas animæ esse fortiores in uno quam in alio propter diversas corporis complexiones. Quod ergo unus homo sit pronior ad concupiscendum, quam alter, non est ratione peccati originalis, cum in omnibus æqualiter solvatur vinculum originalis justitiæ, et æqualiter in omnibus partes inferiores animæ sibi relinquuntur: sed accidit hoc ex diversa dispositione potentiarum, sicut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod ægrotudo corporalis non habet in omnibus æqualem causam, etiamsi sit ejusdem speciei, puta si sit febris ex cholera putrefacta, potest esse

major vel minor putrefactio, et propinquior, vel remotior a principio vitæ: sed causa originalis peccati in omnibus est æqualis, unde non est simile.

Ad tertium dicendum, quod libido, quæ transmittit peccatum originale in prolem, non est libido actualis: quia dato quod virtute divina concederetur, quod nullam inordinatam libidinem in actu generationis sentiret, adhuc transmitteret in prolem originale peccatum: sed libido illa est intelligenda habitualiter, secundum quod appetitus sensitivus non continetur sub ratione soluto vinculo originalis justitiæ: et talis libido in omnibus est æqualis.

Conclusio est affirmativa. Notanda est doctrina hujus articuli: nam ex his, quæ habentur in corpore, convincitur manifeste sententia, quam dub. 5 eligemus circa constitutionem peccati originalis: et ex solutione ad primum, quod dicemus dub. 4, circa concupiscentiam.

## DISPUTATIO XVI.

*De essentia, et constitutio peccati originalis.*

Si existentia et traductio originalis peccati tantum nobis negotii facessivit, ut vidimus tota disp. 14, ejus essentiam, et quidditatem æque obstrusam, æque difficultatibus implicatam, haud facilius erit aperire; quinimo ex parte erit difficilius. Circa existentiam namque, et traductionem prædicti peccati, utpote ad salutem animæ valde concernentem, ubi defuit ratio, sæpe fides facem accendit: quæ tamen circa essentiam, et quidditatem, ut cujus methaphysica cognitio non ita ad mores refert, perpauca nos docuit, relinquens quam multa rationis discursu investiganda. Quæ sane discurrendi libertas tot sententias, totque errores in hac controversia originavit, ut nequeant brevi numero comprehendi, de quibus dub. 5 succincte mentionem faciemus. Ne ergo rem difficilem, et obscuram distinctionis defectu in sua obscuritate relinquamus, primo loco palam faciendæ sunt omnes rationes quomodolibet ad peccatum attinentes, videndumque an sint tantum de genere privativo, vel sit inter eas aliqua positiva. Deinde vero ex rationibus in lucem editis essentialem, et constitutivam seligemus. Atque ut a facilioribus, scilicet a privationibus incipiamus, sit

## DUBIUM I.

*Quænam privationes ex Adami peccato in posteros transierint?*

Nulla aptiori via invenire poterimus rationes per se ad peccatum originale pertinentes, quam inquirendo, et investigando effectus, quos transfudit in posteros peccatum actuale Adami : ex quo nostrum originale, et quidquid ad illud per se attinet tanquam ex causa effectiva, et adæquata ortum duxit. Notitia vero illorum effectuum quantum ad privationem dependet ex cognitione eorum, quæ Deus per justitiam originalem naturæ humanæ contulit, quæque ipsa per peccatum amisit. Horum vero cognitio perfecte haberi nequit, nisi diversi ejusdem naturæ status, et uniuscujusque conditiones declarentur.

## § I.

*Conditiones humanæ naturæ in triplici statu.*

1. Ad veritatis declarationem considerandus est triplex status naturæ humanæ, et quid ei in unoquoque conveniret : nempe status naturæ secundum se, status originalis justitiæ, et status naturæ lapsæ. (Duo vero alii status, qui in materia de gratia distingui solent, videlicet status naturæ integræ sola integritate ordinis naturalis, et status naturæ reparatæ, non conducunt ad præsens, et ideo illos omittimus.) In primo igitur statu, qui est naturæ secundum se, ea dumtaxat considerantur, quæ competunt naturæ humanæ sibi relictæ, seu quæ ex ejus naturalibus principiis, quæ sunt materia prima, et anima rationalis absque aliquo dono gratiose superaddito naturaliter oriuntur. Unde quia prædicta materia in nullo composito per ejus formam plene satiatur, sed manet ubique famelica, et cum appetitu ad aliam, consequenter dat locum contrariis qualitatibus, passionibusque, et alterationibus corruptivis, quibus ipsa composita ad interitum, et desitionem tendunt. Accedit, quod ipsa humani corporis compositio, ita exigente anima ob suas operationes, sit ex elementis contrariisque qualitatibus inter se pugnantibus, ita ut ad cujuslibet victoriam prædicta compositio depercat, et consequenter humanum corpus corrumpatur. Ex hoc ergo principio omnis homo, utpote constans ex prædicta materia, prædictaque com-

positione, naturaliter est passibilis, corruptibilis, et mortalis.

Deinde quia anima rationalis ob sui eminentiam, et est substantia spiritualis, radix, atque origo spiritualium operationum intelligendi, et volendi, et etiam est forma corporis sic corruptibilis dans ei vitam, et sensum, quasi constituit duas naturas valde dissimiles : videlicet rationalem, quæ appropinquat Angelis, et sensitivam, quæ communis est brutis : tribuitque homini proprietates, et conditiones utriusque naturæ : ex hocque principio originantur in illo inclinationes etiam valde dissimiles, et quasi inter se oppositæ. Nam ad naturam rationalem per se consequitur voluntas, quæ est inclinatio ad bonum rationi consonum, seu honestum. Ad sensitivam vero sequitur appetitus sensitivus inclinans ad bonum eidem naturæ sensitivæ consentaneum, quod est bonum delectabile, et sensibile : et quoniam hoc posterius bonum multoties rationis legibus prohibetur, atque ita illi priori repugnat, fit ut prædictæ inclinationes frequenter inter se dissideant, sæpeque appetitus sensitivus in id propendat, quod est repugnans voluntati, et e contra, ita exigente ipsa materialitate, et corruptibilitate humani corporis, cui appetitus sensitivus omnino est alligatus, et sine cujus transmutatione passibili nequit operari. Ut enim dicitur Sapient. 9 : *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit sensum* : cum qua depressione, et gravamine stare nequit plena subjectio partis sensitivæ ad rationalem. Atque hinc oritur rebellio carnis contra spiritum, et inobedientia appetitus ad rationem, quam in nobis adeo manifeste experimur.

2. Dices, appetitum sensitivum hominis esse rationi affinem, magis quam appetitus bruti, et ex tali affinitate participare aliquid ipsius rationis : hoc autem non potest esse nisi subjectio ad illam : ergo, etc. Respondetur, hinc solum probari, prædictum appetitum prout in homine habere aliquod rationis participium, quo aliquatim ad sequendum ejus ductum inclinatur, ut explicuimus supra disp. 10, dubio 2, non tamen habetur, quod ea inclinatio sit ita perfecta, ut plane, et sine repugnantia illum rationi subjiciat, obsistente, et quasi reclamante propria inclinatione in bonum sensibile, eidem rationi sæpe contrarium. Adde, quod sicut appetitus sensitivus in homine ex conjunctione ad rationem ab ea quasi elevatur, participans prædictam qua-

lem qualem inclinationem ad sequendum ejus ductum, quam non habet in brutis : ita etiam hominis voluntas ex conjunctione ad prædictum appetitum quasi deprimitur, et inclinatur ad bona sensibilia, ab ipsoque appetitu illicitur, et trahitur, deserto sæpe vero judicio rationis : quod tamen non habet in Angelis, ubi deest talis appetitus. Ratione igitur hujusmodi depressionis, et inclinationis sæpe sæpius non modo prædictus appetitus, sed etiam ipsa voluntas rationi reluctatur.

3. Denique ex eisdem principiis oritur, ut neque ipsa inclinatio partis rationalis ad bonum honestum sit ex se omnino efficax ; sed satis debilis, et infirma : ita ut juxta valde probabilem sententiam non habeat sufficientes vires ad diligendum Deum, etiam ut authorem naturæ, super omnia, amore absoluto, et efficaci : et saltem id non posset per totam vitam sine speciali auxilio, sicut nec servare totam legem : et hoc propter prædictam colligationem, et depressionem ad partem sensitivam, a qua si pars rationis libera et separata esset, nequaquam ex se haberet talem impotentiam : de quo dicemus plura in tract. de gratia. Hic est status naturæ humanæ secundum se, qui communiter vocatur *status naturæ in puris*, quia solum importat ea, quæ ex naturalibus ipsius naturæ principiis nude consideratis illi competere. Et licet de facto nunquam talem statum habuerit, præveniente ejus nuditatem in prima hominis conditione originali justitia, potuit tamen sic a Deo creari. An vero servata omnino suavi providentia, quæstio est alibi examinanda.

4. Secundus status est originalis justitiæ, in quo Deus de facto primum hominem condidit reparando prædictos naturæ defectus, et veluti tegendo ejus nuditatem donis ipsius justitiæ. Quem statum optime describit D. Thom. opusc. 2, cap. 186, ita ut necesse non sit pro ejus declaratione verbis S. Doctoris aliquid adjungere, quæ ita se habent : *Homo in sui conditione taliter institutus fuit a Deo, ut corpus omnino esset animæ subjectum. Rursumque inter partes animæ inferiores vires rationi absque repugnantia subicerentur, et ipsa ratio hominis esset Deo subjecta. Ex hoc autem quod corpus erat animæ subjectum, contingebat, quod nulla passio in corpore posset accidere quæ dominio animæ super corpus repugnaret : unde nec mors, nec infirmitas in homine locum habebat. Ex subjectione vero inferiorum*

*virium ad rationem erat in homine omnimoda mentis tranquillitas, quia ratio humana nullis inordinatis passionibus turbabatur. Ex hoc vero quod voluntas hominis erat Deo subjecta, homo referebat omnia in Deum sicut in ultimum finem, in quo ejus justitia, et innocentia consistebat. Horum autem trium ultimum erat causa aliorum. Non enim hoc erat ex natura corporis, si ejus componentia considerentur, quod in eodissolutio, sive quæcumque passio vitæ repugnans locum non haberet, cum esset ex contrariis elementis compositum. Similiter etiam non erat ex natura animæ, quod vires etiam sensibiles absque repugnantia rationi subicerentur, cum vires sensibiles naturaliter moveantur in ea, quæ sunt delectabilia secundum sensum, quæ multoties rectæ rationi repugnant. Erat igitur hoc ex virtute superiori, scilicet Dei, qui sicut animam rationabilem corpori conjunxit, omnem proportionem corporis, et corporearum virtutum, cujusmodi sunt vires sensibiles transcendentem : ita dedit animæ rationali virtutem, ut supra conditionem corporis ipsum continere posset, et vires sensibiles secundum quod rationali animæ competeat. Ut igitur ratio inferiora sub se firmiter contineret, oportebat, quod ipsa firmiter sub Deo contineretur, a quo virtutem prædictam habebat supra conditionem naturæ. Fuit ergo homo sic institutus, ut nisi ratio ejus subduceretur a Deo, neque corpus ejus subduci poterat a nutu animæ, neque vires sensibiles a rectitudine rationis : unde quædam immortalis vita, et impassibilis erat, quia scilicet nec mori, nec pati poterat, si non peccaret. Peccare vero poterat voluntate ejus nondum confirmata per adeptionem ultimi finis, et sub hoc eventu poterat mori et pati.*

Et capite sequenti : *Hic autem hominis tam ordinatus status originalis justitia nominatur, per quam et ipse suo superiori subditus erat, et ei omnia inferiora subiciebantur, secundum quod de eo dictum est : Ut præsit piscibus maris, et volatilibus cæli ; et inter partes ejus etiam inferior absque repugnantia superiori subdebatur, qui quidem status primo homini fuit concessus non ut cuiusdam personæ singulari, sed ut primo humanæ naturæ principio, ita quod per ipsum simul cum natura humana traduceretur in posterum. Et quia unicuique debetur locus secundum convenientiam suæ conditionis, homo sic ordinate institutus positus est in loco temperatissimo, delitioso, ut non solum interiorum molestiarum, sed etiam aliorum exteriorum omnis ei vexatio tolleretur. Hucusque prædicti*

Status  
justitiæ  
originalis  
describitur  
a D.  
Thom.

dicti status pulchra, et elegans Ang. Doctoris descriptio.

5. Ex qua nonnulla breviter colligere licet, et alia dubitare. Habemus enim primo, justitiam originalem perfecisse humanam naturam secundum omnes suas partes, superaddens omnibus illis perfectionem, quam naturalia principia secundum se non præstarent, tollensque defectus, quos illa relinquerent. Nam corpori tribuebat immortalitatem, per quam ejus passibilitatem, et corruptibilitatem impediabat. Parti vero sensitivæ tribuebat omnimodam subordinationem ad rationem, tam quoad potentias cognoscitivas, quam quoad appetitivas: per quam subordinationem inter ipsam partem sensitivam, et rationem concordiam et pacem constituabat, auferebatque rebellionem carnis contra spiritum, aliaque id genus. Ipsi vero rationali parti tribuebat perfectum ordinem ad Deum illuminando intellectum, et rectificando atque roborando voluntatem, ut sine alio speciali auxilio posset amore absoluto, et efficaci Deum, saltem ut auctorem naturæ, super omnia perfecte diligere, totamque saltem naturalem legem observare.

Secundo habemus, hujusmodi perfectiones ita fuisse concatenatas, et inter se connexas, ut inferiores ex superiori consequerentur, et ab ea in *esse, fieri, et conservari* dependerent: ita ut tandiu et non amplius illæ permanerent in parte sensitiva, et in corpore, quandiu ista perseveraret in mente et voluntate.

Tertio habemus, prædictam justitiam, quantum ad omnia explicata, fuisse a Deo omnino gratis concessam naturæ humanæ: quia nihil eorum ipsi ex vi creationis debebatur, neque ex suis naturalibus principiis pullularet. Et ideo si in sua nuditate, et absque omnibus prædictis conderetur, nullius carentia haberet rationem privationis, sed negationis tantum, et consequenter non esset malum culpæ, vel pœnæ respectu talis naturæ.

Habemus quarto, Deum concessisse Adamo prædictam justitiam non pro se tantum, vel ut in eo sisteret; sed pro tota natura, et ut omnibus a se seminaliter processuris eam communicaret: sed eo tamen pacto, ut ille divina mandata non transcenderet. Unde ex vi talis concessionis mansit prædicta justitia debita jam tam Adamo, quam posteris: et consequenter carentia ejus deinceps non esset negatio, sicut in pura

natura, sed privatio habens rationem mali.

Tandem habemus, perfectionem justitiæ originalis non eo pervenisse, ut confirmaret voluntatem in bono; sed reliquisset in ea integram libertatem tam quoad exercitium, quam quoad boni, et mali specificationem. Et ex hoc habuit Adamus, ut licet de facili posset perseverare in bono, posset etiam deflecti ad malum, et deflebens, omnem illam perfectionem pro se, et pro posteris amittere: sicut fecit de facto. Hæc omnia satis ad rem conducentia habentur perspicue ex verbis D. Thomæ.

6. Dubitare autem in eis licet primo, ubi esset prædicta justitia tanquam in subjecto primario? Secundo quid esset entitative, et substantialiter: an scilicet perfectio ordinis naturalis, vel supernaturalis? Tertio an et quomodo sit distincta a gratia nostra justificante, et ejus virtutibus, quidve illis superaddat? Quarto an quoad omnes perfectiones supradictas importet formas positivas, et cujus generis? Quinto in quo genere causæ perfectiones illæ redundantes in corpus, et partem sensitivam ex perfectione, quæ est in anima, vel voluntate originentur? Et licet omnes hujusmodi quæstiones ex professo examinare non vacet, neque proprium sit hujus loci; brevis tamen earum decisio omnino est necessaria.

Ad primam ergo dicendum est subjectum primarium prædictæ justitiæ fuisse illam hominis partem, quæ dicitur *mens*, ut loquitur communiter D. Thom. Quo nomine quamvis frequenter intelligatur tota pars rationalis, ut comprehendit tam substantiam animæ, quam spirituales potentias, intellectum scilicet, et voluntatem, totaque hæc pars, facta collatione ad alias, possit dici subjectum primarium prædictæ justitiæ: absolute tamen loquendo de subjecto ejus omnino primario, fuit ipsa substantia animæ rationalis, ut distincta a prædictis potentiis, ut docet D. Thom. quæst. 83, sequenti art. 2 ad 2 ib. *Originalis justitia pertinebat primordialiter ad essentiam animæ: erat enim donum divinitus datum humanæ naturæ, quam per prius respicit essentia animæ, quam potentiæ.* In ipsa ergo substantia animæ ut distincta a potentiis erat perfectio essentialis, et primaria, quam importabat originalis justitia. Indeque veluti proprietates ex essentia primo loco oriebantur habitus operativi perficientes intellectum, et voluntatem, et deinceps reliquæ perfectiones afficientes corpus, et potentias sensitivas.

Illatio prima.

Illatio alia.

Tertio illatio.

Quarta.

Ultima.

Dubitan- tur quin- que.

Solutio ad primam quæstio- nem.

D. Thom.

Rectus namque ordo exigebat, sicut *esse* est prius quam *agere*, et anima prior quam potentia: ita justitia originalis primo loco ipsam animam, et ejus *esse* substantiale perficeret; deinde vero potentias ad agendum elevaret.

Ad secundam, et tertiam dicendum; 7. Ad secundam, et tertiam dicendum est, prædictam justitiam quantum ad perfectionem primariam, quam ponebat in anima, fuisse ipsam gratiam justificantem ejusdem speciei cum nostra, atque adeo absolute, et simpliciter supernaturalem. Habebat tamen diversum modum informandi ab eo, quem habet nunc; ratione cujus erat origo multarum perfectionum, quæ modo ex ea non pullulant. Et ratio quoad primum traditur a D. Thoma 1 p. quæst. 100, art. 1 ad 2. Quia justitia originalis subjiciebat animam Deo non solum ut auctori naturæ, sed etiam ut auctori, et fini supernaturali: hæcque erat primaria ejus perfectio, ex qua omnes aliæ dependebant: subjectio autem ad Deum ut authorem supernaturalem non fit nisi per gratiam, ut est per se notum: unde necessario hæc includebatur in prædicta justitia, tanquam fundamentum, et radix cæterarum perfectionum illius status.

D. Thom. Nec te moveat in oppositum, quod Ang. Doctor in 2, dist. 32, quæst. 1, art. 2 ad 5, appellat gratiam alterius generis a justificante nostra illam, quæ tolleret omnem fomitem, sicut auferebat justitia originalis. Nam per *ly alterius generis* non intelligit distincta prædicta specifica, vel generica gratiæ; sed distinctam conditionem, modum vel statum: sæpe enim res ejusdem speciei propter hanc solam distinctionem vocantur diversi generis: ut cum distinguimus inter homines diversa genera gentium, et inter equos diversa genera equorum, et sic in aliquibus aliis speciebus. Ita ergo in præsentia per gratiam alterius generis sufficit intelligere gratiam alterius conditionis, modi, vel status, in quo solum involvitur distinctio accidentalis, retenta unitate essentiali, et specifica.

8. Quoad secundum, videlicet justitiam originalem habuisse hanc modalem distinctionem a gratia nostra, videtur etiam ratio perspicua: nam gratia justificans præcise ex sua specie non habet refundere in corpus, et partem sensitivam perfectam illam subjectionem ad animam, et ad rationem, quam ponebat justitia originalis; alias modo eam refunderet: ergo aliquid fuit illi superaddendum ad prædictum effectum præstandum. Cumque hoc superadditum non

potuerit esse alia forma, specie, vel numero distincta, ut intuitu constabit: debuit esse saltem alius modus informandi ejusdem gratiæ, non quidem penes majorem intensionem (intensior enim gratia datur modo aliquibus viatoribus, quam tunc communiter daretur) sed penes majus dominium gratiæ supra animam, majoremque subordinationem istius ad illam, ad eum proportionalem modum, quo in patria ex plenissimo dominio gratiæ supra animam redundant dotes in corpus, quæ perfectissime illud animæ conformant, et subjiciunt: quo enim gratia magis dominatur menti, et illam quasi comprehendit, eo dat animæ majus dominium supra corpus, magisque illud ipsi animæ conformat. Et juxta hæc intelligendus est D. Thom. in 2, dist. 32, quæst. 1, art. 2 ad 2, ubi dixit, *justitiam originalem non habuisse communicare corpori prædictam perfectionem, oppositamque imperfectionem excludere, in quantum justitia est* (id est ex ipsa essentia, et specie gratiæ, et sanctitatis secundum se sumptæ) *sed ratione cujusdam accidentis sibi annexi*, etc. Hujusmodi enim accidens adnexum, fuit proculdubio prædictus modus informandi: qui idcirco dictus est *accidens prædictæ justitiæ*, quia erat extra essentiam, et distinctus ab ea, sicut modus a re; non autem quia esset alia forma entitative, et specificè diversa.

Similiter de habitibus operativis provenientes a justitia originali, perficientibusque potentias, sive spirituales, sive sensitivas dicimus, saltem plures fuisse supernaturales: quia habebant eadem objecta, et specificativa, quæ habent nostræ virtutes infusæ dimanantes a gratia: unde non poterant ab eis ordine, vel specie distingui. An vero etiam virtutes naturales ab illa orientur, dicemus infra dub. 3. Qui autem ex prædictis habitibus existerent in appetitu sensitivo, haberent aliquem specialem modum eorum essentiæ, et intensionem superadditum, ratione cujus prædictum appetitum absque rebellionem rationi subjicerent, quod nunc virtutes etiam satis intensæ non præstant.

9. Quantum ad perfectionem quæ resultabat in corpore ratione cujus efficiebatur suo modo incorruptibile et immortale, non est dicendum fuisse absolute, et simpliciter supernaturalem, sed secundum quid et respective ad corpus humanum: ut de dotibus corporis gloriosi diximus in tract. de beatitud. disp. 5, a num. 41. Et ex ibidem dictis



tis a num. 23, constat, prædictam incorruptibilitatem ponere in corpore aliquam formam positivam de prædicamento qualitatis (quod a fortiori de habitibus perfectioribus potentias sine dubio tenendum est) nam impassibilitas justitiæ originalis erat quædam imperfecta participatio impassibilitatis perfectæ, quæ in corporibus beatis habet rationem dotis : et ita eodem modo, servata proportione, est de utraque philosophandum. Per quod patet ad quartam difficultatem propositam.

Ad quintam dicendum est ; perfectionem corporis, et partis sensitivæ provenire a gratia existente in anima ratione modi informandi nuper dicti, et a rectitudine existente in intellectu, et voluntate, non quidem per actionem rigorosam, sed per emanationem pertinentem reductive ad genus causæ efficientis : sicut dotes corporis gloriōsi proveniunt hoc modo a gratia consummata, et gloria animæ, ut explicuimus disp. citata num. 47. Diximus *ratione modi informandi*, etc. quia a gratia præcise secundum se spectata non dimanat talis perfectio, ut nunc cernitur in viatoribus ; sed ex modo illo informandi, qui tribuebat gratiæ plenius dominium in animam resultabat in ista plenum dominium supra corpus, et ex hoc dominio in ipso corpore plena subjectio ad animam. Ex his ergo summam perstrictis (neque enim sunt propria istius loci) habetur pro re præsentis sufficiens notitia status justitiæ originalis, et effectuum, quos illa naturæ humanæ supra suam conditionem secundum se spectatæ tribuebat.

10. Veniamus ad tertium statum naturæ lapsæ, ideo sic vocatum, quia in eo attenditur conditio, in quam humana natura per peccatum devenit, seu quid per illud amisit, et quid contraxerit. Prædictus vero status ex duorum præcedentium notitia facile dignoscitur. Quia in eo nec retinuit humana natura aliquid eorum, quæ originalis justitia contulerat : nec amittere potuit illa, quæ prædictæ naturæ secundum se spectatæ, et ex suis naturalibus principiis debebantur. Quod recte explicuit. Ang. Doctor opusc. citato ubi cap. 192 sic ait : *Quia igitur dicti status* (scilicet justitiæ originalis) *tam ordinata integritas tota causabatur ex subjectione humanæ voluntatis ad Deum, consequens fuit, ut subducta humana voluntate a subjectione divina, deperiret illa perfecta subjectio inferiorum virium ad rationem, et corporis ad animam : unde consequutum est, ut homo sentiret in inferiori ap-*

*petitu sensibili concupiscentiæ, et iræ, et cæterarum passionum inordinatos motus non secundum ordinem rationis, sed magis ei repugnantes, et eam plerunque obnubilantes, et quasi perturbantes : et hæc est repugnantia carnis ad spiritum, etc.* Et cap. sequenti : *Consequutum est etiam ut in corpore sentiretur corruptionis defectus, ac per hoc homo incurreret necessitatem moriendi, quasi anima jam non valente corpus in perpetuum continere, vitam ei præbendo : unde homo factus est passibilis et mortalis, etc.*

*Et quia* (addit cap. 195) *prædictum originalis justitiæ bonum sic humano generi in primo parente divinitus attributum fuit, ut tamen per ipsum derivaretur in posteros, remota autem causa removetur effectus, consequens fuit, ut primo homine prædicto bono per proprium peccatum privato, omnes posterius privarentur : et sic de cætero, scilicet post peccatum primi parentis omnes absque originali justitia, et cum defectibus consequentibus sunt exorti, etc.* In quibus ita clare, et plene describit D. Thom. hujusmodi statum, ut non sit necesse pro ejus declaratione ; et pro dubii decisione plura superaddere.

## § II.

*Decisio dubii.*

11. Dicendum itaque est, humanam naturam per peccatum Adami amisisse omnia dona, et perfectiones, quæ contulerat justitia originalis, et gratia in ea inclusa, mansisseque in ea nuditate quantum ad intrinsicam, quam haberet si in puris naturalibus conderetur, cum hac tamen differentia, quod in pura natura, ubi prædicta dona debita non fuissent, eorum defectus solum esset negativus, neque haberet rationem culpæ, aut pænæ ; in natura vero lapsa, cui talia dona ex vi promissionis factæ Adamo debentur, prædictus defectus habet rationem privationis, et est culpa, vel pœna. Diximus, *quantum ad intrinsicam* : quia loquendo de extrinsecis, adhuc in natura lapsa retinet homo elevationem, seu destinationem Dei ad finem, et ordinem supernaturalem, quæ non esset in statu naturæ puræ. Sed hæc usquedum natura per gratiam sanetur, seu reparatur, non ponit in ea aliquid intrinsicum.

Igitur in prædicto statu naturæ lapsæ contrahit homo in primis privationem gratiæ sanctificantis, quæ perficiebat im-

Hinc soluta habetur quarta difficultas.

Solutio ultimæ.

Tertius status, qui est naturæ lapsæ.

D. Thom.

mediate ipsam substantiam animæ, nec non privationes omnium donorum, et virtutum infusarum, quæ erant in intellectu, et voluntate. Contraxit item in appetitu sensitivo privationem subjectionis ad rationem, seu illarum virtutum et habituum, quibus consistebat talis subjectio. Et denique ex parte corporis contraxit privationem illius vel illarum perfectionum, quibus subdebatur animæ, et ab ea continebatur, ne in mortem, vel corruptionem tenderet. Unaquæque autem prædictarum privationum in illa parte est sicut in subjecto, ubi futura erat perfectio, quæ privat.

Nec refert si dicas, fidem et spem mansisse in Adamo post peccatum, ut dicemus infra : ergo natura humana non contraxit istarum virtutum privationem. Patet consequentia : quia natura eisdem, et non aliis perfectionibus spoliata est, quas Adamus pro se, et pro omnibus amisit.—Respondetur enim, prædictas virtutes mansisse in illo ut perfectiones personales ipsius, non autem ut naturæ dona transfundenda in posteros cum ipsa natura. Unde licet Adamus ob specialem indulgentiam ipsi ut personæ particulari factam, non amiserit tales virtutes pro se, amisit tamen pro nobis : et ideo contraxit tunc debitum carenti illis in omnibus posteris, ob idque omnes cum earum privatione concipiuntur.

12. Sed est difficultas, an ultra prædictas privationes, quas Theologi communiter admittunt, contrahant successores Adami aliam, quam quidam authores adstruunt, et appellant *privationem habituales conformitatis ad legem*, in eaque essentiam originalis peccati constituunt. Pro cujus intelligentia animadvertunt, non solum esse debitum, quod omnes actus humani sint conformes legi, et voluntati divinæ, sed etiam quod homines ipsi mediis suis actibus prædictæ legi, et voluntati conformentur. Et ideo cum aliquis mortaliter peccat, præter deformitatem, quæ est in ipso actu peccaminoso, per quam talis actus dicitur *contrarius legi*, resultat ex eo in supposito alia deformitas personalis, per quam ipse homo dicitur *aversus a lege*, quam transgressus est, et a legislatore, cui fit injurius. Si quis enim violet jus amicitiae, non solum ejus actus dicitur esse contra amicitiam ; sed etiam agens manet aversus, et oppositus amicitiae legi. Et ita hæc secunda aversio habet se sicut terminus, et effectus illius prioris, consistitque in privatione conformitatis, quam homo tenetur conser-

vare in se ipso, exercendo ea, quæ lege præcipiuntur ; et omittendo illa, quæ prohibentur. Unde prima aversio, quia proxime subjectatur in actu, illo transeunte, non amplius durat : secunda autem permanet, quia non est in actu ; sed ex actu in persona relinquitur. Diciturque habitualis, non quia sit aliquis habitus, vel forma ; sed quia per modum habitus perseverat in supposito, quando peccatum actuale, ex quo fuit causata, non retractatur.

Hoc supposito dicunt prædicti auctores, quod sicut Adamus ex vi sui actus peccaminosi, etiam eo transacto, mansit habitualiter aversus a lege, quam transgressus fuerat, et cum privatione habitualis conformitatis ad illam, ita ex vi ejusdem peccati traduxit in nos similem habituales aversionem, seu privationem conformitatis ad eandem legem. Et hæc privatio differt ab aliis, quas explicuimus. Videturque aptior omnibus illis ad peccatum originale constituendum : quia cum de ratione peccati sit contrarietas, et oppositio ad legem, omne peccatum debet constitui per aversionem ab illa : ita quidem ut si peccatum sit actuale, constituatur per aversionem actualem, quæ est privatio conformitatis in ipso actu : si vero sit habituale, sicut est originale, constituatur per habituales aversionem, quæ est privatio conformitatis habitualis debitæ haberi a supposito. Ita Curiel in præsentī art. 3, dub. 4 et quidam alii.

13. Cæterum neque hic modus dicendi placet, neque omnia, quæ involvit, vera sunt. Præcipue vero illud de duplici difformitate ad legem, alia actuali, et transeunte cum actu peccaminoso, alia habituali, et post illum permanenti, vel est falsum, vel non ad rem. Pro quo nota, quod qui in peccante distinguit prædictas duas difformitates, vel privationes conformitatis cum lege, debet, in eo, qui legem adimplet, distinguere duplicem conformitatem cum illa, prædictæ duplici difformitati oppositam : atque adeo aliam actualem, et transeuntem cum actu legis adimpletivo, in eoque recepta, cujus sit privatio illa, quæ dicitur *aversio actualis* : aliam vero habituales, et permanentem in supposito, cujus sit privatio illa, quæ dicitur *aversio habitualis*. Est enim aperta implicatio, ut privationes distinguantur, et multiplicentur, nisi eodem proportionali modo multiplicentur, et distinguantur formæ, quarum sunt privationes.

Hoc supposito ita formatur impugnatio. Nam

Improbatur hic modus dicendi

Nam vel nomine prædictæ conformitatis habitualis, cujus est privatio illa, quæ dicitur *habitualis difformitas*, intelligitur ipsa gratia, et virtutes, quæ manent in eo qui legem adimplet, et per quas est habitualiter dispositus, atque in præparatione animi ad talem adimpletionem, quoties præcepta occurrerint : aut intelligitur aliqua alia forma ab eis distincta? Primum non est ad rem : quia tunc illa aversio, vel privatio conformitatis habitualis non differt a privationibus ejusdem gratiæ, et virtutum, quas nos posuimus, ut est per se notum. Secundum autem est omnino falsum : quia nulla est excogitabilis talis forma, ut intuitu constabit. Eo præsertim quia prædicta forma, eo ipso quod esset habitualis, et maneret transactis actibus, deberet immediate recipi in voluntate, vel in anima : quod si in ista recipiatur, non differt a gratia, quoniam in anima nulla alia forma habitualis potest immediate recipi præter gratiam, quæ dat esse supernaturale, et habet in isto ordine rationem naturæ, ut infra magis declarabitur; si autem in voluntate, cum ibi sit in ordine ad bonum, scilicet ad eam legi conformandam, non differt a virtutibus : nam virtus voluntatis nihil aliud est, nisi qualitas perficiens, et inclinans illam respectu boni.

14. Dices non requiri hujusmodi conformitatem habitualement, ut detur prædicta habitualis privatio, et aversio; sed sufficere illam conformitatem actualem, qua quis tenetur mediis suis actibus legi conformari, nam respectu illius potest distingui duplex privatio : alia transiens cum ipso actu peccaminoso : et alia permanens : adhuc enim postquam talis actus transiit, quandiu non retractatur, verificatur, quod homo caret prædicta conformitate actuali, atque adeo quod est illa privatus.

Sed hoc facile refellitur : quia repugnat elle privationem, ubi non est debitum habendi formam, sed transacto actu, et actuali omissione, non est debita illa conformitas actualis, non enim est debita haberi nisi in actu, et mediante ipso actu : atque adeo tunc dumtaxat quando adest, vel adesse debet talis actus : igitur transacto actu, et tempore, quo est debitus, nulla carentia conformitatis actualis potest habere rationem privationis. Quare admissio quod talis carentia, etiam postquam actus, et operandi debitum transiit, maneat habitualiter in supposito per modum negationis; omnino tamen negandum est, quod ratione

illius maneat habitualiter aliqua privatio.

15. Deinde impugnatur prædictus modus dicendi. Quia pueris descendentibus ab Adamo nulla alia forma erat debita, ex vi pacti in paradiso initi, præter justitiam originalem, ut includentem gratiam, et cæteras perfectiones, quas supra explicuimus : ergo nullius alterius carentia potest in illis habere rationem privationis. Consequentia liquet : quoniam privatio non est nisi formæ debitæ, neque pueris alio titulo illa forma posset esse debita, nisi ex vi prædicti pacti. Antecedens vero suadet. Tum quia Deus nihil aliud promisit Adamo pro suis posteris præter prædictam justitiam, et perfectiones in ea inclusas. Tum etiam quia si Adamus non peccaret, nihil ultra prædicta traduceret in posteros, neque isti ab illo plus aliquid hæreditarent : ergo nihil aliud erat eis debitum.

Confirmatur : nam nisi Adamus in innocentia permaneret, non transfunderet in parvulos rectitudinem aliquam, quam suis actibus acquireret; sed eam dumtaxat, quam ante omnem actum immediate a Deo pro se, et pro posteris accepit : alia enim quæcumque, utpote propriis actibus, aut eorum merito acquisita, tantum esset personalis : ergo non transfunderet prædictam conformitatem habitualement ad legem, quam adstruit modus dicendi, quem impugnamus : igitur neque ejus carentia habet modo in illis rationem privationis. Hæc secunda consequentia patet : quia modo parvuli nullius alterius perfectionis privati nascuntur, nisi illius, quam haberent, si cum originali justitia ab Adamo propagarentur. Prima vero etiam est perspicua : nam juxta prædictum modum dicendi illa conformitas omnino supponit actus, quibus homo legem adimpleverit, et se illi conformaverit.

16. Nec refert si dicas, pueros habuisse debitum conformandi se illi legi, quam Adamus violavit : sicut ipse Adamus in quantum eorum caput tenebatur illi conformari : et hoc sufficere, ut carentia talis conformitatis habeat in eis, sicut habuit in ipso primo parente, rationem privationis.

Sed contra est : quoniam pueri non habuerunt debitum conformandi se prædictæ legi in se ipsis, seu per aliquid propriæ voluntatis, sed solum in Adamo, quatenus ille tenebatur pro omnibus conformari : ergo quamvis privatio talis conformitatis fuerit in Adamo ut in capite naturæ, atque adeo in ejus posteris, secundum quod tunc in illo continebantur ; non tamen potest

Alia impugna-  
tio.

Evasio.

Impugnatur.

Emu-  
gium.

Præclu-  
ditur.

esse in eis intrinsece, quatenus sunt in se ipsis, uti esse debet peccatum originale, et privationes, de quibus loquimur in hoc dubio. Patet consequentia : quoniam privatio in illo tantum subjecto habet esse intrinsece, ubi futura erat intrinsece, forma debita : si igitur prædicta conformitas solum fuit debita ut habenda in Adamo, solum in illo potuerunt posteri habere privationem talis conformitatis : quatenus sicut peccatum actuale Adami, ex eo quod fuit peccatum capitis, moraliter reputatur peccatum omnium posterorum, et omnes dicimur moraliter in eo peccasse : ita privatio conformitatis ad legem, quæ fuit in illo peccato, moraliter reputata est nostra, et quasi extrinsece nos afficit ; minime tamen physice intrinsece ut sumus in nobis : sicut debent afficere privationes de quibus est sermo, et quæ ex illo actuali peccato per originem in nos physice traducuntur.

Confirmatur, et explicatur. Nam quia justitia originalis debetur pueris ut habenda ab illis in se, et non solum ut habenda in Adamo : ideo ejus privatio intrinsece physice illos afficit, ut sunt in seipsis, et non tantum extrinsece, vel prout fuerunt in Adamo : ergo e contra quia ad conformandum se prædictæ legi solum tenebantur, ut erant in Adamo, et per actum ipsius, non autem ut sunt in seipsis sive per actum proprium, privatio talis conformitatis solum potest eos afficere ut fuerunt in Adamo, non autem ut in seipsis existentes : nisi ad summum extrinsece, vel moraliter, sicut peccatum actuale illius potest eis attribui.

Evasio  
alia.

17. Dices secundo : omnes, etiam antequam propria voluntate aliquid operentur, habent illam habitualiter conformem legi Dei : non enim dici potest, quod habent voluntatem prædictæ legi difformem : sed si Adamus non peccaret, ejus posteri ex debito nascerentur justii in seipsis : ergo ex debito haberent in seipsis prædictam conformitatem : atque adeo ejus carentia haberet modo rationem privationis intrinsece.

Præcluditur.

Respondetur, prædictam conformitatem habitualement justorum non esse aliquid distinctum a gratia, et virtutibus infusis, sed per ipsas dici ita conformes : quatenus sunt semper habitualiter dispositi, et in præparatione animi ad adimplendam divinam legem, operando juxta illam, quoties præcepta occurrerint. Unde quod posteri Adami, illo non peccante, ex debito nascerentur justii, et cum simili conformitate habituali, solum convincit nascituros cum gratia, et

virtutibus, quas includeret justitia originalis; non autem cum illa rectitudine, vel conformitate superaddita, quam intendunt auctores contrarii : atque adeo neque in pueris modo cum peccato nascentibus ponenda est alia privatio, quæ sit carentia talis conformitatis, præter privationes gratiæ et virtutum, quas num. 11 posuimus.

18. Alia duplici via posset quis adstruere in statu naturæ lapsæ privationem distinctam a supra dictis. Primo quia homo per originale peccatum non solum nascitur spoliatus gratuitis perfectionibus provenientiibus a justitia originali; sed etiam vulneratus in naturalibus, ut Theologi loquuntur, atque adeo privatus, et destitutus aliqua perfectione, quam natura sua postulat, quamque proinde in statu puræ naturæ haberet. Si enim omnia naturalia integra permanerint, et nihil eorum per peccatum exciderit, non est quo pacto homo in eis vulneratus dici possit. Secundo, quia natura humana in statu, quem vocamus *in puris*, non esset ita pauper ac nuda, sicut mansit postea per peccatum. Quoniam in illo primo statu haberet ratio quendam naturalem vigorem, quo posset facilius sibi subordinare appetitum, quam potest post peccatum : aliter Deus in eo statu non satis providisset hominibus de mediis necessariis ad assequendum finem ultimum naturalem. Cum ergo in natura lapsa non permanserit talis vigor, fit ut homo non tantum contraxerit privationem illarum perfectionum, quas tribuebat justitia originalis; sed etiam alterius, quæ esset in pura natura ac proinde quod peccatum originale plus a nobis abstulerit, quam prædicta justitia conferret.

Sed ad primum ex his constabit infra in annotationibus ad articulum primum, et secundum quæstionis 85, ubi D. Thom. agit ex professo de effectibus peccati quantum ad ablationem, vel diminutionem boni naturæ. Ad secundum vero respondetur illum vigorem, si forte daretur (de quo alibi) non convenire naturæ humanæ præcise secundum se, seu ut quod ortum ex suis principiis, quo pacto sumpsimus eam, cum descripsimus statum ejus in puris; sed superadderetur gratiose a Deo : et ita quodammodo constitueret statum diversum ab illo pertinentem reductive vel ad ipsum statum naturæ in puris; vel ad illum, quem vocant *naturæ integræ integritate ordinis naturalis*. Sed quicquid de hoc sit, illud omnino negandum est, videlicet peccatum originale plus a nobis abstulisset, quam conferret

conferret originalis justitia : quippe ipsamet justitia in suo statu conferebat eminentiori modo supradictum vigorem, ita ut opus non esset pro ejus collatione ad aliud principium, vel formam recurrere. Unde quod peccatum abstulerit talem vigorem, non arguit abstulisse aliquid ultra ea, quæ prædicta justitia conferret, neque mansisse humanam naturam pluribus spoliata, quam ab illa exornaretur.

## DUBIUM II.

*Utrum peccatum primi parentis transmissit ad nos aliquid positivum in potentiis receptum?*

Visis privationibus, quas ex vi peccati Adami contraximus, oportet inquirere, an ultra illas transierit ad nos aliquid positivum, quod sit effectus talis peccati, et ad nostrum originale per se pertineat? Quod fere est inquirere, an homo in natura lapsa habeat aliquid positivum, quod in pura natura non haberet. Illud autem si semel detur, vel erit immediate in essentia animæ, aut in voluntate per modum pravæ affectionis : sive male disponentis in ordine ad naturam; sive avertentis a Deo, et convertentis ad bonum commutabile tanquam ad finem ultimum : vel erit in aliis potentiis operativis per modum habitus, et qualitatatis inclinantis illas ad male agendum. Et quia utrunque eget non modico labore, diversis dubiis examinabitur, ex quorum resolutione et doctrina satis constabit, num prædictum positivum saltem possit esse in corpore ad illud distemperandum, et efficiendum corruptibile : ita ut necesse non sit hanc difficultatem seorsum discutere.

## § I.

*Vera sententia, et prima ejus ratio.*

19. Dicendum ergo est, peccatum Adami nihil positivum pertinens ad prædictas potentias in nos transfudisse, neque proinde aliquid ultra ea, quæ in pura natura haberemus, ex Adamo nos hæreditasse. Hæc conclusio consonat doctrinæ D. Thomæ multis in locis, quos in tota hac disputatione referemus. Et illam etiam tuentur Scotus in 2, dist. 32, quæst. unica, Durandus ibidem quæst. 1, Cajetanus 3 p. quæst. 27, art. 2, Alvarez lib. 6, de auxil. disp. 44, Medina in præsentia art. 2, Curiel, et Araujo

art. eodem dub. unico, Zumel disp. unica, Greg. Mart. art. 3, dub. 1, Vasquez disp. 132, cap. 4, Montesinos disp. 12, quæst. sua 4, Lorca disp. 43 et 46, Granadus tract. 8, disp. 4, sect. 3, Salas tract. 13, disp. 11, sect. 2, Bellarminus lib. 5 de amissione gratiæ cap. 15, Azor. tom. 1, lib. 4, cap. 25. Necnon Liranus super ad Rom. 5. Et ibidem Toringius in replicis super additiones Burgensis ad glossam ordinariam, pluresque alii.

Quia vero repugnantia, seu non esse alicujus effectus recte demonstratur ex non esse causæ efficientis, quæ illum in rerum natura producat, utemur primo loco hoc medio, et ratione, videlicet non dari causam effectivam prædicti positivi, quod ita ostenditur. Nam talis causa (et est sermo de causa principali) solum posset esse peccatum actuale Adami, ex quo originale nostrum, et quicquid per se ad illud spectat, ortum duxit: sed peccatum Adami non habuit vim ad causandum aliquem habitum positivum in nostris potentiis; imo neque in potentiis ipsius Adami: ergo, etc. Minor probatur. Tum quia unus actus non generat habitum; nisi resumatur, et reiteretur: habitus enim generatur ex actuum frequentatione, et non aliter, ut experientia est notum, quum frequentationem prædictum peccatum non habuit. Et licet unus singularis actus in potentia non assuefacta producat aliquam dispositionem; hæc tamen natura sua est facile mobilis a subjecto, et ideo cito perit per solum non usum, etiam si nulla forma contraria adveniat: atque adeo non potest esse de genere eorum, quæ cum peccato originali traducuntur: quia hæc suapte natura habent difficile removeri, et nunquam nisi per formam contrariam auferuntur.

Tum etiam, nam esto aliquando unus actus, eo quod est valde intensus habitum generet, non idcirco id dicemus in præsentia: quia quod peccatum actuale Adami potuerit traducere ad nos peccatum originale, non habuit ratione alicujus intensionis, sed præcipue ratione suæ essentiæ, ut erat peccatum capitis: intensio autem, si quæ ibi fuit, omnino per accidens se gessit respectu talis traductionis: et ideo eodem prorsus modo transiret ad nos culpa originalis ex vi peccati Adami, sive hoc commissum fuisset actu intenso, sive valde remisso.

Tum denique, nam quicquid sit, an unus Adami actus sive remissus, sive intensus sufficiens fuerit producere habitum; vel dispositionem positivam in potentiis propriis

Zumel.  
Greg.  
Mart.  
Vasq.  
Montes.  
Lorca.  
Granad.  
Salas.  
Bellarm.  
Azor.  
Liran.  
Toring.

Ratio  
prima.

D. Thom.

Scotus.  
Durand.  
Cajet.  
Alvar.  
Medina.  
Curiel.  
Araujo.

ipsius Adami; nequaquam tamen eam vim habere potuit ad producendum tale positivum in alio supposito: actus enim Adami secundum se non habuit majorem vim respectu effectus positivi, quam habent actus nostri: sicut neque ex se habuit aliquam realitatem positivam, qua nostri careant, quibus tamen certum est non inesse vim aliquam ad producendum aliquem habitum, vel qualitatem in potentiis alterius suppositi.

Confir-  
matio.

20. Confirmatur: quoniam peccatum Adami neque per se immediate, neque mediante instrumento potest causare in successoribus prædictum positivum: igitur nullo modo. Consequentia est nota, et etiam antecedens quoad primam partem. Nam illud peccatum secundum se non existit in rerum natura, sed transit, et perit quicquid in eo fuit: ergo per se immediate non potest aliquid positivum efficere, cum ad hujusmodi efficientiam indispensabiliter requiratur coexistentia causæ ad effectum, vel saltem ad passum, ubi debet produci. Quoad secundam vero suadet animadvertendo tum quod instrumentum non agit nisi per virtutem acceptam a causa principali, per quam ad continendum, et producendum ejus effectum elevetur, et cum eo proportionetur. Unde talis virtus, ubi effectus est positivus, necessario debet esse positiva: quia in sola privatione, vel negatione nequit effectus positivus vere et realiter contineri, ut est per se notum. Tum etiam quod instrumentum ad traducendum peccatum originale, et ea, quæ per se ad illud spectant, non potest esse aliud, nisi semen generantis, medio quo communicatur natura tali peccato infecta juxta ea, quæ disp. 14, dub. 3 explicuimus.

Hinc ergo probatur assumptum. Quia actus peccaminosus Adami nihil positivum communicavit ejus semini, aut aliis inde decisis, quippe neque secundum se, et ex natura rei habuit virtutem ad talem communicationem, sicut eam non habent actus nostræ voluntatis, etiamsi sint ejusdem naturæ, et speciei; neque ex aliquo alio capite talis virtus potuit ei advenire: ergo prædictum semen non potest esse instrumentum in ordine ad talem communicationem. Eo præsertim quia virtus positiva, si quæ esset ex vi peccati Adami semini impressa, deberet esse ita efficax, et immobilis, ut nunquam deficeret, aut minueretur, sed per omnia semina ab uno in aliud perpetuo imminuta descenderet, sicut des-

cendit peccatum originale: hoc autem manifeste superat vires cujuscumque actus humani, qui sicut cito transit, ita nequit effectum adeo immobilem relinquere.

Adde; quod si actus peccaminosus Adami ex se haberet virtutem ad producendum in aliis suppositis sive per se immediate, sive per prædictum instrumentum tale positivum, eadem ratione idem efficerent peccata cæterorum parentum respectu filiorum: atque adeo non minus parentes proximi transfunderent in eos propria peccata, quam Adamus transmisit originale: quippe neque hujusmodi peccatis deest aliqua vis positiva, quæ fuerit in peccato Adami; neque in isto fuit aliquid positivum, quod in aliis non sit: consequens est absurdum, ergo, etc. Et quoniam ratio ista, et confirmatio, si efficaciam habent, plurimum juvant pro dicendis in tota hac disputatione: convincunt enim intentum non solum de positivo, quod sit habitus receptus in potentiis, sed etiam de quovis alio, sive in potentiis, sive in corpore, vel in anima recipiatur, oportet evasiones, quæ adhiberi possunt, referre, et impugnare.

## § II.

### *Evasiones aliquæ præcluduntur.*

21. Primo ergo nostræ rationi occurri potest ex doctrina adversariorum, quodlibet peccatum mortale, qua ratione est aversio a Deo ut fine ultimo, etiamsi alias sit actus valde remissus, habere quamdam virtutalem, et veluti substantialem intensiorem, eamque maximam, ratione cujus convertit voluntatem ad creaturam per habitum positivum, diligendo illam appetitive super omnia, et constituendo ibi finem ultimum. Quemadmodum juxta nostram sententiam quilibet actus charitatis, eo quod est conversio in Deum ut in ultimum finem, et dilectio ejus super omnia, habet ex vi suæ essentiæ sufficientem efficaciam ad producendum in potentiis liberis quemdam modum positivum, per quem manent habitualiter in finem illum conversæ. Potuisset ergo peccatum Adami ratione prædictæ intensiōnis appetitivæ, et substantialis, producere in illo, et ejus posteris aliquem habitum positivum, quo eorum voluntas, aut aliæ potentiæ ad bonum creatum inordinate tenderent.

Ad confirmationem vero occurret Gregorius Mart. in præsentî quæst. 81, art. 1, dub.

Evasio  
ad ratio-  
nem.

Evasio  
ad confir-  
matio-  
nem.  
Greg.  
Mart.

dub. 5 (non quod iste auctor admittat hoc positivum, quod impugnamus existens in potentiis, sed quia ponit illud in anima, vel voluntate pro constituenda originali culpa), occurret ergo non esse necessarium addere semini aliquid positivum præter ejus naturalem virtutem, qua continet humanam naturam : quia eo ipso quod per talem virtutem possit attingere naturam descendentem ab Adamo peccatore, potest etiam sine alio superaddito attingere peccatum originale, quod talem naturam consequitur, et habet nexum cum illa. Sicut eo ipso quod idem semen attingat prædictam naturam, cum qua nectuntur naturalia accidentia ; attingit etiam sine aliquo superaddito, sed ratione solius nexus inter illa ipsa accidentia, quæ naturam consequuntur.

22. Verum utraque evasio est insufficientis. Et prima impugnatur animadvertendo, quod intensio in actibus requisita ad generandum habitum, vel qualitatem difficile mobilem debet afficere illos ex parte subjecti, cui inhæret potius quam ex parte objecti, vel finis, circa quem versantur, quia talis intensio ordinatur ad dandam habitui firmitatem, et stabilitatem in ipso subjecto. Non enim distinctio inter qualitates facile, et difficile mobiles attenditur ex parte objecti, vel finis, qui potest esse idem respectu omnium : ut in materia temperantiæ v. g. idem est objectum habitus temperantiæ, qui est difficile mobilis ; atque dispositionis, vel actus, quæ sunt facile mobilia. Tota ergo eorum distinctio accipitur penes modum essendi in subjecto : cui habitus inhæret firmiter, et stabiliter propter intensionem, vel repetitionem actuum, quibus est acquisitus, et ideo permanet diuturnus, et difficile mobilis : dispositio vero inhæret illi segniter, et quasi transeunter, quia ejus causa, videlicet actus, quo fuit acquisita, caruit prædicta intensione, seu repetitione : et ideo ipsa dispositio non accepit esse firmum, sed inconstans, et facile mobile. Hinc ergo prædicta evasio facile impugnatur : nam tota illa intensio peccati mortalis, quæ dicitur substantialis, et appetitativa, habet se ex parte objecti, et modi tendendi in illud ; non autem ex parte subjecti, aut modi inhærendi, neque affert majorem, aut firmiterem adhæSIONEM ad ipsum subjectum, quam afferunt alii actus, quibus appetitatio illa deest : ergo nihil conducit in ordine ad generandum habitum, aut qualitatem difficile mobilem a subjecto, et quantum est ex

se, perpetuam, uti esse deberet illa qualitas, quam peccatum Adami induceret.

Et confirmatur : nam licet quis per unum actum remissum luxuriæ expresse constitueret in ejus objecto finem ultimum, appretiareque illud super omnia, non ideo per talem actum generaretur habitus luxuriæ inclinans permanenter ad tale objectum : sed vel nihil produceretur pertinens ad illam materiam, vel ad summum aliqua dispositio imperfecta, et facillime mobilis : ergo quod in quolibet peccato mortali sit illa appetitatio, qua constituatur finis ultimus in creatura, nequaquam sufficeret ad generandum habitum convertentem voluntatem ad talem creaturam ita firmum, et immobilem, sicut habet esse peccatum originale, et quæ cum traducuntur.

Neque illud, quod dicitur de modo charitatis, est ad rem. Quia talis modus non producitur per actum charitatis, neque hujusmodi actus, quantumvis esset intensus, producere posset modum, vel habitum difficile mobilem : sed dimanat a gratia per modum proprietatis, sicut aliæ virtutes per se infusæ : solusque Deus habet se ut causa efficiens principalis ; actus vero charitatis concurrit dispositive, et materialiter, sicut concurrit ad infusionem ipsius gratiæ. At in nostro casu ille habitus nullam aliam causam habere potest nisi peccatum actuale Adami : et ideo si ab eo produci nequit, ut probatum est, impossibilis erit talis habitus. Adde, per hanc evasionem nequaquam obviam iri rationi nostræ, quatenus probat peccatum Adami non potuisse causare aliquid positivum in ejus successoribus : eo quod omnis causalitas positiva actus peccaminosi, ut talis, restricta est ad proprium suppositum, neque ultra illud se valet extendere. Unde prædicta ratio potissimum ex hac parte semper manet inconcussa.

23. Solutio vero adhibita confirmationi ex doctrina Gregorii Mart. facile etiam impugnatur : quia sola connexio inter effectus, quantumvis sit indispensabilis, non sufficit, ut causa attingens unum attingat alterum, nisi utrumque in sua virtute contineat : alias Deus, qui attingit hanc numero entitatem peccati actualis, quæ indispensabiliter nexa est cum ejus malitia, attingeret ipsam malitiam : quod est abominabile : atqui semen præcise per suam naturalem virtutem, qua continet naturam humanam, non continet prædictum positivum, quod pertinet ad rationem peccati : ergo nisi ei nova vis, et continentia positiva superad-

Robora  
tur.

Impu-  
gnatio  
rioris.

Impu-  
gnatur  
evasio  
ad con-  
firmatio-  
nem.

datur, nequit illud attingere, etiamsi naturam producat. Minor suadetur : nam virtus naturalis seminis eadem est nunc, atque esset in pura natura : sed tunc nequaquam contineret prædictum positivum, neque illud, sed solam naturam produceret : ergo neque modo.

Accedit, quod cum Deus sit causa totius virtutis naturalis repertæ in semine, si istud præcise per illam contineret tale positivum, quod ad peccatum originale pertinet, Deus esset causa talis peccati : nam quod est causa causæ, etiam est causa causati ab illa causa. Non ergo naturalis virtus seminis, qua continetur natura humana, sufficere potest ad continendum, et producendum prædictum positivum de genere peccati : atque adeo vel superaddenda est illi nova vis positiva pro tali continentia, vel omnino neganda est causalitas, et attingentia talis positivi. Neque est simile de accidentibus naturalibus. Tum quia hæc dimanant a natura humana secundum se, et in ea sicut in radice continentur, nexusque inter utraque est per se : quia natura ex vi sua postulat talia accidentia, hæcque naturam ipsam secundum se consequuntur ; atque hoc modo se habent, postulant fieri per eandem actionem, et in eadem virtute causæ continentur. At vero positivum illud peccati originalis non dimanat a natura, ut natura est, neque in ea ut sic continetur, neque nexus inter illa est per se, sed per accidens : alias in quovis statu illam consequeretur, et quicumque causa esset naturæ, esset etiam causa talis positivi peccaminosi : unde non est simile.

Secunda  
evasio  
ad ratio-  
nem.

24. Secundo potest occurri prædictæ rationi, eam procedere de peccato Adami, ut fuit præcise personale : qua ratione non potuit esse majoris virtutis, quam peccata cæterorum hominum, nec producere sive in proprio, sive in altero supposito habitum, vel qualitatem, quam illa non producant. Non autem procedit de prædicto peccato, ut fuit capitale, quo pacto habuit longe majorem vim, nam potuit inficere totam naturam, et omnia ejus supposita, quod non posset, si esset tantum personale. Unde non mirum, quod ex hac conditione *capitalis* fuerit potens ad efficiendum tam in Adamo, quam in successoribus positivum, de quo loquimur. Sane quod prædicto peccato ut capitali plus aliquid concedendum sit in ordine ad influendum in posteros, quam si esset tantum personale, est satis per se notum, et ab omnibus Catholicis conceden-

dum : siquidem juxta omnium sententiam ex prædicta conditione habet vim transfundendi peccatum originale (quicquid hoc sit) in illos, quam non habent peccata pure personalia.

Et quoad confirmationem dici posset, prædictum peccatum ex eadem ratione, videlicet quia fuit capitale, potuisse imprimere semini Adæ aliquid positivum ultra naturalem virtutem, per modum intentionis, et virtutis instrumentalis, ratione cujus ipsum semen elevaretur, et constitueretur potens ad positivum peccati originalis producendum. Id, quod sensisse videtur D. Thom. quæst. 4 de mal. art 1 ad 9, ubi cum dixisset, quod ex peccato primi parentis destituta est caro ejus illa virtute, ut ex ea posset decidi semen, per quod originalis justitia propageretur, subdit : *Et sic in semine defectus hujus virtutis est defectus moralis corruptionis, et quædam intentio ejus : sicut dicimus intentionem coloris esse in aere : et ex hoc etiam est ibi virtus ad similem imperfectionem, sicut est ibi virtus ad productionem humanæ naturæ in prole generata.*

25. Sed hoc quoque effugium facile impugnatur primo : quia non plus tribuendum est peccato Adami ut capitali in ordine ad influendum in posteros, quam tribuimus illi ut personali in ordine ad influendum in proprium suppositum : non enim prædictum peccatum secundum priorem rationem potentius, aut efficacius fuit ad maculandum nos, efficiendosque peccatores, quam secundum posteriorem ad maculandum, et efficiendum peccatorem ipsum Adamum : sed secundum hanc non habuit virtutem ad producendum in eo aliquem habitum, vel qualitatem positivam difficile mobilem, ut supra ostendimus : ergo neque secundum illam erit potens ad producendum in posteris similem habitum, vel qualitatem. Eo præsertim quia licet prædictum peccatum ut personale, si forte fuisset actus valde intensus, posset producere aliquem habitum in proprio supposito ; eo quod talis intensio per se se haberet ad eam productionem ; adhuc tamen id non posset in aliis, ut erat capitale : quia ad hoc munus omnino per accidens se habebat prædicta intensio, ut num. 19 vidimus.

Deinde impugnatur : nam Adamus per constitutionem in esse capitis solum accepit designationem moralem, et extrinsecam, ut supponeret pro suis posteris, et unus cum illis reputaretur in ordine ad conservationem, vel amissionem originalis justitiæ :

Et ad  
confir-  
matio-  
nem.

D. Thom.

Impu-  
gnatu-  
secundum  
evasio-

Im-  
gn-  
amp



tia: non autem accepit ejus voluntas aliquid positivum intrinsecum præter illa, quæ haberet, ut erat personæ particularis: ergo non potuit ex vi talis constitutionis communicare suo peccato aliquam vim intrinsecam positivam præter illam, quam communicaret, ut erat voluntas particularis personæ. Igitur neque ipsum peccatum, quatenus erat peccatum capitis, potuit producere in proprio, vel alieno supposito sive immediate, sive medio instrumento aliquid positivum, quod, prout erat peccatum personale, non produceret. Utraque consequentia est satis nota: nam cum totum, quod est intrinsece in effectu, debeat intrinsece præcontineri in sua causa, omnino repugnat, ut quæ semel est impotens ad attingendum aliquid peculiare positivum in suo effectu, eo quod illud non continet, reddatur potens, nisi ei superaddatur peculiaris virtus positiva intrinseca, ratione cujus contineat ipsum positivum, quod in effectu est attingendum: ergo si Adamo, aut ejus voluntati per constitutionem in esse capitis nihil intrinsecum positivum superadditur ultra illud, quod haberet ut particularis persona, omnino repugnat ratione talis constitutionis oriri ab eo in suo actu, vel per actum in effectu aliquid positivum, quod non oriretur, seclusa tali constitutione.

26. Ad hæc: etiam si Adamus, vel ejus voluntas per constitutionem in esse capitis aliquid positivum reciperet, hujusmodi positivum non proveniret a Deo præcise ut a causa communi, et generali; sed ut ab auctore particulari, et causa omnino propria talis positivi: sicut et ipsa constitutio in esse capitis hoc modo fuit a Deo facta: igitur non posset Adamus ratione illius influere in peccatum originale posterorum, neque in aliquid de genere mali moralis, uti esset qualitas positiva, quam impugnamus. Patet consequentia: nam quod est a Deo ut auctore particulari, nequit esse principium alicujus malitiæ, aut moralis defectus: alias hujusmodi defectus reduceretur in Deum, qui fuit causa prædicti principii.

Neque in favorem hujus evasionis debet assumi id, quod juxta nostram sententiam fatendum est: videlicet peccatum Adami, ex quo fuit capitale, habuisse vim inficiendi totam naturam, quod non posset, si esset tantum personale. Nam aliud est loqui de infectione per solam privationem just. orig. sicut nos ponimus: aliud vero de infectione per qualitatem, et habitum posit. ut inten-

dunt adversarii. Ad hoc enim posterius omnino necessarium erat superaddi prædicto peccato aliquam virtutem positivam, ratione cujus contineret, et produceret talem habitum, quem ex se, et ut erat peccatum personale, nec continebat, nec poterat producere: quæ quidem additio repugnat, ut jam ostendimus. Ad illud autem prius non est necessaria talis additio, quia non est in ordine ad producendum aliquid; sed ad removendam dumtaxat, et impediendam justitiam originalem: ad quod sufficit, quod Adamus committeret illud peccatum ut caput naturæ, et ex persona omnium posterorum: nam eo ipso omnes propter illum amitterent prædictam justitiam, et tale peccatum esset omnibus impedimentum ad illam recipiendam: nihilque aliud requiritur, ut ex prædicto peccato in omnibus posteris Adami originale resultet, supposito quod hoc consistat in prædictæ justitiæ privatione.

27. Per quod manet etiam impugnata solutio adhibita confirmationi: quia si ex peccato Adami, ut erat personæ particularis, non poterat oriri aliqua virtus positiva in ejus semine, quo elevaretur, etc., neque etiam potuit oriri ex prædicto peccato ut capitali: quippe hæc conditio nihil illi aut ejus principio superaddit, ratione cujus posset talem virtutem continere et efficere. Testimonium vero D. Thomæ pro prædicta solutione adductum ex quæst. 4 de mal. declarat bene Cajetanus in præsentis quæst. 81, art. 1, ubi sic ait: *Non oportet aliquam intentionalem qualitatem in semine fingere, qua productivum sit culpæ: hoc enim nec somniavit auctor, cum culpa nihil entitatis sit, et concomitanter fiat, et sufficiens sit semen decisum a natura destituta justitia originali. Verba autem auctoris in quæst. 4 de mal. art. 1 ad 9, non significant oppositum: sed quod privatio justitiæ originalis in semine illo modo, quo in semine salvatur, ex defectu spectat ad genus moris virtualiter, non quia est actu moralis, sed quia tendit ad morale peccatum: et sic ista privatio est quædam intentio mali moralis, et malum morale est in ea intentionaliter, sicut color in aere, et anima in semine. Et tenet similitudo quoad hoc, quia intentio ordinatur ad illud, cujus dicitur intentio, non quoad esse entis positiva, cum hoc de privatione dici non possit, etiam si fingendi detur licentia.*

Nec immorari oportet in evertendo aliam evasionem, quæ adduci posset ex Gregorio Ariminensi in 2, dist. 30, quæst. 1, art. 2,

Præcluditur evasio ad confirmationem.

Cajet.

Greg. Arim.

ubi ait, qualitatem illam positivam ab Adamo ad nos traductam causatam fuisse in illo vel a pomo vetito tanquam a cibo noxio et venenoso, vel a statu, et sibilo venenosi serpentis, inde vero ad nos per originem derivari. In impugnatione igitur hujus modi dicendi non est necesse immorari, utpote qui jam ab omnibus Theologis tanquam fictivus, et omnino voluntarius rejicitur : et merito cum nullum sit fundamentum asserendi prædictam causalitatem. Eo præsertim quia neque in illo pomo, neque in serpente, sicut neque in aliis rebus irrationabilibus, vel inanimatis potuit esse virtus ad efficiendam aliquam qualitatem ordinis rationalis, et de genere morali, sicut esset ista, de qua loquimur. Et adhuc prædicta fictione admissa quantum ad causalitatem prædictæ qualitatis in ipso supposito Adami, quis dicet potuisse pomum, aut serpentem potentiæ generativæ Adami, et ejus semini talem virtutem, et efficaciam imprimere, ut posset in omnes usque ad nos et usque ad finem sæculi talem qualitatem indefectibiliter derivare? Sane quod hoc sit incredibile, et sine ullo veritatis fundamento assertum, nemo inficiabitur. Quod vero multi ex Patribus pomum illud appellent *venenosum*, non obest, quia loquutio est metaphorica : et per pomum intelligunt affectum inordinatum erga illum : qui sane affectus fuit ipsum peccatum originale originans, et causa nostri originati : hacque ratione merito dici potest *venenosus* et *lethalis*.

### § III.

#### *Duplex alia ratio convincens assertionem.*

Ratio secunda. 28. Deinde probatur assertio alia ratione, quam tangit D. Thom. in hac quæst. art. 1 ad 3, et art. 2 ad 2, et art. 4 ad 1, aliisque in locis. Quoniam si ex peccato Adami pervenisset ad nos in potentiis aliquis habitus positivus, hujusmodi habitus in omnibus determinate inclinaret ad actus illius speciei, cujus fuit prædictum peccatum : sed hoc est falsum, ergo, etc. Major ex eo constat : quia generale est omnibus habitibus causatis virtute aliquorum actuum inclinare ad actus similes, et circa idem objectum ; nec potest aliter contingere : quia sicut actus causans aliquem habitum, non potest dare illi inclinationem, aut tendentiam præter objectum, in quod tendit ipse actus, alias ultra suam virtutem operaretur : ita

neque prædictus habitus potest inclinare, aut elicere actus extra sphæram talis objecti ; ac proinde extra speciem actus, unde talis habitus provenit. Minor vero suadetur. Tum quia peccatum Adami determinate fuit actus superbiæ, aut gulæ, ut infra dicemus : prædictus vero, quem adversarii ponunt, non inclinatur, etiam juxta eorum sententiam, ad unam, vel alteram determinatam speciem peccati, sed indeterminate ad quodvis bonum sensibile rationi contrarium : propterea enim talem habitum ex peccato primi parentis emanasse dicunt, quia vident in nobis concupiscentiam, et fomitem peccati inclinantem appetitum ad agendum contra, aut præter ordinem rationis : ob idque affirmant, prædictum fomitem, et concupiscentiam per talem habitum constitui : et consequenter sicut ipsa concupiscentia non inclinatur determinate ad unam, vel alteram speciem actus pravi, neque ad unum dumtaxat, vel alterum objectum ; sed ad omnia sensibilia, et appetibilia præter ordinem rationis : sic prædictus habitus in omnia indeterminate propendit. Tum etiam quia experientia deprehendimus, non omnes nasci cum ea determinata inclinatione ad actus superbiendi, et comedendi, quæ fuit materia peccati Adami sed multos sine illa, et cum majori inclinatione ad iram, aut ad luxuriam, aut avaritiam aut ad alia peccatorum genera. Signum ergo est hujusmodi inclinationes non esse per aliquem habitum positivum causatum ex prædicto peccato.

Nec dici poterit devenisse ad nos plures habitus, quibus alii inclinantur ad superbiam, alii ad iram, alii ad luxum, alii ad gulam, etc. ; nam hoc ex dictis manet impugnatum : quia cum actus ille Adami determinate fuerit unius, vel duplicis, aut ad summum triplicis speciei, impossibile est, ut tot habitus vitiosi, quot in diversis hominibus, etiam quando primo perveniunt ad rationis usum, videmus inclinationes pravas, potuerint ex prædicto peccato originari.—Præterquam quod cum tale peccatum æque ad omnes Adami posteros attinuerit, et in omnes peccatum originale æqualiter transmiserit, nulla poterat esse ratio, cur omnes æqualiter, et indiscriminatim omnes illos habitus, et inclinationes participarent.

29. Dices ex Jacobo Naclanto, quem infra referemus, per hæc solum excludi positivum, quod sit habitus entitative distinctus, et superadditus potentiis ; non autem quod solum

Evas præc sa

E g ali Ja Na

solum sit quædam major intensio ipsarum potentiarum, ratione cujus naturalis earum inclinatio effecta præternaturalis efficacius et vehementius inclinatur ad bona sensibilia præter ordinem rationis, quam inclinaret in statu naturæ puræ : et hæc est infirmitas, qua ægrotat natura lapsa : sicut febris est ipse calor naturalis factus præternaturalis ratione majoris vehementiæ, et intensiois et idem potest exemplificari in fame canina. Si vero postules causam hujus inclinationis præternaturalis, et vehementioris in potentiis, dicit fuisse peccatum Adami, quatenus ratione illius corpus hominis mansit distemperatum : nam ad hujusmodi distemperamentum ex parte corporis sequitur effectus ille in potentiis.

Impugnatio.

Sed hoc totum facile rejicitur. Tum quia naturalis inclinatio nostrarum potentiarum, quæ a potentiis ipsis non differt, non est intensibilis, vel remissibilis, neque suscipit magis, aut minus in esse rei ; sed ex sua prima, et naturali emanatione accipit totam intensionem, quam naturaliter habere potest, in eamque omnino immobilis, et invariabilis permanet : igitur neque potentia Adami, aut earum inclinatio per suum peccatum potuerunt in intensione crescere ; neque exinde ad nos cum majori intensione, quam natura sua postulant, derivari. Tum etiam quia esto prædictæ potentia essent variabiliter intensibiles ; non tamen quilibet actus posset eas ultra naturales limites, seu præternaturaliter intendere ; sed ille tantum, qui ratione quam maximæ intensionis superaret intensionem, quam ipsæ potentia ex sua naturali emanatione recipiunt, quæ sine dubio est satis magna : at peccatum Adami certius est non habuisse tantam intensionem ; et esto habuerit illam, cum talis intensio fuerit omnino per accidens ad traducendum originale, ut n. 19 vidimus, nullatenus prædicta intensio potentiis superaddita cum peccato originali descendens, potest in peccatum Adami reduci.

Impugnatio alia.

30. Adde nullum esse fundamentum ad affirmandum potentias sensitivas in statu naturæ puræ ferri in sua objecta minori impetu, minorive efficacia, quam modo feruntur, antequam per proprios actus habitus vitiosos acquirant : ergo sine fundamento ponitur modo in eis major intensio, quam haberent in illo statu : asseriturque ratione talis intensionis factam esse nunc earum inclinationem præternaturalem, quæ tunc sub limitibus inclinationis naturalis contineretur.

Illud vero, quod dicitur de causa prædictæ intensionis, videlicet esse corporis distemperamentum ex peccato Adami proveniens, satis frivolum est. Tum quia prædictum distemperamentum non est per aliquid positivum, sed per privationem illius perfectionis, per quam originalis justitia subiciebat corpus animæ, et continebat illud, ne in corruptionem tenderet ; ergo non potest esse causa prædictæ intensionis, quæ est aliquid positivum. Tum etiam quia in statu naturæ puræ non haberet homo perfectius, aut æqualius temperamentum, quam modo habet : ipsa enim humani corporis compositio ex materia prima, et ex aliis contrariis naturaliter infert similem distemperiem inter ejus qualitates, efficitque illud ita grave, et passibile, sicut experimur : atque adeo in quolibet statu, ubi non perficitur per aliquid a Deo gratiose superadditum, sicut non perficeretur in statu naturæ puræ, debet talis distemperies reperiri : sicut ergo in prædicto statu non esset ex tali distemperie aliquid positivum præternaturale aut intensius, quam ipsa natura postulat, ita neque in isto. Neque est simile de calore febris, aut de fame canina : quia istæ cum non sint potentia, sed dispositiones, aut passibiles qualitates, suscipiunt magis, et minus, et ideo possunt variabiliter intendi, aut remitti : potentia autem naturales non suscipiunt hujusmodi variabilem intensionem, ut dictum est.

31. Ultimo probatur conclusio alia ratione : quia sine aliquo positivo potentiis superaddito manent illæ cum ea propensione ad malum, et cum ea difficultate ad bonum, quam experimur in natura lapsa : ergo superflue adderetur tale positivum. Consequentia liquet : non enim aliunde colligi potest necessitas talis positivi, nisi ex prædicta inclinatione ad malum, et repugnantia ad bonum. Antecedens vero suadetur : nam per hoc præcise quod humana natura amiserit justitiam originalem, maneatque ejus potentia destitutæ fræno, et retinaculo rationis, quo ab illa compescerentur, propendunt sine modo, et mensura in sua objecta, et rationi ipsi præscribenti talem modum sæpissime reluctantur : constat autem prædictam propensionem ad malum, et repugnantiam ad bonum in nullo alio consistere : ergo, etc.

Ultima ratio.

Confirmatur : nam sicut corpus humanum non habet ex se subijci, et contineri ab anima contra corruptionem, sed hoc præstabat illi incorruptibilitas justitiæ originalis : ita

Confirmatio.

appetitus sensitivus v. g. non habet ex se plene subdi rationi, aut appetere juxta illam, sed hoc ei conferebat perfectio prædictæ justitiæ : ergo sicut ex parte corporis sat fuit amittere prædictam incorruptibilitatem, ut efficeretur corruptibile, quasi redditum suæ pristinæ naturæ sine aliquo alio positivo : ita ex parte prædicti appetitus satis erit amisisse prædictam continentiam sub ratione, ut contra, vel præter ipsam rationem sæpe in sua objecta immediate tendat.—Accedit, quod sicut constare ex contrariis est sufficiens ratio corruptibilitatis, nisi per aliquid impediatur : ita constare ex appetitu sensitivo, et rationali, quamdiu inter eos non ponitur plena subordinatio, est sufficiens ratio propensionis ad malum, et repugnantiae ad bonum ; dum ratio prohibet, quod appetitus quærit, et iste retardat, quod illa appetit : ergo sicut ad corruptionem corporis non est necesse ponere aliquid positivum, sed auferre prohibens : sic ad prædictam propensionem, et repugnantiam sufficit removere ejus *prohibens* : non vero aliquid superaddere.

## § IV.

*Duplex sententia adversa.*

32. Contra nostram assertionem duplex militat sententia : alia Gregorii de Arimino in 2, dist. 30, quæst. 1, art. 2, ubi ait ex peccato Adami fuisse in nobis relictam quandam qualitatem morbidam superadditam qualitatibus naturalibus : quæ quidem morbida qualitas apud eundem Gregorium alia est spiritualis residens in anima : alia vero materialis, et corporea afficiens immediate corpus, vel ejus potentias, a qua spiritualis illa causatur. Ipsam vero qualitatem corpoream dicit provenisse Adamo vel ex pomo vetito tanquam ex venenoso cibo, vel ex flatu serpentis venenosi ; ad nos autem per libidinosam generationem traduci. Quam etiam sententiam tuentur Henricus quodlib. 1, quæst. 27, Gabriel in 2, dist. 30, quæst. 2, art. 1, dub. 1, et Okamus ab eo ibi relatus, Richardus ibidem quæst. 1 et dist. 31 sequenti, ubi etiam Estius § 1. Guilielmus Parisiensis de vitiis, et peccatis cap. 2, 3 et 4, et pro eadem sententia referuntur a Salas in præsentī disp. 11, sect. 2 Guilielmus Antissiodorensis, Jacobus Almainus, Robertus Holkot, et alii. Fundamentum vero desumunt ex Augustino lib. 1 de nupt. et concupisc. cap.

25, ubi loquens de concupiscentia, quæ in nobis ex peccato originali remansit, dicit esse *affectionem quandam malæ qualitatis*, sicut *languor*. Et lib. 6 contra Julianum cap. 18, libidinem, quæ a prædicta concupiscentia non differt, dicit esse *vitium animi* : quod etiam sonat qualitatem positivam. Idemque D. Augustinus lib. 4 Hypognosticon cap. 2 asserit, ex serpentis sibilo venenoso naturam primi parentis contraxisse hunc morbum, quem non habuit ante culpam, et per semen in posteros pertransisse. Et cap. 1 dixerat non esse hoc mirum, cum sibilo quorundam serpentium aliquando homines afflati intereant ; aliquando vero ad interitum graviter urgeantur : ergo ex sententia D. Augustini tenendum est, quod prædicti auctores tuentur.

Respondetur, D. Augustinum nullibi esse pro prædicta sententia : nam in primo, et secundo testimonio nomine *malæ qualitatis*, *languoris*, et *viti*, quo concupiscentiam appellat, non intelligit aliquam qualitatem positivam naturalibus superadditam ; sed ipsas potentias quatenus ut destitutæ fræno, et gubernaculo rationis tendunt inordinate in sua objecta : et hanc destitutionem appellavit *languorem*, *vitium animi*, et *infectionem malæ qualitatis*. Tum quia per modum malæ qualitatis habitualiter permanet : tum etiam quia non est de essentia naturæ humanæ, sed quid ab ea separabile, et sanabile per gratiam saltem consummatam : consuevit autem quod est extra essentiam rei, et ab ea separabile, appellari *qualitas* : sicut de omnibus accidentibus, et de his, quæ accidentaliter se habent, dicimus prædicari in quale.

Ad tertium testimonium respondetur, S. Doctorem loqui in sensu metaphorico : nam sicut venenati serpentes suo venenoso flatu ita solent corpora lædere, ut læsio illa ad mortem usque inferendam pertingat : sic venenatus ille antiquus serpens, nempe diabolus, sibilo suæ pervasionis Evam, et illa mediante, Adamum ita læsit, ut talis læsio pertingeret usque ad inferendam mortem spiritualem in utroque per consensum in culpam. Qui sensus longe differt a sententia adversariorum. Pro qua alia, quæ formari possunt, argumenta vel ex dictis manent soluta, vel in sequentibus solventur.

33. Secunda sententia est Jacobi Naclanti super ad Roma. 5, ad illa verba *non ergo regnet peccatum*, etc. et Cordubæ lib. 1,

Fundamentum primæ sententiæ oppositæ ex Aug.

Solutio.

Secunda sententia adversa Jacobi Naclanti et Cordubæ.

1, quæst. 45, qui licet cum communi sententia excludant qualitatem illam morbidam, quam præcedens opinio adstruebat; dicunt tamen superadditam fuisse potentiis nostris aliquam majorem efficaciam, vel intensionem, ratione cujus quasi a proprio, et connaturali statu, quem haberent in pura natura, ad statum præternaturalem extractæ effrænatius, majorique impetu tendunt in sua objecta et in bona sensibilia. Quæ sententia probatur primo ex Concilio Trid. ses. 5, decreto de peccato orig. ubi dicitur, totum Adam secundum corpus, et secundum animam fuisse per peccatum in deterius commutatum: cum autem hæc transmutatio in potentiis non fuerit per additionem alicujus habitus, vel qualitatis omnino distinctæ, sequitur fuisse per additionem prædictæ efficaciam, vel intensionis.

Fundamentum.  
Conc. Trid.  
Ses. 5.

Confirmatur primo ex D. Anselmo lib. de conceptu virginali cap. 5, ubi comparat appetitum sensitivum destitutum justitia originali cum fera, quæ prius erat vineta, et postea, ruptis vinculis, ferocius sævit: sentit ergo prædictum appetitum, postquam destitutus fuit fræno justitiæ originalis, quo a malo compescebatur, efficacius sævire, vehementiusque in bona sensibilia contra rationem inclinare, quam in statu puræ naturæ, ubi nondum fuisset alligatus. Hoc autem fieri non potuit, nisi nova aliqua vis, seu intensio tali appetitui superadderetur: ergo, etc.

Confirmatio  
ex D.  
Ansel.

Confirmatur secundo ex D. Thoma art. 1 hujus quæst. ubi inclinationem appetitus ad malum appellat *languorem naturæ*: at languor non causatur nisi in quantum aliquid, quod in animali est naturale, v. g. calor, factum sit præternaturale ratione alicujus majoris, et indebitæ intensionis: ergo, etc.

Confirmatio  
alia ex  
D. Thom.

Confirmatur tertio: quia juxta commune Theologorum pronunciatum homo per peccatum spoliatus fuit gratuitis, et vulneratus in naturalibus: at hoc vulnus non consistit in amissione alicujus qualitatis naturalis: naturalia enim tam in Angelo, quam in homine post peccatum integra remanserunt: ergo consistit in additione majoris intensionis; ratione cujus irascibilis, et concupiscibilis quasi præternaturales factæ vehementius inclinent ad bona sensibilia, quam expediat rectæ rationi.

Tertia  
confirmatio.

34. Respondetur ad argumentum negando consequentiam: sufficit enim, quod homo per peccatum amiserit justitiam originalem, tam ut perficiebat corpus, rectifi-

Solutio  
ad fundamentum.

cabatque appetitum, quam ut perficiebat animam: ut verificetur totum illum secundum animam, et corpus fuisse in deterius commutatum, ut ait Tridentinum.—Ad primam confirmationem respondetur, exemplum illud D. Anselmi non tenere in omnibus, sed in hoc dumtaxat, quod sicut fera, ruptis vinculis, operatur secundum suam naturalem feritatem: ita appetitus sensitivus, soluto vinculo originalis justitiæ, quo a malo compescebatur, tendit in illud sine fræno, et moderamine rationis. Cæterum quantum ad intentum argumenti non tenet similitudo. Et ratio est: quoniam fera, dum est alligata, habet pro objecto suæ sævitæ illam detentionem causatam ex vinculis: et ideo ibidem magis sævit, et postmodum ruptis illis plus furescit, quam si vineta non fuisset; nunquam tamen ejus ira excedit naturalem intensionem sui appetitus irascibilis. Cæterum appetitus sensitivus hominis, dum erat ligatus per justitiam originalem, non habebat pro objecto suæ sævitæ (ut sic dicamus) talem obligationem, et detentionem: et ideo non est cur soluto illo vinculo magis sæviat, aut immoderatus ad malum inclinet, quam si non fuisset ligatus.

Ad  
primam  
confirmatio-  
nem.

Ad secundam respondetur, non esse necessariam additionem alicujus majoris intensionis in inclinatione appetitus circa bona sensibilia, ut verificetur naturam mansisse ægram, et cum languore; sed sufficere, quod amiserit rectam dispositionem, et integram valetudinem, quam habebat ex justitia originali: nam quia per hanc constituebatur integra, et sana, consequens est, ut ea amissa, etiam sine ullo alio superaddito reddita sit ægra, debilis, et infirma. Unde etiam exemplum de ægritudine naturali non tenet in omnibus propter id, quod tetigimus num. 30.

Ad se-  
cundam.

Ad tertiam dicendum est, hominem dici vulneratum in naturalibus non quia qualitatem aliquam, aut intensionem præternaturalem in suis potentiis acceperit, sed quia naturalis ejus inclinatio ad bonum fuit per peccatum diminuta. Quod qualiter factum sit sine ablatione alicujus realitatis, sed per appositionem impedimenti ex parte termini, dicemus infra quæst. 85, art. 1 et 2.

Ad ter-  
tiam.

35. Deinde pro hac, et præcedenti sententia arguitur: Quia concupiscentia est effectus originalis peccati: propterea namque in Scriptura appellatur *peccatum*, quia ex peccato originali orta est, et ad peccan-

dum inclinatur, ut docuit Tridentinum sess. cit. Sed concupiscentia dicit aliquid positivum, videlicet inclinationem ad malum, et renitentiam circa bonum: ergo fatendum est, devenisse ad nos aliquid positivum ex prædicto peccato, sive illud sit qualitas morbida, quam adstruebat præcedens sententia, sive nova intensio potentialium naturalium, quam ponit hæc secunda. — Tandem arguitur pro utraque sententia. Quoniam homo per peccatum originale manet aversus a Deo tanquam a fine ultimo, atque adeo conversus ad creaturam: neque enim intelligi potest aversio, et recessus ab uno termino sine conversione ad alium: sed hæc conversio dicit aliquid positivum: ergo, etc. Ex his duobus argumentis, quæ in hac materia negotium facessere, primum solvetur dubio quarto; pro difficultate vero, quam tangit secundum, sit

### DUBIUM III.

*Utrum peccatum originale in ipsa animæ substantia vel in voluntate ponatur aliquid positivum?*

Quamvis positivum, de quo dubio præced. hac nostra ætate cuncti fere rejiciant; non desunt tamen docti, et graves Theologi, qui pro constituendo peccato originali aliud excogitarunt ortum ex peccato Adami, in ipsa animæ substantia, vel in voluntate receptum, non quod sit saltem per se primo ad male operandum; sed vel ad male disponendum in ordine ad naturam: sicut ægritudo, et languor male disponit: vel ut anima, et voluntas maneant per illud conversæ habitualiter ad bonum commutabile sicut ad finem ultimum, et a Deo aversæ: vel denique ut habitualiter per ipsum maneant legi diffformes: nisi velis omnes hujusmodi effectus simul et collective a tali positivo præstari. Et quia istorum Theologorum opinio majorem probabilitatis speciem præ se fert, gravioribusque fundamentis innititur, cogit nos punctum seorsum examinare.

#### § I.

*Vera, et communior opinio*

36. Dicendum nullum dari hujusmodi positivum neque in anima, neque in voluntate sive ad prædictos effectus, sive ad

alios, sed solam privationem justitiæ originalis, qua in statu innocentiae perficerentur, ad eas partes ex Adami peccato descendisse. Hæc assertio est valde communis inter Theologos: nam illam tuentur omnes, uno, vel altero excepto, quos dubio præced. pro nostra sententia adduximus: et etiam alii, quos Gregorius Mart. refert in præsentibus art. 1, dub. 1. Estque proculdubio D. Thomæ infra quæst. 86, art. 1 ad 3, et art. 2 ad 2 agentis in communi de macula peccati, specialiter vero de peccato originali id docet in tota hac quæst. 82 et 83 sequenti. Nec non de mal. quæst. 4, art. 2 et in 2 dist. 30, quæst. 1, art. 3 et ad Anibal. dist. 31, quæst. unica art. 2, in quibus, et aliis locis, ubi de hac re tractat, nihil aliud in peccato originali agnoscit, nisi pro materiali concupiscentiam, quam dicit esse destitutionem inferiorum virium a retinaculo rationis, sine aliquo positivo eis superaddito, et pro formali privationem originalis justitiæ ut ad voluntatem, et ad animam pertinebat. Unde loco citato de mal. in solut. ad 7, sic ait: *Sicut concupiscentia contracta per originem nihil est aliud, quam destitutio inferiorum virium a retinaculo justitiæ originalis: ita malitia contracta nihil aliud est, quam destitutio ipsius voluntatis ab originali justitia. Et inde incurrit omnem pronitatem ad mala eligendum: et sic secundum præmissa malitia se habet in peccato originali ut formale: concupiscentia autem ut materiale.* Et art. 3 præsentis quæst. *Peccatum originale* (inquit) *materialiter quidem est concupiscentia; formaliter vero est defectus originalis justitiæ.* Neque ullibi S. Doctor præter hoc formale, et illud materiale agnoscit aliquid in prædicto peccato. Porro concupiscentiam non importare aliquid positivum superadditum naturalibus potentiis, sed dumtaxat prædictam destitutionem, ostendemus latius ex ipso Divo Thoma dubio sequenti.

Probatur rationibus nostra conclusio. Prima vero, qua convincitur, proposita fuit dubio præced. a num. 19. Nam ratio illa de causa effectiva æque probat de omni positivo, sive ponatur in anima, vel in voluntate, sive in quavis alia potentia; ubi enim non datur causa positiva efficiens, omnino repugnat dari effectum positivum. Unde hæc ratio, prout ibi expensa est, debet omnino ad præsens applicari.

37. Nec refert quod ait Gregorius Mart. in præsentibus art. 1, dub. 1, cui prædicta ratio ad

D. Thom.

Prima ratio.

Effugium ex Greg. Mart.

ad

ad intentum hujus dubii non videtur efficax; secus tamen ad intentum præcedentis; ait itaque, distinguendum esse duplex genus qualitatum: aliud perfectarum, quæ realiter distinguuntur a subjecto, et afferunt propriam inexistentiam: aliud vero imperfectarum, quæ solum modaliter distinguuntur, nec per se dicunt inexistentiam, sed ad existentiam, vel inexistentiam subjecti coexistunt. Etsi ergo ratio nostra sit efficax ad excludendum positivum, quod sit qualitas primi generis, uti deberet esse qualitas morbida, quam dubio præced. exclusimus, quia istæ requirunt propriam actionem, et virtutem activam, a qua fiant; non tamen ad excludendum positivum, quod sit qualitas secundi generis, sicut est quod ponitur in anima, vel voluntate ad constituendum originale peccatum. Quia qualitates istæ utpote diminutæ et imperfectæ non postulant talem actionem, neque virtutem, sed sufficit ratio terminata ad subjectum, vel ad aliud extrinsecum, quod subjecto applicetur, ut sine majori activitate in illo consurgant: sicut sufficit actio terminata ad producendum album, ut consurgat relatio similitudinis cum alio albo, ut si nudo applicetur vestis, consurget sine nova actione accidens, quod vocamus *habitum*. Sic ergo in præsentī sufficit ipsa actio generativa, qua producit subjectum descendens ab Adamo, ut resultet in eo illud positivum de genere qualitatis imperfectæ, quod constituit peccatum originale. Ita citatus auctor.

Impugnatur.

38. Verum hoc, ut diximus, non refert; quoniam ista evasio satis impugnata est dubio præced. a num. 23. Sive enim qualitas, quæ producenda est, sit perfecta, sive imperfecta, hujus, vel illius generis, manifeste repugnat eam poni in rerum natura, nisi ex vi alicujus causæ, in cujus virtute continentur: sicut etiam repugnat, quod si semel est aliquid positivum, non requirat ad sui continentiam aliquam virtutem positivam. Cum ergo in virtute generativa, vel ejus actione nulla sit virtus ad continendum aliquid positivum de genere peccati, neque aliunde superaddi possit, ut ibidem ostendimus: non est quo pacto prædictum positivum ex tali actione resultet. Neque exempla de relatione similitudinis, et de accidente, seu prædicamento *habitus* sunt ad rem: quia hæc et similia accidentia imperfecta continentur sufficienter in suis fundamentis, et in virtute causarum, et actionum, a quibus fundamenta ipsa producuntur: et licet aliquando non statim ad eorum positionem

resultent defectu alicujus termini, vel connotati extrinseci; eo tamen quocumque posito, possunt optime ex vi prædictarum actionum sine recursum ad aliam resultare. In nostro vero casu nulla est talis continentia: et ita omnino repugnat talis resultantia.

Deinde impugnatur prædicta evasio: quoniam si semel daretur illud positivum constitutivum peccati originalis, nequaquam esset de genere qualitatum imperfectarum: tum quia opponeretur contrariæ justitiæ originali, et gratiæ justificanti, quæ est qualitas perfectissima: quæ autem sic opponuntur, debent esse sub eodem genere, atque adeo si unum sit perfectum, etiam alterum. Tum etiam quia versaretur circa finem ultimum convertendo, et inclinando essentiam animæ, et voluntatem in bonum commutabile ut in talem finem per inclinationem fortiolem, et efficaciorē, quam posset quicumque alius habitus vitiosus, etiam ex illis quos adversarii fatentur esse qualitates perfectas: ergo prædictum positivum, si daretur, potius esset qualitas entitativa, et perfecta requirens propriam actionem, et virtutem effectivam, quam imperfecta, et modalis, quæ ad positionem subjecti resultaret. Manet igitur nostra ratio inconcussa, et non minus efficax ad intentum hujus dubii, quam præcedentis.

Major impugnatio.

39. Ex alio vero capite ostendi potest, prædictam rationem habere in præsentī, majorem, et specialem vim, si recolantur ea, quæ diximus in tract. de Angel. disp. 2, dub. 10 et disp. 14, dub. 1, ubi ex professo ostendimus, neminem nisi solum Deum posse operari virtute propria intra terminos alterius rei spiritualis: sicut solus Deus potest illabi in talem rem. Ex hac enim doctrina (cujus probationes, ne eadam bis dicamus, loco citato requirendæ sunt) ostenditur efficacia prædictæ rationis ad intentum hujus dubii. Quia si nulla creatura per suam virtutem potest operari intra terminos alterius rei spiritualis, plane sequitur non potuisse Adamum producere illud positivum constitutivum originalis culpæ in animabus suorum posterorum, aut in eorum voluntatibus, quippe neque virtute propria poterat ibi aliquid efficere (esto id posset in aliis potentiis corporalibus) neque ad aliquid de genere mali: sicut est prædictum positivum, potuit Deus specialem virtutem illi conferre: alias tale malum in ipsum Deum refunderetur: non est ergo a quo causetur tale positivum.

Major expansio rationis.

Evasio  
alia.

Neque hic patet aditus ad illam evasionem, quæ dubio præced. num. 25 impugnata fuit : videlicet quod licet Adamus non posset ita operari in animabus, aut voluntatibus suorum posterorum, ut erat persona particularis ; secus tamen ut fuit caput naturæ habens in se transfusas voluntates ipsorum : eo quod hoc modo consideratus habebat se ad omnes, sicut unusquisque ad seipsum : et ideo sicut quilibet per suos actus potest producere habitum positivum intra terminos propriæ voluntatis, vel animæ, sic Adamus per suum peccatum, ut fuit capitale, potuit illum in omnibus producere.

Præcluditur.

40. Non igitur patet aditus ad istam evasionem : quia impugnatio adhibita num. citato omnino illum præcludit. Dum enim constitutio Adami in esse capitis nihil intrinsecum ei superaddit, quod sit nova virtus positiva ad agendum, sed solum designationem moralem ad supponendum pro posteris, ut vidimus num. citato, nihil prodesse potest talis constitutio ad operandum physice in animabus ipsorum, efficiendumque ibi habitum realem, et positivum, quem Adamus secundum se, et ut persona particularis non poterat efficere : quippe talis efficientia non in prædicta designatione morali, sed in intrinseca activitate, et virtute ad agendum debet necessario fundari. Nec sufficit qualiscumque virtus, sed debet tribui specialiter a Deo ut auctore particulari : quia cum proprium solius Dei sit operari virtute propria intra terminos rei spiritualis, quoties hoc alicui creaturæ communicaretur, haberet sicut instrumentum ipsius Dei, atque adeo per virtutem specialem ab eo acceptam, et non aliter id efficeret. Manifestum est autem, Deum non posse tribuere talem virtutem in ordine ad effectum omnino de genere mali, sicut est habitus, de quo loquimur.

Confirmatur : nam ex eo quod Adamus secundum se erat impotens ad traducendam, seu producendam justitiam originalem in animabus posterorum ; nequaquam posset eam traducere per modum causæ physicæ, etiam durante statu innocentiae, ratione solius constitutionis in esse capitis ; nisi ulterius Deus specialiter illi superadderet physicas, et intrinsecas vires in ordine ad talem efficientiam : ergo similiter in nostro casu, in quo tamen omnino repugnat talis additio.

Replica.

41. Dices : ergo in nulla sententia poterit Adamus per modum agentis physici causare

peccatum originale : quandoquidem sive hoc positivum sit, sive privativum, debet esse ejus efficientia intra terminos rei spiritualis, scilicet in animabus, aut voluntatibus posterorum.

Respondetur negando consequentiam : Enervatur. nam juxta sententiam constituentem prædictum peccatum in privatione non requiritur ad ejus efficientiam superadditio alicujus virtutis positivæ in Adamo, sicut necessaria est juxta constituentem illud in habitu : sed sufficit, quod suo primo peccato, prout erat peccatum capitis, privaverit naturam humanam justitia originali, et quod talis natura ad posteros per seminalem propagationem descendat : quia eo ipso descendet cum simili privatione, in qua tale peccatum eam relinquit. Neque hoc proprie est operari intra terminos rei spiritualis ; sed solum est impedire operationem, quam prædicta justitia ibi erat producenda, apponendo extra impedimentum cum ea ex natura rei impossibile : ut autem Adamus poneret tale impedimentum, non fuit necesse superaddi illi a Deo aliquas vires, sed solum quod gereret munus capitis moralis respectu posterorum, et pro illis supponeret : nam eo ipso quodvis peccatum ab eo sic commissum haberetur coram Deo tanquam peccatum omnium illorum, et omnes moraliter attingeret : atque adeo ex natura rei, quandiu non retractaretur, impediret in eis justitiam originalem, et causaret ejus privationem juxta ea, quæ disp. 14 a num. 93 explicuimus.

42. Ex quo etiam facile impugnabitur alia Tertia evasio. evasio, quæ ex doctrina perdocti cujusdam junioris posset nostræ rationi adhiberi : videlicet prædictam rationem sive prout in hoc, sive prout in præcedenti dubio expensa fuit, solum procedere de positivo, quod sit habitus, et qualitas physica, ac proinde prærequirit in causa efficiente virtutem, et continentiam physicam : non autem procedere de positivo solum morali, cujusmodi esse dicit illud, quod constituit originalem culpam : nam est tantum quædam moralis dissonantia ad legem, vel quædam moralis conversio ad bonum commutabile sicut ad finem ultimum, et a Deo aversio ; ad hujusmodi autem positivum morale sufficit ex parte principii virtus, et continentia similiter moralis ; qualis fuit in Adamo, qui ex quo constitutus fuit caput posterorum, moraliter continebat omnium eorum voluntates et peccata.

Facile itaque impugnabitur hæc evasio, accuratius



accuratius examinando quid sit, et quid re ipsa importet istud positivum, quod vocatur dissonantia, vel conversio moralis : aut enim importat aliquam formalitatem positivam, quæ sit vera realitas ante operationem, vel appretiationem alicujus intellectus efficiens et immutans intrinsece subjectum, et dans illi effectum a parte rei positivum : vel nullam dicit talem realitatem intrinsecam; sed aut quamdam moralem appretiationem, quæ solum ponit in subjecto denominationem extrinsecam provenientem ab actu intellectus ita appretiantis; quamvis pro fundamento dicat ipsam privationem originalis justitiæ : aut ipsum peccatum Adami, quatenus, dum non retrahitur a suis posteris, censetur moraliter pro ipsis permanere, et eos moraliter afficere. Præter hæc autem non videtur aliud excogitabile, quod in illo positivo morali importetur. Sed contra primum militat aperte nostra ratio, quæ bene attendit de omni positivo, quod sit vera, et intrinseca realitas, intentum convincit : sive illud appelletur physicum, sive morale, quod ad quæstionem de modo loquendi potius quam ad rem spectat. Pro omni enim tali positivo reali, et intrinseco efficiendo, necessario fuit addenda viribus Adami similis virtus positiva intrinseca, ratione cujus ipsum contineret, quam virtutem nequaquam illi conferebat moralis constitutio in esse capitis : debuitque talis additio fieri a solo Deo, utpote ordinata ad agendum intra terminos alterius rei spiritualis. Militat ergo directe nostra ratio contra hujusmodi positivum morale sic explicatum.

43. Secundum autem vel est pro nobis, vel non ad rem : siquidem totum illud positivum consistit penes extrinseca, sine eo quod in ipso subjecto, ubi est originale peccatum, re ipsa et intrinsece ponatur aliquid præter justitiæ originalis privationem. Cum autem peccatum originale intrinsece, et re ipsa debeat afficere prædictum subjectum, ut docet Tridentinum ses. 5, num. 3, plane habemus, non posse consistere in tali positivo, sed dumtaxat in prædicta privatione. Adde, positivum, de quo in præsentibus agitur, debere esse effectum peccati actualis Adami, et ab eo in nos per originem traductum : illa autem moralis appretiatio formaliter accepta non est effectus talis peccati, sed potius intellectus appretiantis, in cujus judicio consistit. Fundamentaliter vero secundum quam rationem habet esse effectus prædicti peccati, solum dicit privationem

originalis justitiæ : nihil ergo aliud præter hujusmodi privationem confert ad constitutionem originalis culpæ.

## § II.

*Ratio alia pro assertione.*

44. Aliunde etiam, magisque ab intrin- Doctrina pro secunda ratione. seco possumus assertionem probare, nimirum ex repugnantia effectus formalis prædicti positivi. Et quoniam ab aliquibus ponitur in voluntate, ab aliis vero in ipsa anima, aut in utraque simul: contra unumquemque dicendi modum singulas rationes adhibemus; quæ si conjungantur, intentum adæquate convincent. Ergo quod tale positivum in ipsa substantia animæ esse non possit, probatur animadvertendo, quod omnis habitus positivus vel est immediate in ordine ad *esse*, vel in ordine ad operationem : isti enim duo actus, videlicet *esse* et *operari* sunt fines, et specificativa omnium habituum, et formarum, quibus entia præsertim spiritualia afficiuntur. Ob hoc quippe pervenit unumquodque ad rerum naturam, ut ejus essentia *esse* actuali potiatur, et medio tali *esse* vires ad agendum, et operationes fundet : nam idcirco dicitur, unumquodque esse propter suam operationem. Unde seclusis prædictis actibus, scilicet *esse* et *agere*, non erit excogitabilis finis, cui forma illa, vel habitus positivus deserviat.

Deinde nota, contra rationem substantiæ N. Complut. creatæ esset, ut sit immediate operativa. Quod quia apud sectatores D. Thomæ est satis per se notum, supponendum potius est hic, quam probandum. Rationes vero ex Ang. Doctore expendunt accurate nostri Complutenses lib. 2 Physic. disp. 10, quæst. 4. Ex quibus ea ad præsens valde conducit : quia videlicet substantia instituta fuit propter *esse*, tanquam propter actum adæquatam, et finem primario ab ea inspectum : unde eo ipso non potest per se primo respicere operationem; quam tamen sic respicere debet omne, quod est principium immediatum operandi. Eo præsertim quia cum substantia, sit ens per se, et omnino absolutum, nequit respicere per se primo actum alterius prædicamenti, qualis est omnis operatio creata: at si esset immediate operativa, primario respiceret talem actum : sicut ob hanc rationem potentia operativa primario illum respicit: ergo, etc. Sed de hoc loco citato. Hinc vero fit, quod

sicut in voluntate, aliisque potentiis operativis, eo quod primario, et immediate sunt ad agendum, nullus habitus potest recipi, qui primario non respiciat *esse*, et determinet ad operandum : ita quia substantia animæ sicut et quælibet alia immediate, et primario est propter habendum *esse*, nullus habitus in ea recipi valet, qui non sit in ordine ad essendum, et pro hoc munere disponens.

Formatur ratio. 45. Hinc formatur sequens ratio. Nullus habitus de genere mali disponit, vel afficit animam in ordine ad *esse* : igitur nullus talis habitus potest immediate recipi in ejus substantia, aut præstare ibi suum effectum formalem. Repugnat ergo, peccatum originale, vel quodcumque aliud constitui per habitum positivum in prædicta substantia receptum. Utraque consequentia est nota, et antecedens probatur : nam vel talis habitus disponderet in ordine ad *esse* naturale, et proprium animæ : vel in ordine ad aliud diversum, superadditum ? Non primum, quia anima rationalis utpote æviterna, et incorruptibilis ita per se ipsam est conjuncta proprio *esse*, ut independenter a quavis accidentali dispositione nec possit ab eo separari, neque ei arctius uniri : ergo in ordine ad hunc effectum nullus habitus potest illi superaddi. Neque etiam potest dici secundum. Tum quia quodcumque *esse* animæ superadditur, in quantum tale exprimit perfectionem, et actualitatem : eo quod unumquodque est bonum in quantum est ens, tantumque habet de bonitate, quantum de entitate : ergo nequit habitus de genere mali, et exprimens malitiam constitui per se primo ad dandum tale *esse* : alias constitueretur non ad inficiendam animam, quod est munus peccati; sed potius ad eam perficiendam. Tum etiam quia *esse* non tribuitur nisi a forma habente rationem naturæ, ob idque pro unica natura nusquam assignatur nisi unicum *esse* : etsicut *esse* est primus actus rei, ita natura est primum, quod invenitur in re : sed habitus ille de genere mali non habet rationem naturæ ; imo naturæ contradicit, sicut contradicit peccatum, etc. Tum denique, quia *esse*, quod tribueret prædictus habitus, præcise esset ordinis naturalis : neque enim ad supernaturalem pertineret, ut est per se notum : cum ergo in ordine naturali anima per se ipsam jam supponatur *esse*, nequit ullum habitum recipere pro existendo in tali ordine.

Confirmatur ex D. Thoma quæst. 27 de

verit. art. 6, in corp. et ad l. Nam propterea gratia sanctificans potest recipi immediate in anima, et dare illi *esse* : quia cum sit prima forma ordinis supernaturalis, et deifici, habensque in eo rationem naturæ ex participatione divinæ, potest tribuere ipsi animæ, quod sit absolute in tali, ordine in quo non supponebat *esse* : e contra vero quia omnes aliæ perfectiones supernaturales supponunt per se loquendo ipsam gratiam, atque adeo naturam, et *esse* sui ordinis, nulla est, quæ immediate afficiat animam, aut per se constituatur ad dandum illi *esse* in quovis ordine : sed recipiuntur in potentiis operativis tanquam institutæ ad agendum : ergo cum habitus ille de genere mali neque sit natura per se, aut per participationem, neque in aliquo ordine, in quo anima non supponatur *esse*, non est quo pacto dicatur *esse* primario institutus ad dandum *esse*, adeoque recipiendus immediate in anima.

46. Dices, prædictum habitum non poni in anima, ut det *esse* in aliquo ordine, sed ut tribuat proprium effectum formalem : qui erit vel convertere ipsam animam ad bonum commutabile tanquam ad ultimum finem, sicut gratia convertit ad Deum, vel constituere illam pronam et inclinam ad peccandum, aut saltem habitualiter oppositam, et dissonantem legi, contra quam Adamus deliquit : vel eam reddere ægram, et infirmam : nam propterea peccatum originale *languor naturæ* dicitur. Hæc enim omnia, vel saltem aliquid eorum non est cur ab habitu illo de genere mali non possint provenire, et in anima immediate recipi.

Sed contra, nam omnes isti effectus vel non sunt immediate in anima; vel non important aliquid positivum, ut patebit discurrendo per singulos. Etenim converti ad bonum commutabile sicut ad finem ultimum non competit animæ immediate, sed mediante voluntate, cujus est objectum ipse finis : anima enim immediate per seipsam, non est respectiva alicujus objecti, vel termini extrinseci, neque ad aliquid extra suum *esse* dicitur habitudinem : sed hoc est proprium munus potentiarum : ergo subjectum immediatum prædictæ conversionis ad quemcumque finem ultimum non potest esse anima, sed voluntas. Ad hæc : vel est sermo de conversione actuali ad finem, vel de habituali ? Primam perspicuum est non afficere immediate animam, sed voluntatem : nam est ipse actualis amor, quo voluntas

Confir-  
matur e  
D. Thoma

Evasi

Impu-  
gnatu

luntas prosequitur talem finem. Secunda autem non est aliud, quam habitualis inclinatio ad eliciendum prædictum amorem, et ita necessario debet esse in ipsa potentia elicitive, scilicet in voluntate: non ergo propter prædictam conversionem ponendus est in anima aliquis habitus positivus. Similiter inclinatio illa, et pronitas ad peccandum, quæ ponitur in secundo effectum, quatenus potest importare aliquid positivum, non potest esse immediate in anima: quia inclinari aut pronum esse ad peccandum non est aliud nisi inclinari ad male agendum: inclinatio autem ad agendum sive bene, sive male non est nisi mediante potentia activa, ut ex se liquet.

47. Nec refert si dicas, totum hoc esse verum loquendo de conversione, et inclinatione proximis, et formalibus: hæ enim immediate afficiunt potentias, secus autem de radicalibus, et remotis: nam potius istæ debent immediate afficere animam, eo quod ipsa secundum suam substantiam est mediate, et radicaliter operativa: et ita respectu finis ultimi, qui est Deus, licet conversio, et inclinatio proxima, scilicet caritas, sit in voluntate: ponitur etiam in anima alia conversio, et inclinatio radicalis, quæ est gratia sanctificans. Quinimo in ipsa anima ponitur in ordine ad malum defectibilitas radicalis, quamvis defectibilitas proxima non sit nisi in voluntate, et in aliis potentiis. Dicitur ergo posset, quod sicut in hujusmodi potentiis recipiuntur habitus positivi de genere mali, ut earum proximam defectibilitatem augeant, vehementiusque ad deficiendum inclinent: ita habitus ille, quem adstruunt adversarii, erit in anima, ut prædictam defectibilitatem radicalem veluti augeat, et quasi deteriorem reddat.

Respondetur enim, hujusmodi effectum, qui est conversio, et inclinatio radicalis non posse esse munus primum alicujus formæ: quia esse tale radicaliter semper fundatur in aliquo, quod sit formaliter: sicut esse hoc vel illud virtualiter semper fundatur in aliquo, quod sit formaliter. Et propterea prius quam intelligamus in anima, quod sit radicaliter operativa, intelligimus esse aliud formaliter, scilicet substantiam, et potentiam ad esse substantiale: et similiter priusquam de gratia intelligamus esse radicem conversionis, aut inclinationis ad finem supernaturalem, intelligimus esse formaliter aliud, nempe participationem naturæ divinæ. Sic ergo ut habitus ille

de genere mali, quem impugnamus, esset radicaliter conversio, vel inclinatio ad aliquem actum, vel finem, per prius deberet in eo concipi aliquid aliud, quod esset formaliter, et cui radicitudo illa inniteretur: tale autem formale non est excogitabile præter illa, quæ impugnavimus: ergo, etc.

48. Quod autem dicitur de defectibilitate radicali existente in anima nullius momenti est: quia in hac defectibilitate non est hoc primum munus, sed aliquid, quod est formaliter: nempe *limitare, et finire* ipsam creaturam, aut constituere capacem manendi sub nihilo: et in hoc formali innitur illa ratio radicitudo. Unde hæc causalis est vera, *quia substantia creaturæ rationalis est formaliter limitata, et capax manendi sub nihilo, ideo est radicaliter defectibilis*. Cæterum respectu prædicti habitus non potest assignari aliquod munus, quod ei competat formaliter. Neque dici potest, quod hoc munus sit augere, vel deteriorem reddere ipsam defectibilitatem radicalem, quoniam hæc quantum ad intrinseca consistit in indivisibili: sicut ipsum *finire, et limitare* creaturam, quod est munus ejus formale. Unde sicut prædicta substantia per nullum habitum positivum reddi potest magis finita, et limitata; ita neque magis defectibilis radicaliter. Cum quo tamen stat, quod propter remotionem, vel appositionem alicujus impedimenti quasi extrinseci possit dici magis, vel minus ad peccandum propensa, et approximata, aut magis vel minus elongata, et remota, ut infra circa articulum primum quæstionis 85 declarabitur.

Adde, de ratione peccati originalis sicut, et cujuscumque alterius mortalis esse, ut reddat animam formaliter Deo inimicam, excludatque indispensabiliter ab ea gratiam: hoc autem non præstat defectibilitas radicalis quantumcumque aucta, sed potest in omni suo augmento cum gratia, et amicitia Dei permanere: sicut permanet defectibilitas proxima voluntatis, etiam ut aucta per habitus vitiosos: quæ sane defectibilitas proxima, plus habet de ratione mali, quam radicalis, sicut plus accedit ad peccatum. Nullus ergo habitus, cujus munus quantum ad formale præcise sit reddere animam radicaliter defectibilem; aut magis defectibilem, potest deservire ad constituendum originale peccatum. Eo vel maxime quia talis habitus, si ad id munus daretur, nequaquam exerceret illud per conceptum, quem importaret solum radicaliter, vel virtuali-

ter, sed magis per eum, quem formaliter exprimeret, sicut est de ratione cujuslibet constitutivi. Quare semel ostenso, prædictum habitum secundum conceptum formalem vel impossibilem, vel inutilem esse ad peccati constitutionem, præcluditur aditus ad omne radicale, vel virtuale.

Prosequitur  
impugnatio.

49. Tertium autem, quod dicitur in evasione de oppositione, vel dissonantia habituali ad legem, si admitteremus esse aliquid positivum, non posset poni immediate in anima: quia hæc non respicit legem *pro*, vel *contra*, nisi quatenus respicit objectum consonum, vel dissonum legi: respicere autem objectum non convenit animæ, nisi mediante potentia, cujus est tale objectum. Unde neque prædicta oppositio, aut dissonantia, si esset aliqua habitudo positiva, posset aliter quam mediante ipsa potentia animam tangere, aut ab ea exerceri. Diximus *si admitteremus*, etc. quia revera dissonantia, et oppositio habitualis ad legem, quæ ex peccato Adami debuit ad nos traduci, sicut et quæ per quodcumque peccatum mortale in peccante necessario relinquitur, non est aliud quam carentia gratiæ et virtutum infusarum, quibus anima ante peccatum erat in præparatione animi ad divina præcepta adimplenda. Et licet aliquando peccatum mortale relinquat habitum vitii inclinantem ad objectum ut dissonum legi; hujusmodi tamen habitus, præterquam quod non recipitur immediate in anima, nihil conducit ad præsens. Tum quia non semper peccatum illum causat; sed solum quando est actus valde intensus, aut repetitus: cum tamen dissonantia, de qua in præsentia, ex quovis peccato mortali quantumvis remisso debeat relinqui. Tum etiam quia prædictus habitus vitii potest, et sæpe permanet etiam post peccatum dimissum; post cujus tamen remissionem dissonantia illa et oppositio ad legem nullatenus manet.

50. Denique ultimus effectus, qui assignatur, et dicitur *languor naturæ*, nihil positivum ponit in anima. Imo neque ipsam per peccatum originale, aut per quodcumque aliud mortale tam dicitur languescere, vel infirmari, quam mori: inde quippe tale peccatum *mortale* dictum est, quia animam occidit: mors autem non dicit habitum positivum, sed vitæ privationem: et ita respectu animæ mors, et mortale peccatum nihil aliud importat nisi privationem gratiæ, per quam Deo vivebat. Dicitur autem peccatum originale *languor naturæ* ratione

ejus, quod de materiali affert, scilicet concupiscentiam, per quam ipsa natura etiam in ordine ad proprios actus bonos reddita est debilis et infirma. Et quamvis non negemus ipsam concupiscentiam pro materiali importare aliquid positivum; non tamen hujusmodi positivum ad præsens conducit: quia ut constabit dubio sequenti, neque est aliquid superadditum substantiæ animæ, aut entitati suarum potentiarum, neque ex peccato Adami per se ortum duxit, sed esset omnino idem positivum in pura natura: neque proinde ad peccatum originale nisi materialissime spectare potest.

### § III.

#### *Enodatur duplex objectio.*

51. Sed objicies primo: quod in corpore præter habitus, et formas respicientes operationem, quæ sunt in ejus potentiis, ponitur aliqua prava dispositio positiva male afficiens ipsum corpus in ordine ad *esse*, a qua et non solum a privatione sanitatis redditur ægrum, et infirmum: cur ergo in anima recipi nequibit similis prava dispositio in ordine ad *esse*, per quam ægra, et infirma constituatur.

Respondetur, in promptu esse disparitatem: corpus enim non est per se conjunctum cum suo *esse*, sed illud recipit ab anima, cui amissibiliter unitur; neque fit, aut permanet talis unio, nisi adsint ex parte materiæ congruæ dispositiones pro receptione, et conservatione talis animæ: ipsa vero materia, cum nulla forma satietur, etiam quando est sub una, puta sub anima rationali, et dispositionibus illius, admittit dispositiones contrarias tendentes ad aliam formam; et sicut ratione illarum disponitur ad habendam prædictam animam, et ejus *esse*: ita ratione istarum indisponitur, et tendit ad ejus amissionem. Et hoc est languescere, et infirmari, esseque in via ad interitum, et corruptionem compositi. Cæterum anima rationalis independenter a quavis dispositione per seipsam est inseparabiliter conjuncta cum suo *esse*: et ideo neque eget ad habendum, et conservandum illud prædicta dispositione: neque est capax alicujus dispositionis contrariæ, quæ sit via ad illud amittendum, possitque hæc ratione dici *languor*, vel *infirmitas animæ*.

52. Nec refert si urgeas: quia saltem cum *esse* supernaturali, quod tribuit gratia, non est anima necessario unita, sed ita accidentaliter,

accidentaliter, et amissibiliter sicut corpus animæ: ergo sicut dantur habitus de genere boni disponentes animam convenienter ad tale *esse*: poterit etiam dari aliquis habitus contrarius de genere mali prave efficiens, et indisponens in ordine ad amissionem talis *esse*: atque adeo qui in ipsa anima, ubi est prædictum *esse*, immediate recipiatur.

Enodatur. Respondetur namque negando consequentiam quoad ultimam partem: potius enim ex antecedentibus deberet inferri, prædictum habitum de genere mali, si admittatur, non recipi immediate in anima, sed in potentiis, ubi sunt dispositiones ad gratiam. Nam hujusmodi dispositiones non sunt aliæ, quam virtutes per se infusæ, quæ cum sint habitus operativi respicientes sua objecta, necessario debent recipi in potentiis immediate operativis. Secundo respondetur negando eandem consequentiam etiam quoad primam partem. Quia non bene infertur ex eo quod ad *esse* gratiæ requiratur aliqua dispositio positiva in anima, vel in potentiis, debere in ejus amissione concurrere contrariam positivam indispositionem. Et ratio est: quia in infusione gratiæ propterea requiritur dispositio positiva, quia tunc subjectum transit ad novum *esse*, cui non est per se unitum, utque illi convenienter aptetur, indiget prædicta dispositione: in amissione vero gratiæ anima non accipit aliquod *esse*, sed potius amittit, et ita nulla eget dispositione; sed sufficit adesse causam destructivam gratiæ, quæ est ipsum peccatum actuale. Quod si in desitione compositi substantialis semper adsunt dispositiones contrariæ, ideo est quia semper materia transit ad novum *esse* substantiale: non enim potest esse corruptio unius sine generatione alterius, pro quo potius quam pro præcedentis destructione prædictæ dispositiones requiruntur. Per quod manet soluta alia replica, quæ reticetur.

Secunda obiectio et difficultior. 53. Secundo et gravius adversus nostram rationem objicies: quod in statu justitiæ originalis erat aliqua forma perficiens immediate animam a gratia sanctificante distincta; sed talis forma neque habebat rationem naturæ, neque ordinabatur primario ad dandum *esse*: ergo ratio excludens omnes alias formas, et habitus a substantia animæ non potest esse efficax. Minor constat: non enim apparet quænam alia forma possit habere rationem naturæ ordinarique primario *ad esse*, nisi vel ipsa substantialis in ordine naturali, vel gratia sanctificans

in supernaturali. Major vero probatur: quoniam justitia originalis aliquam perfectionem ponebat in anima: non enim posset corpus ita perficere reddens illud impassibile, aut rectificaret potentias subordinando appetitivas rationi, qui erat effectus prædictæ justitiæ, nisi communicando animæ perfectionem, quæ esset radix talis impassibilitatis in corpore, et rectitudinis in potentiis. Quemadmodum in hoc nostro statu gratia sanctificans non perficit potentias ad supernaturaliter operandum, communicando eis virtutes infusas, nisi simul communicet animæ suam primariam perfectionem, quæ sit radix ipsarum virtutum.

Dices, justitiam originalem ponere quidem perfectionem in anima, non tamen distinctam a gratia justificante: nam hæc ipsa gratia ibi existens erat pars principalis talis justitiæ, et radix cæterarum perfectionum, quibus potentiæ rectificabantur, et corpus constituebatur impassibile. Ipsa itaque gratia, et nullus alius habitus erat forma, per quam immediate animam perficiebat. Solutio.

54. Sed contra hanc solutionem plura Impugnatur Bannez. opponit Bannez 1 p. quæst. 95, art. 1, dub. 2, existimans justitiam originalem fuisse habitum realiter, et entitative a gratia distinctum existentem simul cum illa immediate in anima. Quod etiam tuetur Palat. in 2, dist. 31, disp. unica, nec vidimus alium expresse id affirmantem, etiam ex non paucis, quos Bannez pro se adducit, qui prædictam sententiam his sibi persuadet. Nam juxta doctrinam D. Thomæ 1 p. quæst. 100, D. Thom. art. 1 ad 2, gratia est radix originalis justitiæ: ergo sunt distincti habitus, idem enim non potest esse radix sui ipsius. Deinde quæst. 109 hujus 1, 2, art. 3 et 4, docet S. Doctor, hominem in statu naturæ integræ non indiguisse dono gratiæ superaddito bonis naturalibus ad diligendum Deum super omnia naturali dilectione; bene tamen ad diligendum ex charitate, ergo sentit, ipsam gratiam esse habitum distinctum, et superadditum integritati originalis justitiæ. Item quæst. 5 de mal. art. 11 ad 13, inquit, quod licet justitia originalis non includeret gratiam gratum facientem; erat tamen quædam dispositio, quæ præexigebatur ad ipsam gratiam: ergo distinguebatur ab illa.

Arguit præterea. Non potest esse idem habitus, qui respicit per se primo naturam, et qui respicit per se primo personam: sed

justitia originalis respiciebat primario naturam; gratia vero personam: ergo, etc. Rursus originalis justitia perficiebat, et rectificabat hominem in ordine ad finem naturalem; gratia vero in ordine ad supernaturalem: erant ergo habitus distincti. Tandem: Adamus per pœnitentiam recuperavit gratiam gratum facientem, non autem recuperavit originalem justitiam: ergo non erant idem habitus. Hæc ex Bannez.

35. Cujus doctrina potest confirmari ex D. Thoma in 2, dist. 20, quæst. 2, art. 3, et ad Anibal. ibidem art. 4, ubi distinguit in Adamo duplicem perfectionem a Deo sibi concessam: aliam naturalem, quæ erat justitia originalis: et aliam gratuitam, quæ erat principium meriti: et de prima concedit, quod esset traducenda per generationem, et quod filii statim atque geniti fuissent, illam consequerentur. Quod totum vel negat, vel non ita expresse concedit de secunda. Imo referens opinionem illorum, qui senserunt, Adamum non fuisse creatum in gratia, sed cum sola justitia naturali, non eam improbat; sed potius ait non posse efficaci ratione contrarium ostendi. Sentit ergo, prædictas perfectiones fuisse aliquando separatas, vel saltem separabiles esse: atque adeo omnino distinctas.

Deinde confirmatur: quia perfectiones illæ, quibus originalis justitia perficiebat corpus, subjiciendo illud animæ, et partem sensitivam, subordinando eam rationi, quamvis absolute essent supra naturam hominis, non tamen transcendebant totum ordinem naturalem: sed solum intra hunc ordinem illam integrabant, et perficiebant: ergo radix talium perfectionum, quæ erat ipsa justitia prout residens in anima, debebat esse ejusdem ordinis: atque adeo distincta a gratia, quæ omnino est ordinis supernaturalis.

Confirmatur tertio: nam quicquid sit de statu, in quo Deus de facto hominem condidit, non est dubium potuisse creare illum perfectum, et integrum integritate solius ordinis naturalis, ita ut per sola dona hujus ordinis, quamvis ipsi homini non debita, corpus efficeretur incorruptibile, et appetitus plene subditus rationi, ipsaque ratio Deo ut fini naturali perfecte adhæreret: hic quippe est status, quem Theologi appellant *naturæ integræ*, distinctum ab aliis quatuor, videlicet *naturæ puræ*, *justitiæ originalis*, *naturæ lapsæ*, et *naturæ reparatæ*, de quibus agitur in materia de gratia: sed in prædicto statu illa perfectio, quæ imme-

diatè afficeret animam, quæque esset radix cæterarum redundantium in corpus et potentias, non esset gratia sanctificans, sed aliquis habitus ordinis naturalis: igitur possibilis est talis habitus immediate in anima receptus.

56. Verum his non obstantibus, tenenda est solutio inter objiciendum data: videlicet perfectionem, quam justitia originalis ponebat in anima, non esse aliquam formam specificam, vel entitative a gratia justificante distinctam; sed ipsummet habitum gratiæ cum speciali illo modo informationis, et dominii, quem diximus num. 7 et 8. Et hanc esse propriam D. Thomæ sententiam constat ex 1, quæst. 95, art. 1, ubi ex eo probat, primum hominem fuisse creatum in gratia, quia creatus fuit cum subjectione mentis ad Deum, ex qua erat subjectio corporis ad animam, et virium sensitivarum ad rationem; ipsa vero subjectio mentis ad Deum erat per gratiam: fuit ergo conditus in gratia, etc. Hæc autem ratio nullam vim habebit, si perfectio rectificans in ordine ad Deum fuisset aliquis habitus a gratia distinctus, ut intuenti patebit. Idem docet quæst. 100, art. 1 ad 2, ubi sententiam aliquorum, qui dicebant pueros in illo statu nascituros cum justitia originali, non tamen cum gratia, ita impugnat: *Sed cum radix originalis justitiæ, in cujus rectitudine factus est homo, consistat in subjectione supernaturali rationis ad Deum, quæ est per gratiam gratum facientem, ut supra dictum est, necesse est dicere, quod si pueri nati fuissent in originali justitia, quod etiam nati fuissent cum gratia, etc.* En quomodo in illa subjectione mentis ad Deum, quæ pertinet ad animam, ut esset radix cæterarum perfectionum non agnoscit D. Thom. aliam formam, per quam fieret, nisi gratiam. Videatur quæst. 5 de mal. art. 1 ad 1, ubi rejicit inter falsas opinionem asserentem justitiam originalem non includere gratiam gratum facientem tanquam partem sui primordiale, et præcipuam, fundamentumque, et radicem reliquarum perfectionum procedentium in corpus, et potentias, idque alibi non semel apud S. Doctorem offendes. Quem sequuntur Durandus in 2, dist. 20, quæst. 5, Capreolus dist. 29, et Hispal. dist. 30, Soto lib. 1 de natura et gratia cap. 5, Ferrara 4, contra Gent. cap. 52, Medina in præsentī quæst. 83, art. 2, Puteanus quæst. 82, art. 3, dub. 3, Vasq. disp. 132, num. 32, Molina tom. 2 in 1 p. disp. 27, Valentia 1 p. quæst. 2, de anima hominis

Alia impugnationes. D. Thom.

Defentur tridita solutio.

D. Tho.

Dura Capreolus Soto Ferrar Med Puteanus Vasq. Molina Val.

hominis in statu innocentiae punct. 2 et plures alii.

Duplex  
ceptio  
originalis  
justitiae.

57. Ut autem objectis contra praedictam solutionem occurramus, animadvertendum est cum Durando loco citato, justitiam originalem posse sumi dupliciter: vel adaequate ut includebat totam eam perfectionem, quae naturae humanae pro ipsa natura in Adamo collata, est, et cum qua nascerentur ejus posteri si status innocentiae permansisset. Et hoc modo non dicit unam qualitatem, vel habitum; sed plures perficientes omnes partes hominis, corpus, potentias, et animam tam in ordine ad naturalem finem, quam in ordine ad supernaturalem, et habentes inter se prioritatem, et posterioritatem, secundum quam una erat veluti fundamentum, et radix; caeterae vero quasi rami ex ipsa pullulabant. Et sicut in arbore tam radix, quam rami sunt partes integrales ejus, nullumque extra ipsam, neque ab ea differens, nisi sicut inclusum et includens: sic in praedicta justitia omnes illae perfectiones habebant se ut partes, ex quibus integrabatur, nullaque erat extra ipsam, neque ab ea distincta majori distinctione, quam includentis, et inclusi. Secundo potest sumi inadaequate pro illis dumtaxat perfectionibus, quibus intra naturalem ordinem rectificabatur, praescindendo ab illis, quibus rectificabatur in supernaturali.

Prima istarum acceptionum utitur multoties D. Thom. praesertim in posterioribus scriptis primae partis, et hujus primae secundae, ut observanti patebit. Et juxta eam dicemus nos justitiam originalem distinguere a gratia sola distinctione includentis, et inclusi: quia includebat ipsam gratiam tanquam partem sui primariam, et praecipuam existentem in anima, et superaddebat alias perfectiones redundantes in corpus, et potentias. Secunda vero magis in usu fuit antiquis, qui frequenter distinguunt justitiam originalem primi hominis a justitia gratuita, idemque saepe accidit Divo Thomae in scriptis tam communibus, quam ad Anibal. super sententias, quae junior dictavit. Secundum quam acceptionem fatebimur inter praedictam justitiam, et gratiam distinctionem excludentis, et exclusi, sicut est inter partes ejusdem totius. Ex quo tamen non sequitur fuisse in anima habitus distinctos, aut alium praeter gratiam: sed solum quod ipsa gratia residens in anima non erat tota justitia originalis, sed quaedam pars ejus primo modo acceptae; vel comparata ejusdem acceptae secundo modo.

58. Ex his ergo ad primum, quod ex D. <sup>Occursus ad testimonia D. Thom.</sup> Thoma opponeretur, respondetur, recte gratiam dici *radicem justitiae originalis*, quia est prima ejus pars, et origo caeterarum: sicut anima ubi residet, est principium, et origo potentiarum. Hinc tamen non fit, vel gratiam condistingui a tota praedicta justitia adaequate sumpta: sed potius includi in ea: sicut radix, quae est prima pars arboris, includitur in tota arbore: vel quod justitia ponat aliud in anima praeter ipsam gratiam, quam ut primam sui partem includit. Imo si justitia sumatur in secunda acceptione, erit inter eas distinctio excludentis, et exclusi: sicut est inter radicem arboris, et alias partes ejus: tuncque non dicemus justitiam originalem, vel aliquam partem ipsius sedem habuisse in anima, sed dumtaxat in corpore, et potentiis, animam vero perfici per aliquid condistinctum a praedicta justitia sic accepta, videlicet per gratiam.

Ad secundum respondetur, ex illo loco nequaquam haberi, quod justitia originalis omnino excludat gratiam, aut quod haec sit aliquid superadditum illi adaequate acceptae: sed solum habetur, quod posita justitia originali cum sua gratia, natura per proprias vires, absque indigentia utendi viribus ipsius gratiae, vel justitiae potuerit elicere dilectionem Dei naturalem; cum tamen ad supernaturalem eliciendam necessario uti deberet ipsa gratia. Ex quo nihil contra nos, ut intuenti patebit.

Tertius locus probat nostram sententiam, nam ita habet: *Dicendum, quod ratio illa procedit secundum opinionem ponentium, quod gratia gratum faciens non includatur in ratione originalis justitiae: quod tamen credo esse falsum: quia cum originalis justitia primordialiter consistat in subjectione humanae mentis ad Deum, quae firma esse non potest nisi per gratiam, originalis justitia sine gratia esse non poterit. Sed tamen praedicta opinione supposita, adhuc ratio non concludit, etc.* En quomodo opinio asserens gratiam non includi in justitia originali, sed esse habitum ab ea distinctum, reprobatur hic a D. Thoma, et solum tanquam falsa ab eo admittitur ad intentum argumenti.

59. Ad primum ex ratione potest negari <sup>Occursus ad primam rationem.</sup> major: nam hoc, quod est respicere primario naturam, vel personam, non distinguit, vel multiplicat habitus: quippe quod solum provenit ex extrinseca ordinatione Dei, et non ex ipsorum habituum natura. Et potest etiam negari minor:

quia in statu innocentiae non minus gratia, quam justitia originalis respiciebat naturam primario, eo quod utraque collata fuit ut donum naturae pro se tota concessum. Modo vero licet sit specificè eadem gratia, respicit primario personam, quia unicuique datur pro se dumtaxat, et nulli pro tota natura. Videatur D. Thom. in 2, art. 3 in corp. Ibidemque ad Anibal. ubi ostendit, quomodo sit distinctio omnino accidentaria, quod aliquis habitus, v. g. scientia, conferatur ut donum naturae, vel ut beneficium personale.

Ad secundam. Ad secundum dicas, quod etiam originalis justitia sumpta in prima acceptione rectificabat in ordine ad finem supernaturalem: et includebat gratiam.

Ad ultimam. Ad ultimum respondetur ex D. Thoma in 2, dist. 32, quaest. 1 ad 1, Adamo per poenitentiam, sicut et nobis per baptismum, restitui justitiam originalem quantum ad suum primarium, et formaliozem effectum, qui erat sanctificare animam, et rectificare voluntatem et hic est proprius gratiae effectus. Ex quo potius sequitur, gratiam includi in praedicta justitia ut partem ejus principalem, et primariam. Non tamen absolute concedendum est, quod per baptismum, vel poenitentiam restituatur justitia originalis; quia hoc nomen absolute prolatum denotat vel ipsam justitiam adaequate acceptam, vel illam ejus partem, quae corpus animae, et appetitum rationi plene subordinabat, ut jam explicuimus.

Ad primam confirmationem. Ad primam confirmationem respondetur D. Thomam in illis prioribus scriptis non ita expresse rejecisse sententiam distinguentem justitiam originalem a gratia distinctione excludentis, et exclusi, sicut fecit postea locis a nobis citatis: vel quia nondum habebat rem omnino examinatum, vel quia communicando in vocabulis usui illius temporis, accepit praedictam justitiam in secunda acceptione, quam diximus. Et ideo vera S. Doctoris sententia, et legitimus modus loquendi ex posterioribus scriptis accipienda sunt. Nec propterea concedimus, tenuisse aliquando D. Thomam, quod intendit Bannez, videlicet justitiam originalem ponere in anima habitum a gratia distinctum. Nam quando loquitur de justitia originali ut excludente gratiam, sicut in primis scriptis, non insinuat, eam ponere aliquem habitum in anima; quando vero id docet sicut in posterioribus, loquitur de illa prout includente ipsam gratiam, ut constabit intuenti.

60. Ad secundam dicas, justitiam originalem praestitisse homini perfectiones utriusque ordinis naturalis, et supernaturalis. Nam tribuebat corpori impassibilitatem, quae non transcendit ordinem naturae, ut diximus num. 9; tribuebat etiam omnes habitus virtutum supernaturalium, et per se infusarum, quae a gratia in quovis statu dimanant. An vero conferret habitus virtutum naturalium, quos nos labore acquirimus, ita ut pueri cum omnibus praedictis nascerentur, non est ita exploratum. Sed partem affirmativam credimus esse D. Thomae 1 p. quaest. 95, art. 3 et quaest. 101, art. 1 ad 3. Et clarius quaest. 18 de verit. art. 7, ubi cum dixisset pueros in statu innocentiae non nascituros cum omnibus scientiis, sed eas tempore, quamvis longe facilius, et brevius, quam nos, acquiruturos, subdit: *Sed tamen aliquam scientiam in eis ponere perfectam oportet, scilicet eligendorum, et vitandorum scientiam, quae ad prudentiam pertinet: quia sine prudentia ceterae virtutes esse non possunt, ut probatur 6 Ethic. quas utique oportebat pueros habere propter originalem justitiam, etc.* Idem dicit in solut. ad 2. Videatur etiam ad 7, nec non quaest. 4 de malo art. 2 ad 12, ubi satis constabit sermonem esse de scientia, et prudentia naturalibus; atque adeo et de virtutibus naturalis ordinis.

Si autem inquiras, an praeter praedictas virtutes tam naturales, quam infusas fuissent in potentiis alii habitus ad plene subijciendas sensitivas rationi, et rationales Deo? Respondendum est negative, ut sumitur ex D. Thom. 1 p. quaest. 95, citato art. 3, ubi docet, praedictam subjectionem fuisse effectum ipsarum virtutum: atque adeo superflue ad id ponerentur alii habitus. Eo praesertim quia, ut recte vidit D. Thom. quaest. 27 de verit. art. 6, cum potentia sit per se primo ad agendum, habitus eam perficiens necessario debet esse habitus operativus: hic autem, quoties est in ordine ad bonum perfecte attingendum, non distinguitur a virtute: igitur vel praedicta subordinatio non fieret per habitum, vel fieret per ipsas virtutes. Verum est tamen, quod virtutes illius status, licet entitative, et substantialiter essent ejusdem speciei cum nostris, haberent tamen quemdam peculiarem modum dominandi appetitui ita plene, et efficaciter, ut nullus quantumvis levissimus in eo motus praeter ordinem rationis insurgeret. Essetque praedictus modus in virtutibus naturalibus naturalis



naturalis ordinis et in per se infusis supernaturalis.

61. Hoc supposito, ad prædictam secundam confirmationem neganda est consequentia. Nam sicut in beatis dotes corporis, licet sint entitative naturales, non postulant pro radice in anima aliquem habitum naturalis ordinis; sed sufficienter eas inferunt gratia consummata, et visio beatissima, ut explicuimus in tract. de Beatitud. disp. 5, a num. 41, ita gratia status innocentiae poterat esse radix prædictarum virtutum, et perfectionum naturalium. Quamvis enim perfectio ordinis superioris nequeat in re inferioris ordinis contineri, et ab ea oriri: bene tamen e contra, ut explicuimus loco citato num. 48. Advertendum est tamen, gratiam status innocentiae non habuisse, quod esset radix illarum perfectionum præcise ex vi suæ essentiae, sed adjuncto illo modo dominii in animam, et corpus, quem explicuimus num. 7.

Ad ultimam confirmationem admissa majori, et etiam minori quoad primam partem, neganda est quoad secundam, dicendumque animam in eo statu sine aliquo habitu sibi superaddito ratione perfectioris cujusdam modi informandi corpus, et illi dominandi, quem haberet, fore radicem illarum perfectionum, quibus ipsum corpus redderetur impassibile, et appetitus sensitivus rationi subderetur: et eo ipso voluntas sine habitu superaddito per suam naturalem inclinationem conformaretur Deo tanquam fini hujus ordinis: quia sedato plene prædicto appetitu, nihil esset, quod eam a bono honesto naturali distraheret. Ut autem prædictus modus informationis, et dominii supra corpus esset in anima, concurrebat in genere causæ materialis illa eadem perfectio, seu impassibilitas, quæ redundabat in corpus: quatenus hoc melius dispositum perfectius ab anima informaretur: et ipsa anima cum hac perfectiori informatione erat in genere causæ efficientis, vel quasi efficientis principium talis impassibilitatis. Quid autem importet prædictus modus informationis, et dominii animæ supra corpus, explicuimus loco cit. de Beatitud. præsertim a num. 32, ubi aliquas objectiones solvimus: debentque omnino videri, quæ ibi dicta sunt.

## § IV.

*Ultima assertionis ratio.*

62. Sicut præcedens ratio excludit habitum, de quo quærimus, ab essentia animæ, ex repugnantia effectus formalis in illa: ita hæc posterior ex simili repugnantia excludit ipsum a voluntate. Effectus autem, quem auctores ponentes ibi talem habitum ei assignant, est convertere ipsam voluntatem ad bonum commutabile, sicut ad finem ultimum: hoc quippe est præcipuum illorum argumentum ad adstruendum habitum positivum, quod intelligere nequeant, voluntatem aversam esse a Deo fine ultimo, sicut est per peccatum; nisi simul intelligatur conversa ad oppositum finem, scilicet bonum commutabile; neque istam conversionem, in qua dicunt peccatum habituale consistere, sine prædicto habitu. Et quoniam hæc, et aliæ rationes, quæ pro contraria sententia adduci possunt, eandem, vel majorem vim habent in peccato habituali personali, atque in originali, conabimur ostendere, neque etiam pro personali esse prædictum habitum in voluntate constituendum, ut eo ipso a fortiori convictum maneat non esse ponendum pro originali: si enim Adamus in sua propria voluntate non produxit talem habitum, quando deliquit, neque producunt alii peccatores, non est cur ab ipso Adamo produci debeat in voluntate parvulorum: in quibus non plura requirenda sunt pro constituendo originali peccato, quam in eodem Adamo, et in reliquis pro constituendo habituali personali, ut est per se notum.

Ratio autem, quæ universalis est pro omnibus, proposita jam a nobis fuit in tract. de ul. fine disp. 4, dub. 2, et modo sic formatur. Habitus convertens voluntatem ut ad finem ultimum, debet esse omnino superior ad ipsam voluntatem: sed nullus habitus de genere mali potest esse ita superior: ergo nullus talis habitus constituere potest prædictam conversionem: atque adeo neque peccatum habituale sive personale, sive originale in voluntate existens. Consequentia quoad utramque partem est legitima: major vero probatur. Quia ut prædictus habitus convertat voluntatem sicut ad finem ultimum, debet illam secundum omnes inclinationes, et affectus sibi subjicere, mediaque hac subjectione subordinare eam adæquate tali fini: neque enim ratio ultimi finis salvari queit sine

Tertia  
ratio  
principalis.

toto hac subordinatione; neque ipsa subordinatione aliter fieri, quam per formam voluntatem ita subjicientem, et convertentem: sed habitus, qui non sit voluntate superior, non potest illam prædicto modo subicere: subjectio enim præsertim adeo totalis, et adæquata non fit, nisi a potentiori, et valentiori: ergo, etc. Minor autem ex eo liquet: quia prædictus habitus eo ipso quod sit de genere mali, debet produci virtute, et actibus voluntatis, quæ peccat, quæque per illum dicitur converti: debetque ad eam comparari sicut effectus æquivocus, de cujus ratione est, ut suam causam non adæquet: neque excogitabitur illa causa sive creata, sive increata præter prædictam voluntatem, a qua possit oriri: debet ergo talis habitus omnino esse minoris et inferioris virtutis, quam ipsa voluntas: sicut omnis effectus æquivocus est inferior sua causa; atque adeo debet potius illi subordinari, quam eam sibi subicere.

63. Confirmatur: nam idcirco habitus charitatis potest convertere nostram voluntatem ad Deum sicut ad finem ultimum, quia cum non sit ejus effectus, neque virtute, aut actibus ejus acquisitus, sed participatio voluntatis divinæ, et a Deo infusus, habet esse omnino superior ipsa voluntate, quam convertit, hæcque ratione potest eam sibi, et prædicto fini adæquate subicere: cum ergo habitui malo præstantia hæc, et superioritas respectu voluntatis peccantis nullo ex capite possit accidere, non est quo pacto eam plene sibi subiciat, ut ad suum terminum tanquam ad finem ultimum convertat.

Confirmatur secundo. Ita comparatur habitus ad potentiam quantum ad inferioritatem, vel superioritatem, sicut objectum habitus ad objectum potentiæ: commensurantur enim tam habitus, quam potentia cum suis objectis: sed objectum cujuscumque habitus viribus voluntatis acquisiti est omnino inferius objecto ipsius voluntatis, comparaturque ad illud sicut pars ad totum, vel sicut particulare ad universale, sub quo continetur: ergo, etc. Minor suadet: nam objectum cujuscumque habitus viribus voluntatis acquisiti semper est bonum particulare hoc, vel illud; objectum autem voluntatis est bonum in tota sua latitudine, sub quo omnia bona clauduntur; et propterea habitus dicitur *determinatio potentiæ*, quia potentiam ex se respicientem universale, et commune determinat ad particulare, quod respicit ipse habitus.

64. Sed est contra hanc rationem non le-

vis objectio. Quia omnes fateri tenemur, peccatorem saltem adultum, quandiu in peccato mortali est, habere pro ultimo fine bonum commutabile, atque adeo voluntatem habitualiter ad illum conversam: sed hæc conversio fieri nequit nisi per habitum positivum de genere mali: ergo concedendus est talis habitus. Probatur minor (major enim est communis modus loquendi Theologorum) nam talis conversio ex ipso nomine importat, et exprimit positivum, sicut aversio privationem: ex eo autem quod est ad bonum commutabile tanquam ad finem ultimum, atque adeo perversa, et peccaminosa, debet fieri per aliquid de genere mali: cumque sit conversio habitualis, oportet, ut positivum, per quod fit, habeat rationem mali habitus.

Et confirmatur: quoniam in voluntate peccatoris nihil aliud excogitari potest pro constituenda prædicta conversione, nisi vel ipsa voluntatis natura, vel privatio habitus charitatis, per quem erat antea in Deum conversa, vel aliquis habitus positivus de genere mali: sed non constituitur per primum: natura enim voluntatis eadem est sub gratia, et sub peccato, et sub conversione ad Deum, et ad commutabile bonum: et ita nequit per se ipsam ullam ex his conversionibus constituere. Neque per secundum: quia conversio, ut dicebamus, ex ipso nomine importat positivum, ac proinde constitui nequit per solam privationem: ergo dicendum est tertium, videlicet constitui per habitum positivum de genere mali.

65. Hæc objectio postulat, ut explicemus, quid sit finis ultimus, ad quem peccator est habitualiter conversus? Indeque innotescet, quæ sit propria forma, constitutiva talis conversionis? manebitque objectio soluta. Pro quo recolenda sunt, quæ diximus in tract. de ult. fine disp. 4, dub. 2 et 3, ubi rem late discussimus. Juxta ibidem ergo dicta finis ultimus peccatoris non est aliquid secundum se inordinatum, sed proprium ipsius bonum sub hac ratione boni proprii sine ulla alia restrictione, connotando tamen privationem gratiæ, et charitatis, per quam privationem excludit subordinationem ad bonum divinum secundum se. Unde sub prædicto fine comprehenditur quodcumque bonum particulare potest ab ipso peccatore appeti propter se, et propter perficiendum proprium suppositum: sive illud sit verum bonum, sive apparens: delectabile, aut honestum, etc. a quibus omnibus ipsa

Gravis objectio.

Confirmatio.

Confirmatio.

Confirmatio alia.

Doctrina pro solutione.

ipsa ratio boni proprii tanquam superior abstrahit. Quod adeo verum est, ut licet peccator expresse vellet constituere suum finem ultimum in aliquo bono particulari, v. g. in objecto sui actus peccaminosi; non ideo tale bonum etiam respectu illius actus haberet rationem finis ultimi simpliciter: sed amaretur ut pars ipsius proprii boni, atque adeo propter ipsum tanquam propter magis ultimum: connotatio autem privationis gratiæ, et charitatis propterea conjungenda est bono proprio ad constituendum prædictum finem, quia de ratione finis simpliciter ultimi est irreferibilitas ad alium, quam non importat bonum proprium secundum se, et in ea abstractione, quam diximus: ut sic namque referibile est, et de facto a justis refertur ad bonum divinum, quod est eorum finis: connotata vero prædicta privatione, impeditur ea referibilitas: et sic manet ipsum bonum proprium tanquam omnino ultimum respectu voluntatis peccatoris, quandiu peccator est, seu quandiu in eo est talis privatio.

66. Hinc autem fit, voluntatem peccatoris non respicere prædictum finem, neque converti ad illum per aliquem habitum sibi superadditum, sed per suam essentiam, et innatam inclinationem cum connotatione prædicta: quia ad rationem communem boni proprii voluntas per seipsam est sufficienter determinata, sicut quælibet alia potentia ad communem rationem sui objecti: et ita neque indiget habitu determinante, seu inclinante erga tale bonum, neque est capax illius: ipsa quippe inclinatio essentialis præstat eminentius quicquid præstare posset habitus. De quo plura diximus loco cit. in tract. de virtutibus disp. 2, dub. 3. Fit etiam, voluntatem per prædictam inclinationem secundum se præcise sumptam respicere quidem bonum proprium secundum se, et sub ratione finis ultimi quodam modo, hoc est, præcise in ordine creato, et respectu voluntatis ut appetentis ex inclinatione propriæ naturæ; non autem respicere illud ut ultimum simpliciter: quia tale bonum secundum se non est ita ultimum, quin possit ad bonum increatum, et divinum tanquam ad magis ultimum referri: sicut de facto refertur a justis per habitum charitatis. Sed quia prout est in peccatore, habet annexam privationem gratiæ, et charitatis, et hæc privatio impedit relationem ad ipsum bonum divinum, inde evenit, et quod bonum proprium per talem privationem fiat ulterius irreferibile, atque adeo

omnino ultimum: et quod inclinatio voluntatis peccatoris in tali bono ut in sic ultimo, et irreferibili sistat, non præcise ex vi sua, sed ratione prædictæ privationis, quæ prohibet, ne talis inclinatio ulterius ascendat.

Diximus, inclinationem voluntatis secundum se respicere bonum proprium sub ratione finis ultimi quodam modo, etc. quia licet voluntas per charitatem ulterius ascendat, et omnia referat ad bonum divinum; ipsa tamen ut appetens, et tendens præcise ex inclinatione propriæ naturæ satiatur in prædicto bono proprio, neque ex vi illius potest extra hujusmodi bonum aliquid appetere. Unde respectu voluntatis præcise prout ex hac inclinatione appetentis potest dici satiativum, et consequenter finis ultimus in ordine creato: quod est esse ultimum secundum quid, conservando indifferentiam, ut vel fiat simpliciter ultimus per privationem gratiæ excludentem relationem ad finem supernaturalem; vel fiat positive intermedius per hanc relationem.

67. Ex his habetur solutio objectionis. Solutio objectionis. Ad quam admittimus majorem, ita ut per bonum commutabile intelligatur non aliquod bonum particulare, aut aliquod bonum secundum se inordinatum; sed bonum proprium peccatoris in tota sua latitudine. Neganda vero est minor. Et ad probationem dicendum, conversionem peccatoris ad prædictum finem importare positivum simul cum privatione: quia importat inclinationem essentialem voluntatis, per quam ipsa est habitualiter conversa ad proprium bonum secundum se, et privationem gratiæ, per quam tale bonum redditur irreferibile ad divinum; et cogitur voluntas sistere ultimate in illo, et ad istud non progredi. Unde tota perversio in ea conversione repta incidit ratione prædictæ privationis impediens relationem ad bonum divinum; non autem ratione positivi reperti in tali conversione. Et consequenter negandum est, hoc positivum debere esse habitum voluntati superadditum, vel aliquid de genere mali.

Per quod patet ad confirmationem; quia revera tam ipsa natura, seu essentialis inclinatio voluntatis, quam privatio charitatis, et gratiæ concurrunt in conversione habituali peccatoris in suum finem ultimum, unaquæque suo modo jam explicato. Quia vero perversio illius conversionis tota est ex privatione impediens relationem ad bonum divinum, et cogente sistere in ipso bono proprio; non autem ex essentiali in-

clinatione positiva, quæ ex vi sua solum respicit tale bonum secundum se, abstracto a relatione, vel irreferibilitate, potest talis inclinatio, et conversio secundum totum suum positivum manere successive et sub peccato, et sub gratia : et subsistere ultimate in bono proprio ratione ipsius peccati ; sub ista vero ratione ejus elevari, et referri ad divinum : et primo modo erit conversio peccaminosa ratione privationis, secundo autem erit honesta, et sancta ratione relationis.

Replia. 68. Sed urgebis : quia juxta hanc doctrinam non modo in adultis, qui propria voluntate deliquerunt, sed etiam in parvulis originali culpa infectis dabitur conversio ad bonum commutabile, tanquam ad finem ultimum : quippe qui sub privatione gratiæ, vel justitiæ originalis habent illam inclinationem essentialem ad bonum proprium, quam reliqui peccatores adulti. Hoc autem videtur contra D. Thomam quæst. 5 de mal. art. 2, ubi ex eo probat, parvulos decedentes sine baptismo non puniri pœna sensus, quia in eorum peccato non invenitur conversio ad bonum commutabile, cui prædicta pœna debetur ; sed solum aversio ab incommutabili, cui correspondet pœna damni : ergo, etc.

Encrva- Respondetur, aliud esse, an in voluntate tur. puerorum sit aliqua conversio ad bonum commutabile? Aliud vero, an talis conversio spectet per se ad peccatum originale secundum suam formalem rationem, sicut ad actuale spectat conversio inventa in illo? Hoc posterius negat D. Thom. in loco allegato, et nos etiam negabimus : quia in ejus sententia peccatum originale in sola privatione, seu aversione consistit. Primum autem non negat : quia prædicta conversio secundum suum positivum, quamvis sit in voluntate, est extra totum formale originalis culpæ : et ad summum valde materialiter ad illam spectat : sicut de concupiscentia dicemus dubio sequenti.

### § V.

#### *Argumentum contrariæ sententiæ.*

69. Sententiam contrariam saltem ut probabiliorē tuentur Nuno 3 p. quæst. 86, art. 2, dub. 2, circa, et Gregorius Mart. in præsentī art. 1, dub. 1. referens Albertum magnum, Bonaventuram, Burgensem, et alios, quos tamen si conspexeris, eadem

facilitate poteris in alio sensu interpretari. Argu-  
 Probat primo ex D. Thoma art. 2 hujus mentum  
 quæst. ubi quærit *utrum peccatum originale primum  
 sit habitus?* Et distinguens in corpore du- ab auc-  
 plicem habitum, alium, quo potentia incli- toritate  
 natur ad agendum ; alium vero, qui est dis- D. Thom  
 positio alicujus naturæ ex multis compositæ, secundum quam aliquid bene, vel male se habet, etc. ait prædictum peccatum esse habitum secundo modo, quamvis non primo. Et in solutione ad 1, inquit, quod *non est privatio pura, sed habitus corruptus*. Habitus autem ex ipso nomine importat positivum. In solutione vero ad 2, comparat peccatum originale cum actuali in eo, quod sicut actuale est inordinatio actus, ita originale est inordinata dispositio naturæ. Sed in via D. Thomæ inordinatio, et malitia peccati actualis est positiva, ut vidimus disp. 6, ergo etiam malitia originalis. Denique in eodem articulo cum in corpore, tum ad argumenta appellat peccatum originale *languiorem naturæ*, et comparat illud ægritudini naturali, in qua est aliquid positivi, et aliquid privationis : sentit ergo prædictum peccatum non in sola privatione consistere.

Confirmatur ex eodem Ang. Doctore infra Confirm-  
 quæst. 113, art. 1, ubi docet, justificationem matio ex  
 impii non esse per modum simplicis muta- D. Thom  
 tionis, quasi a privatione, vel negatione ad habitum, sed secundum rationem motus, qui est a contrario in contrarium, atque adeo a positivo in positivum : cum autem contraria hæc sint peccatum habituale, et gratia, sequitur tam istam, quam illud esse formam positivam. Quod clarius tradit quæst. 28, de verit. art. 6, ubi ut distinguat inter remissionem culpæ, et infusionem gratiæ, post alia, quæ ad intentum præmisserat, hæc ait: *Patet igitur quod si culpa non est aliquid positive, idem est infusio gratiæ, et remissio culpæ secundum rem ; secundum rationem vero non idem. Si autem culpa aliquid ponit, non secundum rationem, sed re, est aliud remissio culpæ, et infusio gratiæ, si considerentur ut mutationes : culpa autem aliquid ponit, et non solam absentiam gratiæ, etc.* Quid clarius.

Confirmatur secundo alio ejusdem D. Tho- Confirm-  
 mæ testimonio quæst. 24, de verit. art. 12, matio  
 ubi sic ait : *Homo, qui est in peccato mortali, alia ex  
 habitualiter peccato inhæret : quamvis enim eodem.  
 non semper habeat habitum vitii, quia ex uno  
 actu luxuriæ habitus non generatur ; voluntas  
 tamen peccantis, derelicto incommutabili bono,  
 bono commutabili quasi fini adhæsit. Et hujus-  
 modi adhæSIONIS VIS, et inclinatio in ea manet,  
 quo*

*quousque iterato bono incommutabili quasi fini inhæreat, etc.* Hujusmodi autem vis, et inclinatio, per quam voluntas bono commutabili adhæret, sine dubio est aliquid positivum relictum ex præcedenti actu peccaminoso : ergo, etc.

70. Respondetur D. Thomam nomine *habitus*, quo appellat in hoc articulo peccatum originale, non intellexisse aliquam formam, vel qualitatem, aut aliquid aliud positivum animæ vel potentiis superadditum, atque adeo quod proprie, et rigore habitus sit. Si namque hujusmodi habitus daretur, ipse proculdubio potius quam privatio justitiæ originalis esset ratio formalis originalis culpæ (et ita intendunt adversarii) quod tamen D. Thomas expresse negat art. 3 hujus quæst. et aliis locis, ut videbimus dub. 5. Appellat ergo prædictum peccatum *habitu*, quia habitui assimilatur : non solum in eo quod habitualiter permanet ; sed etiam quia cum de ratione habitus sit disponere bene, vel male in ordine ad naturam, et ordinare, vel inordinatas reddere ejus partes, at ex diffinitione habitus constat, quicquid prædicto modo disponit, non improprie, quamvis in latiori acceptione dicitur *habitus* : quia igitur per privationem originalis justitiæ partes humanæ naturæ male se habent, suntque in ordine ad ipsam naturam prave dispositæ, merito talis privatio dicta est *habitus* a D. Thoma.

Accedit, quod peccatum originale importat de materiali concupiscentiam, ut videbimus dubio sequenti : et quia concreta accidentalia prædicantur absolute de suo materiali, et e contra, ipsa concupiscentia, et quicquid de ea dicitur, prædicatur absolute de prædicto peccato. Concupiscentia autem recte potest dici habitus in latiori acceptione : non solum quia includit pro materiali positivum, videlicet ipsas potentias, quatenus secundum se propendunt in bonum delectabile, et sensibile, sed etiam quia per illam tales potentiæ amisso retinaculo originalis justitiæ, quo sub ratione continebantur, redditæ sunt habiles, et expeditæ ad inordinate concupiscendum. Quod recte explicat D. Thom. in 2, dist. 30, quæst. 1, art. 3 ad 2, his verbis : *Differt dicere potentem, et habilem : quod enim aliquis sit potens concupiscere est ex potentia concupiscibili : sed quod sit habilis ad concupiscendum est ex aliquo habitu, vel eo quod per modum habitus se habet. Contingit enim, ut etiam privatio aliqua habilitatem quamdam relinquat, in quantum privatur aliquid, quod*

*impedimentum præstare posset : et ita dicitur concupiscentia habitualis esse peccatum originale : non quidem vis concupiscibilis, neque aliquis habitus, qui aliquid positive dicat ; sed ipsa habitus, quæ relinquitur in inferioribus viribus ad inordinate concupiscendum, ex hoc quod ab appetitu subtrahitur retinaculum rationis, quo detinebatur, ne effræmate posset in sua objecta tendere.* Ex quo loco aperte constat, quomodo in via D. Thomæ nomine *concupiscentiæ* et *peccati originalis* non importetur positivum saltem pro formali ; sed tantum privatio. Et iterum quod hæc privatio possit dici *habitus*, quatenus per eam removetur aliquid prohibens potentias a sua habilitate, et expeditione : atque adeo quatenus per ipsammet eadem potentiæ ad proprios motus, habiles, et expeditæ redduntur.

71. Ad illud, quod opponitur ex solutione ad 1, respondetur, recte dictum esse a D. Thoma, quod peccatum originale non sit privatio pura ; quia licet dicat pro formali privationem, non dicit eam quasi abstracte sumptam ; sed ut junctam, et concretam concupiscentiæ tanquam rationi materiali, in qua est aliquid positivi : et ideo ipsa concupiscentia cum privatione, et corruptione originalis justitiæ dicitur *habitus corruptus* : ac si diceremus, album non esse albedinem puram ; sed corpus cum albedine, vel albedinem junctam, et concretam corpori : in concretis enim accidentalibus non prædicatur forma abstracte sumpta, quia supponunt pro materia.

Ad aliud ex solutione ad 2 respondetur, D. Thomam non æquiparasse peccatum originale, et actuale quantum ad positivum, vel privativum ; sed reddidisse discrimen, quare cum ad actuale nullus habitus per se pertineat, aliquis tamen pertineat ad originale : quia videlicet actuale est inordinatio actus, et non aliquid habitualiter permanens, unde nequit in eo sive pro formali, sive pro materiali habitus importari : originale vero est inordinata dispositio naturæ : atque adeo sicut natura est habitualis, et permanens, ita prædicta dispositio potest habere rationem, vel modum habitus. Et quod D. Thomas nihil aliud intenderit, constabit legenti tam argumentum, quam solutionem. Adde, quod cum in exemplis non sit quærenda omnimoda paritas, sed aliqua similitudo, et hanc sufficiat esse juxta opinionem probabilem, satis fuisse probabilitas illius sententiæ, quæ peccatum actuale ponit in privativo, ut D. Thom. prædicto exemplo

Exponitur secundum.

Declaratur tertium.

uteretur. Præsertim quia adhuc juxta sententiam ejusdem Ang. Doctoris, quam supra elegimus, datur in peccato actuali malitia privativa, licet secundaria, et consequens, cum qua potuit non curando de positiva inordinationem originalis conferre.

Ultimum  
de ægri-  
tudine  
explicatur.

72. Ad ultimum de ægritudine naturali dicendum est, nunquam D. Thomam voluisse per hujusmodi exempla rem diffinire; sed sumere ex eis aliquam similitudinem ad veritatis declarationem: et ideo non sunt nimis premenda talia exempla, neque est importune eis insistendum. Similitudo autem quoad præsens stat in hoc, quod sicut ægritudo importat de positivo humores corporis, et de privativo carentiam illius proportionis, quam inter eos ponebat sanitas: ita peccatum originale dicit de positivo ipsas potentias, et animæ vires; et de privativo destitutionem illius ordinis, et harmoniæ, quam originalis justitia in eis constituebat. An vero in ægritudine naturali detur aliqua alia forma positiva de genere qualitatis, vel relationis, et an ea, vel potius prædicta privatio sit constitutiva talis ægritudinis, neque est constans in doctrina D. Thomæ, neque ad intentum refert.

Sed urgebis, quod præter vires animæ, et privationem justitiæ originalis ponit D. Thom. tertiam rationem, seu formalitatem, quam appellat *inordinatam dispositionem ipsarum virium* proveniente ex tali privatione; atque adeo ab ea distinctam: hæc autem formalitas necessario est aliquid positivum; alias non differret a prædicta privatione, cujus ponitur effectus.

Respondetur, prædictam formalitatem habere se ut effectum privationis justitiæ originalis in genere causæ formalis, in quo genere, effectus, et causa non differunt tanquam alia, et alia forma, sed sicut eadem secundum se, seu in abstracto, et ipsamet ut subjecto applicata, seu in concreto. Eadem ergo carentia justitiæ originalis, quæ secundum se, et abstracte considerata dicitur *privatio*, et habet se ut causa; prout consideratur juncta, et concreta suo materiali dicitur *inordinata dispositio virium animæ*, et habet rationem effectus: unde neutra dicit pro formali aliquid positivum.

73. Ad primam confirmationem posset non improbabiler responderi, D. Thomam, ubi citatur, agere de justificatione adultorum, in cujus termino *a quo* semper est peccatum habituale personale, de quo non pauci etiam ex his, qui originale constituunt in privatione, affirmant esse positivum. Sed quia

Ad primam  
confirmationem  
prima  
solutio.

nobis quantum ad hoc eodem modo est de utroque philosophandum, respondemus S. Doctorem in primo testimonio consulto non dixisse absolute, quod justificatio impii sit motus a contrario in contrarium; sed quod sit *secundum rationem motus*, ut innueret servari quidem in ea aliquam similitudinem cum tali motu, non tamen omnimodam. Servatur autem quoad hoc, quod sicut in motu proprie dicto inveniuntur quatuor termini, nimirum forma contraria, quæ destruitur per motum, et forma, quæ acquiritur, et carentia utriusque formæ, hæcque ratione est ibi duplex mutatio, alia ab *esse* formæ, quæ destruitur ad non *esse* talis formæ, et alia a non *esse* formæ, quæ acquiritur ad *esse*; utraque tamen constituit eundem motum: ita in justificatione impii totidem termini, et mutationes interveniunt: nam est peccatum destruendum, et est gratia acquirenda, et est *non esse* utriusque: transitque subjectum una mutatione a peccato ad *non esse* peccati, et alia a *non esse* gratiæ ad ipsam gratiam: ex quibus omnibus integer processus justificationis coalescit. Cæterum non intendit D. Thom. terminum *a quo* prædictæ justificationis esse in toto vigore contrarium, sicut in aliis motibus, puta calefactionis, dealbationis, etc. sed dicitur *contrarium* large, ut dici solent quælibet opposita, inter quæ cadit medium, sive utrumque sit positivum, sive alterum privativum: nam eo ipso negatio, seu *non esse* unius non omnino coincidit cum affirmatione, et *esse* alterius. Et ideo possunt ibi distingui quatuor termini, versarique inter eos duplex mutatio. Ad distinctionem illorum, quæ omne medium excludunt, uti sunt contradictoria, in quibus idem prorsus est negatio unius, atque alterius affirmatio. Et hac ratione oppositio privativa (præsertim in moralibus) solet reduci ad contrariam, eodemque nomine appellari, et simul cum ea adversus contradictoriam dividi.

74. Secundo respondetur, terminum *a quo* justificationis non præcise esse peccatum habituale sive originale, sive proprium, sed ulterius aliquid: et ratione hujus potest talis terminus dici positivum, et contrarium, quamvis ipsum peccatum habituale pro formali dumtaxat sit privatio. Pro quo nota, quod nomine prædicti termini juxta sensum D. Thomæ intelligitur totum id, quo homo impeditur a receptione gratiæ, et a quo per justificationem liberatur: quidquid enim per justificationem excluditur, habet

Alia  
solutio

habet se ut terminus, a quo illa procedit. Hoc autem ultra peccatum habituale, quod est homini intrinsicum, importat peccatum actuale præteritum, ex quo habituale ortum duxit, et rationem offensæ Deo illatæ per ipsum peccatum actuale : quamdiu enim hoc non retractatur, et illa non remittitur, utrumque manet moraliter in Dei appretiatione prohibens ipsum a communicatione gratiæ, et impediens hominem ab ejus receptione. Et hac ratione dixit D. Thom. in loco allegato, quod peccatum habituale non est privatio pura sicut tenebra, quæ præcise dicit absentiam lucis, sed privatio cum ordine ad causam, sicut umbra, quæ causatur ex interpositione corporis opaci : habet enim se peccatum præteritum, dum non retractatur, et offensa, dum non remittitur ad impediendam lucem gratiæ in anima, causandamque ejus privationem, veluti obex interpositus inter Deum, et ipsam animam : sicut se habet corpus obumbrans ad impediendam lucem solis in spatio illuminando. Et sicut umbra non tollitur, nisi auferatur corpus intermedium : ita privatio gratiæ, seu peccatum habituale non aufertur, nisi actuale præteritum, et offensa per remissionem, seu retractionem a conspectu Dei removeantur. Quia ergo quando justificatur anima, hæc omnia tolluntur, videlicet ratio divinæ offensæ, et moralis permanentia peccati actualis præteriti, nec non peccatum habituale, seu privatio gratiæ, quæ ex ipso actuali tamquam ex obice in anima causabatur, cuncta hæc habent se ex parte termini a quo justificationis, et ex omnibus prout moraliter inter se unitis prædictus terminus coalescit. Hac igitur ratione potuit justificatio appellari *motus a contrario in contrarium*, seu *positivo in positivum*, quia quamvis peccatum habituale secundum se in sola privatione consistat ; peccatum tamen actuale præteritum, quod dum non retractatur, perseverat moraliter, et ut sic perseverans constituit simul cum illo terminum a quo ipsius justificationis, est aliquid positivum.

75. Et quod D. Thom. juxta hunc sensum loquutus fuerit præsertim in secundo testimonio ex quæst. 28 de veritate ubi apertius contrariæ sententiæ favere videbatur, patet ex contextu. Nam postquam dixit, quod culpa, quam tollit justificatio, aliquid ponit, et non solam absentiam gratiæ, reddens hujus rationem ita subdit : *Absentia enim gratiæ secundum se considerata habet tantum rationem pænæ ; non autem rationem culpæ, nisi secundum quod relinquitur ex*

*actu voluntario præcedente : sicut tenebra non habet rationem umbræ, nisi secundum quod relinquitur ex interpositione corporis opaci. Sicut ergo ablatio umbræ importat non solum remotionem tenebræ, sed remotionem corporis impediens : ita remissio culpæ non solum ablationem absentix gratiæ, sed ablationem impediens gratiæ, quod erat ex actu peccati præcedente, non ut actus ille non fuerit, quia hoc est impossibile ; sed ut propter illum influxus gratiæ non impediat, etc. videatur in 4, dist. 18, quæst. 1, art. 2, q. 1.*

Ex quibus habemus ad intentum, tum quod privatio gratiæ ut causata ex actu voluntario præcedenti, et ut respiciens illum, habet rationem culpæ : atque adeo est ipsum peccatum habituale ; licet secluso eo respectu et addito alio, potius esset pœna. Tum etiam quod obex impediens lucem gratiæ, et causans ejus umbram, sive privationem in anima non est alius, quam actus peccaminosus præcedens, quatenus dum non retractatur, permanet moraliter in Dei appretiatione : et ita non est ponendum in homine aliquid intrinsicum talem obicem constituens. Tum præterea quod per motum justificationis simul tollitur privatio gratiæ, et prædictus actus præteritus, quatenus retractatur, et Deus illius quodammodo obliviscitur, ut non jam amplius propter illum gratiæ suæ subtrahat influxum. Tum denique quod etsi peccatum habituale, et quicquid tanquam de ejus ratione intrinsece in homine relinquitur, non sit positivum ; terminus tamen a quo justificationis potest dici positivus, et contrarius gratiæ ratione peccati actualis, quod simul cum ipso habituali per justificationem deletur. Quo pacto vero peccatum actuale Adami, quod ille pro se retractavit, manserit pro posteris irretractatum : atque adeo per uniuscujusque justificationem, prout ad ipsum attinet, deletur, ut hac ratione spectet ad terminum a quo talis justificationis, dictum est disputatione 14, num. 93.

76. Ad secundam confirmationem respondetur, illam inhærentiam habituales, quam habet voluntas peccatoris respectu boni commutabilis, non ponere aliquid positivum distinctum ab ejus essentiali inclinatione ; sed sufficienter fieri per hujusmodi inclinationem una cum gratiæ privatione ex peccato actuali relicta : quatenus per hanc fit, ut talis voluntas per omnes suos actus ita sistat in bono proprio sive commutabili, ut ad incommutabile, et divinum

Solutio  
secundæ  
confirmatio-  
nis.

non ascendat, neque in sensu composito prædictæ privationis possit ascendere. Et quia talis consistentia in bono commutabili quantum ad suum formale, quod est ulterius non ascendere, fuit effectus peccati actualis excludentis subordinationem ad bonum divinum, et amplectentis ipsum bonum commutabile ut omnino ultimum ratione objecti peccaminosi illi adjuncti, dixit D. Thom. quod vis, et inclinatio istius peccati, sive adhæisionis manet in homine, quousque tale peccatum per pœnitentiam retractetur, et voluntas per charitatem ad bonum divinum convertatur. Quomodo vero hinc fiat non posse hominem sine gratia per longum tempus peccatum mortale vitare, quod erat intentum D. Thomæ, facile intelligitur. Quia videlicet durante eo statu, quicquid peccaminosum illi homini occurrit, non dissonat bono commutabili, ad quod est conversus, et ideo neque ab homine refugitur, neque apprehenditur ut malum, quousque, magna adhibita deliberatione, deteguntur pœnæ, et incommoda, ad quæ ducit : et quia nequit homo multo tempore tantam deliberationem omnibus suis actibus apponere, consequenter nequit omnia peccata mortalia toto eo tempore occurrentia vitare. Quo contra se haberet, si esset in gratia conversus ad bonum divinum : nam eo ipso objecta prava occurrentia sine tanta deliberatione reputantur mala, et fugienda propter dissonantiam ad tale bonum, ob idque facile vitantur. Videatur Ang. Doctor loco cit. ubi hanc doctrinam prosequitur.

Ratione vero sic arguitur pro contraria sententia. Peccatum nostrum originale debet esse ejusdem rationis, ejusdemque speciei cum eo, quod Adamus commisit : idem enim saltem specie peccatum, quod ille commisit, in nos transfudit : sed peccatum, quod commisit Adamus, fuit positivum : fuit enim peccatum commissionis contra præceptum negativum non edendi de ligno vetito, aut non superbiendi, cujus peccati essentiam supra disp. 6, in positivo constitimus, ergo, etc.

77. Respondetur in Adamo fuisse duplex peccatum : aliud actuale, quod fuit actus superbiæ, inobedienciæ, aut gulæ, a quo ipse Adamus dictus est *peccans*, et nos prout eramus in illo, dicimur *in eo peccasse* : aliud vero habituale, quod fuit terminus talis actus, denominavitque Adamum *peccatorem*. Primum quidem fuit positivum sicut cætera peccata actualia, de quibus egi-

mus citata disp. 6. Posterius autem non fuit pro formali nisi privatio gratiæ, vel originalis justitiæ, ut nostris rationibus ostendimus : quia ergo peccatum nostrum originale non se habet per modum actus, sed per modum termini, neque ab eo dicimur *peccantes*, sed *peccatores*, æquiparandum, et assimilandum potius est peccato habituali Adami consistenti in privatione, quam peccato ejus actuali importanti de formali positivum. Sane usque adhuc nemo plus tribuit de ratione *peccati, voluntarii*, aut *positivi* peccato originali, quod in nos Adamus transfudit, quam peccato habituali, quod in se ipso reliquit.

Si autem circa ipsum peccatum habituale Adami conficias argumentum : quia debet esse ejusdem speciei cum actuali? Respondetur quæstionem esse potius de modo loquendi, satisque independentem a præsentis difficultate, an prædicta peccata ejusdem, vel diversæ speciei dici debeant? Et quidem si in vigore Logico, vel Metaphysico loquamur, perspicuum debet esse, ea non convenire in specie atoma, etiamsi admitteremus utrumque esse positivum : quia habitus, et actus saltem differunt, sicut qualitas difficile, et qualitas facile mobilis, quæ constituunt diversas species adhuc subalternas. Dicuntur tamen communiter prædicta peccata ejusdem speciei : vel reductive, quia cum habituale sit terminus actualis, reducit ad illud, et quasi unum cum eo constituit : vel moraliter, et appetitative, quia cum sint contra eandem legem, et ex eodem motivo, in morali, et prudenti æstimatione pro eodem reputantur. Ad hujusmodi vero convenientiam nihil refert, quod unum sit positivum, et aliud privativum, sicut de peccatis commissionis, et omissionis procedentibus ex eodem motivo diximus disp. 8, a num. 7, et disp. 6, a num. 103.

78. Tertio probatur : nam voluntas pueri per originale peccatum non modo est aversa a Deo sicut a fine ultimo ; sed etiam est habitualiter conversa ad bonum commutabile : sed talis conversio est aliquid positivum : ergo, etc. Minor constat : major vero probatur : tum quia omnis aversio sequitur ex aliqua conversione ; non enim voluntas avertitur ab uno termino, aut relinquit illum, nisi quia afficitur, et convertitur ad alium. Tum etiam quia nequit intelligi voluntas ut omnino suspensa, et sine inclinatione habituali ad aliquem finem : cum ergo quandiu adest peccatum, non inclinetur in Deum sicut in finem, oportet ut maneat

Secundum argumentum ex ratione.

Solutio.

Argumentum tertium.



neat inclinata, et conversa habitualiter ad creaturam, seu ad bonum commutabile.

Prima solutio probabilis. Ad hoc argumentum non pauci ex his, qui tenent nostram sententiam, occurrunt negando majorem : et ad primam probationem respondent, aversionem constitutivam peccati originalis supponere quidem aliquam conversionem, cujus sit effectus ; non tamen habitualement, et quæ maneat in ipso puero ; sed actualem, quæ non est alia, nisi quæ fuit in peccato actuali Adami, ex quo originale ortum duxit : ex eo enim quod Adamus suo gulæ, et superbiæ actu conversus fuit ad bonum commutabile sicut ad finem ultimum, sequuta est in ipso, et in nobis aversio, et separatio a bono incommutabili per gratiæ, et charitatis privationem, cui bono conjuncti essemus per ipsam gratiam, et charitatem : et hæc aversio manet habitualiter, quandiu manet originale peccatum ; etiamsi conversio transierit : sicut transacta actione manet ejus terminus, et transacta generatione permanet relatio. Quod autem dicitur voluntatem non averti ab uno termino, nisi quia convertitur, et afficitur ad alium, verum est de voluntate, quæ ipsa se avertit, sicut fuit voluntas Adami : nam talis voluntas necessario debet habere proprium actum, seu conversionem actualem causantem habitualement aversionem, et separationem : secus autem de voluntate, quæ non ipsa se avertit, sed suscipit aversionem ex alio, sicut est voluntas posterorum Adami : sufficit namque, quod in ipso Adamo fuerit prædicta conversio actualis ; ut ex ea resultet in posteris habitualis aversio, sine eo quod aliqua conversio efficiantur. Imo adhuc in voluntate, quæ ipsa se avertit, non est necessarium ponere aliquam habitualement conversionem ; ut detur habitualis aversio, sed sufficit, quod præcesserit conversio actualis : nam ex hac sufficienter causatur prædicta aversio habitualis sine recursum ad aliam.

79. Ex quo ad secundam probationem dicunt, voluntatem pueri existentis in originali, antequam per proprium actum ad Deum, vel ad creaturam se convertat, in nullum finem esse inclinatum inclinatione morali, seu quæ respiciat illum ut finem moralem : habere tamen inclinationem physicam ad Deum rerum omnium finem ; nam quia natura voluntatis secundum suum esse physicum est a Deo, necesse est, ut secundum prædictum esse ipsum Deum ut finem respiciat. Cæterum hæc inclinatio physica neque conducit ad peccatum originale, ne-

que tollit, quominus cum ea stet moralis aversio ab ipso Deo constitutiva talis peccati.

Verum quamvis hæc solutio sit probabilis, et satis verosimiliter probationibus argumenti occurrat ; nobis tamen facilius patet aditus ex doctrina, quam a num. 65 tradidimus. Juxta quam admittenda est major ; et ad minorem, constat ex dictis a num. cit. quomodo quicquid positivum est in illa habituali conversione, non sit de genere mali, neque ab ipsa voluntatis essentia distinctum : sed tota ratio malitiæ ibi reperta reducitur ad gratiæ privationem, per quam positiva voluntatis inclinatio cogitur sistere in bono commutabili, tanquam in omnino ultimo. Et hæc solutio omnino tollit prædictum argumentum : sive illud conficiatur pro solis parvulis existentibus in originali : sive etiam pro adultis peccatoribus : cum tamen alia necessario sit ad parvulos restringenda, ut intuenti constabit. Alia argumenta, quæ hic possunt efformari commodius, diluentur dub. 5.

Verior solutio.

#### DUBIUM IV.

*Quid sit concupiscentia : et qualiter se habeat ad originale peccatum?*

80. Quia frequens est in hac disputatione mentio de concupiscentia, et dum agitur de constitutione peccati originalis, multoties sit ad illam recursus, operæ pretium duximus ad accuratius investigandum prædictam constitutionem ea, quæ præd. vox continet, declarare. Ne autem distinctionis defectu minus perspicue procedatur, sciendum est, nomen *concupiscentiæ* multipliciter accipi. Primo pro potentia appetente bona sensibilia absque aliqua determinatione, aut applicatione potius circa malum, quam circa bonum : quo pacto comprehendit appetitum sensitivum secundum utramque sui partem, videlicet irascibilem, et concupiscibilem prout indifferentem ad bonum et ad malum. Et licet hæc acceptio non sit multum usitata ; ejus tamen meminit D. Augustinus lib. 4 contra Julia. cap. 14, et lib. 6, cap. 7. Secundo sumitur pro actu talis potentiæ, etiam sine ulla restrictione : unde comprehendit hoc modo omnes passiones ipsius appetitus : imo extenditur etiam ad actus voluntatis ; frequentius tamen stat pro actibus prosecutionis, et maxime pro desiderio ; quod est rei, vel boni absentis. Additque in tota sua restrictione accepta,

D. Aug.

quod sit boni delectabilis secundum sensum. Juxta quem rigorem determinate dicit motum concupiscibilis distinctum non solum ab actibus irascibilis, et ab odio, et tristitia ipsius concupiscibilis, quæ sunt circa malum; sed etiam ab amore, qui est circa bonum absolute, et a delectatione, quæ est circa bonum præsens: ut videre est hac 1, 2, quæst. 30, art. 1 et 2.

Hac autem concupiscentiæ acceptione, videlicet pro actu potentiæ appetitivæ, sive sensitivæ, sive rationalis, et maxime pro desiderio utitur frequenter Scriptura: quandoque in bono sensu, quandoque in malo eam accipiendo: et ob id de bona concupiscentia dicitur Psal. 118: *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas.* Et Sapient. 6: *Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum.* Et ad Galat. 5: *Spiritus concupiscit adversus carnem.* De mala vero dicitur Jacobi 1: *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua.* Et Ecclesiast. 28: *Post concupiscentias tuas ne eas.* Daniel 13: *Concupiscentia subvertit cor tuum.* Sed observat D. Augustinus Psal. citato, quod quando Scriptura sumit prædictum nomen in bonam partem, declarat bonum, quod concupiscitur, ut videre est locis citatis. Quando autem in malam accipitur, non ita declaratur: quia revera ipsa vox *concupiscentia* sonat in malum: et ideo ut accipiatur pro mala concupiscentia, non est necesse aliquid addere; secus autem ut sumatur pro bona. Et quamvis prædictum nomen pro concupiscentia mala acceptum frequenter determinetur ad desideria luxuriæ et gulæ; at sæpe etiam extenditur ad omnia prava desideria cujuscumque objecti sive carnalis, sive spiritualis, delectabilis, aut utilis: ut videre est 1 Joan. 2, ubi avaritia vocatur *concupiscentia oculorum.* Et Ezechiel. 23 appellatur eodem nomine desiderium amicitiae et communicationis Judæorum cum Chaldæis: et aliis locis.

Tertio sumitur pro inordinata illa dispositione habituali, et prava affectione, qua post peccatum Adami, et ex vi ipsius, proni, et habiles sumus ad bona sensibilia, et delectabilia contra, vel præter rationis ordinem appetenda: quæ sane imperfectio locum non habuit in statu originalis justitiæ, neque haberet in statu naturæ integræ integritate ordinis naturalis. Et in hac acceptione, quæ communis est apud Theologos, sumimus *concupiscentiam* in præsentem: soletque etiam nuncupari aliis nominibus, ut *vetus homo, lex carnis, peccati fomes, langor*

*naturæ, sensualitas,* et hujusmodi. Restat ergo ut videamus quid sit, et quid importet tam pro formali, quam pro materiali prædicta prava affectio, quam ex peccato Adami hæreditavimus, qualiterque spectet ad nostrum originale, cujus comes existit.

## § I.

*Deciditur prima pars dubii.*

81. Si dubio secundo, et tertio vera tradidimus, inde perspicue habetur, concupiscentiam in hac nostra acceptione non esse aliquid positivum superadditum entitati potentiæ, distinctumque ab eis. Satis namque ibi improbatum est hujusmodi positivum. Unde super est, ut vel sit ipsæ potentiæ secundum se, et secundum suas positivas inclinationes, vel aliquid privativum eis superadditum. Porro formalem rationem concupiscentiæ (quidquid sit de materiali) non esse prædictas potentias, v. g. appetitum sensitivum secundum se spectatum, et secundum suam positivam inclinationem, facile potest demonstrari. Quia appetitus sensitivus secundum se cum omni sua entitate positiva (idemque est de reliquis potentiis) manet sine concupiscentia: ut in Christo Domino, qui assumpsit prædictum appetitum, concupiscentiam vero non assumpsit: et in Adamo, qui quandiu in justitia originali permansit, caruit concupiscentia, nulla tamen potentia appetitiva caruit: et in beatis, ubi gratia consummata perfecte sanabit naturam, liberabitur hæc a concupiscentiæ fomite: nequaquam vero exuet prædictum appetitum: ergo concupiscentia non est ipse appetitus secundum se.

Denique concupiscentia est mala, et non a Deo: et ideo damnatur in Scriptura, ut Matth. 6: *Sed libera nos a malo.* Quem locum D. Augustinus lib. 3 contra Julia. cap. 14, de concupiscentia intelligit: et Jacobi 2, cum dixisset, quod Deus neminem tentat, addit: *Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua,* ostendens hanc aliunde esse, et non ex Deo. At appetitus secundum se est bonus, et a Deo, sicut natura, ad quam consequitur: ergo, etc. Præterea; nam concupiscentia est effectus peccati, ut dicitur in Tridentino ses. 5, can. 5, et ideo nisi Adamus peccaret, illa non fuisset: sed appetitus secundum se non est peccati, sed Dei effectus, dareturque etiam nullo existente peccato: non ergo ipse secundum se est concupiscentia

Concupiscentia non est appetitus sensitivus præcise secundum se.

Math. 6  
Jacobi. 8

Psal. 118

Sapient.

6.

Ad

Galat. 5.

Jacob. 1.

Ecclesi.

28.

Daniel.

13.

1. Joan.

2.

Ezech.

23.

concupiscentia. Denique appetitus secundum se indifferens est ad appetendum juxta vel præter ordinem rationis; concupiscentia autem determinate inclinatur ad inordinate appetendum: ergo non sunt omnino idem, sed differunt formaliter.

Quid addat supra potentias.

Probatur ex D. Thom.

82. Dicendum itaque est prædictam concupiscentiam importare ipsas potentias, et vires animæ non præcise secundum se, sed ut destituta justitia originali, privatasque illa rectitudine habituali, per quam in primo statu a ratione continebantur, ne contra, aut præter ordinem ejusdem rationis, in sua objecta tenderent: ita quidem ut privatio, et destitutio prædictæ rectitudinis sit tanquam ratio formalis concupiscentiæ; ipsæ vero potentiæ secundum sua positiva habeant se ut ratio materialis. Hæc est sententia Ang. Doctoris in præsentibus art. 3, dum ait, concupiscentiam esse inordinationem virium animæ proveniente ex aversione voluntatis a Deo, ratione cujus inordinate convertuntur ad sua objecta, et ad bonum commutabile: consulto etiam non dixit esse ipsas animæ vires, sed earum inordinationem: ut ostenderet, formalem concupiscentiæ rationem non consistere in positivo prædictarum virium; sed in privatione ordinis, vel rectitudinis, quam diximus, per quam privationem in suis motibus, et actibus inordinatæ redduntur. Idem tradit apertius quæst. 4 de mal. art. 2 ad 4, et in solut. ad 7, sic inquit: *Concupiscentia contracta per originem nihil est aliud, quam destitutio inferiorum virium a retinaculo rationis. Et in 2, dist. 30, quæst. 1, art. 3 ad 2, de prædicta concupiscentia ita loquitur: Differt dicere potentem et habitum: quod enim aliquis sit potens concupiscere, est ex potentia concupiscibili; sed quod sit habilis ad concupiscendum, est ex aliquo habitu, vel ex eo quod per modum habitus se habet: contingit enim, ut etiam privatio aliqua habilitatem quandam relinquat, in quantum privatur aliquid, quod impedimentum præstare posset. Et ita dicitur concupiscentia habitualis esse peccatum originale: non quidem vis concupiscibilis, neque iterum aliquis habitus, qui aliquid positive dicat; sed ipsa habitus, quæ relinquatur in inferioribus viribus ad ordinate concupiscendum, ex hoc quod ab appetitu subtrahitur retinaculum rationis, quo detinebatur, ne effrænate posset in sua objecta tendere. Ecce quomodo pronitas et habitus ad inordinate appetendum, quæ est propria ratio concupiscentiæ constituitur a D. Thoma non penes aliquid positivum, quod vel sit habi-*

tus, vel ipsa appetitiva potentia; sed dumtaxat penes privationem et destitutionem a rectitudine, quam diximus. Unde hanc sententiam tuentur Curiel in præsentibus art. 1, dub. unic. conclus. 2 et 3, Greg. Mart. art. 3, dub. 2, conclus. 5, Montes. quæst. 2 et alii.

Curiel. Greg. Mart. Montes.

83. Potestque facile suaderi. Tum a sufficienti enumeratione: recte enim consideranti apparebit nihil superesse præter prædictam privationem, quod sit pro formali concupiscentia: præsertim cum hæc, ut docent Patres, et Concilia, ex Adami peccato provenerit, ex quo tamen nihil recipimus positivum. Tum etiam ratione desumpta ex Ang. Doctore: quia posita in potentiis hujusmodi privatione, nulloque alio superaddito, intelliguntur pronæ et habiles ad tendendum in sua objecta præter ordinem rationis, quod est munus proprium concupiscentiæ: cum tamen seclusa ea privatione per contrariam rectitudinem, maneat impeditæ et remotæ a prædicta tendentia: ergo talis privatio est propria ratio concupiscentiæ constitutiva. Consequentia est perspicua: antecedens vero probatur: quia in statu justitiæ originalis non ob aliud deerat, potentiis hominis pronitas et habitus ad tendendum inordinate in sua objecta, nisi quia per ipsam justitiam, et perfectionem ab ea derivatam continebantur sub regula rationis, omnesque illarum inordinati motus ab ea compescebantur: ergo eo ipso quod priventur et careant hujusmodi perfectione, et continentia manebant cum prædicta habilitate, et promptitudine.

Aliæ probationes.

Confirmatur exemplis, quibus utitur D. Thomas loco cit. de Malo, in solut. ad 4. Nam ita se habebat humanus appetitus, quando erat sub ligamine justitiæ originalis, sicut fera, dum tenetur vinculis alligata, ne vadat in præceps: et sicut lapis ponderosus, dum a columna detinetur, ne ad centrum descendat: ergo quemadmodum fera solutis vinculis, etiamsi nihil ei superaddatur, manet ad præcipitium expedita, et lapis, remota columna, ad descensum: ita prædictus appetitus eo dumtaxat quod ligamen et retinaculum prædictæ justitiæ amisserit, sine alicujus alterius superadditione manebit pronus et expeditus ad quævis illicita appetenda: quod est proprium concupiscentiæ munus.

Declaratur exemplis.

84. Quod autem prædicta concupiscentia de materiali importet ipsum appetitum secundum suam positivam essentiam, satis est perspicuum: siquidem non aliter pri-

vatio supradicta reddit illum habilem, et expeditum ad inordinate appetendum, nisi recepta in eo, ipsumque informando et afficiendo: et ita ipse appetitus secundum suam entitatem positivam habet se ut substratum, et materia talis habilitatis: et ex utroque sicut ex materiali, et formali coalescit integrum concretum, quod *concupiscentia* vocatur. In quo quia res est perspicua, non immoramur. Hinc autem fit, quod quia in concretis accidentalibus suppositio fit pro materia, et totum de illa prædicatur, atque e converso, vere dicamus *concupiscentiam esse appetitum, et appetitum esse concupiscentiam*, ut Theologi sæpe loquuntur: sicut vere dicimus, quod *gladius sit ferrum*, et quod *ferrum sit gladius*: cum tamen sicut per istas prædicationes non intendimus, quod ratio formalis per gladium significata, et ejus constitutiva sit substantia ferri, sed sola ejus forma, vel figura: ita per illas non denotatur, quod ratio formalis constitutiva concupiscentiæ, et significata ejus nomine sit ipsa entitas appetitus; sed privatio dumtaxat et destitutio, quam diximus, a rectitudine justitiæ originalis.

85. Sed objicies: quia concupiscentia dicit de formali inclinationem et propensionem ad bona sensibilia contraria rationi: hæc autem propensio, et inclinatio non potest constitui in recto per privationem, sed per vim positivam ad inordinate appetendum; privatio vero ad summum se habebit in obliquo tanquam removens prohibens ipsam inclinationem a suo actu: unde nisi prædicta vis positiva appetitui inesset, quamvis privaretur rectitudine justitiæ originalis, non propenderet in illa bona, neque inclinaret ad actus rationi dissonos: sicut non inclinatur appetitus bruti, cui deest tota illa rectitudo: ergo non recte formalem concupiscentiæ rationem in privatione collocavimus.

Confirmatur: nam eo proportionali modo debet constitui, et explicari concupiscentia habitualis, seu per modum actus primi, de qua nunc agimus, sicut constituitur, et explicatur concupiscentia actualis, quæ est ejus actus secundus: sed hæc non constituitur per privationem, sed per deformitatem positivam: ergo, etc. Minor probatur: nam concupiscentia actualis est ipsum peccatum actuale, de quo disp. 6 diximus constitui per positivam tendentiam ad objectum dissonum, quæ est actualis malitia.

Respondetur, concupiscentiam non utcumque inclinare ad objecta sensibilia, sed

cum expeditione et habilitate, et cum exclusione ordinis ad rationem: hocque superaddit appetitui secundum se, cujus est tantum inclinare ad prædicta objecta utcumque, et ab illis conditionibus præscindendo. Unde concupiscentia pro formali solum importat prædictam habilitatem et exclusionem; ipsam vero inclinationem positivam appetitus dicit solum de materiali: et sic patet ad majorem objectionis. Ad minorem vero dicendum est, quod licet prædicta inclinatio dicat vim positivam, et hæc debeat necessario supponi in materiali concupiscentiæ; alia tamen, quæ sunt in ea de formali, sufficienter constituuntur per privationem quam diximus: quia supposita inclinatione, et virtute alicujus potentiæ ad tendendum in sua objecta, sicut per positivum alicujus impedimenti redditur impedita, et inhabilis; ita per ejus ablationem redditur sufficienter prompta et expedita. Legantur verba D. Thomæ, quæ nuper adduximus ex 2, dist. 30, et quæ habet quæst. 4 de Malo, art. 2 ad 4.

86. Neque obest, si urgeas, potius hinc fieri addendum esse aliquid positivum in appetitu: quia per solam privationem nequit determinari ad objecta sensibilia cum prædicta exclusionem ordinis ad rationem: privatio enim non determinat ad aliquid; sed potius tollit determinationem, si quam invenit. Respondetur enim negando antecedens: nam modus determinationis, aut exclusionis, quem ponit concupiscentia, non consistit in aliquo positivo respectu, vel applicatione ad hæc objecta excludendo similem respectum circa alia; sed in eo quod cum antea propter perfectionem, et ligamen justitiæ originalis potentia appetitiva esset remota, et difficilis circa objecta rationi dissona; promptaque, et facilis circa ea, quæ rationi consonant, cujus difficultatis, et facilitatis ipsa potentia, attentis dumtaxat suæ naturæ principiis, expers est, modo deperdita illa perfectione, et veluti in nuditatem propriæ naturæ reversa, utrumque amisit: videlicet impedimentum, atque difficultatem circa priora objecta, et promptitudinem, atque facilitatem circa posteriora: mansitque proinde erga illa expedita, et facilis, soluto ligamine retardante, et impediante; erga hæc vero ægra, et difficilis, amissa perfectione rectificante, et habilitante. Ad hunc autem determinationis modum non est opus superadditione alicujus positivi, ut ex se constat. Alia vero replica, quæ hic suboriri poterat, infra diluetur.

Illud autem, quod dicitur de appetitu bruti, potius est pro nobis : nam quod desit ibi ratio concupiscentiæ proprie, et formaliter acceptæ, non provenit ex defectu inclinationis, vel virtutis ad tendendum in objecta sensibilia, in quæ noster appetitus per concupiscentiam tendit ; imo major vis solet esse in appetitu brutorum, quam in nostro ad tendendum in prædicta objecta. Deest ergo illi, tum ex eo quod cum in bruto non sit ratio, non est capax ejus appetitus, in quæcunque tendat, tendendi in aliquid contra rationem. Tum etiam quia talis appetitus non est capax rectitudinis, vel conformitatis ad rationem : et ita neque hujusmodi rectitudo potest esse illi debita, neque ejus defectus habere rationem privationis, sed negationis dumtaxat : adque adeo non pertingit ad rationem formalem concupiscentiæ, quæ necessario importat defectum privativum, eo quod est de genere mali, vel saltem aptitudinem ad hoc, ut defectus iste sit privatio. Quamvis autem propter rationes prædictas non sit in brutis proprie, et formaliter concupiscentia ; sæpe tamen eorum appetitum *concupiscentiam* nominamus : vel quia loquimur in sensu materiali ; vel quia non sumimus concupiscentiam sicut modo ; sed juxta primam acceptionem, quam initio dubii attulimus.

87. Ad confirmationem admissa majori, neganda est minor, si intelligatur de concupiscentia actuali secundum id præcise, quod affert de linea concupiscentiæ, quodque de concupiscentia habituali secundum suum formale participat. Ad probationem vero respondetur, quod licet prædicta concupiscentia actualis accedente voluntatis consensu fiat formaliter peccatum actuale, non tamen ipsa malitia, per quam in ratione talis peccati constituitur, est ex concupiscentia secundum se, sed ex prædicto consensu : ex concupiscentia vero solum est entitas illius actus correspondens materiali ipsius concupiscentiæ, et carentia rectitudinis rationis correspondens ejus formali. Totumque hoc habet se de materiali in prædicto peccato. Imo totum potest inveniri sine malitia formali, non solum quando ante omnem advertentiam rationis concupiscentia in suum motum prorumpit, sed etiam quando post talem advertentiam voluntas resistens quantum debet, non valet illam a tali motu retrahere. In quo casu loquitur Concilium Trid. ses. 5, dum de prædicta concupiscentia dixit, quod relicta est nobis

ad agonem, et quod viriliter per Dei gratiam resistentibus nocere non valet.

Adde, quod si in actu concupiscentiæ ante voluntatis consensum daretur aliqua malitia formalis propter aliquam semiplenam libertatem ibi repertam, talis malitia reduci deberet in materiale concupiscentiæ habitualis, potius quam in ejus formalem rationem : quia, ut infra dicemus, prædictum materiale secundum se, et antecederet ad formale erat sufficiens principium illius malitiæ ; quamvis remotum, et impeditum, quousque per prædictum formale solutum fuit impedimentum. Et ita concupiscentia secundum suam rationem formalem esset tantum removens prohibens ; secundum materialem vero esset causa per se eo modo, quo malitia habet causam.

Secundo objicies, quod privatio originalis justitiæ constituit peccatum originale, ut videbimus dubio sequenti : concupiscentia autem, quamvis ad materiale prædicti peccati spectet ; non tamen ad ejus constitutum : alias maneret tale peccatum in baptizatis, sicut illa manet ; vel sublato illo per baptismum, concupiscentia non maneret : quod utrunque repugnat Concilio Trid. ses. citata : ergo concupiscentia non consistit in prædicta privatione.

88. Respondetur, antecedens esse verum de privatione justitiæ originalis quantum ad effectum omnino primarium ; secus tamen de privatione, vel privationibus aliorum effectuum posteriorum, qui ad illum consequebantur. Ut enim in hac disputatione dub. 1 vidimus, justitia originalis conferebat homini plures perfectiones : nam animæ tribuebat illam, quam modo tribuit gratia, per quam reddebatur sancta, et Deo grata : hincque erat primarius effectus prædictæ justitiæ communis illi cum gratia : ad quem reducitur perfectio, quam tribuebat voluntati rectificando illam in ordine ad Deum per habitualem conversionem in ipsum ut in finem ultimum supernaturalem, sicut modo præstat charitas. Deinde tribuebat eidem animæ, et voluntati quendam vigorem, qui non erat omnino alia forma a prædictis, sed peculiaris modus informandi, de quo diximus supra num. 7, et num. 60, ratione cujus habebant vim continendi appetitum sensitivum, ne contra rationem rebellaret : ipsaque voluntas tuta manebat ab extorsione talis appetitus, et a deflexione ad illum. Intellectui etiam ultra fidem, et prudentiam infusam, aliaque supernaturalia dona, quæ modo confert gratia, tribuebat

## § II.

*Solvuntur nonnullæ dubitationes.*

scientiam practicam, et prudentiam naturalem. quibus ratio manebat plane illuminata in agendis. Et denique (omissis aliis, quæ ad præsens non sic attinent) appetitui sensitivo tribuebat quandam perfectionem, (quæ ut citato num. 60 dicebamus, erat peculiaris modus informandi habituum existentium in ipso appetitu) per quam ita erat subjectus voluntati, et rationi, ut circa nullum objectum quantumvis sibi præsens absque illarum imperio moveretur. Quia igitur cuncta hæc amissa fuere per peccatum, consequenter natura humana contraxit ibi plures privationes juxta numerum prædictarum perfectionum. Sicut ergo respectu originalis justitiæ ille, quem diximus *effectum primum*, habebat se ut ejus essentia, et ratio formalis; reliqui vero de materiali, et consequenter: ita respectu peccati originalis illa privatio, quæ tollit prædictum primum effectum, habebit se ut formalis, et constitutiva; quæ vero reliquas perfectiones auferunt, habent se ex consequenti, et de materiali: et ideo recte possunt constituere concupiscentiam, quæ ad materiale prædicti peccati pertinet.

Animad-  
versio  
notatu  
digna.

Hæc diximus ut doctrinæ D. Thomæ, et veritati magis consona. Si quis autem pro formali concupiscentiæ ultra prædictam privationem assignare etiam intendat aliquid positivum; si tamen hoc non sit habitus potentiis superadditus, vel forma aliqua ex natura rei ab earum entitate distincta; sed quædam veluti explicatio inclinationis, et propensionis ipsarum potentiarum ad objecta sensibilia, quæ ex ablatione originalis justitiæ veluti resultat, augetque virtualiter prædictam inclinationem, quatenus eam quasi evolvit, et explicat, cum antea esset in suamet entitate veluti involuta, et implicata: sicut per oppositum inclinatio earundem potentiarum ad sequendum rationis ductum, quæ cum prædicta justitia erat explicata, et evoluta, intelligitur per ejus ablationem in propriam entitatem velut retrahi, et contrahi, atque hoc modo virtualiter diminui: non sine fundamento incedet: nec nos omnino inficias ibimus: cum hoc totum satis probabiliter componi valeat cum eo, quod in hac disputatione principaliter intendimus. Pro quo videri possunt, quæ in tract. de Beatitud. circa dotem subtilitatis diximus disp. 5, n. 35, et quæ infra dicemus circa articulum 2, quæstione 85.

Ad plenioram cognitionem nostræ concupiscentiæ potest merito interrogari, utrum solum comprehendat appetitum sensitivum, et ejus deordinationem? An vero etiam reliquas animæ potentias, ut voluntatem, et intellectum? Quod enim non se extendat ultra deordinationem prædicti appetitus, videtur suaderi, tum ex ipso concupiscentiæ nomine, quod deductum est a quadam parte ejusdem appetitus, nempe a concupiscibili. Tum etiam quia concupiscentia dividitur contra malitiam, et ignorantiam, qui sunt defectus pertinentes ad voluntatem, et intellectum: ergo non debent hujusmodi defectus sub illa comprehendi. Tum denique quia nomine *concupiscentiæ* Theologi intelligunt illam partem animæ, quæ vocatur *caro*; eo quod residet in carne, indeque adversus rationem insurgit, et eam prævenit: juxta illud Apostoli ad Galat. 5: *Caro enim concupiscit adversus spiritum.* Et Rom. 7: *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ,* etc. sed hoc totum est munus solius appetitus sensitivi, et deordinationis ipsius: ergo non debet *concupiscentiæ* nomen ultra illum extendi.

Pro contraria quoque parte adest non inefficax ratio. Quia concupiscentia, de qua Theologi in præsentem loquuntur, dicit omnem illum defectum, qui est materia respectu culpæ originalis, et est fomes ad peccatum, in illudque inclinat: sed talis defectus comprehendit deordinationes omnium prædictarum potentiarum: ergo, etc. Deinde concupiscentia, ut est materia originalis peccati, importat illa vulnera, quæ natura humana ex peccato Adami incurrit, per quæ, etiam sublato per baptismum ipso peccato, manet ægra, et infirma, et in naturalibus sauciata; saltem respective ad se ipsam ut fuit in primo statu: et hoc est, quod Scriptura, et Patres appellant *veterem hominem, qui corrumpitur, legem peccati, legem carnis, legem membrorum, naturæ languorem,* et similia, quibus ipsa concupiscentia exprimitur: sed prædicta vulnera comprehendunt non solum appetitum sensitivum, sed etiam intellectum, et voluntatem, ut ostendit D. Thom. infra quæst. 85, art. 3, ubi unicuique prædictarum potentiarum suum vulnus assignat: videlicet in intellectu ignorantiam, in voluntate malitiam,

Prima  
dubita-  
tio.Rationes  
pro pri-  
ma  
parte.Ad  
Galat. 5.

Rom. 7.

Ratione  
pro se-  
cunda.

in irascibili infirmitatem, et in concupiscibili concupiscentiam specialiter dictam : ergo ipsa concupiscentia communius accepta pro malo, quod una cum peccato per originem trahimus, sicut in præsentis sumitur, ad omnes prædictas potentias se extendit.

Potestque hoc confirmari ex Apostolo ad Galat. 5, ubi enumerans opera carnis, per quam intelligit concupiscentiam, non solum assignat vitia, et passiones appetitus, sed etiam voluntatis, et intellectus ut idololatriam, hæreses, sive sectas, æmulationes, dissensiones et alia hujusmodi. Genes. etiam 6, ad designandam prædictam concupiscentiam dicitur : *Cuncta cogitatio cordis intenta est ad malum.* Et cap. 8 : *Sensus enim, et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Ubi verba illa *cuncta cogitatio*, et illa *cogitatio humani cordis* satis aperte comprehendunt rationalem hominis partem : sicut *ly sensus* dicit partem sensitivam.

90. Et ideo hujus sententiæ sunt Cajetanus in præsentis, Gregorius Mart. Montesinos, et Curiel referens Decanum, Tiletanum, et Naclantum. Sumiturque ex D. Th. art. 3 hujus quæst. ubi postquam de privatione justitiæ originalis quantum ad effectum primarium, per quem rectificabatur anima, et voluntas in ordine ad Deum, dixerat esse formale in originali peccato. addit : *Omnis autem alia deordinatio virium se habet in peccato originali sicut quiddam materiale : quæ quidem inordinatio communi nomine potest dici concupiscentia*, etc. Notat vero Cajetanus, consulto dictum fuisse *omnis alia inordinatio virium animæ*, et non *omnis inordinatio aliarum virium animæ*, ne putaremus excludi ipsam voluntatem, et quamlibet ejus inordinationem ; sed illam tantum, quæ dicit privationem ordinis ad Deum : omnem vero aliquam inordinationem quaruncunque virium animæ, adeoque etiam ipsius voluntatis comprehensam manere sub materiali prædicti peccati, et per consequens sub concupiscentia. In solutione etiam ad 3 ejusdem art. et quæst. 3 de mal. art. 7, in corp. nec non quæst. 4, art. 2, ad 12, expresse comprehenditur ignorantia sub materiali peccati originalis. *Nam quia inter alias vires animæ* (ait D. Tho.) *etiam intellectus a voluntate movetur, defectus intellectus etiam continetur sub peccato originali : qui quidem defectus est carentia illius scientiæ naturalis, quam homo in primo statu habuisset : et per hunc modum*

*ignorantia materialiter continetur sub peccato originali.*

Dicendum itaque est, omnes animæ vires, quæ sunt capaces prosequendi bonum honestum, eo quod libertatem participant, quæque per justitiam originalem in ordine ad illud rectificabantur, uti sunt irascibilis, et concupiscibilis, intellectus practicus, et voluntas, imo et ipsam animam, quæ est omnium radix, infectas esse hoc malo, de quo agimus, et ita omnes posse sub concupiscentia comprehendi. Sedan de facto omnes, vel an solus appetitus sensitivus eo nomine appelletur, quæstio est de modo loquendi, in quo, cum rem teneamus, non oportet immorari. Fatemur autem vocem *concupiscentiæ* ex usu, et ex vi sua concernere prædictum appetitum, et ut in plurimum stare pro illo : cujus rationem tradit D. Thom. hic art. 3 ad 3. Reprehendi tamen minime debet, qui universalius uti voluerit concupiscentiæ nomine pro quolibet ex prædictis defectibus, sicut utimur aliis nominibus cum eo fere synonymis.

91. Ad primam vero ex rationibus, quæ permissionem sic loquendi impugnare videbantur, respondetur, sæpe nomen in sua significatione extendi ultra illud, unde fuit derivatum. Quod in præsentis necessario est fatendum : nam ipsum nomen *concupiscentiæ* determinate deductum est a quadam parte sensitivi appetitus, quæ est concupiscibilis ; et tamen omnes admittunt, recte etiam accipi pro irascibili. Eodem ergo modo damnandi non sunt, qui illud extendunt ad alias partes animæ, quarum infectio ad idem inclinatur, et ex eodem principio originatur. Eo vel maxime quia quando prædictum nomen hujusmodi animæ partibus applicaretur, denotaret, illas non absolute secundum se, sed quatenus ex consortio cum carne, et sensibilitate ad sensibilia deflectunt, ut dicemus num. 94.

Ad secundam respondetur, concupiscentiam ibi non sumi in tota sua communitate, sed valde determinate pro defectu solius concupiscibilis : et ideo dividitur etiam contra defectum irascibilis, qui vocatur *infirmitas*. Secus autem in præsentis ubi defectus utriusque appetitus ab omnibus sub illa comprehenditur. Et eadem ratione possunt comprehendi alia, quæ diximus.

Ad tertiam respondet bene Curiel, carnem quandoque sumi pro tota vetustate, quam per carnalem generationem contraximus ex primo parente ; ut distinguitur contra novitatem spiritus, quam per rege-

Prælegitur hæc pars.

Solvuntur rationes primæ partibus.

Gen. 6. et 8.

Cajet. Greg. Mart. Montes. Curiel. Decan. Tiletan. Naclant. Thom.

nerationem in Christo participamus : et ita tota depravatio humanæ naturæ appellatur *caro* : sive sit in potentiis carnalibus ; sive in spiritualibus : quia ratione illius etiam istæ potentiæ sunt suo modo ad ea, quæ carni placent, propensæ. Quo contra anima, voluntas, et intellectus, quatenus carnales affectus superant, et spiritualibus intendunt, *mens, et spiritus* vocantur.

Dubita-  
tio alia.

92. Sed circa hoc ipsum rursus quæri potest, an prædictæ potentiæ subjiciantur concupiscentiæ, et ab illa inficiantur secundum totum positivum, quod habent ; an vero dumtaxat secundum aliquam sui quasi partem ; ita ut maneat in eis aliqua formalitas, vel respectus, qui concupiscentiæ infectione immediate, et formaliter non tangatur ?

Doctrina  
pro solu-  
tione.

Dicendumque est hoc posterius. Pro cuius intelligentia nota, in nostro appetitu sensitivo distinguendas esse duas inclinationes. Alia convenit ei ex sua ratione specifica, ut est potentia naturæ sensitivæ communis homini, et bruto : et secundum hanc solum respicit objecta sensibilia quatenus talia, præscindendo ab ordine, vel contrarietate ad rationem. Alia vero convenit illi ex conjunctione ad intellectum, et voluntatem, estque propria talis appetitus, quatenus est in homine, ut diximus disp. 10, a num. 60, et secundum istam inclinatur ad sequendum ductum ipsius voluntatis et intellectus ; vel saltem ad illis non repugnandum : atque adeo respicit prædicta objecta non præcise secundum se, sed ut cadunt, vel cadere possunt sub præscripto ejusdem intellectus. Imo adhuc hæc secunda inclinatio debet distingui, quatenus est ad sequendum ductum rationis rectæ ; et prout est ad sequendum imperium rationis deordinatæ : et etiam quatenus est ad agendum cum imperfecta libertate ; præcise quidem ad prædictum imperium : non tamen ad omnem rationis advertentiam, ut latius dictum est disp. citata a num. 83. Similiter etiam intellectus, et voluntas possunt considerari, vel ut præcise sunt potentiæ spirituales : quo modo solum respiciunt objecta hujus ordinis, neque ad sensibilia afficiuntur. Vel prout habent esse in hoc supposito prædicto appetitu sensitivo, ex conjunctione ad quem veluti materializantur, et ad sensibilia deflectunt, propriamque ipsius appetitus inclinationem sequuntur.

Quid tenendum  
de sensitivo appetitu ?

93. Hoc supposito, quod attinet ad hunc appetitum, dicimus esse subjectum concupiscentiæ secundum totam illam priorem

inclinationem, quæ est ad sensibilia secundum se. Secundum posteriorem vero non ita : nam saltem qua ratione est ad sequendum ductum rationis rectæ, nequaquam subest concupiscentiæ deordinationi, sed potius ei repugnat. Imo neque quatenus est ad sequendum rationem deordinatam ex ejus imperio, debet *concupiscentia* appellari, nisi tale imperium ex ipsa concupiscentia ortum habuerit. Et ratio est : quia processus concupiscentiæ semper habet initium ex appetitu sensitivo, indeque originatur : et quamvis ad rationem pertingat, non tamen est ex ipsa ratione ; quando autem prædictus appetitus ex rationis imperio primario movetur, totus processus ex ipsa ratione originatur, et ideo sive recte sive inordinate tendat, non debet concupiscentiæ attribui. Diximus *nisi tale imperium ortum habuerit ex concupiscentia, etc.* quia contingit, ut ratio ab appetitu sensitivo excitata iterum imperet motum ejusdem appetitus : et tunc ille motus utpote ex appetitu, et concupiscentia inchoatus jure reducitur ad ipsum appetitum, et tribuitur concupiscentiæ. Quando autem appetitus agit per imperfectam libertatem, insperato rationis imperio, etiam tendit formaliter sub infectione concupiscentiæ, et *concupiscentia* vocatur : quia licet operatio illa sit ex aliquo voluntatis participio ; est tamen ita materializata, et depressa ad propria ipsius appetitus, ut propter hanc depressionem ordinem rationis excludat ; et potissimum in illa resplendeat conditio, et materialitas talis appetitus.

94. De voluntate autem, et intellectu dicendum est non subesse concupiscentiæ, ut sunt potentiæ præcise spirituales, tenduntque ad objecta hujus ordinis : sed solum quatenus ex conjunctione ad appetitum sensitivum veluti descendentes a sua spiritualitate, corporalibus se immiscent, et ad sensibilia deflectunt. Unde privatio, quæ hujusmodi potentias in ratione concupiscentiæ constituit, solum est carentia illius vigoris, per quem in primo statu seipsas ab extorsione et insultibus appetitus sensitivi tuebantur ; illumque sub suo ordine continebant. Et eodem modo dicendum est de anima rationali, quam etiam diximus per concupiscentiam tangi. Ratio vero est illa, quam insinuavimus : quia videlicet origo concupiscentiæ est ex inferiori, et materiali appetitu : et ideo solum habet potentias superiores tangere, quatenus illi approximantur, et ad ipsum deflectunt.

Quid dicitur  
voluntate,  
et intellectu ?

Neque



Neque obest si dicas, quod prædictæ potentia, etiam ut sunt præcise spirituales, sunt defectibiles : ergo adhuc prout sic subsunt concupiscentiæ deordinationi. Respondetur enim negando consequentiam : quia non omnis defectibilitas potentia spiritualis pertinet ad concupiscentiam ; sed illa dumtaxat, quæ appetitum sensitivum concernit : quia vel ex illo est, vel in ordine ad illum. Unde in Angelis ante confirmationem in gratia, et in Adamo ante amissionem justitiæ originalis voluntas erat defectibilis, et defecit de facto ; nec tamen concupiscentiæ infectionem ullam habebat.

95. Tertio consequenter ad utramque præcedentem dubitationem potest quæri, quo pacto concupiscentia dicatur ad peccatum inclinare an scilicet formaliter attingendo ipsam malitiam, et contrarietatem ad rationem ; an vero solum materialiter, inclinando ad objecta, quæ alias rationi contrariantur ? Et esto hoc sit, vel illud, an taliter prædicta objecta respiciat, ut excludat alia, quæ rationi consonant ? Nec refert an de concupiscentia pro materiali, vel pro formali procedat dubitatio : quia eodem modo quoad præsens de utraque philosophandum est : cum concupiscentia secundum rationem positivam, et materialem ad idem tendat, circa quod illam expedit, et habilitat concupiscentia formalis, seu privativa. Atque in primis supponimus concupiscentiam, in quavis parte animæ resideat, semper excludere a suo motu, saltem præcise, conformitatem cum regula rationis : nam cum nulla pars animæ dicatur *concupiscentia*, nisi formaliter in quantum destituta est ordine rationis, quem tribuebat justitia originalis, et ex tali destitutione oriri non valeat conformitas cum prædicta regula, necesse est, quod omnis motus a concupiscentia elicitus, circa quævis objecta versetur, careat prædicta conformitate. Et inde est ut nullus actus formaliter honestus, et virtuosus, etiamsi circa delectabilia sensus, versetur, concupiscentiæ tribuatur.

Deinde loquendo de concupiscentia appetitus sensitivi dicendum est, quod secundum illam primam inclinationem, quæ convenit illi ex sua specie non inclinatur ad peccatum formaliter attingendo ipsam malitiam, sive contrarietatem ad rationem ; sed solum materialiter quatenus inclinatur ad objecta sensibilia, quæ alias rationi contrariantur. Neque ita ad hæc determinatur, ut non etiam sæpe tendat ad aliqua, quæ alias ra-

tioni consonant. Ratio quoad primum est : quia appetitus secundum prædictam inclinationem nullo modo attingit ad spheram rationis, neque limites sensibilis naturæ transcendit : atqui malitia formalis spectat ad ordinem rationis, et ordinem pure sensibilem excedit : ergo nequit attingi ab appetitu sic sumpto. Adde, quod appetitus illo modo acceptus non plus habet in homine, quam in bruto : sed in hoc non est capax attingendi malitiam formalem : ergo neque in illo. Adde secundo, quod malitia formalis nequit attingi per actum omnis libertatis expertem : sed appetitus secundum prædictam inclinationem nullam affert libertatem : ergo, etc.

96. Ex quo etiam habetur ratio quoad secundum : nam appetitus prout sic, indiscriminate fertur ad bonum delectabile, seu conveniens naturæ sensibili, neque ullo modo discernit, vel attendit, an alias consonet, vel dissonet regulæ rationis : hoc enim superat conditionem talis appetitus sic sumpti : sed contingit aliqua, quæ rationi consonant, esse ita delectabilia, et conformia naturæ sensibili, sicut alia, quæ dissonant : ita enim potest esse delectabilis cibus necessarius, et licitus, sicut prohibitus, et superfluous, et actus matrimonialis, sicut luxuriosus : ergo non est cur appetitus secundum prædictam inclinationem determinate feratur in ea, quæ rationi dissonant excludendo quæcumque illi consonant. Quicquid ergo homo ante omnem rationis advertentiam appetit, sive sit rationi consonum, sive dissonum, dicendum est illum actum ex concupiscentia oriri.

Si autem sermo sit de prædicto appetitu, quatenus in homine ex conjunctione ad voluntatem participat libertatem imperfectam, vel in quantum habet sequi imperium rationis deordinatæ, non solum materialiter, sed etiam formaliter inclinatur ad peccatum : quia prout sic habet sufficientem elevationem ad attingendam formalem malitiam ratione ejus, quod ex voluntate participat. Neque ex hoc inferas, appetitum secundum aliquam inclinationem naturalem tendere formaliter ad peccatum : quia hæc, secundum quam diximus ad illud tendere, non est inclinatio naturalis, sed contra, vel præter naturam : imo non est dicenda simpliciter inclinatio, sed ejus imperfectio, et defectibilitas, ut diximus supra disp. 12, num. 20.

De concupiscentia autem, quæ in aliis potentiis residet, tunc dicendum est inclinare

Quid de reliquis potentiis ?

formaliter ad peccatum, quando cum aliqua libertate fertur in objecta rationi dissona. Secus vero quando vel sine ulla libertate fertur, vel ad ea dumtaxat, quæ non dissonant rationi.

Quarta  
dubita-  
tio, et  
ejus re-  
solutio ?

97. Quarto inquires, an *concupiscentia* omnino sit eadem, quæ *sensualitas*; vel in quo differant? Respondetur, sæpe utrunque nomen confundi, et pro eodem accipi: si tamen res attente consideretur, inveniemus inter eas distinctionem, ratione cujus sensualitas non ita sonat in malum, neque a linea boni arcetur, sicut *concupiscentia*. Distinctio autem videtur stare penes hoc, quod *concupiscentia* dicit in recto, et pro formali defectum ordinis, quem explicuimus. et solum pro materiali positiva potentiarum, in quibus est talis defectus: et idem dicunt aliqua alia nomina, quibus *concupiscentia* exprimitur: ut *fomes peccati*, *lex carnis*, *languor naturæ*, et hujusmodi. At vero sensualitas dicit in recto ipsas potentias secundum sua positiva; prædictum vero defectum solum de connotato, et in obliquo.

Ex hoc autem fit, ut sensualitas possit a sua corruptione sanari (quamvis id in hac vita sine miraculo perfecte fieri non valeat, ut probat D. Thom. quæst. 25 de verit. art. 7) quia cum non sit ipsa infirmitas, et deordinatio, sed ejus subjectum, potest ab illa separari, et separata manere. *Concupiscentia* vero cum dicat in recto ipsam infirmitatem, et non possit separari a se ipsa, nequit ullo modo sanitati subesse. Unde per gratiam patriæ *concupiscentia*, et *fomes*, *lex carnis*, et hujusmodi non tam dicentur *sanari*, quam *tolli*, et *destrui*: sensualitas autem non destruetur; sed curabitur, et liberabitur ab infectione, cui nunc subjacet. Quia tamen multoties nomen *sensualitatis* stat pro illa, quæ subest infectioni, inde est ut sæpe convertatur cum *concupiscentia*, et pro eodem sumantur: ut supra ad art. 4, quæst. 74 animadvertimus. Est et aliud discrimen: quoniam *concupiscentia*, quæ nunc est, dicit carentiam ordinis ad rationem ut privativam, et ex peccato ortam: quod sensualitas non exprimit et ideo magis proprie dicitur hæc, quam illa de appetitu bruti, in quo est talis carentia per modum negationis. Neutrius tamen nomen convenit ei cum omni proprietate: quia utraque sic accepta requirit, ut in eodem supposito sit alia pars superior, scilicet ratio, cui secundum se non plene subdatur.

98. Denique rogabis, an homo in statu naturæ puræ haberet *concupiscentiam*? In qua dubitatione aliqui respondentes negative, eam rationem tradunt: quia homo in illo statu haberet quendam vigorem ad continentium sub ratione appetitum; non quidem ita efficacem, sicut ille, quem tribuebat justitia originalis: quia non omnino tolleretur a potentiis inferioribus possibilitatem insurgendi contra rationem, sicut prædicta justitia auferebat; sufficientem tamen ut possent etiam longo tempore non insurgere; vel si insurgerent, facillime sedari: et hac via a peccatis etiam venialibus sine majori gratia diu abstinere: hujusmodi autem vigor tolleretur *concupiscentiam*.

Sed hæc responsio non videtur ad rem: quia status naturæ omnino puræ, de quo procedit interrogatio, præcise dicit illa, quæ naturæ humanæ ex suis essentialibus principiis debentur, indeque oriuntur: prædictus autem vigor non oritur, neque debetur ex hujusmodi principiis; alias etiam modo, et in quovis statu daretur, sicut dantur reliqua positiva omnino naturalia: igitur qui recurrit ad talem vigorem, eo ipso non considerat statum naturæ omnino puræ. Quod si homo cum illo a Deo conderetur; potius talis status pertineret ad alium, qui vocatur *naturæ integræ integritate ordinis naturalis*, vel ad eum reduceretur, quam ad statum naturæ puræ.

Alii vero considerantes in eo statu illa dumtaxat, quæ humana natura ex se affert, admittunt fore tunc *concupiscentiam*: quia vires inferiores æque ac nunc essent destitutæ ordine rationis, et eadem pronitate tenderent ad objecta sensibilia rationi contraria, ipsique rationi in multis contradicerent, et sæpe eam prævenirent: quod totum munus est *concupiscentiæ*. Verum neque hic modus dicendi omnino placet: quia cum *concupiscentia* sit mala homini, et peccati effectus, non videtur locum habitura ante peccatum.

99. Sed levis est quæstio, si ad rem attendamus. Num loquendo de *concupiscentia* prout nunc est, non daretur in illo statu: quia licet natura in suis potentiis eodem modo esset destituta rectitudine rationis; hæc tamen destitutio non esset privatio, sed negatio dumtaxat: quia talis rectitudo tunc non fuisset debita. Unde neque ejus carentia haberet rationem mali, sicut modo habet: neque aliquam requireret causam. ut diximus disp. præcedenti num. 21. Si vero loquamur de *concupiscentia* quantum ad

Dubita-  
tio ulti-  
ma et  
respon-  
sio ali-  
quorum.

Displece  
solutio

Solut  
alia

Diri  
turq  
ti

ad

ad effectus, eosdem haberet tunc, quos nunc habet : quia cum anima, et potentia carent omni ea perfectione, quam de facto per peccatum amiserunt, eodem modo propenderet ad bona sensibilia sicut de facto : et eodem modo appetitus sensitivus iudicium rationis anteverteret, et ad malum inclinaret. Neque quantum ad hoc aliquid referret, quod illa carentia esset negatio, vel privatio. Si vero postules, an talis carentia negativa appellaretur tunc *concupiscentia*, sicut privativa nunc appellaretur? Nemo tibi dicet, quo vocabulo homines illius status eam nuncuparent. Nomen autem, quod de facto habemus, pro sola hac nostra carentia privativa inventum videtur. Neque erit inconveniens, si etiam extendatur ad negativam, quae esset in praedicto statu : dummodo caute, et sine periculo eas confundendi id fiat.

Nomine autem *sensualitatis* potiori jure etiam sine ullo addito possemus pro statu illo sicut pro praesenti uti : quia ut num. 97 dicebamus, sensualitas neque postulat, quod sit orta ex peccato, neque quod carentia perfectionis, quam affert, sit privativa, sicut postulat concupiscentia : et ita nulla est ratio, ut potentiis sensitivis illius status renuamus sensualitatis nomen concedere. Porro qui et concupiscentiam simpliciter in eo statu futuram fuisse contenderit, consequenter dicet non esse de ejus ratione essentiali carentiam privativam ; sed sufficere negativam, cum capacitate tamen respectu perfectionis oppositae, et illius debiti, ut innuimus num. 86.

### § III.

#### *Posteriori dubii pars absolvitur.*

Veniamus ad secundum, quod in titulo dubii proposuimus : videlicet qualiter praedicta concupiscentia ad peccatum originale se habeat? In quo debemus aliqua tanquam certa supponere. Primum est, concupiscentiam ortum habuisse ex peccato Adami, ante quod propter justitiam originalem rectificantem omnes animae vires locum non habebat : sed amissa per illud hujusmodi justitia, mansit tota natura humana destituta, et privata praedicta rectificatione, proindeque concupiscentiae labe infecta. Et hac ratione dixit Tridentinum ses. 5, concupiscentiam esse ex peccato. Neque solum respectu peccati Adami habet rationem effectus, sed etiam respectu originalis ad nos

transmissi. Cum enim formalis hujus ratio consistat in privatione originalis justitiae secundum ejus effectum primum, ut dicemus dubio sequenti ; concupiscentia vero sit privatio ejusdem justitiae quantum ad effectus secundarios, oportet ut ita se habeat concupiscentia ad ipsum peccatum, sicut praedicti effectus secundarii se habent ad primum : inter quos satis constat esse ordinem causae, et effectus : quia effectus secundarius consequitur, et inducitur ex primario. Sicut ergo prima rectitudo, quam originalis justitia conferebat, erat ratio, et causa omnium caeterarum : ita privatio illius habet se ut ratio, et causa omnium aliarum privationum. Neque obest quod disp. praecedenti dub. 3, diximus concupiscentiam esse causam peccati originalis per modum instrumenti Adami ; et ita non videtur, quod possit esse effectus. Nam ibi loquebamur de concupiscentia, quae est in patre respectu peccati originalis existentis in filio ; modo vero loquimur de concupiscentia uniuscujusque respectu peccati in ipso existentis : et sic nulla est contradictio.

101. Deinde ut certum supponi debet, concupiscentiam secundum se non esse formaliter peccatum, neque originale, neque personale, nam ita docuit Concilium Tridentinum. citata, ubi fatetur manere concupiscentiam in baptizatis, et de ea sic diffinit : *Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse, peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit ; sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.* Ex quo loco manet omnino condemnatus error Luteri, Calvinii, et aliorum haereticorum asserentium peccatum originale non esse aliquid praeter ipsam concupiscentiam : atque adeo nec tolli per baptismum ; sed tantum radi, aut non imputari : quod paulo superius Concilium damnaverat. Ex hoc autem perspicue habetur veritas, quam supponimus : quia si concupiscentia manet post baptismum ; peccatum vero non manet, plane sequitur, illam secundum se non esse formaliter peccatum ; alias vel utrumque, vel neutrum post baptismum permaneret. Eandem veritatem docuit D. Augustinus lib. 6 contra Julia. cap. 7, ubi sic ait : *Percipitur autem in baptismo christiano perfecta novitas, perfecta sanitas ab eis malis nostris, quibus eramus rei ; non ab*

Trid.  
ses. 5.

D. Aug.

*eis cum quibus adhuc confligendum est, ne simus rei.* Cum ergo peccatum sit, quo effimur rei, et digni pœna; concupiscentia autem sit contra quam pugnamus, ne nos in peccatum trahat, et reos efficiat: plane sequitur, illud tolli per baptismum: hanc vero etiam post baptismum remanere: atque adeo non esse ipsum peccatum formaliter.

Nec refert si dicas, hinc solum probari concupiscentiam non esse formaliter peccatum in baptizatis, de quibus Concilium, et Augustinus loquuntur; secus in non baptizatis, quorum non meminere. Nam contra est, quod si concupiscentia secundum se esset formaliter peccatum, sicut non potest separari a seipsa, sic non posset ab eo separari: atque adeo ubicunque daretur concupiscentia, daretur formaliter ipsum peccatum. Si igitur hoc tollitur per baptismum, et illa permanet, manifestum est, neque ante baptismum ipsam concupiscentiam secundum se fuisse peccatum formaliter.

102. Sed objicies: quia concupiscentia adhuc post baptismum est mala homini, utpote repugnans naturali ejus inclinationi ad bonum virtutis: sed non est præcise malum pœnæ; alias esset a Deo qui pœnâs infligit: ergo secundum se est malum culpæ, atque adeo formaliter peccatum.

Respondetur, concupiscentiam pertinere ad utrunque genus mali, scilicet culpæ, et pœnæ. Nam qua ratione dicit ablationem, et carentiam illius doni, quo natura hominis in seipsa perficiebatur, nullo considerato ordine ad voluntatem, vel ad peccatum, habet rationem pœnæ, et prout sic est a Deo modo explicando infra a num. 130. Quatenus vero ad agendum contra ordinem rationis inclinât, vel hunc ordinem ab actu excludit, pertinet ad malum culpæ, et non est Dei effectus, sed peccati originantis Adami, et originalis ad nos transmissi: non tamen etiam prout sic secundum se est peccatum, vel culpa formaliter neque habitualis, neque originalis, neque actualis; sed tantum causaliter quatenus ad peccandum habilitat, et inducit. Quemadmodum habitus vitii (cui concupiscentia ipsa valde assimilatur) non est peccatum formaliter neque actuale, neque habituale, et ideo potest esse simul cum gratia: dicitur tamen peccatum causaliter, quia inclinât ad illud, et ejus malitiam præcontinet: et hoc sufficit, ut secundum hanc rationem effectus Dei esse non valeat; imo ut ab illo odio

habeatur et ab hominibus vituperetur: sicut etiam propter eandem rationem odio habetur, et vituperatur concupiscentia: et secundum prædictam rationem a divina causalitate excluditur.

103. Tertio possumus quoque supponere (saltem ut quid a Thomistis communiter receptum) concupiscentiam aliquo modo habere se de materiali respectu peccati originalis, et aliquo modo posse dici ejus materiam: hoc enim adeo expresse continetur in pluribus D. Thomæ locis, ut nullus ejus discipulus ausus fuerit negare. Quare præsentis dubii difficultas in eo dumtaxat sita est, num concupiscentia vere et proprie sit materia talis peccati, ita quod ipsum componat, et ejus prædicationem cum proprietate suscipiat: sicut lignum est materia statuæ, et sicut in peccato actuali entitas se habet ut materia respectu malitiæ: an vero large, et improprie materia appelletur, ex eo solum quia consequenter, et illative ad prædictum peccatum se habet.

104. Conclusio autem sit, concupiscentiam esse materiam peccati originalis non utcumque, sed cum veritate, et proprietate explicata. Ita tenent Cajetanus, et Conradus in præsentî art. 3, Ferrara 4 contra gent. cap. 52, Capreolus in 2, dist. 30, quæst. 1, art. 1, conclus. 4, Montesinos art. 3 hujus quæstionis disp. 12, quæst. sua 2, dicens esse communem apud Theologos. Et est præculdubio sententia D. Thomæ in hoc 8 art. ubi eam pro conclusione statuit dicens: *Peccatum originale materialiter quidem est concupiscentia.* Et quæst. 3 de mal. art. 7, in corp. sic concludit: *Ignorantia, et fomes sunt materialia in originali peccato, sicut conversio ad bonum commutabile in actuali.* Et quæst. 4, art. 2, multoties id repetit tam in corpore, quam ad argumenta: in solutione vero ad 11 sic ait: *Concupiscentia potest dupliciter considerari: uno modo secundum quod est in alio: et hoc modo concupiscentia, quæ est in patre, ponitur causa originalis peccati, quod est in filio, et non est de essentia ejus, sed præcedit ipsum. Alio modo potest considerari secundum quod est in eodem: et est causa per modum materiæ, quæ est de essentia rei, et præcedit quodammodo per modum materiæ, sicut corpus præcedit animam in ordine causæ materialis, etc.* Non minus clare loquitur in 2, dist. 30, quæst. 1, art. 3 ibi: *Est considerare materiale, et formale in actibus moralibus, sicut in rebus artificialibus, in quibus materia de toto prædicatur, ut possit dici, cultellus*

Concl.  
sio.

Cajet  
Conra  
Ferra  
Capreol  
Monte  
D.Tho

*lus et ferrum : et similiter de peccato prædicari potest illud, quod est materiale in ipso et per hunc modum peccatum originale concupiscentia dicitur.*

Quæ testimonia (et alia quæ brevitatis causa omittimus) adeo expresse sunt pro nostra assertionem, ut nullam congruam explicationem in contrarium admittant. Sive enim attendamus ad verba, sive ad exempla, quæ in eis afferuntur, constat sermonem esse de materiali, et de materia proprie dicta : sicut est materia rerum artificialium, quæ intrat ad compositionem totius, et totum de illa, ipsaque de toto prædicatur : et sicut in moralibus actus non solum interior, sed etiam exterior habet se ut materia componens respectu peccati actualis : in eodemque peccato actuali conversio, et entitas positiva habet se ut materia respectu malitiæ, et aversionis. Quod et nihil ultra intendimus : nam id sufficit, ut de concupiscentia, quæ peccato originali conjuncta est, absolute verificentur istæ prædicationes, *concupiscentia est peccatum originale, peccatum originale est concupiscentia* : non ut essentialis, et quidditivæ ; sed ut denominativæ, et accidentales : sicut in eodem sensu absolute conceduntur istæ, *lignum est statua, statua est lignum : actus humanus est peccatum ; peccatum est actus humanus*, sive sit sermo de actu interiori, sive de exteriori. Neque ad veritatem sententiæ nostræ refert, an prædicta materia sit materia intrinseca, et physice componens cum forma : sicut lignum componit cum forma statuæ, et actus interior voluntatis cum malitiæ : vel sit materia extrinseca, et componens moraliter : sicut actus exterior componit cum malitiæ actus interioris : quodeunque enim istorum sufficit, ut prædicatio in sensu denominativo sit vera.

105. Ut autem rationem tradamus, animadvertendum est, de peccato originali, ejusque extensione, compositione, et partibus eo proportionali modo esse nobis discurrendum, si considerationem D. Thomæ sequi velimus, sicut in similibus discurremus de peccato actuali : cum ea tamen differentia, quod actuale cum sit peccatum personæ, ad personalia tantum se extendit, quæ sunt actiones, et motus : originale vero quia est peccatum naturæ, diffunditur per ipsam naturam, et ejus partes, quæ sunt potentiæ. Unde ita se habere debent deordinationes diversarum potentiæ ad componendum, et integrandum peccatum

originale : sicut diversi actus deordinati se habent ad actuale constituendum. Porro in peccato actuali ita evenit, ut in primo actu libero, qui est actus voluntatis, sit malitia primo et per se : ac proinde sit in eo prima, et formalis ratio totius peccati : quia talis ratio attenditur per ordinem ad finem, qui est voluntatis objectum : reliqui vero subsequentes actus, qui illius prioris motionem participant, habent se ut materia, quæ integrat, et componit tale peccatum, et ex ordine ad ipsum actum voluntatis denominationem *peccati* suscipit. Hac quippe ratione non modo actus intellectus, et appetitus, sed etiam motus omnino externos, ut manuum, et pedum, quoties ex actu peccaminoso voluntatis imperantur, dicimus vere, et proprie *peccata* ; licet in se non habeant intrinsecam malitiam : quia sunt partes moraliter componentes materiam, ex qua, et ex malitiæ actus voluntatis integrum concretum peccati coalescit.

Juxta hunc ergo modum de peccato originali discurrendo, taliter debemus illud construere, ut primaria, et formalis ejus ratio sit deordinatio primæ partis naturæ, quæ est anima, vel voluntas : deordinationes vero aliarum partium, sive potentiæ, quæ ab illa prima moventur, uti sunt intellectus, et appetitus sensitivus ; imo et deordinationes ipsius animæ, et voluntatis, prout dicunt quid in eis secundarium, habeant se tanquam integrantes, et componentes materiam talis peccati, suscipientesque hac via peccati denominationem a deordinatione formali, et primaria, quæ in anima, vel voluntate immediate existit. Cum ergo concupiscentia non sit aliud, quam deordinatio prædictarum partium animæ, quæ a voluntate moventur, inducta et causata ex prædicta deordinatione primaria, nihil illi deesse potest, quominus vere, et proprie juxta sensum explicatum dicatur materia peccati originalis, et ut talis prædicetur de illo, et e converso. Neque operæ pretium duximus in hujus comprobationem plura adducere, cum res non sit magni momenti, et forte aliquid de modo loquendi contineat. Videatur Ang. Doctor citata dist. 30, quæst. 1, art. 3 et quæst. 4 de malo cit. art. 2, ubi hanc rationem latius prosequitur.

106. Si autem inquiras, cum in concupiscentia sint illa duo, quæ supra distinximus, videlicet materiale, quod est positivum, et formale, quod est privatio, secundum quam rationem dicatur materia

Formatur ratio.

respectu peccati originalis? Respondetur, si sermo sit de materia proxima et per se, solam privationem ad eam pertinere: quia hæc dumtaxat descendit ad nos per originem ex peccato Adami, et ex ratione formali ipsius peccati originalis consequitur. Si autem de materia remota, et quasi per accidens loquamur, etiam positivum concupiscentiæ potest dici materiale in prædicto peccato, quatenus ejus materiæ proximiori substernitur.

#### § IV.

##### *Quæ obstent ultimæ assertioni?*

Primum argum. Curiel. Greg. Mart. Cordub. Contra hanc ultimam assertionem sentiunt Curiel in præsentibus dub. 2 et Gregorius Mart. dub. 3, conclus. 2; refertur etiam Corduba lib. 2, quæst. 10, opinione 6, quorum sententiæ probari potest primo. Nam Concilium Trid. negat contra hæreticos, concupiscentiam esse vere, et proprie peccatum: si autem esset materia originalis modo a nobis exposito, cum veritate, et proprietate *peccatum* denominaretur: ergo, etc.

Confirmatio. Confirmatur: nam qui ita asserunt, favent modo loquendi prædictorum hæreticorum nolentium distinguere peccatum originale ab ipsa concupiscentia, et hac via asserentium manere in nobis post baptismum: cum autem ab illis non modo in re, sed etiam in vocibus recedere oporteat, non videtur adeo tutum prædictam assertionem sustinere.

Solutio argumenti. 107. Respondetur, Concilium non utcunque negasse concupiscentiam esse peccatum, sed addit *in renatis*, quia cum in istis per baptismum peccatum originale quantum ad suum formale omnino tollatur, non est a quo concupiscentia remanens possit vere, et proprie *peccatum* denominari: sicut si a ligno auferatur statuæ figura, non erit jam unde *statua* vocetur: et si a peccato actuali tollatur malitia interior, quamvis remaneat actus exterior, non erit dicendus jam *peccatum*. Per hoc autem Concilium non negavit, quod in non baptizatis, in quibus adest formalis ratio originalis culpæ, concupiscentia vere et proprie ab ea *peccatum* denominetur: imo id satis innuit: nam limitatio illa *in renatis*, potius firmat regulam in contrarium.

Solutio confirmationis. Ad confirmationem respondetur, sententiam nostram longe abesse a modo loquendi hæreticorum: nam illi concupiscentiæ se-

cundum se tribuebant rationem formalem peccati; et ita non tantum denominative, sed quidditative, et independenter a quovis alio, *peccatum originale* eam nuncupabant: hacque ratione contendebant, hujusmodi peccatum quantum ad suum formale non vere remitti, et tolli per baptismum; sed quasi tegi, vel radi, quia concupiscentia per illum non aufertur. A quo loquendi modo omnino absunt, qui nobiscum tenent, prædictam concupiscentiam pertinere ad materiale dumtaxat illius peccati, et solum accidentaliter denominationem ejus suscipere: possetque proinde separari a ratione formali prædicti peccati, ejusque denominationem omnino amittere, sicut separatur, et amittit per gratiam baptismi. Verum tamen est, majori circumspectione loquendum esse post Lutheranam hæresim in his, quæ ad peccatum originale spectant; quam temporibus D. Augustini, et D. Thomæ, illa nondum exorta, fuisset necessarium. Unde propositiones istæ: *peccatum originale est concupiscentia, concupiscentia est peccatum originale*, quæ tunc de non baptizatis sine addito, et sine distinctione secure proferrentur, modo recte distinguuntur, et non admittuntur nisi addito *materialiter*, vel alio simili. Non tamen idcirco vera sententia, et verus dicendi modus est derelinquendus, quia ab errore illo minus distet, quam error contrarius: ut enim ad aliud intentum dixit Augustinus, *non debent oves pelles suas deponere, quia aliquando eis lupi se contegant*.

108. Secundo probatur: nam quod se habet per modum materiæ in aliquo composito, est talis conditionis, ut neque possit separari a forma, neque forma illo secluso permanere. Sed concupiscentia separatur per baptismum a formali peccati originalis; et hoc formale potest etiam permanere seclusa omni concupiscentia: ergo, etc. Major probatur in peccato actuali, v. g. odii Dei, in quo neque entitas, quæ se habet ut materia potest separari a malitia; neque malitia, quæ est forma, potest separari ab entitate. Minor vero quoad secundam partem suadet (quoad primam enim est perspicua) quia in animabus separatis decedentibus sine baptismo manet formaliter prædictum peccatum; et tamen non manet concupiscentia, siquidem carent appetitu sensitivo: ergo, etc.

Confirmatur: nam posset Deus adhuc in hac vita tollere ab aliquo omnem concupiscentiam relinquendo peccatum originale, ut si non communicata gratia, tribueret ei illam

D. Aug. lib. 2 de serm. Domini in monte cap 12.

Argumentum secundum.

Confirmatio.

illam rectitudinem, et illum vigorem naturalem, quem originalis justitia conferebat, in cujusque privatione concupiscentia sita est: ergo saltem in hoc casu potest manere formale peccati originalis sine aliqua concupiscentia.

Respondetur, majorem saltem quoad primam partem non esse veram universaliter: quia in compositis accidentalibus, et artificialibus, ad cujus similitudinem peccata, et composita moralia se habent, multoties perseverat materia, seclusa forma: destructa enim figura statuæ, manet lignum; et destructa forma cultelli, manet ferrum: imo in ipsis compositis moralibus sæpe id accidit: nam actus comedendi carnes tempore prohibito est materia peccati gulæ; et nihilominus si talis actus continuetur, quousque cesset prohibitio, manebit ex tunc malitia, quæ erat forma prædicti peccati. Non est ergo sufficiens ratio excludendi concupiscentiam a materiali peccati originalis, quod sine ejus formali perseveret. Si autem in odio Dei, et similibus nequit entitas permanere sine malitia, id provenit ob specialem connexionem inter illa extrema: non vero propter conditionem generalem materiæ, et formæ. Secunda pars majoris de lege ordinaria videtur concedenda ad hunc sensum, ut forma non possit conservari, seclusa omni materia. Sed tunc neganda est secunda pars minoris: et ad probationem dicendum animas separatas infectas peccato originali non carere omni concupiscentia, quia adhuc retinent carentiam illius vigoris, quem justitia originalis ponebat in ipsa anima, et in spiritualibus potentiis, quam carentiam num. 90, sub concupiscentia comprehendimus. Quod autem deficiat illa concupiscentiæ portio, quæ residet penes appetitum sensitivum, nihil refert: quia regulariter non tota materia est de necessitate compositi, præsertim in his concretis accidentalibus; sed sufficit conservari aliquam partem, ut forma permaneat.

109. Neque obest si urgeas, quod in anima, et potentiis spiritualibus non habet locum concupiscentia, nisi ut sunt trahibiles ad sensibilia per appetitum sentientem, atque adeo nisi sint corpori conjunctæ: ergo ubi separatæ manent, exuunt omnem concupiscentiæ rationem. Respondetur enim, tam animam, quam prædictas potentias adhuc separatas conservare aliquid concupiscentiæ: quia semper retinent ut quantum est ex se, et ex vi destitutionis

justitiæ originalis possint ad sensibilia trahi; licet de facto dum abest corpus, et ejus appetitus, ad illa non deflectant. Quod si defectum istum renueris appellare *concupiscentiam formalem*, seu *proximam*; saltem constituere debet concupiscentiam radicalem, et hæc sufficet.

Ex quo ad confirmationem dici posset, adhuc in illo casu manere concupiscentiam radicalem: quia deficiente originali justitia secundum effectum primarium, sicut necesse est deficere, dum adest peccatum, saltem permaneret debitum carendi prædicto vigore; licet Deus miraculose, et supra naturæ ordinem operando, ipsum vigorem infunderet: quando autem tale debitum permanet, dici potest dari concupiscentiam radicalem: quia datur radix carentiæ constituentis formaliter concupiscentiam, nempe prædictum debitum. Secundo respondetur, ex hoc quod peccatum originale in hoc vel alio casu possit manere sine ulla concupiscentia, solum sequi hanc non esse materiam illius omnino necessariam: non vero quod careat requisitis, ut dum simul inveniuntur, habeat se per modum materiæ respectu prædicti peccati, et moraliter de illo informetur. Imo non sequitur, ipsum peccatum posse manere aliquando sine omni materia: nam præter concupiscentiam, in ipsamet privatione effectus primarii originalis justitiæ datur aliquid gerens munus materiæ, nempe carentia talis effectus, non ut dicit determinate privationem, seu ejus differentiam, quo pacto spectat ad formale peccati; sed ut dicit rationem carentiæ communem privationi, quæ modo est; et negationi, quæ esset in pura natura. Hæc enim ratio communis carentiæ inseparabilis est a prædicto peccato, et habet se ut materia respectu alterius formalitatis, quæ constituitur in esse privationis voluntariæ ipsius peccati constitutivæ. Et hæc solutio tollit difficultates, quæ contra præcedentes poterunt insurgere.

Neque objicias contra illam, quod num. 89, *concupiscentiæ* nomine intelleximus omnem defectum, qui est materia peccati originalis. Nam ibi loquebamur de defectibus privativis; qualis non est hæc carentia sumpta secundum prædictam rationem communem. Et etiam loquebamur de illis defectibus, qui differunt re ipsa saltem negative a ratione formali prædicti peccati, et ex illa derivantur: quod minime habet prædicta ratio communis carentiæ.

110. Tertio arguitur. Peccatum originale

Solutio  
argu-  
menti.

Ad con-  
firmatio-  
nem  
solutio.

Solutio  
alia  
argu-  
menti et  
confir-  
matio-  
nis.

Replica.

Enoda-  
tur.

Tertium argu-  
mentum,  
et confir-  
matio.

ejusdem rationis est in nobis, atque fuit in Adamo; sed in illo non habuit pro materia concupiscentiam: ergo neque in nobis.

Solutio  
ad argu-  
mentum.

Confirmatur: nam respectu peccati habitualis personalis neque concupiscentiam, neque aliquid aliud ab ipsa privatione gratiæ distinctum assignamus pro materia: ergo neque respectu originalis debet assignari; cum non sit major ratio de isto, quam de illo.

Respondetur concedendo majorem intellectam de peccato habituali, quod mansit in Adamo; secus si intelligeretur de peccato illius actuali juxta ea, quæ diximus num. 77. Sed neganda est minor de eodem peccato habituali intellecta: quia prædictum peccatum vere fuit peccatum naturæ, sicut est originale, quod ad nos descendit, proindeque totius naturæ, seu omnium potentiarum infectio debuit ad illud saltem materialiter concurrere. Et quamvis Adamus non acceperit tale peccatum per originem, sicut nos accipimus, hacque ratione non ita proprie in illo sicut in nobis potuerit dici *originale*: quia tamen fuit effectus sui peccati actualis, prout erat peccatum capitis naturæ, et fuit privatio doni, quod pro tota natura acceperat, nihil illi defuit, quominus peccatum naturæ appelletur, et sit, ita vere, et proprie, sicut nostrum originale.

Ad confir-  
mationem.

Ad confirmationem transtat antecedens, et negetur consequentia propter duplicem disparitatem. Prima est, quod concupiscentia respectu peccati personalis non habet rationem effectus, sicut habet respectu originalis: quod tamen erat necessarium, ut denominationem peccati per modum materiæ ab illo susciperet. Secunda est, quod ad peccatum personale non pertinent nisi defectus, qui sunt proprii ipsius personæ, qualis est privatio gratiæ per personale peccatum inducta: ipsa quippe gratia, quæ per tale peccatum expellitur, solum est donum personale: concupiscentia autem est defectus totius naturæ: et ita non debet sub prædicto peccato comprehendi.

Replica.

111. Sed urgebis: quia saltem habitus vitii, qui per actus peccati acquiritur, habet respectu peccati habitualis quicquid concupiscentia habere potest respectu originalis, et non idcirco dicitur ejus materia.

Enerva-  
tur.

Ad hanc replicam possemus non improbabiler, admissa majori, negare minorem: quia non videtur admodum inconueniens concedere, habitum vitii pertinere ad materiale peccati habitualis. Melius tamen

respondetur negando majorem: quia prædictus habitus nullo modo est effectus peccati habitualis, sed solius actualis: unde si respectu alicujus ex illis esset materia, non respectu illius, sed respectu istius id haberet: cujus tamen materia esse non potest, quia cum peccatum actuale in actu consistat, ex his tantum potest coalescere, quæ per modum actus secundi se habent, ut recte vidit D. Thom. quæst. 4 de mal. art. 2 ad 4 ubi sic ait: *Nec tamen sequitur, si habitualis concupiscentia positive accepta (scilicet pro habitu vitii) non habet rationem peccati actualis, secundum quod causatur ex actibus personæ, quod propter hoc habitualis concupiscentia per remotionem accepta non habeat rationem originalis peccati, secundum quod ex actu primi parentis causatur: quia peccatum originale non eadem ratione dicitur peccatum, quia est actuale: quia actuale peccatum in actu voluntario alicujus personæ consistit: et ideo quod ad talem actum non pertinet, non habet rationem actualis peccati. Sed peccatum originale est personæ secundum naturam, quam ab alio traxit per originem: et ideo omnis defectus in natura proles inventus derivatus a peccato primi parentis habet rationem peccati originalis, dummodo sit in subjecto, quod sit susceptivum culpæ. Nam, sicut Augustinus dicit in 1 Retractat. concupiscentia dicitur peccatum, quia est a peccato facta.*

Adde majorem proportionem reperiri inter concupiscentiam, et peccatum originale ex una parte, ut unum sit materia alterius, quam inter habitum vitii, et peccatum habituale personale ex alia: quia in primo exemplo tam concupiscentia formaliter accepta, quam peccatum originale est aliquid privativum; in secundo autem peccatum habituale est privativum, habitus vero vitii est forma positiva.

112. In fine hujus dubii animadvertere placuit, consulto nos omississe examinare alium dicendi modum, qui se offerebat: juxta quem strictius adhuc, et magis per se quam diximus, concupiscentia ante remissionem originalis peccati ad ejus essentiam spectet. Ita nimirum ut privatio illa concupiscentiæ sive quæ est in appetitu sensitivo, sive quæ in aliis potentiis, prout orta ex voluntate, et peccato Adami et intrinsece sit mala, et peccaminosa, formalisque malitiæ ratio intrinsece illi competat. Propterea tamen dicatur non ad formale, sed ad materiale prædicti peccati pertinere: quia respectu alterius rationis formalioris, et principalioris



principalioris in eo repertæ, illius videlicet, quæ est in anima, et voluntate, de materiali se habet: quatenus et est ejus effectus; adeo ut sine respectu ad illam mala non sit: et per ipsam determinatur, et formalizatur in ordine ad prædictum peccatum constituendum. Ad eum sane modum, quo disp. 10, dub. 1, diximus malitiam peccati actualis non solum reperiri intrinsece in actu voluntatis, sed etiam in actu appetitus sensitivi, et in actu intellectus: ex quo, et ex ipso actu voluntatis sicut ex materiali et formali integrum peccatum coalescit. Adest quippe non levis ratio ad philosophandum pariformiter de utroque peccato quantum ad hoc. Nam sicut in utroque prædictorum actuum est sua libertas actualis intrinseca, et distincta, et ideo utriusque deformitas habet veram, et intrinsecam malitiæ rationem; licet cum subordinatione et dependentia, quam disp. citata explicuimus: ita quia in omnibus prædictis potentiis est intrinseca libertas habitualis, forte non immerito earum omnium defectibus prout ex peccato Adami ortis, et ab eo voluntariis, atque ut stantibus sub dependentia a defectu formaliori, qui est in anima, originalis malitiæ ratio intrinsece tribueretur. Neque ideo qui hunc dicendi modum tueri vellet, cogeretur dicere, privationem, et defectum in appetitu, vel aliis potentiis post baptismum remanentem esse vere et proprie peccatum: ut hæretici loquuntur. Quia sublata ab anima per gratiam ratione potissima, et principaliori, atque omnino formali originalis culpæ, consequenter in ipsa gratiæ infusione per retractationem quasi virtutalem tolleretur a privatione, et defectu cujuscunque potentiæ tota ratio voluntarii terminativi orta ex Adami peccato, proindeque tota ratio malitiæ, quæ sine voluntario consistere nequit. Hunc ergo dicendi modum consulto examinare omittimus, ejusque judicium suspendimus, ne vel multorum discussione, a quibus non sic Thomistica veritas dependet, lectorem gravemus; vel forte scrupulis exponamus.

## DUBIUM V.

*Quæ sit propria et formalis ratio peccati originalis constitutiva?*

Habemus jam præ manibus celebriorem hujus disputationis difficultatem de formali constitutivo originalis culpæ: ad quam con-

sulto per præcedentia dubia gradum fecimus: quia, illis superatis, securius, et facilius in hujus decisione veritatem attingemus.

## § I.

*Vera sententia, et mens Ang. Doctoris.*

113. Dicendum est, propriam et formalem rationem constitutivam peccati originalis esse privationem gratiæ voluntariam nobis ex vi peccati Adami: seu (quod in idem redit) privationem originalis justitiæ prædicto modo voluntariam, non ut tollit omnes effectus, quod num. 88 distinximus; sed ut aufert præcise effectum primum communem ipsi justitiæ, et nostræ gratiæ, qui est sanctificare, et rectificare animam in ordine ad Deum, ut ibidem diximus. Ita sensit D. Dionysius de cœlesti Hierarchia cap. 2, ubi peccatum originale, a quo homo per baptismum liberatur, appellat *statum dissimilitudinis*: non alia ratione nisi quia sicut essentia justitiæ originalis secundum prædictum effectum in Dei participatione, et similitudine sita est, ita prædictum peccatum in privatione talis similitudinis consistit. Idem docuit Anselmus lib. <sup>D. Ans.</sup> de conceptu virg. cap. 26, ubi ait: *Peccatum originale aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus per inobedientiam Adæ, nisi nuditatem justitiæ*. Suntque hujus sententiæ plures alii Patres, quos disp. 6, num. 81 retulimus. Sed præ omnibus docet clarissime assertionem nostram Ang. Doctor tum in præsentis art. 3, ubi expresse ait, quod privatio originalis justitiæ est formale in peccato originali: omnis autem alia inordinatio virium animæ habet se in illo sicut quiddam materiale, et deinde concludit: *Peccatum originale materialiter quidem est concupiscentia; formaliter vero est defectus originalis justitiæ*. Deinde ad Roma. 5, lect. 3, explicans in quo consistat defectus, qui dicitur *peccatum originale*, sic inquit: *Est autem hic defectus carentia originalis justitiæ, quæ erat primo homini divinitus collata, non solum ut erat persona quædam singularis, sed etiam ut erat principium humanæ naturæ, ut scilicet eam simul cum natura in posteros traduceret: et ideo simili modo amissionem hujus originalis justitiæ per peccatum ad posteros transmittit habentem in eis rationem culpæ*.

Eodem modo loquitur quæst. 3 de mal. art. 7, ibi: *In peccato originali est aliquid*

Probatur  
testimoniis  
D. Dionysii.

et  
D. Thom.

*formale, scilicet carentia originalis justitiæ, etc. Quod etiam repetit quæst. 4, art. 2, in corp. et ad 10, pro prima parte. Ex argumentis vero, quæ ibidem tertio loco proponit, probant clare nostrum intentum primum, secundum et quartum collata cum suis responsionibus : nam in primo sic objicit : *Culpa dicitur per privationem gratiæ gratum facientis : sed originalis justitia non includit gratiam : ergo carentia originalis justitiæ non constituit rationem peccati.* In cujus argumenti responsione, ut D. Thom. majorem propositionem tueretur, et ne consequentiam cogere concedere, respondit negando minorem : *Dicendum (inquit) quod originalis justitia includit gratiam gratum facientem.* In secundo vero sic arguit : *Originalis justitia non restituitur per baptismum, quia adhuc vires inferiores rationi resistunt : si ergo peccatum originale esset carentia originalis justitiæ, sequeretur, quod peccatum originale non solveretur per baptismum, etc.* Respondet vero : *Dicendum quod justitia originalis restituitur in baptismo quantum ad hoc quod superior pars animæ conjungitur Deo, per cujus privationem inerat reatus culpæ.* Idem convincit solutio quarti argumenti, cujus verba adducemus infra num. 129. Præterea quæst. 5 etiam de mal. art. 2, ita ait : *In peccato originali non est conversio, sed sola aversio, vel aliquid aversioni respondens, scilicet destitutio animæ a justitia originali, etc.,* Similia habet quæst. 24 de verit. art. 12 ad 2.*

Super sententias etiam docuit id multoties : nam in 2, dist. 30, quæst. 1, art. 2, in fine corporis sic habet : *Sicut illud naturæ donum fuit (scilicet originalis justitiæ), et fuisset in totam naturam propagatum, homine in justitia persistente : ita etiam et privatio illius boni in totam naturam perducitur quasi privatio, et vitium naturæ : et in quolibet homine rationem culpæ habet ex hoc, quod per voluntatem principii naturæ, id est, primi hominis inductus est talis defectus.* Legatur etiam art. 3, in corp. et ad 4, et dist. 32, art. 1 ad 1, et aliis locis, quæ in hac eadem disp. num. 36 retulimus. Quæ adeo expresse in favorem nostræ sententiæ loquuntur, ut quæcunque alia expositio exorta videatur.

114. Unde non obest, quod ait Gregorius Mart. videlicet Ang. Doctorem non ideo dixisse prædictam privationem esse formalem in peccato originali, quia sit ipsa ratio constitutiva ; sed quia supervenit tali rationi, et ex parte ejus se tenet, habetque se

completive in prædicto peccato. Quemadmodum cum in quibusdam aliis locis, quæ adduximus disp. 6, n. 41, affirmat privationem et aversionem habere se formaliter in peccato actuali, intelleximus illa hoc modo, non vero de formali essentiali, et constitutivo. Imo ipse D. Thom. aliquibus in locis, quæ in hoc, et præcedenti dubio citavimus, comparat peccatum originale cum actuali, et ait, quod sicut in isto conversio est sicut materiale, aversio autem sicut formale : ita in illo privatio justitiæ de formali se habet, concupiscentia vero de materiali. Si ergo in exemplo *ly formale* non sumitur apud nos pro constitutivo, sed pro consequenti, et completivo : cur in ipsa re, de qua agitur, non eodem modo usurpabitur ?

Sed, ut diximus, hoc non obest. Tum quia D. Thom. ita assignat pro formali peccati originalis prædictam privationem, ut nullius alterius formalis neque in eisdem locis, neque alibi unquam mentionem fecerit : si autem sentiret dari aliud formale constitutivum, et primarium, ejus proculdubio expresse et formaliter aliquando meminisset. Tum etiam quia Ang. Doctor adæquate explicuit totum, quod in peccato originali concurrat per privationem, quam appellat formale, et per illud, quod appellat materiale : et ideo ratio formalis constitutiva debet in uno ex istis duobus includi ; non autem includitur in illo, quod appellat *materiale* : quippe hoc (ut sæpe asserit S. Doctor) non est aliquid præter concupiscentiam, quam omnes catholici debent a formali peccati excludere, ut dubio præced. vidimus : ergo includitur in eo, quod appellat *formale*, quod est prædicta privatio. Et sane cum D. Thom. dividit peccatum penes materiale et formale, ita ejus ratione distribuit, ut si nomine *formalis* intelligit, quod est extra essentialiam, et completivum ; nomine *materialis* intelligat, quod est essentialiale et constitutivum : ob idque dumtaxat appellat istud *materiale*, quia illi substernitur tanquam formæ supervenienti quamvis accidentali, ut videre est in illis, quæ supra disp. 6, num. 56, circa peccatum actuale adduximus : ergo cum in præsentī nomine *materialis* non intelligat formale constitutivum, sed concupiscentiam, quæ se habet ut pure materiale, nequaquam est dicendum, quod nomine *formalis* intelligat, quod est extra essentialiam, et pure completivum ; sed potius quod est essentialiale, et constitutivum.

115. Deinde si attente legantur, quæ habet D. Thom. in hac quæst. 82, manebit hæc solutio penitus impugnata. Nam art. 2, agens de unitate specifica peccati originalis, dicit, quod si hæc unitas attendenda sit ex ipsa essentia talis peccati, debet sumi ex ejus causa : et loquitur de causa formali, et intrinseca ad distinctionem efficientis, de qua dixerat in principio articuli : assignans vero quæ sit hæc causa formalis, sic inquit:

Thom. *Causa autem hujus corruptæ dispositionis, quæ dicitur originale peccatum, est una tantum, scilicet privatio originalis justitiæ, per quam sublata est subjectio humanæ mentis ad Deum : et ideo peccatum originale est unum specie, etc.* Si autem privatio originalis justitiæ solum ex consequenti se haberet in prædicto peccato, et non ut ratio constitutiva, non diceretur ejus causa ; neque specificatio, et unitas ab illa sicut a causa sumeretur. Hac enim ratione specificatio, et unitas peccati actualis non sumitur ex aversione, vel privatione, quæ reperitur in actu ; sed ex ordine ad objectum, ut probat D. Thom. supra quæst. 72, art. 1, quia solus hic ordo habet se ut causa formalis, et constitutiva ; privatio vero est aliquid consequens : ergo cum privatio originalis justitiæ respectu peccati originalis sit ejus causa, detque illis specificam unitatem, nequit se habere ut aliquid consequens ; sed ut propria ratio constitutiva.

Similiter in art. 3, cum præmisisset, quod unumquodque habet speciem a sua forma, et quod in peccato originali sumitur ex causa, explicans quæ sit hæc causa dans speciem, et gerens munus formæ, solum assignat privationem justitiæ originalis, secundum quod tollit subjectionem mentis ad Deum, quæ erat primaria ratio talis justitiæ : quia oppositorum (inquit) oppositæ sunt causæ : atque adeo sicut causa intrinseca totius justitiæ originalis erat prædicta subjectio mentis ad Deum, ex qua cæteræ perfectiones consequantur : ita causa intrinseca peccati debet esse opposita privatio, ex qua reliquæ privationes ad illud pertinentes consequuntur. Cui doctrinæ omnino repugnat solutio, quam impugnamus, juxta quam prædicta privatio non ponitur ut causa, et ratio constitutiva peccati originalis, sed ut defectus omnino consequens.

Denique in art. 4, ea ratione ostendit, peccatum originale esse æquale in omnibus, quia in illo non est nisi privatio originalis justitiæ, et relatio istius privationis ad peccatum primi parentis, ex quo emanavit,

quæ non suscipiunt magis vel minus (ipsa vero relatio cum fundetur in privatione, etiam non egreditur genus privativi, ut explicuimus disp. 14, num. 115). Si autem esset ibi aliqua alia ratio primaria, et constitutiva, deberet proculdubio D. Thom. talis rationis meminisse : præsertim quia sine recurso ad illam nequibat sufficienter prædicta æqualitas demonstrari, ut intuenti patebit.

116. Adde, quod D. Thom. instituit hanc quæstionem ad examinandum ex professo essentiam originalis peccati, ut constat ex ejus titulo. Unde satis diminute processisset, si in ejus articulis non exprimeret rationem formalem et constitutivam : cum ergo nihil aliud nisi privationem, quam diximus, expresserit, manifeste fit, hanc apud S. Doctorem esse formalem non utcumque, sed per modum rationis constitutivæ. Nec refert, quod in primo articulo dixerit prædictum peccatum esse habitum : quia vel nomine *habitus* non intellexit aliquid positivum, sed privationem habentem modum habitus, ut explicuimus dub. 3, num. 70. Vel solum intendit quod in prædicto peccato adæquate accepto, ut comprehendit etiam suum materiale, includatur tale positivum, quatenus hoc est aliquid concupiscentiæ, quam in reliquis articulis omnino exclusit a ratione formali.

Adde secundo, per prædictam evasionem nequaquam obviam iri testimonio ex quæst. 5 de mal. art. 2, ubi D. Thom. rejicit a peccato originali omnem conversionem, solamque aversionem illi concedit. Nam ibi fit sermo de peccato, quatenus fundat reatum pœnæ respectu futuræ vitæ, quod per se primo illi convenit secundum rationem essentialem, et constitutivam : et ideo nulla via potest exponi de aliqua ratione dumtaxat consequenti. Neque etiam potest dici, quod loquatur D. Thom. de sola conversione actuali, et quod non excludat habitualement : cum enim non tantum conversionem neget, sed dicat esse ibi solum aversionem, proculdubio excludit quidquid non est privatio et aversio, sive sit actuale, sive habituale. Eo vel maxime quia in alio loco huic correspondenti ex quæst. 24, de verit. facta mentione conversionis habitualis, negatur peccato originali, et solum conceditur illi aversio.

117. Neque in favorem prædictæ evasionis assumi debet illud, quod dicitur de peccato actuali : quia pro hujus constitutivo habemus plura D. Th. testimonia allata

superius disp. 6, dub. 3, quibus expresse affirmat dari in eo malitiam positivam, et contrariam, specificarique in ratione peccati per tendentiam positivam ad objectum dissonum; cum quibus stare nequit, quod constituatur per privationem: et ideo quando hanc appellat *formalem*, jure optimo exponimus ejus verba de formali consequenti, et completivo. Cæterum pro peccato originali nullum est testimonium, in quo affirmet S. Doctor constitui per positivum, aut dari in eo aliquid aliud pro formali præter privationem originalis justitiæ: imo in omnibus ubi rem tractat, tale formale excludit. Unde contra mentem ipsius esset prædicta testimonia aliter quam de formali essentiali et constitutivo exponere.

Quod vero Ang. Doctor peccatum originale quantum ad rationem formalem, et materialem aliquando cum actuali conferat, nihil refert. Tum quia ad id satis est probabilis opinio, juxta quam ipsum peccatum actuale etiam constituatur per privationem, ut juxta eam (licet ipsi D. Thomæ minus probabilem, quam opposita) potuerit exemplo illo uti. Tum etiam quia exemplorum non requiritur veritas, neque paritas in omnibus; sed sufficit aliqualis similitudo: quæ ad præsens sufficienter salvatur in hoc, quod sicut conversio in peccato actuali habet se ut subjectum, et materia respectu aversionis: ita in originali concupiscentia materialiter se habet ad privationem originalis justitiæ, non examinando ex vi exempli an utrobique materiale, et formale eodem vel diverso modo sumantur.

Duplex  
alia  
evasio.

118. Duplici alia via conatus est quidam junior infirmare prædicta testimonia dicens, Ang. Doctorem vel non loqui de peccato originali, secundum quod tale peccatum, et malum morale est, quo pacto quærimus hic de ejus constitutivo; sed secundum rationem mali absolute dicti, ut convenit cum aliis malis etiam non moralibus: stat enim secundum hanc posteriorem rationem esse aliquid privativum, et secundum primam consistere in positivo: sicut diximus supra agentes de peccato actuali, ubi hac eadem distinctione usi fuimus. Vel esto D. Th. loquatur de illo secundum utranque rationem, solum intendere, quod privatio habeat se causaliter tanquam radix, et origo totius deordinationis; non vero formaliter ut ratio constitutiva.

Utraque  
insufficiens.

Sed utraque solutio est insufficientis: nam contra primam urgent ipsa verba D. Thomæ, quæ fere in singulis testimoniis ex-

presse loquuntur de peccato originali, secundum quod tale peccatum est, et secundum quod est inordinata dispositio naturæ humanæ, proprium malum ipsius, specialique ratione justitiæ originali oppositum: nihilque in eis accuratius intenditur, quam proferre in lucem propriam et peculiarem rationem, secundum quam tale peccatum a quovis alio differt, et in sua specie constituitur, ut intuenti constabit: ergo insufficienter intelliguntur de prædicto peccato secundum aliquam rationem ita absolutam, vel communem, ut ad hæc propria, et specialia non pertingat.

Deinde tota series hujus quæst. 82, a titulo usque ad finem manifeste est de peccato originali secundum sibi propria, et ut culpa et malum morale est: et ideo in singulis articulis concluditur aliquid speciale, et proprium talis peccati: ut in primo, quod est inordinata dispositio naturæ ex multis compositæ, et in hoc sensu potest dici *habitus*: in secundo, quod in omnibus suppositis est unum secundum speciem propter unitatem specificam causæ: in tertio, quid sit in eo formale, et quid materiale ex oppositione ad formale, et materiale originalis justitiæ: et in ultimo, quod sit æqualiter in omnibus propter invariabilitatem eorum, ex quibus coalescit: eundemque fere ordinem observat in aliis locis, unde testimonia desumpsimus. Quis autem dicet in tam exacta peccati originalis discussione non examinari propria et specialia talis peccati, ut peccatum et malum morale est, quorum notitia in Theologia valde desideratur, et in hac materia anxie quæritur; sed communia dumtaxat, et minus propria, quæ ad peculiarem hunc tractatum parum conducunt? Et præsertim quia nisi D. Thom. in locis, quæ citavimus, de prædicto peccato modo dicto egisset, nullibi de hoc tractasset; et ita rem maxime necessariam sine examine reliquisset, sed quod a tanti Doctoris studio debet prorsus alienari.

119. Nos autem ea distinctione *mali moralis*, et *mali absolute* circa peccatum actuale uti debuimus: quia testimonia D. Thomæ ibi adducta, convincunt prædicta duo mala in eo peccato esse distincta, unumque positivum, et aliud privativum. Quare cum pro originali nullum sit locus eas malitias distinguens, neque aliam quam privativam ut propriam et peculiarem illi concedens, sine fundamento sit recursus ad talem distinctionem.

Ex quo alia solutio etiam corrui. Tum quia

quia non recte a linea rationis formalis excluditur, quod D. Thom. toties absolute et simpliciter nominat *formale*: præsertim cum nullum aliud formale respectu peccati originalis præter prædictam privationem alicubi agnoscat. Appellat vero illam aliquando *causam*, quia, ut recte vidit Cajetanus art. 2 hujus quæst. loquitur de causa formali intrinseca, quæ cum ratione formali constitutiva coincidit, ut diximus num. 115. Tum etiam quia si in peccato originali esset aliqua ratio positiva tanquam forma constituens, ipsa dumtaxat esset prima ratio, et causa totius deordinationis talis peccati: quælibetque privatio ibi reperta originaretur ex tali positivo, et in eo fundaretur; non vero e contra, ut est per se notum: ergo admissio quod privatio sit causa, et radix prædictæ deordinationis, consequenter fatendum est eandem esse rationem formalem, et constitutivam prædicti peccati.

Ultima evasio. 120. Denique non refert, si adhuc occurras, quod licet D. Thom. assignet pro constitutivo peccati originalis privationem; non tamen eam, quam diximus, quæ est privatio gratiæ, seu originalis justitiæ quoad effectum primarium, existitque proinde in essentia animæ: sed aliam existentem in voluntate, quæ privat aliquo effectu secundario, nempe illa rectitudine, per quam voluntas erat Deo subjecta. Id quod sonare videntur verba D. Thomæ art. 3 hujus quæst. dum ait, quod *privatio originalis justitiæ, per quam voluntas subdebatur Deo, est formale in peccato originali*, etc.

Refellitur. Nam hanc evasionem tollit omnino doctrina quæstionis 83, sequentis art. 2, ubi D. Thom. probat ex professo, peccatum originale per prius et immediatius esse in essentia animæ, quam in aliqua potentia, quæcunque illa sit: ad quod in argumento *sed contra* sic inducit: *Peccatum originale dicitur peccatum naturæ: anima autem est forma, et natura corporis secundum essentiam suam, et non secundum potentias: ergo anima est subjectum originalis peccati principaliter secundum suam essentiam*. Et in corpore articuli: *Manifestum est* (inquit) *quod peccatum originale causatur per originem: unde illud animæ, quod primo attingitur ab originale hominis, est primum subjectum originalis peccati: attingit autem origo animam secundum quod est forma corporis, quod quidem convenit ei secundum essentiam propriam: unde anima secundum essentiam est primum subjectum originalis peccati*. Et

cum in secundo argumento ita objecisset: *peccatum originale opponitur originali justitiæ: sed originalis justitia erat in aliqua potentia animæ: ergo, etc.* Respondet: *Ad secundum dicendum, quod etiam originalis justitia pertinebat primordialiter ad essentiam animæ: erat enim donum divinitus datum humanæ naturæ, quam per prius respicit essentia animæ, quam potentia, etc.* Et art. 3 sequenti, ubi dat primatam voluntati respectu cæterarum potentialium; antepone utrisque ipsam essentiam animæ, et sic ait: *In infectione peccati originalis duo est considerare. Primo quidem inhærentiam ejus ad subjectum: et secundum hoc primo respicit essentiam animæ, etc.* Denique in solutione ad 2, docet, processum prædicti peccati talem esse, ut ab essentia animæ, in qua primo residet, ad voluntatem deveniat, ex hac vero in alias potentias derivetur. Quod latius prosequitur quæst. 4 de mal. art. 4, et in 2 dist. 31, quæst. 2, art. 1.

Ex his autem evidenter constat, rationem constitutivam peccati originalis apud D. Thomam non in voluntate, vel alia potentia; sed in ipsa essentia animæ immediate existere: ibi quippe debet esse talis ratio, ubi primario est peccatum per illam constitutum: atque adeo constat talem rationem non posse esse privationem alicujus perfectionis, quam originalis justitia poneret in voluntate, aut in alia potentia; sed illius dumtaxat, quam tribuebat animæ quæque erat effectus ejus primarius.

121. Nec verba Ang. Doctoris pro hac evasione adducta oppositum suadent cum ait: *Privatio originalis justitiæ, per quam voluntas subdebatur Deo, etc.* Nam (præterquam quod in aliis locis pro voluntate habetur *mens*, quæ primario dicit ipsam animam) hic loquitur in sensu causali: et nomine originalis justitiæ non intelligit ipsam rectitudinem existentem in voluntate, qua immediate et formaliter subdebatur Deo, quæ est perfectio secundaria ipsius justitiæ; sed intelligit perfectionem ejus primariam existentem immediate in anima, indeque influentem voluntati prædictam rectitudinem, qua illam Deo subiecit: non enim in communi usu loquendi D. Thomæ vocatur absolute *justitiæ originalis* aliquid aliud nisi prædicta primaria perfectio, itaque *per quam voluntas subdebatur Deo* est loquutio transitiva: sicut cum dicimus, quod gratia rectificat totum hominem comprehendendo etiam potentias, vere dicimus: non *intransitive* quasi ipsa gratia per

se immediate totum hominem afficiat; non enim immediate afficit nisi animam: sed *transitive*, ad hunc sensum, quod ipsa est ratio et radix, a qua toti homini, et ejus potentiis proveniunt perfectiones, quibus rectificantur.

Quocirca notavit Cajetanus in isto art. 3, D. Thomam nunquam dixisse, quod formale peccati originalis esset privatio rectitudinis, vel subjectionis voluntatis, aut hujus deordinatio, vel aversio: sed dicit esse privationem originalis justitiæ, per quam voluntas, etc. ut insinuaret hoc secundo modo dicendi prædictam loquutionem transitivam, quam primus non admitteret. Et quamvis justitia originalis perficiat modo dicto alias animæ potentias; merito tamen D. Thom. potius explicuit illam per prædictum effectum subjiciendi Deo voluntatem, quam per alios: quia in illo valde splendet, et manifestatur vis, et natura prædictæ justitiæ: sicut vis et natura gratiæ in nullo ejus effectu ita manifestatur, sicut in charitate.

Adde ex eodem Cajetano, quod sicut in ordine ad meritum non ponunt in numero gratia, et charitas, et ideo promiscue solet utrique ut rationi merendi attribui; quamvis sola gratia sit ratio primaria et principalis: ita in ordine ad peccatum originale quasi non ponit in numero privatio rectitudinis voluntatis cum privatione justitiæ originalis existentis in anima: quia illa ad hanc reducitur, sicut secundarium ad primum; et hæc in illa splendet, explicatur, et manifestatur, tanquam in sua prima, et principali proprietate: et ideo non refert unam, vel aliam *formalem* vocare; quamvis revera sola privatio existens in anima sit essentialis, et constitutiva. Sicut in justitia originali prædicto peccato opposita ratio constitutiva, et essentialis revera est sola illa perfectio, quæ existit in anima: sed quia hæc potissimum splendet in subjiciendo Deo voluntatem, ibique ejus vis, et efficacia exprimitur, et manifestatur, convertit illam aliquando D. Thom. cum prædicta subjectione, et unam per aliam explicuit. Unde assertionem nostram et S. Doctoris sententiam tuentur in 2, dist. 30, D. Bonaventura art. 2, quæst. 1. Durandus quæst. 3. Capreolus quæst. unica, Ricardus quæst. 1. Sotus lib. de natura et gratia cap. 9, Ferrara 4 contra gent. cap. 52, Lira super ad Roma. 5, Toringius ibi in replicis, Cajetanus 3 part. quæst. 8, art. 5 et 22, quæst. 53, art. 1, circa solutionem ad 3, et

in præsentī quæst. 82, art. 3, ubi etiam Medina, et Araujo art. 1, Montesinos disp. 12, quæst. sua 6, Vazquez disp. 132, cap. 8, Suarez disp. 9, sect. 2, Lorca disp. 43, Salas disp. 11, sect. 2, Alvarez disp. 129, et lib. 6 de auxil. disp. 44, et plures alii.

Medius  
Araujo.  
Montes.  
Vasq.  
Suarez.  
Lorca.  
Salas.  
Alvar.

### § III.

#### *Prima ratio pro assertionem.*

122. Prima ratio, quæ assertionem nostram convincit, supponit principia usque modo in præcedentibus dubiis examinata, ex quibus sic formatur. Formale constitutum peccati originalis debet esse aliquid ex Adami peccato ad nos traductum receptum in anima, vel potentiis, et ab eis distinctum: sed hoc nec potest esse aliquid positivum, neque ex privationibus potest esse alia, quam privatio gratiæ, seu justitiæ originalis quoad effectum primum: ergo, etc. Major est satis perspicua, et ideo communiter recipitur a Theologis, nosque ejus veritatem tota disp. 14, ostendimus. Minor autem quoad primam partem demonstrata est dubio 2 et 3 hujus disp. ubi probavimus peccatum Adami nihil positivum sive ad corpus, sive ad animam, sive ad potentias pertinet potuisse ad nos derivare. Quoad secundam vero habetur ex dubio 1, ubi probatum manet, naturam humanam per peccatum illa dumtaxat dona, et perfectiones amississe, quæ justitia originalis conferebat, mansisseque in eadem prorsus nuditate, quam haberet, si in puris naturalibus conderetur; cum ea tantum distinctione ut carentia talium perfectionum, quæ tunc, non existente debito, esset solum negatio; modo, illo existente, sit privatio. Ibidemque efficaciter impugnavimus illam aliam privationem conformitatis ad legem acquirendæ mediis actibus, quam ponebat Curiel: probavimusque, nullam aliam potuisse nos ex Adami peccato hæreditare præter privationem prædictæ justitiæ. Quare solum superest ostendendum inter hujusmodi privationes (quas num. 88 distinximus) collatione facta, illam dumtaxat posse peccatum originale constituere, quæ tollit effectum primum prædictæ justitiæ communem illi cum gratia, videlicet sanctificandi animam, et rectificandi in ordine ad Deum.

Formatur  
prima ratio  
ex præ  
jactis  
principiis.

Quod facile suadet. Tum quia in unaquaque re ratio constitutiva est primum, quod in ea ut tali invenitur, et ex quo cætera illi attinentia consequuntur: sed inter prædictas

D. Bona.  
Durand.  
Capreol.  
Richard.  
Sotus.  
Ferrara.  
Lira.  
Toring.  
Cajet.

prædictas privationes hæc sola, quam diximus, est omnino prima, radixque, et origo cæterarum, quæ ad peccatum originale spectant : ergo ipsa dumtaxat potest illud constituere. Tum etiam quia eo proportionali modo debemus in peccato originali coordinare privationes, ad illud pertinentes, sicut coordinantur in originali justitia perfectiones quæ per ipsum peccatum auferuntur : sed inter has sola illa perfectio, quæ residet in anima, et est idem cum gratia, rectificatque illam in ordine ad Deum, est prima, et constitutiva essentiæ ipsius justitiæ ; cæteræ autem habent se vel materialiter, vel ut proprietates consequentes : ergo pariformiter in prædicto peccato privatio illius primæ perfectionis erit essentialis, et constitutiva ; reliquæ vero inde subsequuntur vel materialiter, vel per modum proprietatum ad illud pertinebunt.

123. Adde, quod ex prædictis privationibus non pauca (quas num. 88 assignavimus concupiscentiæ) sunt talis conditionis, ut ablato ipso peccato originali permaneant : quarum proinde perspicuum est nullam posse esse rationem constitutivam : sicut perspicuum est talem rationem non posse manere sine suo constituto. Unde si quæ in hac re sit difficultas, reducenda est ad illas privationes, quæ simul cum originali peccato tolluntur, qualis est privatio charitatis et hujusmodi. Cæterum neque istarum aliquam posse prædictum peccatum constituere, constat ex eo quod omnes per se supponunt privationem gratiæ, et ita debent se habere in illo ut aliquid consequens : sicut quia ipse habitus charitatis v. g. per se supponit gratiam, non potest esse forma constitutiva sanctitatis, et justitiæ, cui opponitur ipsum peccatum, sed quid consequens ad talem sanctitatem. Et sane si constitutio peccati originalis tribuenda non est alicui positivo propter rationes expensas dub. 3, nulla privatio ad id aptior apparebit ista, quam diximus : in qua quicquid in aliis reperiri potest ad intentum conducens, primario invenitur : et insuper aliquæ conditiones ad idem necessariæ, quæ in nulla alia reperientur.

Confirmatur : nam cum peccatum originale per se sit peccatum naturæ, ut sæpe dictum est, in illa privatione consistere debet, quæ per prius et immediatius ipsam naturam tangit : hæc autem est privatio justitiæ originalis secundum effectum primarium : sicut enim iste effectus erat immediate in essentia animæ, quæ est propria

hominis natura ; ita ejus privatio immediate et primario eandem naturam afficit : ipsa ergo erit propria ratio prædicti peccati constitutiva ; reliquæ vero, quæ sunt in voluntate, et aliis potentiis, pertinebunt ad illud secundario et ex consequenti : vel materialiter, sicut ipsæ potentiæ pertinent ad naturam.

Confirmatur secundo : quoniam peccatum originale est inordinata dispositio naturæ humanæ ut compositæ ex multis partibus, nempe ex anima, et potentiis : et hac ratione art. 1 hujus quæst. vocatur a D. Thoma *habitus*, quia habitus diffinitur *dispositio naturæ habentis partes, seu compositæ ex multis* : atque adeo oportet, ut tale peccatum per suam essentiam prædictam naturam, et ejus partes tangat. Hoc autem potest fieri dupliciter, vel ita ut sit collectio multarum inordinationum, quarum unaquæque in sua parte resideat : vel ita ut sit tantum deordinatio primæ partis naturæ, secundum quod cæteris cohæret, et eis inordinationem influit : nam prima pars ut cohæret cæteris, quodammodo supponit pro toto, et quod est in illa prout sic, dicitur esse in toto. Primum ex his duobus repugnat unitati prædicti peccati, quod debet esse in suo genere unum per se, sicut sunt cætera peccata atque adeo per unam formam, vel quasi formam ; non vero per multarum aggregationem constitui. Dicendum ergo est secundum : nempe formam, aut quasi formam constitutivam prædicti peccati esse deordinationem primæ et principalis partis naturæ, quæ est ipsa anima non absolute considerata, sed ut cohærentis reliquis naturæ partibus, et in eas influentis, ac per hujusmodi influxum, et cohærentiam omnes illas tangentis. Quod ut intuenti patebit, solum convenit privationi justitiæ originalis quoad effectum primarium, quem diximus. Accepimus vero hanc confirmationem ex D. Thoma art. 1 hujus quæst. et ex Cajetano ibidem circa secundum dubium.

124. Dices primo, præter omnes hujusmodi privationes, et præter positivum secundo, et tertio dubio impugnatum superesse aliquid aptius ad originale peccatum constituendum, nempe ipsum peccatum, quod fuit in Adamo : quod licet physice præterierit, dum tamen ab unoquoque ex posteris per baptismum, vel pœnitentiam non retractatur, censetur moraliter permanere, et hoc modo illos tangere, atque ab amicitia Dei excludere. Cur ergo non dicemus, hujusmodi peccatum, quod dum fuit in Adamo, illum

Confirmatio alia.

Prima casio.

Confirmatio prima.

illum infecit, et denominavit *peccantem*, sive *peccatorem*, modo dum pro posteris irretractatum perseverat, denominare illos *maculatos et infectos*, atque adeo esse peccatum eorum originale. Eo præsertim quia in prædicto peccato ut non retractato concurrunt omnia, quæ ad originale desiderari videntur, et quæ vix in aliqua privatione salvari poterunt. Per illud enim, secluso quovis alio redditur puer, ubi primo concipitur, offensus, et inimicus Deo, impediturque a receptione gratiæ, et a regno Dei excluditur tanquam habens condignitatem carendi in perpetuum beatifica visione, qui sunt omnes effectus peccati originalis: insuperque salvantur in eo illa quæ sunt de ratione peccati in communi, nempe quod sit voluntarium, et contra legem: frustra ergo quærimus aliud sive positivum, sive privativum ad originalem culpam constituendam. Adde nomine *peccati originalis* id intelligi, a quo pueri per baptismum liberantur: sed liberantur a peccato Adami, quod usque tunc imputabatur illis, et deinceps non imputatur: ergo, etc.

Præcluditur.

Sed hoc effugium facile præcluditur, quoniam peccatum originale debet esse talis conditionis, ut per generationem tanquam per causam deveniat ad posteros Adami; sitque in unoquoque suum proprium peccatum ab alterius peccato condistinctum intrinsece eum afficiens, et constituens *peccatorem*: sic enim habetur ex Concilio Trid. ses. 5, num. 3, ubi dicitur de prædicto peccato, quod est *generatione omnibus transfusum* et quod *inest unicuique proprium*: et ses. 6 de justificat. cap. 3, quod *homines dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahunt*: sed peccatum, quod fuit in Adamo, nihil horum habet; neque enim inest ejus posteris, aut eos afficit intrinsece; sed solum extrinsece; et moraliter: neque est uniuscujusque proprium peccatum; sed unum commune pro omnibus: neque est aliquid traductum per generationem tanquam per causam, imo neque alio modo proprie per eam traducitur; sed potius manens in Dei abominatione immutatum, immultiplicatum, et indivisum, causat effective in unoquoque posterorum Adami propriam et intrinsecam privationem: a qua intrinsece redditur maculatus, exosus, et inimicus Deo, et ejus visione indignus, atque adeo intrinsece peccator: ergo hujusmodi privatio, non vero peccatum illud Adami, a quo provenit, debet originale nostrum constituere.

Conc. Trid. ses. 5.

125. Confirmatur ex eodem Tridentino cap. citato ubi comparat peccatum, et injustitiam, quam ex Adamo per generationem accepimus, cum justitia, et sanctitate, quam a Christo Domino per baptismi regenerationem recipimus: sed hæc est nobis intrinseca, inestque unicuique justificato sua propria sanctitas distincta a sanctitate ipsius Christi: ergo similiter in unoquoque ex his, qui ab Adamo propagantur, debet esse sua propria injustitia, et peccatum intrinsecum distinctum a peccato ipsius Adami. Adde, modum dicendi, quem impugnamus, vix differre a sententia Catharini, et Alberti Pighii, quam disp. 14, num. 113, impugnavimus, estque jam a Theologis communiter rejecta, et non pauci gravi censura dignam arbitrantur: quod a Pelagiana hæresi difficile recedat: ut videre est apud Vasquez in præsentī disp. 132, cap. 2, Curielem quæst. 81, art. 1, dub. 1, et alios.

Neque illud, quod adducitur in favorem prædictæ evasionis, alicujus momenti est: quia peccatum originale non utcumque debet conferre illos effectus *invisi Deo, inimici, impediti a receptione gloriæ*, etc. Sed per injustitiam, inimicitiam, et indignitatem unicuique propriam, et intrinsecam constituentem illum vere et intrinsece *peccatorem*: quod minime præstat peccatum illud Adami, etiam prout ratione irretractationis in Dei abominatione perseverat. Quod autem privatio justitiæ originalis sufficienter det prædictos effectus, convenientque illi cætera, quæ sunt de ratione peccati, prout originali convenire debent, ex dicendis in toto hoc dubio constabit.

Ad illud, quod additur, constat ex dictis dub. 3, num. 74, non omne, quod per justificationem excluditur, aut quod pertinet ad ejus terminum *a quo*, esse ipsum peccatum originale. Unde ratio offensæ tollitur, et remittitur per illam, et non est ipsum peccatum, neque denominat *peccatorem*; sed est subjective in Deo, quem denominat *offensum*. Id ergo dumtaxat originale peccatum constituere debet, quod est subjective in ipso peccatore, et illum intrinsece denominat, sicut denominat privatio, quam diximus. Alia vero, quæ per justificationem auferuntur, habent se vel tanquam causa prædictum peccatum conservans sicut disp. 14, num. 93, diximus, se habere peccatum actuale Adami non retractatum: vel tanquam effectus conservatus ab illo, sicut se habet ratio offensæ. Vide infra quæst. 86, in comment. art. 2, ubi prædictum effugium iterum



iterum circa peccatum habituale impugnatur.

126. Dices secundo, ex vi rationis factæ non probari positive, et a priori privationem, quam diximus, esse constitutivam peccati originalis, aut habere in se requisita ad hanc constitutionem : sed solum quasi negative, et a sufficienti enumeratione id argui ; quatenus non apparet aliquid positivum, cui prædictum munus constituendi possit competere ; et inter privationes, supposito quod per aliquam constitui debeat, nulla ita apta deprehenditur : at in hac difficultate, quæ gravissima est istius materiæ, parum videtur, ostendisse insufficientiam hujus, vel illius rationis sive positivæ, sive privativæ in ordine ad prædictum peccatum constituendum, nisi positive, et a priori demonstraretur concurrere in illa, quæ assignatur, requisita ad talem constitutionem.

Respondetur, argumentum a sufficienti enumeratione, dummodo omnia membra numerentur, et impossibilia, atque inutilia efficaciter excludantur, validissimum esse in qualibet materia, quia licet non ostendat *propter quid* rei, demonstrat tamen ita esse sicut asseritur. Porro in præsentibus non est dubium numerari omnia capita : siquidem reduci debent ad positivum, et privativum : cumque in excludendo positivo laboraverimus dubio 2 et 3 hujus disp. et dubio 1, in excludendo omnem privationem, quæ non sit justitiæ originalis, sufficeret ad præsentis intentum, si ex privationibus ipsius justitiæ excludantur illæ, quæ privant effectibus secundariis, prout exclusæ sunt, ut maneat perspicuum, solam eam, quam diximus *privationem effectus primarii*, habere munus constitutivæ. Et quia in originali peccato, quo certior habetur existentia, utpote a fide tradita, eo difficilior natura, et *quod quid est* deprehenditur, placebat uti hac tantum prima ratione, contentisque minus clara ejus certitudine, ad solvenda argumenta, quæ prædictam privationem impugnant, lubens calamus transiret. Præsertim cum illorum auctores vix aliunde quam ex ejus impugnatione suam sententiam persuadere valeant. Sed ut in re obscura pro viribus obsequium præstemus veritati, adducemus aliam rationem, quæ positive, et a priori assertionem ostendat.

## § III.

*Secunda ratio convincens assertionem.*

127. Secunda ergo ratio, quæ nostram assertionem positive convincit, traditur a D. Thoma variis in locis, potestque hoc modo efformari. Privatio voluntaria gratiæ, vel (quod idem est quoad præsens) privatio originalis justitiæ secundum effectum primum, ut est in nobis voluntarius terminus peccati actualis Adami, habet quicquid requiritur, ut sit formaliter peccatum habituale : ergo cum non sit peccatum personale, ut patet in pueris, qui ante omne personale delictum prædicta privatione maculantur, oportet ut sit ipsum peccatum originale. Consequentia est perspicua. Antecedens vero probatur. Tum quia talis privatio, quatenus ex Adami peccato orta, nihil est aliud nisi habitualis et voluntaria aversio animæ a Deo fine ultimo supernaturali : sicut enim gratia sanctificans est ipsa unio, et conversio habitualis hominis ad Deum supernaturalem finem : ita ejus privatio, quatenus prædicto modo voluntaria, est habitualis aversio, et separatio ab illo : constat autem, peccatum mortale habituale non esse aliud, quam hujusmodi aversionem, et separationem. Tum etiam quia sicut gratia est supernaturalis vita animæ, ejusque cum Deo amicitia, sanctitas, munditia, et decor : ita privatio voluntaria gratiæ est ejusdem animæ mors, inimicitia cum Deo, iniquitas, immunditia, et macula : quod et nihil amplius peccatum habituale importat. Tum denique nam prædicta privatio, ut est aversio et separatio voluntaria animæ a Deo, repugnat ipsi Deo, cujus est omnia ad se convertere : et etiam repugnat rectæ rationi, cujus præcepta, et regulæ nihil magis intendunt, quam hujusmodi conversionem, et unionem : quid ergo illi deest, quominus sit formaliter peccatum ?

Confirmatur : nam prædicta privatio est mala homini elevato ad finem supernaturalem, in quantum homo, et in quantum rationalis est : atque adeo necessario debet esse culpa, vel pœna, vel utrunque simul : istæ enim duæ rationes dividunt adæquate malum rationalis creaturæ, ut probat D. Thom. 1 p. quæst. 48, art. 5 de mal. art. 4, sed non est tantum pœna : igitur habet rationem culpæ ; non personalis, ut ostensum est : ergo originalis. Major est perspicua : nam prædicta privatio est carentia

Formatur secunda ratio.

Confirmatur.

formæ debitæ : carentia autem formæ debitæ, ubicunque inveniatur, habet rationem mali : cumque hæc, de qua loquimur, sit in parte rationali hominis, ubi futura erat gratia, nihil deficit quominus sit malum ejus ; in quantum homo, et in quantum rationalis est. Minor vero prioris syllogismi, in qua est difficultas, suadetur. Tum quia talis privatio est per se, et intrinsece voluntaria per modum termini, ut disp. præcedenti dub. 2 vidimus : pœna autem non est per se voluntaria ; imo potius de ratione ejus est, ut sit contra voluntatem. Tum etiam quia pœna, utpote taxata, et determinata a divina justitia, culpæque reparativa, consonat fini ultimo, et ordinatur ad illum : prædicta autem privatio, secundum quod est aversio, et separatio a Deo, omnino dissonat, et repugnat tali fini ; neque hoc modo potest esse reparativa culpæ, sed potius indiget reparari per oppositam conversionem : ergo proat sic non habet rationem pœnæ. Tum denique nam pueri ratione privationis gratiæ ut ortæ ex Adami peccato, quovis alio secluso, sunt indigni gloria, seu visione beatifica ; et habent condignitatem ad pœnam damni consistentem in carentia prædictæ visionis : sed hæc indignitas gloriæ, et condignitas pœnæ non est pœna, sed culpa ; vel involvens culpam : ergo, etc.

## § IV.

*Quibus fiat obviam huic rationi, et qualiter præcludantur ?*

128. Dices, non satis probari hæc nostra ratione et confirmatione, privationem gratiæ esse formaliter peccatum, aut esse ipsam maculam, et immunditiam, quæ peccatum originale constituit ; sed quod sit aliquid ex hujusmodi peccato, et consequutum, sicut pœna consequitur ad culpam. Et quidem prædictam privationem esse pœnam, asseritur non semel a D. Thoma : ut videre est quæst. 1 de mal. art. 5 ad 5, et quæst. 3 art. 7 in corp. et quæst. 4, art. 2 ad ultimum, et quæst. 28 de verit. art. 6, nec non in 2 dist. 33, quæst. 2, art. 1 ad 2. Si autem est pœna, non videtur posse habere rationem culpæ : quia pœna opponitur culpæ, et dividitur contra illam. Ad hæc : eo ipso quod privatio illa sit pœna, est effectus Dei ut judicis punientis, et est determinata secundum rectam rationem,

et legem ipsius Dei : at culpa totum hoc excludit : ergo, etc.

Nec refert (ait Curiel) quod sit privatio voluntaria : quia non est voluntaria directe, sed solum indirecte, et consequenter : sicut mors, et suspensio potest dici voluntaria latroni, quatenus consequitur ad furtum, quod ille voluntarie commisit. Hic autem modus voluntarii non extrahit malum a ratione pœnæ, ut patet in exemplo adducto. Imo licet aliquid esset directe volitum, non idcirco rationem pœnæ amitteret, aut illam supergrederetur : ut constat in pœnis, quas nos ipsi voluntarie pro peccatis assumimus. — Neque etiam refert (inquit citatus auctor) quod talis privatio videtur contraria rationali naturæ : quia non contrariatur illi ut utenti ratione tanquam regula suarum operationum, sicut est de ratione peccati ; sed solum ut subjecto perfectibili per gratiam tanquam per formam sibi convenientem : quo pacto etiam repugnat illi pœna.

Ad illud vero, quod de aversione diximus, posset occurri ex doctrina ejusdem Curielis, privationem gratiæ, seu justitiæ originalis non esse aversionem moralem, et peccaminosam : quippe ad hoc deberet esse contra aliquod præceptum, eo quod de ratione peccati est, ut sit contra legem ; nulla autem extat lex, vel præceptum prohibens talem privationem, sicut nullum extat præceptum habendi, aut conservandi gratiam : quare prædicta privatio solum erit quædam separatio Physica animæ a Deo consequuta ad peccatum, habensque rationem pœnæ.

129. Sed revera nihil horum enervat nostram rationem, aut confirmationem. Et ut singula suo ordine impugnemus, certaue separemus ab incertis, concedimus libenter privationem gratiæ secundum aliquid sui esse pœnam, ut D. Thom. affirmat locis citatis : atque adeo secundum hanc pœnæ rationem esse a Deo ; et rationi consonam ; proindeque non esse culpam, immunditiam, maculam, aut aversionem moralem : quod et nihil amplius dicta in hac evasione convincunt. Ex hoc tamen minime infertur, prædictam privationem secundum aliam rationem in ea repertam non esse formaliter culpam, maculam, et aversionem moralem. Quod enim dicitur, idem non posse esse pœnam, et culpam, intelligendum est secundum eandem rationem ; secus tamen secundum diversas, ut docuit D. Thom. quæst. 1 de mal. art. 4 ad

Evasio  
ad ratio-  
nem, et  
con-  
firma-  
tionem.

D. Thom.

Quæ-  
rat  
culpa  
pœna  
privatio  
gratia  
con-  
rat

D. Thom.  
ad

ad 1 ibi: *Idem secundum diversa potest esse et culpa, et pœna: non tamen secundum idem.* Conjungi autem utranque rationem in privatione, de qua loquimur, juxta sententiam D. Thomæ, constat non solum ex testimoniis, quæ pro assertione adduximus, ubi toties tribuit illi rationem culpæ simul cum aliis, in quibus concedit esse pœnam; sed etiam quia in eisdem, quæ in hac evasione citantur, ita affirmat prædictam privationem secundum unam rationem esse pœnam, ut simul fateatur secundum aliam esse culpam. Unde quæst. 4 de mal. citato art. 2 ad ultimum sic ait: *Carentia originalis justitiæ est in natura, et ideo potest pertinere ad originale peccatum, quod est peccatum naturæ. Ad id vero, quod quærebatur, utrum sit pœna tantum; vel pœna, et culpa? Dicendum, sicut supra dictum est, quod si comparetur ad istum hominem prout persona quædam, non habito respectu ad naturam, sic est pœna: si autem comparetur ad principium, in quo omnes peccaverunt, sic habet rationem culpæ.* Similiter locus, qui adducitur ex quæst. 28 de verit. est expresse pro nobis, si integre legatur: hæc enim habet verba: *Absentia gratiæ secundum se considerata habet tantum ratione culpæ, nisi secundum quod relinquitur ex actu voluntario præcedente.* Et apponit exemplum satis ad rem: *Sicut tenebra non habet rationem umbræ, nisi secundum quod relinquitur ex interpositione corporis opaci.* Alter locus ex quæst. 3 de mal. art. 7 sic habet: *Privatio gratiæ habet rationem pœnæ, si secundum se consideretur.* Hæc autem ultima verba si secundum se consideretur satis aperte ostendunt, quod considerata alio modo prædicta privatio, nempe ut est a voluntate, seu per ordinem ad actum peccaminosum, qui fuit ejus causa, non habet rationem pœnæ; sed potius culpæ: ut tradi videtur in solutione ad 1 ejusdem articuli, ibi: *Dicendum quod privatio gratiæ habet rationem culpæ, secundum quod accipitur simul cum sua causa, etc.* Quamvis forte hæc solutio alium sensum admittat. In alio vero loco ex 2, dist. 33 ita habet: *Privatio gratiæ non habet rationem culpæ, sed pœnæ; nisi in quantum ex voluntate est, etc.* Consonat in eodem 2, dist. 42, quæst. 1, art. 2 ad 4 ibi: *Privatio gratiæ non habet rationem maculæ, nisi secundum quod ex actu præcedenti inducitur: et ideo secundum diversitatem actuum sunt diversæ maculæ.* Macula autem idem est quod culpa habitualis.

En quomodo eisdem in locis, ubi D. Thom. asserit, privationem gratiæ, et justitiæ originalis esse pœnam, affirmat etiam esse culpam. Quare mirandum est aliquos ex his, qui nostræ sententiæ adversantur, hoc suæ opinionis validissimum putare fundamentum, quod quia prædicta privatio in via D. Thomæ habet rationem pœnæ, non potest habere rationem culpæ. Quam autem infirma sit hæc ratio, eadem, quibus innititur, suadent testimonia; dum utriusque rationem, scilicet culpæ et pœnæ prædictæ privationi æqualiter tribuunt; et quo pacto inter eas distinguendum sit, ostendunt.

130. Pro pleniori autem prædictæ distinctionis intelligentia animadvertendum est, gratiam sanctificantem posse considerari dupliciter vel ut præcise est quædam forma dans animæ maximam perfectionem, scilicet, participationem divinæ naturæ, qua redditur in seipsa perfecta, et, ut ita dicamus, bona sibi ipsi, Deusque media tali participatione trahitur ad ipsam animam, et se illi tradit: vel ut est quædam conversio, et reductio, per quam anima Deo objicitur, et traditur, fitque (ut sic dicamus) bona, et conveniens ipsi Deo. Has enim duas rationes in gratia concurrere nemo ambigit. Et licet realiter identificentur, differunt tamen virtualiter, vel ex modo nostro concipiendi, importantque respectus aliquo modo diversos: nam secundum primam rationem quasi incipit processus, seu respectus a Deo, et terminatur ad animam, cui ille se tradit, et ad quam convertitur, ac veluti descendit, ut eam perficiat; secundum aliam vero respectus sive processus incipit ab anima et ad Deum terminatur, ad quem illa convertitur, cuique traditur, et submittitur. Deinde in prima consideratione anima habet se ut possidens Deum quasi suum bonum per ejus participationem, et communicationem: in secunda vero Deus se habet sicut possidens animam, ut bonam sibi per traditionem, et subjectionem, seu conversionem, quam diximus.

Ex quo fit, quod quia privationes, et carentiæ regulantur secundum formas, quibus privant, et juxta earum distinctionem distinguuntur, consequenter ad dicta debemus in privatione gratiæ distinguere duos conceptus secundum prædictas duas rationes in gratia explicatas. Potest ergo considerari talis privatio vel prout est carentia gratiæ ut perficientis, et bonificantis

Doctrina pro distinguenda pœna, et culpa in eadem gratiæ privatione.

animam in seipsa, trahentisque ad illam Deum modo explicato, vel prout est carentia ejusdem gratiæ ut subjicientis ipsam animam Deo, et in illum convertentis; et trahentis. Et licet utroque modo habeat rationem privationis, eo quod gratia secundum utrunque munus debetur haberi ab homine; quia tamen non omnino est idem debitum, neque ex eodem principio ortum, oportet prædictos conceptus privationis inter se distingui. Etenim in primo titulus debiti est divina promissio hominibus facta: atque ita Deus est, qui debet; et homo, cui debetur: et ideo in ipso homine veluti existit jus exigendi a Deo talem perfectionem, nisi illam peccando demereatur: In secundo vero quasi e contra se habet: nam titulus debiti est dignitas ipsius Dei ut finis ultimi, cui ob suam præstantiam, et infinitam bonitatem debet creata voluntas plene tradi, et subordinari: et ideo solus Deus, ut talis finis, est cui debetur, et in quo jus exigendi existit; homo autem est qui debet, et qui tenetur habere, et conservare prædictam subordinationem.

131. Atque hinc etiam fit, ut prædicta privatio secundum primam rationem tantum sit malum hominis, non autem Dei: quia malum uniuscujusque consistit in carentia perfectionis sibi debitæ, quatenus ipsi bona est, consona, et debita. Unde quia gratia secundum primum munus, quod in ea distinximus, non debetur Deo; sed a Deo debetur homini, estque hujus proprium bonum, et perfectio: idcirco privatio gratiæ quoad hoc munus non Deo, sed homini est mala, et disconveniens tanquam adversa, et repugnans ejus perfectioni, ut perfectio ipsius est. At vero eadem privatio quoad secundam rationem non est per se primo mala, neque disconveniens homini; sed potius Deo, quia repugnat bono ipsius Dei destruens, et avertens conversionem, et subjectionem ipsi debitam. — Diximus non esse per se primo malum homini, etc., quia non negamus, prædictam privationem adhuc secundum illum conceptum, quo est mala, et disconveniens Deo, esse etiam aliquo modo malum, et disconvenientem homini: sed intendimus, hoc saltem non convenire illi per se primo, sicut illud aliud convenit, sed ad summum ex consequenti, et secundario.

Levis  
objectio  
diluitur.

Neque obest si dicas, quod malum Dei debet esse in Deo: et ideo supra Disp. 7, num. 24, diximus offensam esse subjective moraliter in Deo, quia est ejus malum: at

privatio gratiæ secundum nihil sui est in Deo, sicut nec gratia, cujus est privatio: ergo secundum nihil sui est malum Dei. Respondetur enim, dupliciter aliquid posse dici malum Dei: nempe *subjective et objective*: malum *subjective* dicitur, quod formaliter aufert a Deo perfectionem intrinsecam, sicut offensa tollit ab eo rationem finis ultimi: unde quia privatio debet esse in eodem subjecto, ubi est forma, qua privat, ideo hoc malum offensæ debet esse in Deo, et illum intrinsece afficere. Malum vero *objective* dicitur, quod disconvenit, et repugnat Deo tanquam objecto, et fini, seu quod destruit ordinem subjectionis, et conversionis, quo creatura rationalis debet esse subjecta Deo, et conversa in illum, sicut in finem ultimum, et sicut in objectum super omnia dilectum: unde hujusmodi malum non debet respicere Deum ut subjectivum, in quo est; sed ut objectum, et finem, a quo animam, et voluntatem creatam avertit; erit autem in ipsa anima, vel voluntate, ubi futura erat opposita conversio. Hoc autem secundo modo dicimus, privationem gratiæ secundum posteriorem illum conceptum esse malum Dei; non autem primo modo.

132. Tertio fit ex dictis, privationem gratiæ secundum priorem conceptum jam explicatum posse optime causari a Deo sicut a causa efficiente (eo modo quo privationes et carentiæ causam effectivam habere dicuntur) quia prout sic nihil exprimit, quod Deo repugnet, et quod non possit reduci in illum. Imo de facto supposita hujusmodi non repugnantia, debet esse ejus effectus: quia cum Deus omittat conferre, et conservare gratiam, quam in Adamo omnibus promisit: et ad hanc omissionem per se sequatur carentia ipsius gratiæ secundum prædictum conceptum, nihil obesse potest, quominus hæc carentia de facto sit Deo voluntaria: et ejus effectus existat: ut de reliquis effectibus per se sequutis ad omissionem liberam diximus in tract. de voluntar. disp. 4, num. 52 et 53. Eo præsertim quia ob specialem rationem, quam statim afferemus, debet prædicta privatio sic accepta esse a Deo diffinita, et destinata tanquam reparativa culpæ, atque adeo debet esse ejus effectus.

Cæterum eadem privatio secundum posteriorem conceptum nullatenus potest a Deo effective attingi. Tum quia prout sic repugnat Deo, estque illi mala, et disconveniens; ut vidimus: Deus autem non potest efficere aliquid sibi malum, et repugnans

Privatio  
gratiæ  
quo pacto  
sit a  
Deo?

Quo  
pacto  
co. n.  
sit?

pugnans. Tum etiam quia per talem privationem sic acceptam avertitur anima a Deo ut a fine, cui debet conjungi; unde si hoc modo a Deo causaretur, ipse esset causa avertens et separans a seipso, quod est impossibile: nam sicut Deus omnia operatur propter se, et propter suam bonitatem tanquam propter finem, sic omnia movet, et trahit ad se, nec potest aliquid a tali fine avertere. Ad quod declarandum D. Thom. Thom. quæst. 1 de mal. art. 5 inter alia ait: *Hoc autem non potest esse a Deo, quod bonum divinum, secundum quod in seipso est, quis non velit, cum e contrario Deus omnem voluntatem inclinet ad volendum quod ipse vult: vult autem summum bonum, secundum quod est in seipso: unde malum culpæ non potest esse a Deo, etc.* Quippe hoc malum consistit in aversione a divina voluntate, et ab amore ipsius Dei. Tum denique quia eo ipso quod talis privatio sit disconveniens, et repugnans Deo, debet illi displicere, et odio ab eo prosequi: Deus autem nihil odit eorum, quæ facit: non igitur potest fieri a Deo. Objectio autem, quæ adversus hanc doctrinam posset efformari, commodius diluetur infra a num. 141.

Causa ergo prædictæ privationis quoad illum conceptum est sola voluntas creata per suum peccatum actuale. Nam quia hujusmodi peccatum est voluntaria aversio actualis, et in fieri a Deo fine ultimo, ex propria ratione habet tollere ab anima conversionem non solum actualem, sed etiam habituales ad talem finem, quæ est per gratiam; atque adeo ponere privationem voluntariam ipsius gratiæ, secundum quod hæc privatio est habitualis aversio ab eodem fine. Tum etiam nam eo ipso quod prædicta privatio sit aversio, et recessus a Deo ut fine ultimo, non potest habere aliam causam; nisi quæ est capax attingendi talem finem, et ab illo se avertendi: hæc autem debet esse non alia, quam voluntas creata: quia si non sit voluntas, nequibit prædictum finem attingere: et si non sit creata, non poterit ab illo averti: ergo, etc.

133. Demum ex dictis habetur, quod licet privatio gratiæ secundum priorem conceptum sit tantum pœna, quia prout sic solum est mala homini, et est a Deo ordinata contra deordinationem, et deformitatem culpæ; secundum posteriorem tamen habet quicquid requiritur, ut sit ipsa culpa, et ut sit aversio moralis a Deo fine ultimo atque adeo macula, et immunditia animæ; ejusque inimicitia cum Deo; prout in nostra ratione pro-

posuimus. Quæ omnia ex dictis patent. Etenim prædicta privatio modo illo accepta juxta omnium sensum est mala: at non per modum pœnæ, quia non est mala, aut disconveniens saltem per se primo homini, sed Deo, cui objective adversatur, et repugnat, neque tollit aliquid, quod sit primario bonum hominis, aut illi debitum, sed id quod est bonum Dei, et quod debetur ipsi Deo, ut num. præcedenti vidimus: igitur est mala per modum culpæ: in hoc quippe differunt culpa et pœna, quod ista opponitur bono solius hominis, et illud destruit, et ideo primario est mala ipsi homini; illa vero opponitur bono divino, destruitque illud; et ita primario est mala ipsi Deo. Quod recte explicuit D. Thom. 1 p. D. Thom. quæst. 48, art. 6 ubi reddens rationem, quare culpa sit pejus malum, quam pœna, et ideo licet ista possit esse a Deo, non tamen illa, sic ait: *Deus est auctor mali pœnæ; non autem mali culpæ. Cujus ratio est quia malum pœnæ privat bonum creaturæ; sive accipiatur bonum creaturæ aliquid creatum, sicut cæcitas privat visum; sive sit bonum increatum, sicut per carentiam visionis divinæ tollitur creaturæ bonum increatum. Malum vero culpæ opponitur proprie bono increato: contrariatur enim impletioni divinæ voluntatis, et divino amori, quo bonum divinum in seipso amatur, et non solum secundum quod participatur a creatura. Sic igitur patet, quod culpa plus habet de ratione mali, quam pœna.*

Ad hæc: culpa habitualis nihil aliud est nisi terminus per se et intrinsece voluntarius relictus ex peccato actuale, in quantum istud formalissime habet rationem culpæ: unde illud proprie erit culpa habitualis, in quo habitualiter, et per modum termini splendet ipsa deformitas, et malitia peccati actualis: cum autem hæc consistat in conversione a Deo (sive privativa, sive positiva, quod ad præsens non refert) et hæc ratio aversionis splendeat in privatione gratiæ secundum conceptum, quem diximus, sitque talis privatio terminus voluntarius ejusdem peccati actualis, nihil deesse potest, quominus vere, et proprie dicenda sit culpa habitualis, reddatque proinde animam coram Deo maculatam, immundam, inimicam, etc. Ruit ergo funditus evasio adversariorum; nostraque ratio, et confirmatio permanet inconcussa.

134. Illa vero, quæ pro prædicta evasione adducit Curiel, etiam corruunt: nam contra primum est, quod voluntarium requisitum

Evanes-  
cunt  
Curielis  
fulcimen-  
na.

ad culpam debet per se et intrinsece præsupponi ad ipsam rationem mali culpæ, ita ut nullatenus hæc ratio concipi valeat, nisi præintellecto voluntario. Et hoc modo est voluntaria privatio gratiæ secundum conceptum, quem diximus esse aversionem, et culpam: adeo enim intrinsece, et per se convenit illi ut sic ratio voluntarii, ut nullatenus sine illa possit concipi, neque in ratione mali, neque in ratione privationis, aut aversionis a Deo: unde talis privatio nequit non supergredi malum pœnæ, et culpam constituere. E contra vero pœna quamvis possit a voluntate acceptari, et per ejus actum voluntaria, vel volita, reddi; totum tamen hoc per accidens, et consequenter se habet ad rationem pœnæ: accidit enim illi, quod acceptetur a patiente, vel non acceptetur: eodemque prorsus modo erit mala homini, et privatio boni illi debiti propter culpam inflictæ, ac proinde formalissime pœna, sive voluntarie ab eo acceptetur; sive repugnanter, et contra voluntatem sustineatur. Et hujusmodi est privatio gratiæ secundum priorem conceptum, quem distinximus.

Deinde falso asseritur, hujusmodi privationem secundum illum alium conceptum aversionis a Deo esse voluntariam illo dumtaxat modo, quo mors, vel suspensio dicitur voluntaria latroni: nam hæc adhuc indirecte non est voluntaria simpliciter, quasi ipsa voluntas latronis habeat in illam physice, et realiter aliquem influxum; imo est simpliciter involuntaria, et ab intrinseco: et si aliquando appelletur voluntaria, loquutio est valde impropria, et pure interpretativa: quatenus dum latro propter mortem non omittit furari, interpretamur velle potius mori, seu minus hoc refugere, quam a furto abstinere: simpliciter autem mors illa est ab extrinseco, passo non conferente vim; atque adeo non modo involuntaria, sed et violenta. At vero privatio, de qua loquimur, physice et realiter oritur (saltem ut terminus secundarius) a voluntate creata sine alicujus alterius causæ influxu; ut num. 132 vidimus, et ita physice, in toto rigore est voluntaria, et a principio intrinseco.

Est et aliud discrimen ad rem conducens: quia in suspensione, vel morte per se consideratis nihil boni apparet respectu latronis, a quo ejus voluntas possit allici, et moveri ad illam appetendam: unde quia quod per se est voluntarium, debet habere propriam appetibilitatem, ratione cujus sit

etiam volitum, non est quo pacto talis mors aut suspensio secundum se spectata voluntaria esse possit, neque voluntatis influxum terminet. E contra vero in privatione, et aversione, de qua loquimur, est aliqua ratio boni apparentis, nempe ipsum *non esse Deo subditum, neque alicui subjectum, sed quasi omnino sui juris*: quæ ratio licet ficta et apparens, magni tamen est apud peccatorem, qui maxime vult propriam excellentiam, et nullius legibus subijci. Hoc autem in causa est, ut talis privatio non a modo voluntate creata appeti possit, sed etiam ut possit oriri physice ab illa: et oriatur de facto, quoties ad actum ipsius voluntatis sive proprium, sive capitalem consequitur, ut in nostro casu accidit.

135. Secundum quod ait Curiel, videlicet privationem gratiæ non repugnare rationali naturæ, nisi ut subjecto perfectibili, licet sit verum loquendo de prædicta privatione secundum primum conceptum num. 130 explicatum; minime talem loquendo de illa secundum posteriorem ibidem dictum, qui est conceptus aversionis, et culpæ: nam prout sic omnino repugnat prædictæ naturæ ut utenti regula rationis: valde enim rationi dissonat, quod voluntas creata sit separata, et aversa a suo ultimo fine, cui subordinari debet, sustineatque voluntariam privationem ad illum. Neque ad hanc dissonantiam necesse est, quod detur aliquod speciale præceptum prohibens talem privationem, aut præcipiens gratiæ conservationem: sed sufficit oppositio, quam prædicta privatio habet cum ipso ultimo fine, propter quem omnes leges, et præcepta instituta sunt, et ad cujus conservationem diriguntur. Constat enim magis dissonare rationi, eminentiorique modo opponi illi, quod aliquid destruat finem omnium præceptorum, seu ordinem ad illum per oppositionem, et dissonantiam ad talem finem, vel ordinem, quam quod alicui præcepto particulari se opponat. Imo eo ipso quod prædicta privatio primario, et immediate tollat ordinem ad prædictum finem, consequenter, et mediate habet esse contra ipsa præcepta: quippe tota vis obligandi præceptorum ex ipso fine, et ordine illi debito consurgit.

Ex quo ultimum, quod aiebat Curiel de aversione morali, manet etiam impugnatum: quia ad talem aversionem, quando non est actualis, sed habitualis, et per modum termini, sufficit esse contra finem præceptorum; quamvis non sit immediate contra

tra aliquod præceptum particulare. Illa enim conditio posita in diffinitione peccati, scilicet *esse contra legem*, aliter convenire debet peccatis actualibus, et aliter habitualibus: nam illa, quia sunt libera actu, et per modum exercitii, debent immediate cadere sub præceptis, seu ab illis prohiberi, eo quod præcepta dantur immediate de actibus liberis; ista vero quia solum sunt libera terminative, seu mediis actibus, sufficit quod cadant sub præceptis mediate, quatenus cadunt actus; quorum sunt termini, et quatenus adversantur fini ultimo, ad quem ipsa præcepta, et quicquid præcipiunt, ordinantur.

136. Alia via videbitur fortasse alicui posse nostræ rationi, et confirmationi occurrere, si dicatur, eas solum probare, privationem gratiæ non esse dumtaxat pœnam, sed pertinere aliquo modo ad malum culpæ: non autem quod sit essentialiter ipsum peccatum originale, vel habituale. Tum quia ut non sit præcise malum pœnæ sufficit quod sit culpa causaliter: sicut de concupiscentia, et habitibus vitiosis diximus num. 102. Tum etiam quia esto sit formaliter mala in genere culpæ, poterit habere se consequenter ad prædictum peccatum, et non per modum formæ constitutiivæ: sicut de malitia privativa reperta in peccato actuali diximus disp. 6.

Verum neque ista evasio alicujus momenti est: quia semel probato prædictam privationem non esse dumtaxat pœnam, sed pertinere etiam ad genus culpæ, cito ostendemus esse ipsam malitiam essentialem, et constitutivam peccati habitualis. Etenim quod non se habeat in illo consequenter, sicut malitia privativa habet se in peccato actuali, probatur. Nam ut ita se haberet, debebat præsupponere aliam malitiam essentialem, et constitutivam, ut est perspicuum: quod autem eam non præsupponat, ex eo liquet, quia vel talis malitia esset positiva? Et hæc non datur, ut ostensum fuit toto dubio 3. Vel esset privativa? Et neque hoc dici potest, quia prima privatio in nobis post peccatum Adami reperta est privatio gratiæ, seu justitiæ originalis quoad effectum primarium: non ergo hujusmodi privatio potest se habere ut quid consequens ad aliam habitualement malitiam. Quod autem non sit culpa solum causaliter, sicut concupiscentia, et habitus vitiosi, facile etiam ostenditur. Nam prædicta privatio secundum se, et independentem ab omni alio effectu est quid repugnans Deo, et

avertens ab illo ut a fine ultimo, et ideo impossibilis cum amore talis finis: igitur formaliter est culpa habitualis: ratio enim hujus culpæ in nullo alio potest consistere præterquam in prædicta aversione, et privatione. Tum etiam quia quod solum causaliter est culpa, non excludit gratiam, neque tollit amicitiam cum Deo, neque privat jure ad beatitudinem: ut videre est in ipsa concupiscentia, et habitibus vitiosis, et in potentia peccandi: sed privatio, de qua loquimur, tribuit omnes illos effectus: ergo non solum causaliter, sed formaliter habet rationem culpæ. Si igitur consideretur, ut est in nobis terminus voluntarius peccati Adami, nihil illi deesse potest, quominus sit ratio formalis, et constitutiva nostri originalis.

## § V.

*Errores, et falsæ sententiæ.*

137. Difficultas hujus materiæ circa constitutionem originalis culpæ tot in ea errores, et sententias originavit, ut nequeant brevi numero comprehendere. Et quamvis esset longissime abire, si uniuscujusque auctores, et fundamenta vellemus ex professo adducere, et impugnare; diminute etiam procederemus sine aliquali eorum notitia et relatione. Qui plura voluerit, consulat auctores hic referendos, et alios, qui contra hæreticos nostri temporis controversias ediderunt. Inter errores ergo, qui circa naturam prædicti peccati hactenus prodire, primus absurdo, et indignitate est Matthiæ Flaccii Illyrici Lutheranorum rigidorum patris: qui Manichæorum hæresim suscitans peccatum originale ab ipsa substantia animæ non distinguit; sed ait esse quandam imaginem diaboli ab anima rationali indistinctam, in quam ipsa anima per peccatum Adami ex imagine Dei transformata fuit. De quo vide Canisium lib. 1 de B. Virgine, Bellarminum lib. 5 de amissione gratiæ cap. 1, usque ad 4, Vasquez in præsentem disp. 132, cap. 1, Gregorium Mart, art. 1, et alios expositores D. Thomæ, qui prædictum errorem referunt, et impugnant.

Secundus parum a præcedenti distans fuit Lutheri, Kemnitii, et aliorum quorundam hæreticorum asserentium, quod licet peccatum originale non sit ipsa rationalis anima, est tamen aliquid substantiale corporeum, ut cor, hepar, vel ipsum compositum

Primus error circa orig. peccatum.

Canis. Bellarm. Vasq. Greg. Mart.

Secundus error.

Alia evasio

Præcluditur.

tum, quod dicitur *humana natura*. Vide Bellarminum ubi supra cap. 2.

Tertius. Tertius eorundem hæreticorum error et fere omnium, qui Lutheri, et Calvinii semitis incessere, affirmat peccatum originale formaliter esse concupiscentiam, et fomitem, quæ nos ad malum inclinant: atque adeo secundum suam essentiam manere in baptizatis, et justificatis; quamvis illis non imputetur. Contra hunc errorem agunt fere omnes expositores D. Thomæ hoc loco: et videri possunt quæ diximus dubio præced. num. 101.

Quartus. Quartus etiam hæreticorum error non vult peccatum originale esse distinctum a propriis peccatis actualibus: sive quod anima antequam uniretur corpori, talia peccata committeret, ut antiqua Origenis hæresis asserebat; sive quod ipsi parvuli mox ut concepti propria voluntate peccare potuerint: ut stulte satis aliqui Pelagianorum putaverunt, quos disp. 14, num. 7, verbis Augustini impugnavimus. Nec desunt hæretici, qui omnia peccata actualia quavis ætate commissa, cum originali confundunt, ut Kemnitiuss in examine Concilii Trid. ses. 5, pag. 456, et Melancton in confessione Augustana, et in locis editis anno 1522. Vide Bellarminum 4 de amissione gratiæ cap. 4.

Tres sententiæ penitus rejiciendæ. 138. Præter hos manifeste errores sunt quædam sententiæ, quæ licet aliquando probabilitatem habuerint, et ideo in Catholicorum scriptis reperiantur; jam tamen aut vix, aut nullo modo possunt dici probabiles: ob idque communiter deseruntur, et a multis improbabiles, et absurdæ reputantur. Hujusmodi est sententia illa de qualitate morbida causata ex serpentis sibilo, quam dub. 2, cum suis fundamentis, et auctoribus adduximus, et rejecimus.

Hujusmodi etiam est sententia, cujus supra meminimus, Alberti, Pighii et Ambrosii Catharini negantium devenisse ad nos ex peccato Adami aliquid intrinsecum habens rationem culpæ; aut aliquid aliud esse peccatum originale præter ipsum peccatum actuale Adami prout ab illo ex persona omnium posterorum fuit commissum: de qua sententia diximus aliquid disp. 14, num. 113, et in hoc eodem dubio num. 125, et videri potest Vasquez citata disp. 132, cap. 2, ubi late ejus censuram examinat.

Est et tertia sententia eodem fere gradu a veritate, et probabilitate elongata, quod peccatum originale solum est reatus, quo nascimur obnoxii pœnæ temporali, et

æternæ pro peccato quod Adamus commisit. In hanc sententiam inclinasse videtur Durandus in 2, dist. 30, quæst. 3, eamque sequutus est Roffensis art. 2, contra Lutherum: imo Vasquez disp. citata ubi prædictam sententiam sufficienter impugnat, conatur ostendere sensisse ita D. Augustinum variis in locis; alienasque esse ab eo glossas aliorum, qui in vero et sano sensu mentem illius explicare voluerunt. Immerito tamen Augustinum a vera sententia alienum fuisse credit citatus auctor, cum nihil sit in ejus verbis, quod non possit pro veritate exponi. Nam vel non intendit explicare peccatum originale a priori, et per rationem quidditativam; sed a posteriori, vel a signo per aliquid quod ad talem rationem consequitur: et sic potuit vocare illud *reatum*, etiamsi loquatur de reatu formali, et proximo: quia iste consequitur ad privationem justitiæ originalis, in qua essentia prædicti peccati consistit: vel accepit *reatum* non formaliter et proxime, sed radicaliter et fundamentaliter, et tunc etiam quidditative potuit peccatum originale *reatum* appellare, quia ejus essentia est radix et fundamentum reatus. Uno autem vel altero ex his modis nullus erit locus Augustini, qui non valeat convenienter exponi: pro quo potius quam pro impugnando S. Doctore debuisset Vasquez laborare.

139. Supersunt aliæ Catholicorum sententiæ, quæ licet falsæ, et nostræ assertioni adversæ existant; habent tamen auctores, et fundamenta, quæ illas efficiunt absolute probabiles. Harum prima et probabilior assignat pro constitutivo peccati originalis aliquid positivum, nimirum conversionem animæ vel voluntatis ad bonum commutabile: contra quam sententiam militavimus toto dubio 3, ejusque argumenta, et defensores adduximus a num. 69.

Secunda assignat pro prædicto constitutivo privationem, non quidem gratiæ, vel justitiæ originalis, sicut nos assignavimus, sed conformitatis ad legem, quam Adamus debuit observare, et observando, eam conformitatem acquirere. De hac sententia, quæ est Magistri Curielis in præsentia art. 3, dub. 4, et aliorum quorundam, egimus dub. 1 istius disputationis, ejusque fundamenta evertimus a num. 12.

Tertia sententia (forte ut alias extremas conciliet) affirmat peccatum originale constitui ex æquo per positivum, et per privationem sive gratiæ, sive conformitatis prædictæ. Hanc tribuit Vasquez quibusdam recentioribus,

Tres  
aliæ sen-  
tentiæ  
proba-  
biles.



recentioribus, quorum suppressit nomina. Qui forte non intendunt, unicam essentiam prædicti peccati ex positivo, et privatione consurgere; sed considerantes illud in duplici genere, nempe et in genere mali moralis, et in genere mali simpliciter, dicunt in hoc constitui per privationem, in illo vero per positivum: juxta ea, quæ de peccato actuali diximus supra disp. 6, num. 48. Et quamvis hæc sententia ita explicata majorem probabilitatis speciem præ se ferat; ejus tamen falsitatem satis convincunt ea, quæ diximus ex D. Thoma in hoc dubio a num. 118, et etiam dicta toto dubio 2 et 3, nam dum ibi ostendimus, nihil positivum de genere culpæ potuisse ab Adamo in posteros descendere, consequenter rejecimus omnem sententiam, quæ pro constituendo peccato originali in quovis genere ad positivum, sive solum sive una cum privatione recurrerit: imo pro nullo peccato habituali constituendo recurrendum esse ad positivum mansit probatum eodem dub. 3, a num. 44. Neque hic sistit varietas opinionum, sed et inter auctores, qui nostræ ad stipulantur, nonnihil divisionis reperimus in explicando secundum quam rationem privatio justitiæ originalis peccatum originale constituat. Credimus tamen sufficienter manere veritatem declaratam ex dictis in hoc dub. præsertim a n. 121, et a num. 130, et dub. præcedenti num. 88, ita ut opus non si amplius circa hoc deteneri.

## § VI.

### *Argumentum præcipuum contra nostram sententiam.*

140. Ex argumentis, quæ sententiam nostram oppugnant, non pauca jam devicta sunt: illa omnia nimirum, quæ directe militant pro sententia constituyente peccatum originale in positivo: et etiam quæ militant pro asserente constitui per privationem conformitatis ad legem: hæc enim adduci, et solvi debuerunt dubiis præcedentibus, ubi prædictas sententias impugnāvimus. Illa autem huic loco reservari debuerunt, quæ immediate impugnant privationem gratiæ, aut justitiæ originalis, quam nos pro prædicto constitutivo assignāvimus: atque adeo a qualibet adversa sententia, vel errore possunt contra nostram efformari. Neque horum minutiora, et levidensia, quæ quisque ex dictis facile dissolvat, sed quæ alicujus momenti difficultatem conti-

nent, adducemus. Primum ergo et apud <sup>Primum argumentum.</sup> adversarios validissimum, credunt sumendum esse ex D. Thoma in illis locis, quæ citavimus n. 128, ubi prædictam privationem dicit esse pœnam peccati: ex quo inferunt, ergo non est ipsum peccatum, nam pœna, et culpa debent distingui. Nec tantum ratione consequentiæ, sed expressis verbis rejecisse D. Thomam privationem gratiæ a ratione culpæ contendit quidam junior referens ejus verba ex 2, dist. 33, quæst. 2, art. 1 ad 2, ubi ait: *privatio gratiæ non habet rationem culpæ, sed pœnæ.* Quid clarius?

Sed quam sit infirmum argumentum, vidimus a num. 119, ubi eisdem testimoniis Ang. Doctoris probavimus prædictam privationem secundum diversas rationes esse simul pœnam, et culpam. Circa distinctionem vero hujusmodi rationum pœnæ et culpæ non omnes dicendi modos, qui apud auctores nostræ sententiæ reperiuntur, probamus: neque enim placet quod ait Vasquez disp. citata cap. 10, videlicet privationem justitiæ originalis non habere rationem pœnæ respectu peccati originalis existentis in puero, consistentisque in eadem privatione, sed dumtaxat respectu peccati actualis, quod fuit in Adamo: neque etiam, quod idem Vasquez insinuat, et expendit Lorca disp. 43, § ultimo: nimirum privationem gratiæ active acceptam, prout dicit dumtaxat suspensionem divini concursus, habere rationem pœnæ; ipsam vero passive consideratam, et ut afficientem ipsum hominem habere rationem culpæ, etc. Hos ergo et similes dicendi modos non omnino probamus, nisi reducantur ad illum, quem explicuimus a num. 130, qui solus, ut credimus, veritatem continet, et difficultatem aufert. Testimonio autem D. Thomæ, quod prædictus junior pro se adducit, desunt hæc verba, *nisi in quantum ex voluntate est*: et ideo si integrè legatur, probat nostram doctrinam, ut vidimus num. 129.

141. Sed adversus eandem doctrinam, proindeque contra hanc solutionem est non levis objectio, quam num. 132 huc remisimus, et potest sic formari. Privatio gratiæ secundum omnem sui rationem causatur a Deo, sicut ipsa gratia, qua privat: ergo secundum nullam rationem potest esse culpa. Consequentia est perspicua, alias enim culpa reduceretur in Deum. Antecedens vero probatur. Tum quia privatio gratiæ secundum quancunque rationem oritur ex subtractione concursus conser-

Objectio  
contra  
solutionem.

vantis ipsam gratiam, atque adeo debet causari ab eo, qui talem concursum subtrahit : solus autem Deus subtrahit hujusmodi concursum, sicut solus ipse illum præbebat : ergo, etc. Tum etiam nam effectus sequutus per se ad aliquam omissionem reducitur in causam ipsius omissionis, et ideo cui ommissio est voluntaria, etiam est voluntarius talis effectus: quod præcipue locum habere in effectibus non positivis diximus in tract. de voluntar. disp. 4, num. 53 ; sed ad omissionem, qua Deus cessat conferre influxum conservativum gratiæ, sequitur per se carentia ipsius gratiæ secundum omnes ejus conceptus : ergo sicut prædicta ommissio est a Deo, sic etiam talis carentia secundum omne quod importat.

Confir-  
matur  
objectio.

Confirmatur : nam posset Deus auferre gratiam secundum omnes ejus rationes sine ullo peccato ab aliquo v. g. dormiente : hoc enim omnipotentia ejus non est cur repugnet : sed in tali casu tota gratiæ privatio causaretur a solo Deo, neque aliquis conceptus inventus in illa posset in voluntatem creatam reduci : igitur nulla est ratio in prædicta privatione, cujus Deus non sit causa.

Solutio  
objectio-  
nis

142. Respondetur negando antecedens objectionis, et etiam primæ probationis : quamvis enim peccante homine, et subtrahente Deo concursum conservativum gratiæ, ponatur re ipsa hujus privatio secundum utramque rationem supra explicatam, scilicet tam ut est præcise malum hominis, quam ut est etiam malum Dei, seu aversio, et separatio ab ipso ; non tamen utraque hæc ratio, sed prima dumtaxat reducitur in Deum : posterior vero oritur solum a voluntate creata, quæ peccat. Neque hujus rei rationem aliam reddere necesse est, nisi quam numero 132 tradidimus : videlicet satis esse, quod una ex prædictis rationibus opponatur Deo, et alia non opponatur, ut hæc debeat, et illa non debeat in ipsum reduci, quantumvis inter se sint identificatæ, et connexæ. Sicut licet Deus sua physica præmovere causet materiale peccati actualis, et ad hanc causalitatem infallibiliter sequatur formale; sufficit tamen, quod hoc formale habeat cum Deo oppositionem, quam non habet materiale, ut divinus influxus sistat in solo materiali, et nihil formalis attingat. Unde falsum est, quod si solus Deus per suum concursum causat gratiam, per subtractionem ejus debeat causare totam privationem : in illa quippe nulla potest esse ratio, quæ Deo

repugnet ; sicut potest esse, et de facto est in ista. Et sicut multoties causat aliquam privationem non solum ille, qui causabat formam, et omittit causare, sed etiam alius, qui non causabat illam ; ita fieri potest ut aliquis, qui causabat formam, licet desinat causare, non ideo causet totam privationem ; saltem quoties in hac fuerit aliqua ratio repugnans tali causæ.

Ad secundam probationem dicas privationem gratiæ secundum conceptum aversionis a Deo non sequi per se ad subtractionem, vel omissionem divini concursus, sed per accidens ; licet indispensabiliter supposito peccato actuali voluntatis creatæ : sicut ad concursum Dei circa materiale peccati sequitur aliunde et per accidens nempe ex voluntate creata, indispensabiliter tamen malitia formalis. Per se autem oritur a sola voluntate creata sive propria, sive capitali ratione sui peccati actualis. Quare neganda est minor hujus probationis.

143. Ad confirmationem respondetur in illo casu (quem modo admittimus, et alibi examinabimus) privationem gratiæ non fore omnino eandem, quæ modo est : quia solum esset in ea de ratione privativi ille prior conceptus, secundum quem est tantum mala homini, et habet rationem pænæ, vel pœnalitatis : alia vero ratio, secundum quam est etiam malum Dei, et aversio ab illo deesset prædictæ privationi : et ita non mirum si tunc posset tota in Deum reduci, modo vero non possit. Pro quo nota, quod hæc ratio, quam dicimus *aversionem et malum Dei*, non importat nudam carentiam gratiæ, etiam secundum eam rationem, secundum quam gratia animam Deo subjicit, et ad eum convertit ; sed carentiam privativam, quæ supponit debitum talis subjectionis, et conversionis : nuda enim carentia, et quæ debitum non supponit, sicut amittit rationem privationis, amittit etiam rationem mali. Debitum autem ad prædictam privationem requisitum tenet se ex parte hominis, et terminatur ad Deum : nam Deus est, cui debetur illa subjectio ; homo vero, qui debet, ut diximus num. 130. Porro in casu argumenti omnino cessat hoc debitum : quia si Deus tollit ab homine gratiam inculpabiliter, et independentè ab ejus voluntate, ut supponitur, eo ipso non tenetur jam homo ad habendam, et conservandam ipsam gratiam, neque ad se per illam Deo subjiciendum : tandiu enim debitum hoc durare potest, quandiu subjectio, supra quam cadit, subest hominis potestati, quia

Solutio  
confir-  
matio-  
nis.

quia ad illud, quod non potest, nemo tenetur : tandiu vero, et non amplius ei subest, quandiu vel habet in se gratiam, vel voluntarie, et culpabiliter, sua, aut sui capitis voluntate eam non conservat, et hanc voluntariam non conservationem, seu amissionem non retractat. Hinc patet veritas solutionis : quia cum in casu argumenti inculpabiliter, et independenter a voluntate hominis gratia auferatur, nec subsit ejus potestati habere, vel conservare illam, consequenter cessat debitum subjiciendi se Deo per ipsam gratiam, et ita hujus carentia quantum ad talem subjectionem neque est privatio, neque aversio, neque habens rationem mali, sed erit quædam simplex carentia, et negatio : sicut quæ datur in creaturis irrationalibus carentibus prædicto debito : et sicut quæ daretur in homine condito in puris naturalibus, antequam peccatum committeret. Diximus *quantum ad talem subjectionem, etc* quia carentia secundum aliud munus perficiendi animam in seipsa, quod explicuimus num. 130, etiam in casu, de quo loquimur, esset privativa, et esset mala homini per modum pænæ, vel pænalitatis, quia debitum ad hanc privationem requisitum tenet se ex parte Dei, eo quod fundatur in divina promissione, et destinatione hominis ad finem supernaturalem, quæ cum semper permaneat, semper fundat prædictum debitum.

Adde, ob aliam rationem in ea casu prædicto carentiam gratiæ quoad munus subjiciendi animam Deo non fore privationem, neque aversionem ab illo sicut a fine ultimo : quia scilicet de ratione hujusmodi aversionis est (sive sit aversio actualis, sive habitualis) ut procedat, vel processerit a voluntate creata, respiciatque illam tanquam principium conjunctum. Tum quia debet esse intrinsece voluntaria, quæ ratio intelligi nequit sine prædicto respectu. Tum etiam quia sola illa causa potest efficere aversionem a Deo fine ultimo secundum conceptum aversionis, quæ cum sit capax attingendi talem finem, potest etiam ab illo se avertere : quæ enim vel non est capax prædictæ attingentiæ sicut creaturæ omnes irrationales, vel non potest separari, et averti a Deo sicut divina voluntas, manifestum est, quod non possit causare aversionem, et separationem ab illo : cum hoc ipsum, quod est hujusmodi separationem, et aversionem efficere, sit *averti, et separari*. Sola ergo creata voluntas, quæ potest avertere se a Deo, potest efficere privationem

gratiæ secundum conceptum talis aversionis : quare cum in casu prædicto nullus sit influxus voluntatis creatæ, sed sola divina gratiam auferat, nequibit in hujus carentia reperiri prædictus conceptus aversionis.

144. Neque obest si urgeas, quod si carentia gratiæ quoad munus, de quo loquimur, non intelligitur objective mala, seu aversiva a Deo, antequam a voluntate creata procedat, nequaquam per hujusmodi processum fiet talis : ut enim in tract. de bonit. et malit. disp. 4, a num. 10, ex D. Thoma docuimus, voluntas quantum ad bonitatem, et malitiam ita dependet ab objecto, ut nisi hoc antecedenter ad attingentiam voluntatis supponatur malum, nequaquam illa per talem attingentiam malitiam incurrat : ergo vel prædicta carentia, adhuc a voluntate creata procedit, non est mala; vel debet esse talis saltem objective, quando non procedit, sicut in casu nostro. Porro tunc non esse etiam objective malam, constat ex eo quod secundum se totam a solo Deo causatur : Deus autem non potest causare aliquid quovis modo peccaminosum.

Respondetur enim, prædictam carentiam intelligi objective malam, et peccaminosam, antequam actu, et in exercitio a voluntate creata procedat ; sicut occisio Petri v. g. antequam in exercitio procedat ab isto homine privato, intelligitur objective mala, et homicidium. Quod et nihil aliud adducta replica convincit. Cæterum sicut prædicta occisio, ut intelligatur mala objective, debet concipi cum respectu ad hominem privatum, et ut ab eo processura, seu possibilis procedere; concepta vero vel præcise secundum se, vel ut potest procedere a Deo, aut a iudice habente potestatem, non intelligitur sic mala; sed vel bona, vel indifferens : ita prædicta carentia, ut intelligatur objective peccaminosa, debet concipi cum respectu ad voluntatem creatam, veluti a qua processura sit; secluso vero a conceptione hoc respectu, quicquid in illa manet, nullam deformitatem exprimit, sed nudam carentiam subjectionis ad Deum, qualis reperitur in lapide.

145. Neque doctrina D. Thomæ tradita loco cit. huic contradicit. Nam aliud est loqui de voluntate, ut est dumtaxat vis affectiva tendens in aliquid præcise sicut in objectum amando et volendo illud : aliud vero ut est effectiva, et tendit causando, et influendo. Primo enim modo tota ratio boni, vel mali debet in objecto præsupponi antecedenter ad ordinem, et attingentiam

voluntatis (quamvis non sine ejus connotatione): quia objectum ut tale, est omnino prius, et independens, atque ita non ideo fieri debet bonum, vel malum, quia attingitur a tali, vel tali voluntate; sed ideo talis voluntas, et ejus attingentia est bona vel mala, quia terminatur ad bonum vel malum objectum. Et juxta hunc sensum loquuti fuimus loco citato. Secundo vero modo e contra res se habet: nam cum effectus voluntatis ab illa dependeat, et sit quid posterius, non mirum, quod ex ordine ad illam possit induere rationem boni, vel mali: et quod licet res illa, ad quam voluntas hoc modo terminatur, præcise secundum se spectata mala non sit, nihilominus sit malum, quod talis res ab hac vel illa voluntate fiat, et quod ipsa voluntas suum influxum erga illam exerceat: propter aliquam repugnantiam ad rationem, quæ potest esse in conjunctione talis rei cum prædicto influxu, quæque eidem rei secundum se spectatæ, vel ut terminanti alterius causæ influxum non competit. Ita igitur in nostro casu licet carentia gratiæ secundum se spectata, et sine interventu creatæ voluntatis in rerum natura posita nihil deformitatis importet; hoc tamen quod est prædictam carentiam a tali voluntate oriri, et eadem carentia ut inde orta, vel originanda magnam deformitatem exprimit. Et si totum hoc conjunctum accipiatur, et per modum objecti ab intellectu proponatur, erit malum objective antecederet ad actum, quo voluntas reflectendo supra se prædictum conjunctum prosequatur: dabitque proinde malitiam cui libet volitioni ad illud terminatæ.

Satis sit  
interrogationi.

Si autem inquiras a quo ponatur in rerum natura carentia gratiæ, quatenus tollit subjectionem ad Deum, quando voluntas creata ad illam non concurrat, sed solus Deus gratiam aufert? — Respondetur, non opus esse assignare causam tali carentiæ quoad prædictum munus, quia prout sic est tantum negatio: negatio autem seipsa, et sine causa est, eo ipso quod non sit forma, quam negat. Sed et si dixerimus habere causam pro primo instante desitionis gratiæ, pro quo dumtaxat, et non pro aliis assignari solet causa negationibus, ut alibi docuimus, non est inconveniens hujusmodi causam Deum constituere ratione subtractionis auxilii, ut docet Bannez 1 p. quæst. 23, art. 3, dub. 3 ad 6, quia cum talis carentia non exprimat deformitatem, non est cur ejus causalitas Deo repugnet.

Nova  
replia.

146. Sed adhuc pungit scrupulus, cur sci-

licet non importet deformitatem, quod divina voluntas causet in anima carentiam gratiæ secundum conceptum explicatum; sit autem malum et deforme, quod illam causet voluntas creata? Respondetur in promptu esse disparitatem. Tum quia divina voluntas est magis præcisiva quam creata: et ideo sicut in positiva peccati actualis potest attingere entitatem, præscindendo a deformitate, quod creata non potest, ita in prædicta carentia gratiæ potest attingere puram rationem negationis, quod tamen voluntati creatæ non licet. Tum etiam quia voluntas Dei causando prædictam carentiam non fugit, neque avertitur a bono divino, quasi in aliquo alio suum finem quærat; sed potius per suum actum eidem bono divino etiam tunc unitur, adimplendo suum beneplacitum, et manifestando simul ex alio capite omnipotentiam, aut alia Dei attributa: unde sicut actio divinæ voluntatis, qua influxum conservativum illius gratiæ suspendit, neque est, neque dici potest *aversio a Deo in fieri*: ita carentia gratiæ, quæ est ejus terminus, ut inde causata nequaquam dici potest *aversio ab illo in facto esse*, aut aliquid aliud exprimens deformitatem. Sed dicitur *defectus negativus conjunctionis ad Deum in hac creatura ordinatus ad æqualem, vel majorem conjunctionem divinæ voluntatis cum ipso per alium modum, qui tunc Deo placet*; in qua ratione nihil deformitatis exprimitur. Cæterum voluntas creata cum a se gratiam expellit, utitur actione peccaminosa avertente a Deo, et constituente finem ultimum in bono creaturæ, neque aliter prædictam expulsionem facere posset: unde sicut illa actio est culpa actualis, et *aversio a Deo in fieri*, ita terminus intrinsecus, qui est carentia gratiæ debet esse *aversio in facto esse*, et culpa habitualis: sapit enim terminus intrinsecus naturam suæ actionis, eamque veluti continet, et repræsentat, et quodammodo præstat idem habitualiter, et *in esse quieto*, quod illa actualiter, et *in fieri*.

Enervatur.

Adde, quod terminus, de quo loquimur, est per se et intrinsece voluntarius, et hac ratione semper respicit actionem peccaminosam, a qua emanavit, ac per consequens finem ultimum per eam actionem constitutum in bono creaturæ: unde non est carentia gratiæ, vel conjunctionis ad Deum tanquam defectus pure negativus, sicut quæ est in lapide, sed est privatio, et recessus respiciens oppositum finem, et ex parte ejus

se

se tenens atque in virtute talis finis, et propter illum deserens ipsum Deum: atque ita est quædam carentia privativa per modum repugnantia, fugæ, et aversionis a Deo: in quo magna exprimitur deformitas, magnumque discrimen a simplici carentia gratiæ, quam Deus causaret ex amore ad se ipsum, et sine respectu ad finem oppositum.

## § VII.

*Proponuntur, et diluuntur alia argumenta.*

147. Secundo contra nostram sententiam arguitur: quia privatio gratiæ, vel justitiæ originalis supponit originale peccatum: ergo non illud constituit. Consequentia liquet, et antecedens probatur: nam prius est, quod puer intelligatur indignus habere gratiam, seu dignus ejus privatione, quam quod de facto illa privetur: privatur enim, quia est indignus: sed ubi primo intelligitur indignus gratia, intelligitur cum peccato originali, ex quo est talis indignitas: ergo peccatum præcedit prædictam privationem.

Respondet Vasquez, privationem gratiæ non habere rationem pænæ respectu peccati originalis existentis in puero, sed dumtaxat respectu peccati actualis, quo Adamus ex persona omnium deliquit: quia pœna sicut, et præmium non correspondet habitibus, sed actibus: unde satis erit, quod prædicta privatio ipsum Adami peccatum præsupponat, ut puer ante illam intelligatur dignus pœna; quamvis non supponat originale, sed constituat. — Hæc tamen solutio non est adæquata: quia negari non debet esse intrinsece in pueris originali peccato infectis pænæ condignitatem: non enim propter solum peccatum actuale, quod Adamus commisit, sed etiam propter originale, quod ad eos traduxit, excluduntur a regno Dei, et privantur gratia, et gloria: sicut negari non debet, quod in seipsis, et non tantum in Adamo sunt indigni Dei gratia, et amicitia. Quamvis hujusmodi pænæ aliter, et aliter utrique peccato correspondent: quia peccato actuali correspondent tanquam demerito: sicut augmentum gratiæ, et gloriæ correspondent bonis actibus; peccato vero habituali, et originali correspondent sicut termino, in quo ipsum demeritum virtualiter permanet tanquam ratio, propter quam talis terminus ut forma constituit habitualiter subjectum pœna dignum: sicut gratia ut terminus præcedentium merito-

rum, et virtute eorum constituit habitualiter tanquam forma subjectum dignum præmio gloriæ; et ita prima correspondentia est in genere causæ efficientis moralis; secunda vero in genere causæ formalis. Illud autem proloquium *habitibus non mere-mur*, etc. probat, quod præmium, et pœna tanquam merito et demerito solum correspondent actibus, non autem quod tanquam termino, et formæ non respondeant habituali peccato, et gratiæ.

148. Vera igitur solutio habetur ex doctrina a nobis tradita: quia cum in privatione gratiæ sit illa duplex ratio explicata cum virtuali saltem distinctione, datur sufficiens fundamentum, ut priusquam intelligamus puerum affectum prædicta privatione prout habente rationem pænæ, concipiamus illum sub eadem privatione ut habente rationem culpæ, et propter hanc illa dignum. Itaque ut rem apte concipiamus, sic procedendum est. Primo intelligimus puerum sub debito habendi gratiam ex pacto in paradiso inito inter Deum, et Adamum. Deinde intelligimus, peccatum actuale Adami, prout manet in abominatione Dei irretractatum, respicere hunc puerum tanquam membrum ipsius Adami, et hoc respectu physice causare in illo aversionem voluntariam a Deo, seu voluntariam privationem subjectionis debitæ ipsi Deo, in qua consistit culpa originalis: non enim peccatum Adami hujusmodi aversionem, et privationem causat moraliter, et per modum demeriti, sed physice per naturalem sequelam, ut explicuimus disp. 14, dub. 3. Tertio intelligimus eundem puerum ratione utriusque peccati, cum Adami, tum proprii indignum, ut Deus illi gratiam promissam conferat; ac proinde dignum ut denegetur ei ipsa gratia, quatenus est bona eidem puero, ordinaturque ad illum perficiendum. Quarto denique intelligimus, Deum utroque peccato ad punitionem pueri provocatum negare suum concursus collativum gratiæ, et hac denegatione causare ipsius gratiæ privationem, non ut hæc privatio tollit subjectionem debitam Deo; sed ut tollit perfectionem promissam, et debitam puero, illumque in seipso perficientem, quo pacto n. 133 diximus habere rationem pænæ. Præcedit ergo sufficienter ratio culpæ originalis, et condignitas pænæ ipsam pœnam, ut possit per eam puniri; etiam si utraque in privatione gratiæ sita sit.

Dices: in illo secundo priori ubi intelli-

Vera solutio.

ceun-  
am ar-  
men-  
tum.

olutio  
x Vasq.

Deseri-  
tur.

Replica  
contra  
solutio-  
nem.

gimus peccatum actuale Adami causare in puero privationem subjectionis ad Deum, etiam intelligimus Deum ut negantem concursum collativum gratiæ, atque adeo ut punientem puerum per talem negationem: alias deberemus tunc concipere Deum gratiam infundentem: ergo ita cito concipimus puerum affici privatione gratiæ ut pœna, sicut concipimus affici privatione ejusdem gratiæ ut culpa.—Respondetur, in illo priori nihil concipi de Deo, sed ab eo præscindi: unde neque concipimus illum ut negantem concursum gratiæ, neque ut illam influentem: sed solum concipimus id, quod ex parte pueri se habet, et quod ex peccato Adami accepit. Quod vero propter hoc Deus deneget gratiam, et hac negatione, seu privatione puerum puniat, pertinet ad signa sequentia.

Tertium  
argu-  
mentum.

149. Tertium argumentum desumi solet ex diffinitione peccati tradita a D. Augustino, in qua dicitur, quod debet esse contra legem: sed privatio gratiæ non est contra legem: non enim datur aliqua lex præcipiens habere gratiam, aut prohibens ejus privationem, quia leges, et præcepta non dantur de habitibus, aut eorum privationibus; sed de actibus, vel eorum omissionibus: ergo, etc.—Hujus tamen argumenti solutio sufficienter habetur ex dictis num.

Solutio.

135, ubi explicuimus, quomodo privatio gratiæ prout dicit conceptum aversionis, sit contra legem altiori modo, quam ipsa peccata actualia (pro quibus potius quam pro habitualibus tradita fuit illa diffinitio) quia licet prædicta privatio non sit immediate contra aliquod speciale præceptum: est tamen immediate objective contra finem præceptorum, et per consequens contra ipsa præcepta: et quia destruit immediate ordinem habitualem ad finem vltimum, ad cujus conservationem omnia præcepta, et leges ordinantur. Alio modo verificatur etiam, privationem gratiæ secundum conceptum aversionis esse contra legem, quia eadem lex, quæ prohibet actum peccaminosum, prohibet etiam terminum intrinsecum talis actus, qui quidem terminus est prædicta privatio. Sed aptior est prior modus dicendi ad salvandum, quod prædicta privatio ex contrarietate ad legem habeat rationem peccati. Adde, prædictam definitionem, ut innuimus, traditam fuisse pro solis peccatis actualibus: et ideo non oportet, ut habitualibus, vel originali conveniat.

Quar-  
tum.

Quarto arguitur: quia in uno, et eodem subjecto dantur sæpe multa peccata habitua-

lia sive solum personalia ut in adultis baptizatis, sive etiam simul cum originali ut in non baptizatis: sed privatio gratiæ non est nisi una in unoquoque peccatore: ergo nequeunt prædicta peccata per illam distinguui, atque adeo neque constitui: constitutivum enim, et distinctivum idem sunt. Major et consequentia constant: minor vero probatur: quoniam privatio non aliter habet distinctionem, vel unitatem; nisi juxta unitatem, aut distinctionem formæ, qua privat: cum ergo gratia sanctificans non sit nisi unica forma, non potest ejus privatio in unoquoque esse nisi unica.

150. Respondetur, concessa majori, dis-  
tinguendo minorem: et si intelligatur de privatione gratiæ materialiter, et quasi *in esse rei*, debet concedi: quod et nihil amplius probatio ejus convincit. Si autem intelligatur de prædicta privatione formaliter *in esse rationis* constitutivæ peccati habitualis, neganda est: ut sic namque multiplicatur, et distinguitur, sicut peccata habitualia distinguuntur. Pro quo nota, quod privatio gratiæ dicit duplicem respectum, vel quasi respectum: nempe ad gratiam, qua privat, et ad actum peccaminosum, qui talem privationem inducit: et secundum primum respectum habet unitatem secundum unitatem ipsius gratiæ: atque adeo sicut hæc est una atome, et specificæ; sic etiam prædicta privatio modo isto accepta non est nisi una. Secundum posteriorem vero respectum habet unitatem, et distinctionem secundum distinctionem, vel unitatem actus, qui fuit ejus causa: quia in rebus respectivis specificatio, et distinctio sumitur a termino vel principio respecto, et juxta multiplicationem, et varietatem talis principii, aut termini variatur, et multiplicatur respiciens. Secundo nota, quod prædicta privatio non constituit peccatum originale, vel habituale, quatenus præcise dicit ordinem ad formam, qua privat; sed quatenus addit respectum illum ad actum, qui fuit ejus causa, statque sub hujusmodi respectu: vel (quod idem est) quatenus consideratur formalissime in ratione termini talis causæ: quod satis constat ex his, quæ diximus numero 75, et disp. 14, numero 115. Ubi ergo ad privationem gratiæ solum præcessit unica causa, seu unum peccatum actuale sicut in pueris, qui ex solo peccato Adami illam incurrunt, talis privatio solum importabit unum respectum, solumque erit unicus terminus, ac proinde in ratione constituentis peccatum habituale erit tantum una.

Doctrina  
pro solu-  
tione.

una. Ubi autem plures causæ, seu plura peccata actualia præcesserunt, sicut in pluribus adultis, prædicta privatio erit multiplex ob multiplicem respectum ad ipsas causas : et ita constituet peccata habitualia multiplicia, et diversa juxta diversitatem actualium, a quibus præcesserunt. Eadem igitur gratiæ privatio, quatenus inducta est ex peccato actuali Adami, quod fuit superbiæ, vel gulæ, et stat sub respectu ad tale peccatum, constituit peccatum originale pertinens ad speciem superbiæ, et gulæ. Quatenus vero inducta est ex alio peccato personali, v. g. luxuriæ; statque sub respectu ad ipsum, constituit aliud peccatum habituale personale pertinens ad speciem luxuriæ : quatenus autem sequitur ex alio peccato actuali, puta homicidio, et illud respicit, constituit aliud peccatum habituale pertinens ad speciem homicidii, et sic de aliis.

Quam doctrinam sumpsimus ex D. Thoma cum quæst. 28 de verit. art. 6, cujus verba n. 75 hujus disputationis adducta sunt. Tum etiam in 2, dist. 32, quæst. 1, art. 1 ad 2, ubi reddens rationem, cur diversa peccata actualia diversa habitualia, seu diversas maculas inducant, quamvis omnia eandem gratiam auferant, sic ait : *Cum omnium peccatorum mortalium genera hoc commune habeant, quod gratiam tollunt; non tamen omnium est una macula, sed diversæ, secundum quod defectus gratiæ ad diversas causas refertur : unde defectus gratiæ ex actu luxuriæ proveniens est macula illius peccati, et sic de aliis, etc.* Eandem doctrinam confirmat hac 1, 2, quæst. 86, art. 1 ad 3, et exemplo elucidat his verbis : *Dicendum, quod macula non est aliquid positive in anima, nec significat privationem solam; sed significat privationem quandam nitoris animæ in ordine ad suam causam, quæ est peccatum (scilicet actuale) et ideo diversa peccata diversas maculas inducunt. Et est simile de umbra, quæ est privatio luminis ex objecto alicujus corporis : et secundum diversitatem corporum objectorum diversificantur umbræ.* Videatur etiam in 2, dist. 42, quæst. 1, artic. 2 ad 4.

151. Neque obest si dicas, privationem gratiæ non esse effectum omnium peccatorum mortalium, quæ peccator committit; sed primi dumtaxat : nam cum hoc totaliter auferat gratiam, et nihil in anima relinquat per reliqua auferendum, ipsum dumtaxat, et nullum aliud habet causare gratiæ privationem; cætera vero supponunt jam illam causatam. Præterea diversa peccata actualia

non solum inducunt distincta peccata habitualia, sed etiam inæqualia juxta inæqualitatem ipsorum peccatorum actualium : at privatio gratiæ ex quocumque peccato proveniat, semper est æqualis : quia cum sit privatio *in facto esse*, non suscipit magis, neque minus : ergo, etc.

Respondetur enim, peccata ad primum supervenientia non causare privationem gratiæ entitative, et secundum substantiam (ut sic dicamus) propter rationem hujus replicæ; causare tamen illam modaliter : quia ponit in ea novum quasi modum, vel determinationem, ratione cujus fit modaliter distincta et multiplex, ac major, vel minor juxta diversitatem peccatorum actualium. Pro quo animadvertas, quod sicut in gratia, eo quod est radix omnium virtutum, et actuum, quibus divinæ leges adimplentur, possumus considerare quasi in radice, et virtualiter plures respectus conformitatis ad ipsas leges, et sub uno respectu eam concipere, quatenus radicaliter inclinatur ad adimplendum hanc legem *non mæchaberis* : sub alio autem, quatenus inclinatur ad adimplendam istam *non furaberis*, vel *non occides*, et sic de aliis : ita in ejus privatione debemus similes quasi respectus distinguere, aliterque considerare illam, ut opponitur conformitati radicali ipsius gratiæ ad unam ex prædictis legibus; et aliter ut opponitur conformitati ad aliam. Quando ergo primo quis peccat peccato v. g. adulterii, causat quidem privationem gratiæ, non tamen ut radicaliter oppositam omnibus prædictis legibus, atque adeo non secundum omnes respectus in ea possibles; sub eo speciali respectu dumtaxat, sub quo opponitur legi non mæchandi, et gratiæ ut conformanti radicaliter animam cum tali lege; et sub isto respectu constituit prædicta privatio peccatum habituale adulterii. Quando autem secundo peccat v. g. furto, hujusmodi peccatum causat eandem privationem gratiæ non absolute, sed secundum alium respectum oppositionis ad legem non furandi : atque ut causata sub isto respectu constituit peccatum habituale furti, et sic de reliquis. Unde fit ut sicut ad multiplicationem peccatorum actualium multiplicentur in prædicta privatione respectus oppositionis ad diversas leges, ita etiam multiplicentur peccata habitualia constituta per talem privationem, non utcumque acceptam, sed ut stantem sub talibus respectibus. Quin etiam fit, ut sicut virtutes, et leges sunt inæquales, et gratia, ut radicaliter con-

Solvitur.  
Docti-  
na.

D. Thom.

Objectio.

format uni, exprimit majorem, vel minorem perfectionem, quam ut conformat alteri : ita respectus illi oppositionis radicalis ad easdem leges, et virtutes inæqualem exprimant malitiam : ac proinde eadem gratiæ privatio, ut specialiter tollit conformitatem ad legem non occidendi, constituitque peccatum habituale homicidii, sit pejor seipsa ut specialiter auferente conformitatem ad legem non furandi, et constituente peccatum habituale furti, et sic de aliis. Per quod patet ad utranque replicam.

152. Diximus, *privatio gratiæ ut specialiter tollit conformitatem ad legem non occidendi, etc.* quia licet quævis privatio gratiæ per quodcumque peccatum actuale inducta auferat totam gratiam, et hac ratione sit privatio *in facto esse* ; non tamen id facit ex speciali oppositione ad quamvis legem, sed dumtaxat ad illam, cui opponitur peccatum actuale inducens talem privationem. Atque hinc fit, ut ipsa privatio inducta præcise per unum peccatum actuale v. g. furti, evadat quidem cum speciali oppositione radicali ad legem non furandi, quam violat tale peccatum ; non autem cum ea speciali oppositione ad legem v. g. non occidendi quam haberet inducta per peccatum homicidii. Proindeque datur locus, ut postquam prædicta privatio inducta est per primum peccatum cum speciali oppositione ad legem illud prohibentem, iterum per secundum causetur cum speciali oppositione ad legem prohibentem istud secundum, cum quo oppositionis modo nondum erat causata per primum. Solvitur igitur hac via totum, quod intendimus : nimirum et quod quælibet privatio gratiæ quovis modo inducta, sit privatio *in facto esse*, nihil formæ oppositæ in subjecto relinquens : et quod semel inducta sub una ratione, seu sub uno oppositionis modo per unum actuale peccatum, possit iterum, et iterum simul vel successive sub alio et alio oppositionis modo per aliud et aliud induci : et tandem quod inducta simul vel successive per plura peccata actualia, habeat in se plures oppositionis modos, pluresque rationes sufficientes ad constituenda plura peccata habitualia inæqualia, et diversa juxta pluralitatem, diversitatem, et inæqualitatem peccatorum actualium, qui illam induxerunt.

Ultimum  
argu-  
mentum.

Ultimo contra nostram sententiam potest sic argui. Nam si Deus non promisisset homini originalem justitiam, neque illum ad gratiæ ordinem elevasset, sed in puris naturalibus condidisset ; et ille mortaliter

peccaret (sive unusquisque pro se tantum, quia nullus constitutus fuisset caput morale cæterorum : sive primus pro se, et pro posteris, quia fuisset constitutus eorum caput, sub eo pacto ut si non servaret aliquod præceptum, pro se, et pro omnibus delinqueret, qui casus non fuit impossibilis) peccatum habituale inde sive in uno, sive in omnibus resultans non consisteret in privatione gratiæ, vel prædictæ justitiæ : igitur nec modo in ea consistit. Consequentia videtur perspicua : quia cum essentiæ rerum, et earum rationes constitutivæ sint invariables, nequibit modo esse constitutum prædicti peccati, quod tunc non esset. Antecedens vero probatur : quoniam in prædicto casu neque justitia originalis, neque gratia esset debita haberi ab homine : seclusa enim promissione divina, et elevatione ad ordinem supernaturalem, nullus esset titulus hujus debiti : ubi autem forma non est debita, quantuncunque desit, ejus carentia non habet rationem privationis, sed solius negationis : nulla esset ergo tunc privatio gratiæ, vel prædictæ justitiæ, quæ posset habituale, aut originale peccatum constituere.

153. Occasione hujus argumenti laborant aliqui ut explicent qualiter carentia gratiæ in statu naturæ puræ posset habere rationem peccati, sive personalis tantum, sive etiam originalis? Neque inutilis labor, si assequatur finem. Si quis namque vel sine debito habendi gratiam propter solum debitum non apponendi obicem, invenire valeat in ejus carentia rationem privationis : vel ipsum debitum habendi gratiam in homine existente in pura natura detegat, eo ipso quod peccaret mortaliter : quatenus dum per tale peccatum offenderet Deum ut finem naturalem directe, indirecte offenderet etiam, et tangeret illum ut finem supernaturalem, et ex suppositione quod utrovis modo ipsum tangeret, incurreret debitum exhibendi illi utriusque ordinis subjectionem, atque adeo convertendi se in eum per gratiam ; licet ex parte Dei nullum esset debitum gratiam conferendi : quæ via non displicet : vel denique sine debito, et privatione defendere ausus sit carentiam gratiæ, quæ tunc daretur, post commissum peccatum mortale habituram quicquid requiritur ad rationem voluntariæ, et peccaminosæ propter conjunctionem, vel respectum ad tale peccatum, ratione cujus ab statu simplicis carentiæ non excludentis, nec negantis ordinem ad finem supernaturalem ;

Insinua-  
tur prin-  
solutio  
exercen-  
ingen-  
nium.



lem ; sed dumtaxat : ab eo præscindentis, transiret ad statum carentiæ negativæ excludentis et negantis prædictum ordinem ; ingeniosè solvet argumentum.

Sed nos, ea difficultate alio reservata, respondebimus nunc, nullum esse inconveniens, si dixerimus peccatum habituale in illo statu fore alterius essentiæ, et rationis, ac modo est ; ac proinde habiturum aliud constitutivum. Ad constituendum vero, seu denominandum peccatum habitualiter in illo statu, si nihil intrinsecum appareat, sufficeret denominatio extrinseca sumpta a peccato actuali præterito non retractato. Modo enim propterea denominationem hanc a constitutione peccati originalis rejicimus, quia ex multis principiis habemus tale peccatum esse aliquid manens in nobis, et intrinsece nos afficiens: ob idque non licet prædictam constitutionem peccato jam præterito, et extrinseco tribuere. Tum etiam quia tam pro peccato originali, quam pro aliis habitualibus constituendis habemus de facto privationem gratiæ intrinsecam et voluntariam, in qua concurrunt omnia ad prædictum effectum requisita : ubi autem pro aliquo effectu constituendo adest ratio intrinseca sufficiens, non licet ad denominationes extrinsecas recurrere ; imo quoties adest ratio intrinseca alicujus denominationis, impedit ne forma extrinseca illam communicet. At vero in alio statu ubi neque esset hæc privatio, neque alia gaudens conditionibus ad constituendum peccatum habituale requisitis, nihil diceretur *peccatum habituale* cum ea proprietate, et veritate, qua nunc dicitur. Posset autem quicumque mortaliter deliquisset, denominari utcumque *peccator* per prædictam denominationem extrinsecam ab actu præterito ; longe tamen alio modo, ac nunc dicitur a privatione intrinseca.

154. Diximus *si nihil intrinsecum appareat*, etc. quia non est difficile in prædicto statu naturæ, secluso omni ordine ad gratiam, assignare aliquam privationem intrinsecam cum conditionibus sufficientibus ad constituendum peccatum habituale in eo statu possibile. Hæc autem esset privatio naturalis rectitudinis, seu naturalis inclinationis ad bonum honestum secundum superiorem partem animæ, superioremque rationem : per quam homo dum non peccaret, esset juxta exigentiam et possibilitatem illius status habitualiter conversus in Deum, ut finem ultimum naturalem. Hæc enim rectitudo, et inclinatio, nisi homo

peccaret, in nullo statu illi decset : quia secundum rem non differt ab ipsa rationali natura, et naturalibus ejus principiis : tolleretur autem aliqualiter ab eo per peccatum, quia hoc semper diminuit inclinationem naturalem ad bonum. Et quoniam per hujusmodi inclinationem homo exhibet Deo subjectionem habitualement, quam debet, nequit non ejus carentia quoad superiorem partem animæ habere rationem privationis avertentis ab ipso Deo, ac proinde peccaminosæ.

Neque obest si objicias, quod si prædicta Objectio. inclinatio non est aliquid distinctum a natura rationali, et ejus principiis, non auferetur per peccatum : quia peccatum non tollit principia naturæ. Si autem sit quid distinctum, eo ipso non pertinebit ad statum naturæ puræ, in quo consideramus illa dumtaxat, quæ natura ex seipsa habet sine aliquo sibi superaddito. Tum etiam quia si in illo statu peccatum actuale induceret privationem naturalis rectitudinis, et hæc privatio esset sufficiens ad peccatum habituale constituendum, etiam modo id haberet : cum non minus nunc, quam tunc peccata, quæ committimus, prædictam rectitudinem auferant, vel diminuunt. Frustra ergo confugimus modo pro constituendo prædicto peccato ad gratiæ privationem. Vel si utraque privatio ad id sufficit, quoties aliquis peccat, cogemur dicere, quod duplex habituale peccatum incurrat.

155. Respondetur enim ad primum, præ- Diluitur. dictam inclinationem (quæ, ut diximus, non distinguitur secundum rem ab ipsa natura rationali, et ejus principiis) non tolli omnino per peccatum, diminui tamen, et ratione hujus diminutionis causatur in ea aliqua privatio : caret enim illo amplius, quod haberet, si per peccatum non diminueretur. Hæc autem diminutio (ut sic alia replica diluatur) non fit ex parte subjecti subtrahendo ab eo aliquid entitatis, sed ex parte termini apponendo impedimentum, quo prædicta inclinatio redditur minus habilis, minusque expedita ad suum terminum attingendum, seu magis elongata, et remota ab illo. Quod qualiter eveniat, explicat D. Thom. infra quæst. 85, art. 2, his verbis : D. Thom. *Dicendum, quod prædicta inclinatio intelligitur ut media inter duo ; fundatur enim sicut in radice in natura rationali, et tendit in bonum virtutis sicut in terminum et finem. Dupliciter ergo potest intelligi ejus diminutio : uno modo ex parte radicis, alio modo ex parte termini. Primo quidem modo non dimi-*

nuitur per peccatum, eo quod peccatum non diminuit ipsam naturam : sed d'iminuitur secundo modo, in quantum scilicet ponitur impedimentum pertingendi ad terminum, etc. Quam doctrinam latius adduximus supra disp. 10, num. 15 et in annotat. ad citatum art. 2, amplius declarabimus. — Si vero postules, quid sit illud impedimentum, quod apponit peccator, dum peccat, et manet habitualiter diminuens prædictam inclinationem? — Respondetur, non esse necessarium pro nunc aliud assignare præter ipsum peccatum actuale : quod licet physice præterierit, manet tamen moraliter in Dei abominatione, manetque voluntas peccatoris moraliter illi adhærens, dum ipsum non retractat : sicque impedit, ne prædicta naturalis inclinatio ad suum terminum, qui est Deus ut finis ultimus naturalis, attingat.

Ad secundum respondetur, privationem istam inclinationis naturalis respective ad privationem gratiæ tantum esse secundum quid : quia non tollit simpliciter aliquam formam, sed solum eam quodammodo diminuit. Unde licet talis privatio, si daretur ab alia separata, sicut in pura natura dandam pro nunc admittimus, deberet assignari ut constitutiva peccati ; modo tamen quando simul adest gratiæ privatio, quæ est talis absolute et simpliciter, hæc dumtaxat pro constitutiva peccati haberi debet, alia vero ad eam reduci ut quid in suo genere valde diminutum : et ita nunquam ex unico peccato actuali duplex habituale consurget. Adde, privationem, quæcunque illa sit, non constituere peccatum habituale, nisi ut stat sub respectu ad actuale, ex quo emanavit : atque adeo præcedente dumtaxat unico actuali peccato, quantuncunque privationes multiplicarentur, non constituerent plura habitualia : quia in ordine ad talem constitutionem non ponerent in numero ; sed sub unico respectu adunarentur. Alia argumenta minoris momenti possemus hic adducere, quæ tamen consulto prætermittimus : quia ex doctrina hucusque tradita poterunt facile dissolvi.

Ex dictis toto hoc dubio circa essentiam peccati originalis habet decisum aliud ejusdem fere difficultatis circa essentiam peccati habitualis personalis : quod solet moveri infra quæst. 86. Quæ enim in præsentī adducta sunt, de utroque peccato convincunt, debere in privatione gratiæ consistere. Sicut et quæ adduximus dub. 3, de utroque probant, non consistere in aliquo positivo. Unde non opus erit pro ipso pec-

cato habituali personali novam disputationem vel dubium excitare. Aliqua tamen adducemus circa artic. 1 et 2, quæst. 86, præsertim ex doctrina D. Thomæ, ex quibus huc usque dicta majorem confirmationem accipient.

#### DUBIUM VI.

*Quæ sit species atoma originalis culpæ?*

156. Quamvis hucusque tam multa dixerimus ad declarandam naturam peccati originalis ; nondum tamen nisi gradum genericum, et rationem illi cum cæteris habitualibus communem aperire licuit : ad quam, non vero ad differentialem spectat, an sit, vel non sit positivum, consistat, vel non consistat in privatione gratiæ? etc. Superest ergo pro complemento disputationis, ut examinemus quæ sit ejus ratio specifica, et atoma : seu ad cujus vitii speciem tale peccatum pertineat : an scilicet superbiæ, gulæ, inobedienciæ, aut alterius similis? Unde nullatenus hanc difficultatem expediunt, qui dicunt speciem prædicti peccati in eo sitam esse, ut sit *originale*, quod nulli alii convenit. Nam esse, vel non esse originale in aliquo peccato non pertinet ad speciem ; sed solum dicit quemdam peculiarem modum procedendi a causa effectiva, qui potuisset accidere cuilibet speciei peccati. Quare licet diversitas in hoc modo procedendi causet distinctum specie voluntarium : quia istius ratio attenditur penes modum exeundi a principio effectivo ; non tamen potest diversificare speciem malitiæ ; quæ semper sumitur ab objecto, vel ab eo, quod ex parte objecti se tenet. Estque hujus fere evidens confirmatio. Tum quod nemo Theologorum hactenus dixit esse distinctum specie peccatum illud, quod in Adamo remansit ab eo, quod in nos traduxit : et tamen hoc est originale, quia per originem ad nos devenit ; illud vero non fuit originale, quia non fuit origine acceptum. Non ergo hæc potest esse ratio differentialis, et specifica talis peccati. Tum etiam quod si Adamus commisisset aliud specie peccatum ab eo, quod de facto commisit, consequenter traduxisset ad nos peccatum aliud secundum speciem ab eo, quod de facto traduxit : et tamen in utroque casu peccatum, quod traduceret, esset originale : ergo ratio originalis in peccato non dat, neque tollit speciem. Aliunde ergo desumenda est illa, quam investigamus, philosophandumque quoad

quoad hoc de peccato originali, ac si originale non esset : et sicut philosophamur de cæteris habitualibus secundum objectum, finem, et circumstantias, quæ sunt principia specificativa moralitatis ; quia vero in eodem peccato plures malitiæ species concurrere solent, hoc quoque in originali an contingat, videndum est : et quæ sit in eo principalis, et primaria ; quæ autem secundaria, et minus principalis ?

Cæterum ad faciliorem dubii decisionem observandum est ; peccata habitualia secundum se non constituere novam speciem : sed reduci ad speciem actualium, a quibus processerunt : sive quia actus et habitus circa idem objectum conveniunt specificè in esse materiali, quamvis physice differant : sive quia cum peccatum habituale nihil aliud sit nisi quidam terminus peccati actualis, non ponit cum eo in numero, sed reducitur ad ipsum. Quæcunque ergo hujus sit ratio, id certo certius est, quod in assignandis speciebus peccatorum habitualium, recurrendum est ad actualia, unde processerunt, eademque omnino species malitiæ, quæ in istis concurrunt, sub eisdemque nominibus esse illis tribuendas. Ad investigandam ergo speciem peccati originalis recurrere debemus ad primum peccatum actuale Adami, quod fuit ejus causa : et quæ in tali peccato ex objecto, fine, aut circumstantiis apparuerint malitiæ, has et nullam aliam tribuemus originali. Quare etsi præsens dubium propter ordinem doctrinæ sub titulo *peccati originalis* sit propositum, in ejus tamen decisione cum ipso peccato actuali Adami res habenda erit, vixque necesse habebimus alterius meminisse.

### § I.

#### *Sententia Angelici Doctoris.*

157. Dicendum igitur est, malitiam primariam, et essentialem peccati Adami fuisse speciei superbiæ, atque adeo peccatum nostrum originale ad hanc speciem primario pertinere. Hæc conclusio habetur in Sacra Scriptura Ecclesiastici 10, ubi dicitur : *Initium omnis peccati superbia.* Et Tobix 4 : *In ipsa (scilicet superbia) initium sumpsit omnis perditio.* Quæ verba de primo Adami peccato, a quo omnis nostra perditio, et peccatum ortum desumpsit, intelligunt D. Augustinus lib. 14 de civit. Dei cap. 13, D. Thom. locis infra referendis, Abulensis in 3 cap. Genes.

quæst. 6, et plures alii. Deducitque optime hanc veritatem idem Abulensis (quod et prius præstitit Ang. Doctor), ex ordine tentationis, qua diabolus primos parentes invasit. Nam ut habetur Genes. 3, primum motivum, quod illis proposuit ad comedendum de ligno vetito, fuit inordinata excellentia sui ipsorum, nempe *Eritis sicut Dii scientes*, etc. quæ est proprium motivum, et objectum superbiæ. Sciebat enim callidissimus hostis, nihil ita efficax ad illorum appetitum afferendum objicere potuisse, sicut prædictam excellentiam. Adeoque optime deducitur, ipsos primos parentes hoc motivo fuisse primo elatos, indeque ad comedendum de ligno vetito processisse, per quam comestionem ipse diabolus talem excellentiam assequendam promiserat. Unde assertionem nostram tuentur non modo D. Augustinus, D. Thom. et Abulens. jam citati, idemque Augustinus de Genesi ad literam lib. 11, cap. 3 et 4, et in Enchirid. cap. 45, sed etiam D. Basilii in oratione *quod Deus non sit auctor malorum.* D. Prosper lib. 2 de vita contemplativa cap. 9, D. Gregorius lib. 4 moralium cap. 9, Leo Papa serm. 5 de nativitate Domini, Eucherius lib. 1, in Genes., Chysostomus homil. 16, in Genes. Fulgentius lib. 2 de Incarnatione et gratia Christi cap. 22, Damascenus lib. 2 de fide cap. 10, Bernardus serm. 1 de adventu, et alii Patres. Cum quibus sentiunt Magister sententiarum in 2, dist. 22, Durandus ibidem quæst. 1, Cajetanus 2, 2, quæst. 163, art. 1 et 2, Sotus lib. 1 de natura, et gratia cap. 5, Bellarminus lib. 3 de amissione gratiæ cap. 3, Pererius lib. 6, in Genes. quæst 2, Granados controvers. 2 de gestis mirabilibus vitæ Christi tract. 1, disp. 1, sect. 6, Montesinos in præsentis disp. 11, quæst. sua 5, dicens esse communem sententiam scholasticorum.

Omissis autem aliis rationibus, ut brevitati consulamus, eam dumtaxat proponemus, quam tradit D. Thom. 2, 2, quæst. 163, art. 1 ubi rem ex professo examinat his verbis : *Dicendum, quod ad unum peccatum multi motus concurrere possunt : inter quos ille habet rationem primi peccati, in quo primo inordinatio invenitur. Manifestum est autem, quod primo invenitur inordinatio in motu interiori animæ, quam in actu exteriori corporis : quia ut Augustinus dicit in 1 de civit. Dei, non amittitur corporis sanctitas, manente animæ sanctitate. Inter motus autem interiores prius movetur appetitus in finem, quam in id, quod queritur propter*

D. Basil.  
D. Pros.  
D. Greg.  
Leo.  
Eucher.  
Chrys.  
Fulgent.  
Damasc.  
Bernard.  
Magist.  
sent.  
Durand.  
Cajet.  
Sotus.  
Bellarmin.  
Pererius.  
Granad.  
Montes.

D. Thom.

*finem. Et ideo ibi fuit primum peccatum hominis, ubi potuit esse primus appetitus inordinati finis. Sic autem homo erat in statu in ocentiæ institutus, ut nulla esset rebellio carnis ad spiritum. Unde non potuit esse prima inordinatio appetitus humani ex hoc quod appetierit aliquod sensibile bonum, in quod carnis concupiscentia tendit præter ordinem rationis. Relinquitur ergo, quod prima inordinatio appetitus humani fuit ex hoc, quod aliquod bonum spirituale inordinate appetiit. Non autem inordinate appetivisset appetendo id secundum suam mensuram ex divina regula præstitutam. Unde reliquitur, quod primum peccatum hominis fuit in hoc, quod appetiit quoddam spirituale bonum supra suam mensuram: quod pertinet ad superbiam. Unde manifestum est, quod primum peccatum primi hominis fuit superbia.*

Idem.

158. Quæ autem fuerit illa excellentia, quam Adamus inordinate appetiit, declarat S. Doctor. art. sequenti his verbis: *Primus homo peccavit principaliter appetendo similitudinem Dei quantum ad scientiam boni et mali, sicut serpens ei suggestit: ut scilicet per virtutem propriæ naturæ determinaret sibi quid esset bonum, et quid malum ad agendum: vel etiam ut per seipsum præcognosceret, quid sibi boni, vel mali esset futurum. Et secundario peccavit appetendo similitudinem Dei quantum ad propriam potestatem operandi: ut scilicet virtute propriæ naturæ operaretur ad beatitudinem consequendam, etc.* Eodem fere modo explicuit objectum illius peccati ipse Ang. Doctor, in 2, dist. 22, quæst 1, art. 1, ubi postquam assignavit objectum excellens, circa quod Angelus superbivit, de objecto superbiam Adami, sic ait: *Homo vero, qui creaturis inferioribus superpositus erat, ut eas regeret, et eis uteretur non tam per potentiam, quam per prudentiam, hoc modo appetiit, ut per naturæ suæ conditionem, et ligni prohibiti edulium tantam scientiæ plenitudinem consequeretur, ut ex lumine propriæ rationis, quod tamen a Deo sibi collatum esse credebat, et seipsum regeret in omnibus, et inferiora sibi subjecta. Unde Augustinus dicit, quod nobuit ut servus teneri præcepto quasi ab alia regula per lumen naturali lumini superadditum. Et hoc etiam verba serpentis ostendunt, qui promisit scientiam boni, et mali, quod ad actiones pertinet, et ad gubernationem rerum.* Legatur etiam ad Roman. 5, lect. 5.

## § II.

*Prima objectio adversus rationem D. Thomæ, et ejus enervatio.*

Quamvis autem ratio Ang. Doctoris efficacissima sit, et rem optime declaret, patitur nihilominus aliquas objectiones: quæ propositæ et solutæ plenioribus ejus parient intelligentiam. Primo ergo objicies, non satis probari ex prædicta ratione, primum Adami peccatum, seu primam ejus deformitatem fuisse superbiam. Tum quia non ostenditur, cur tale peccatum debuerit esse circa finem; aut non potuerit esse circa media: sicut in nobis sæpe accidit, qui etiam nullo intento pravo fine multoties incurrimus peccatum propter electionem mali medii: ut cum quis ad dandam elemosynam, vel ad congruam sustentationem eligit furari. Cur ergo non potuisset Adamus in primo suo peccato a prava aliqua electione incipere? Et licet concederetur debuisse incipere a fine, non tamen ostenditur incipiendum esse a fine ultimo, sicut prædicta ratio videtur supponere: potuisset enim incipere ab intermediis. Deinde esto prima deordinatio circa finem ultimum contigerit, non probatur hujusmodi finem debuisse esse propriam excellentiam, quæ est superbiam objectum: nam potuit esse vel inordinatus amor uxoris, qui pertineat ad luxuriam, vel nimietas in addiscendo, quæ est objectum curiositatis, vel aliud bonum simile. Præterea etiam circa propriam excellentiam potuit Adamus delinquere multis aliis viis, quærendo inordinate illam; vel in honoribus, sive dignitatibus, quod pertinet ad ambitionem, aut ad philotimiam vitium; vel in magnitudine operum, quod pertinet ad præsumptionem, vel in laude quod pertinet ad inanem gloriam. Non est ergo cur dicamus, primum illud peccatum debuisse potius pertinere ad superbiam, quam ad aliud vitium ex prædictis.

459. Respondetur negando antecedens: solu quicquid enim sit, an de lege absoluta obj potuerit Adamus ab alio quam a peccato cur superbiam incipere; tamen quod de facto hoc m fuerit primum, imo et quod attentata suavi sec providentia, et communi rerum cursu, non pr potuerit esse aliud, optime convincitur ti ratione Ang. Doctoris. Ut autem probationibus contrariis occurramus, recolendum est id, quod sæpe diximus, videlicet in statu innocentiam omnia in homine fuisse perfec-

te coordinata : ita ut unumquodque firmiter sub suo superiori contineretur : nempe corpus sub anima, appetitus sensitivus sub ratione, et ratio inferior sub ratione superiori, quandiu ista sub Dei amore conservaretur : hujusmodi enim subjectio, et firmus ordo erat proprius effectus originalis justitiæ. Ex ipsoque omnino fiebat, ut appetitus sensitivus in nullum objectum propenderet nisi ex imperio rationis, ita ut quicquid ratio ipsa prius non approbaret, præciperetque ejus prosecutionem, nequaquam posset illum allicere. Similiter ut nec ratio inferior tenderet in aliquid nisi jussa a superiori. Atque adeo omnes animi motus sive prosecutionis, sive fugæ debebant ab ipsa ratione superiori inchoari.

Atque hinc etiam fiebat, ut ipsa ratio superior nullius pravi medii, aut pravi finis intermedii electionem, vel intentionem imperaret, nisi præsupposita prava intentione ultimi finis. Et ratio est : quia ante hujusmodi pravam intentionem in nullo inordinato medio, vel fine intermedio poterat apparere aliqua ratio boni, seu convenientis. Aut enim talis convenientia esset per ordinem ad appetitum sensitivum, inferiorumque hominis partem? Et hoc non, quia tota hæc pars erat taliter rectificata, ut nihil respectu ejus offerret convenientiam, nisi quod ratio superior ut sibi per sua principia conveniens approbaret. Aut esset talis convenientia per ordinem ad ipsam partem, et rationem superiorem secundum se? Et neque hoc dici potest : quia hæc ratio per sua principia nihil approbat, nisi quod est juxta finem ultimum a quo cæterorum omnium agendorum regulam desumit. Quandiu ergo prædicta ratio immediate circa hujusmodi finem non delinqueret, constituendo illum in aliquo bono improporcionado, impossibile erat, ut aliquid aliud inordinatum vel ipsi rationi superiori, vel alicui hominis appetitui sub specie boni, et convenientis repræsentaretur. Debuit itaque primum peccatum indispensabiliter a fine ultimo incipere, indeque ad alia derivari. Quam doctrinam desumpsimus ex D. Thom. infra quæst. 89, art. 3, et quæst. 7 de mal. art. 7, ubi post alia inquit : *Contingit autem et in objectis rationis esse ordinem superioris, et inferioris, et in speculativis, et in practicis. Sicut enim principium indemonstrabile est supremum in speculandis : ita finis se habet in operabilibus. Unde quandiu superior ratio hominis bene se ha-*

*buisset circa finem, nullo modo deficere potuisset circa ea, quæ sunt ad finem propter indefectibilem ordinem inferiorum ad superiora secundum conditionem illius status.*

Alia autem ratio est in hoc statu naturæ lapsæ : nam cum pars inferior destituta maneat prædicta rectitudine, contingit repræsentari quam multa objecta inordinata cum convenientia respectu illius ut sic destitutæ, quæ respectu rationis superioris secundum se, vel respectu ejusdem partis ut rectificatæ convenientiam non habent : unde allicientibus hujusmodi objectis appetitum propter prædictam convenientiam, insurgunt in eo motus inordinati, qui rationem superiorem obnubilant, et voluntatis consensum, etiam inconsulto fine ultimo, sollicitant, et extorquent : et ob hanc causam sæpe peccatum initium sumit ab intermediis, indeque refunditur in ultimum finem. Per quod patet ad primam, et secundam probationem objectionis propositæ, et quam recte D. Thom. in sua ratione asseruerit, primam malitiam peccati Adami debuisse esse immediate circa finem ultimum.

160. Ad tertiam respondetur, sufficienter ex eadem ratione haberi, objectum prædicti peccati fuisse propriam excellentiam : quia cum tale peccatum propter illa, quæ nuper diximus, debuerit initium sumere a ratione superiori secundum se, debuit habere pro objecto tale bonum, ad quod prædicta ratio secundum se alliceretur : ratio autem superior secundum se non afficitur ad bona sensibilia, hoc enim munus est appetitus sensitivi, vel ejusdem rationis non secundum se, sed ut a tali appetitu sollicitatæ, et ad ipsum depressæ : solum ergo secundum se affici potest ad bona spiritualia, in quibus excellentia rationalis naturæ consistit, atque adeo sola hæc bona, et eorum excellentia potuit esse objectum primum prædicti peccati. Unde quoad hoc idem dicendum est de Adamo, quod de Angelo dixit D. Thom. 1, p. quæst. 63, art. 2, his verbis : *Spiritualement naturam (sub natura intellige etiam spiritualem potentiam, qualis est ratio superior) affici non contingit ad bona, quæ sunt propria corporis, sed ad ea, quæ in rebus spiritualibus inveniri possunt : nihil enim afficitur nisi ad id, quod suæ naturæ potest esse quodammodo conveniens. In spiritualibus autem bonis non potest esse peccatum, dum aliquis ad ea afficitur, nisi per hoc quod in tali affectu superioris regula non servatur. Et hoc*

Occurritur tertie probationi.

*est peccatum superbiæ, non subdi superiori in quo debet. Unde peccatum primum Angeli non potest esse aliud, quam superbia. Sed consequenter, etc.*

Quod autem dicitur de inordinato amore uxoris nullius momenti est : nam præterquam quod amor Adami erga Evam quantumvis intensus, et affectuosus, seclusa alia prava circumstantia, inordinatus non fuisset : si tamen id haberet, nihilominus excluderetur a ratione primi peccati : quia cum esset de objecto sensibili non spectaret ad rationem superiorem secundum se ob rationem nuper factam : a qua, ut diximus, debuit oriri prædictum peccatum. Similiter non obest illud, quod dicitur de curiositate : quia curiositas etiam si sit circa cognitionem intellectivam, non excludit ex genere suo limites peccati venialis. Adamus autem non potuisset peccare venialiter, nisi prius mortaliter deliquisset : ut, cum D. Thoma videbimus infra quæst. 89, art. 3. Diximus etiam si sit circa cognitionem intellectivam, etc. quia peccatum curiositatis potius accidit circa sensitivam : circa quam non potuisse primo peccare Adamum, sicut nec circa quodcumque aliud objectum sensibile satis habetur ex dictis.

Occurritur ultimè.

161. Ad ultimam probationem respondetur omnia alia peccata, quæ circa propriam excellentiam contingunt, supponere (saltem secundum communem cursum) peccatum superbiæ : eo quod istius objectum habet esse prius natura objectis illorum : unde quia inter actus et peccata servatur idem ordo, qui est inter objecta, non potuit non voluntas Adami priusquam per ambitionem, philotimiam, præsumptionem, aut inanem gloriam, per superbiam delinquere. Ratio vero quare objectum superbiæ sit prius, facile reddi potest. Quoniam superbia habet pro objecto excellentiam propriam ut sic, seu in toto suo ambitu sine restrictione ad particularem materiam ; cetera autem prædicta vitia habent pro objecto excellentiam non ut sic, sed ut ad hanc, vel illam materiam determinatam, et ipsius materiæ propriam : puta præsumptio excellentiam in operibus ; ambitio aut philotimia excellentiam in honoribus, vel dignitatibus : inanis gloria excellentiam in laude ; constat autem excellentiam ut sic, seu sine restrictione esse priorem prioritate naturæ qualibet excellentia peculiari, et determinata : sicut genus est prius qualibet specie. Potestque hoc explicari exemplo amoris, desiderii, et gaudii : nam quia objectum amoris

est bonum secundum absolutam rationem, prout sine restrictione ad hanc, vel illam conditionem consideratur ; objecta vero desiderii, et gaudii sunt bonum ut determinatum aliqua particulari conditione, nempe absentis, vel præsentis, et bonum absolute acceptum est prius quam bonum sic determinatum, idcirco gaudium, et desiderium de qualibet re præsupponunt ejus amorem ; nemo enim desiderat nisi quod amat ; neque gaudet nisi quia præsens habet quod amat. De quo videndus est D. Thom. supra <sup>D. Thom.</sup> quæst. 25, art. 1 ad 2, ubi hac eadem ratione probat, alias passiones sive irascibilis, sive concupiscibilis omnes oriri ex amore, et ab illo procedere. Eodem ergo proportionali modo philosophandum est de superbia, cujus objectum est inordinata excellentia absolute sumpta, in comparatione ad alia peccata : quæ habent pro objecto inordinatam excellentiam in materia tali vel tali.

162. Secundo ad totam hanc objectionem respondetur, quod etiam si admitteremus Adamum potuisse primo peccare alio peccato distincto a superbia ; nullatenus tamen cogimur concedere de facto ita accidisse : nam est perspicuum potuisse etiam saltem æque bene incipere a superbia imo etiam est perspicuum motivum superbiæ, scilicet propriam excellentiam absolute sumptam fuisse aptius quocumque alio motivo ad efferendam voluntatem Adami contra divinum præceptum : cito enim apparet, nihil potuisse repræsentari respectu hominis conditi in tanta felicitate, animi tranquillitate, et passionum quiete adeo efficax, et accommodatum ad illum incitandum, et commovendum, sicut prædictam excellentiam propositam sine mensura, et regula deprimente, et subjiciente : quo pacto constituit superbiæ objectum. Unde cum pro hac parte habeamus tot Sanctorum judicia, et testimonia Scripturæ satis expressa, sine dubio tenendum est, ita contigisse de facto : quicquid sit an aliter evenire potuerit ; in rebus enim, quæ sic vel aliter contingere potuerunt, quod de facto contigerit, debet nobis innotescere testimoniis illorum, quibus Deus manifestavit.

Alia objectioni soluti

## § III.

*Objectio alia difficilior.*

163. Deinde objicies, non satis in nostra ratione declarari, quo pacto fuerit inordinata illa excellentia, circa quam Adamus deliquit, aut quæ fuerit regula et mensura, quam in ejus appetitu debuit observare, et superbiendo præterivit. Non enim hæc mensura potuit esse aliqua limitatio, et determinatio, quam Deus præfixerit circa quantitatem objecti, v. g. ut appeteret tantam scientiam, et non majorem, aut scientiam talium rerum, et non aliarum : in bonis namque spiritualibus, ut in scientia, gratia, et virtute, nulli Deus hujusmodi limitationem præfigit. Quin potius sicut habere scientiam, et expellere ignorantiam per se loquendo semper est bonum, et consonum divinæ voluntati : ita habere scientiam majorem, et majorem, et plurium, et plurium rerum semper est per se melius, et divinæ voluntati conformius. Si autem dicas prædictam mensuram fuisse aliquem modum, vel relationem, quam Adamus adhibere tenebatur in appetitu illius scientiæ : v. g. quia teneretur non appetere illam nisi referendo ad finem supernaturalem, et quia appetiit sine hujusmodi relatione, appetiit excellentiam sine debita mensura, quod est *superbire*. Contra est : tum quia nullum apparet præceptum, ratione cujus Adamus teneretur ad prædictam relationem. Tum etiam quia etiam si tale præceptum fuisse concedamus, cum esset affirmativum, non obligaret pro semper, sed pro determinato tempore, nempe pro primo vel secundo instanti : in quo sicut Angelus ita homo tenebatur se et omnia sua in finem supernaturalem dirigere : transacto vero illo instante, sicut nulla mansit obligatio ad hanc directionem, ita ejus omissio non poterat esse peccaminosa.

Confirmatur : nam idcirco Angelus in secundo instante superbe deliquit, quia cum esset primum instans plenissimæ libertatis, urgebat tunc charitatis præceptum ad eliciendum actum amoris Dei super omnia, referendamque in illum propriam excellentiam suæ naturalis beatitudinis : ob idque amare pro tunc hujusmodi beatitudinem, omisso tali actu, fuit velle propriam excellentiam sine debita mensura. Si autem pro prædicto secundo instante præceptum charitatis adimpleret, non jam deinceps superbe peccaret, quamvis propriam excellentiam

sine prædicto actu diligeret, quia nihil debitum amittebat : ergo cum peccatum Adami non fuerit pro primo vel secundo instante, sed multo post, quando jam neque præcepto charitatis, neque alio tenebatur referre suam scientiam, et excellentiam ejus ad finem supernaturalem, non est dicendum amasse tunc prædictam excellentiam sine debita mensura, aut in hoc superbiisse ; etiamsi in eo appetitu non adhiberit talem relationem.

164. Hæc objectio alias difficilis facilem habebit solutionem, si verum sit, quod aliqui autumant : videlicet Adamum usque ad tempus sui peccati habuisse præceptum non appetendi illam excellentiam, circa quam deliquit nisi ex auxilio supernaturali, et cum actuali recursum ad hoc auxilium, ita hujusmodi recursus esset mensura præfixa a Deo, et servanda ab Adamo in appetitu prædictæ excellentiæ : unde quia sine tali recursum illam appetiit, appetiit sine debita mensura, atque adeo superbe. Juxta quam solutionem eodem modo philosophandum erit de superbia Adami, ac de superbia Angeli : cum eo tantum discrimine, quod objectum primarium superbiæ Angeli fuit excellentia naturalis beatitudinis, quam naturaliter possidebat : mensura autem, quam tenebatur adhibere, et prætermisit, fuit relatio talis beatitudinis ad finem supernaturalem per charitatis actum : at vero objectum superbiæ Adami fuit excellentia in scientia supernaturali, quam nondum plene fuerat assequutus, præsertim ad discernendum circa bonum et malum tam respectu sui, quam in ordine ad cæteras creaturas, quæ ejus ditione, et regimini subjiciebantur : mensura autem in ea excellentia observanda fuit recursum per actum humilitatis, vel spei ad divinum auxilium, et ad Deum auctorem supernaturalem, qui prædictam scientiam gratiose largiretur. Quod si hæc via firma censeatur ; non erit necessarium plura hic adjicere, sed pro omnibus, quæ desiderari poterunt, remittere lectorem ad ea, quæ in tract. de Angel. disp. 10, circa speciem, et objectum sui peccati late scripsimus, ubi solutas reperiet objectiones, et replicas, quæ in præsentem poterant efformari.

Porro prædictus modus dicendi non videtur omnino alienus a mente D. Thomæ in verbis supra relatis ex 2, 2, dum ait Adamum appetiisse assimilari Deo in modo habendi prædictam scientiam per virtutem propriæ naturæ : non enim hoc ita est acci-

Juvatur  
solutio  
D. Thom.

piendum. quasi formaliter judicaverit se posse talem scientiam propriis viribus adipisci, ac proinde id expresse voluerit : quia hic esset manifestus error non modo practicus, sed etiam speculativus, quem saltem pro illo primo signo debemus ab intellectu Adami relegare : sed quia interpretative id fecit : appetendo enim prædictam scientiam sine recurso, quem adhibere tenebatur ad auxilium supernaturale, ita se habuit, ac si hujusmodi auxilio non indigeret, sed sua sibi natura sulliceret, et ideo cordate interpretamur voluisse illam consequi innixus propriae virtuti sine alia dependentia, et auxilio. Favet etiam I p. quæst. 94, art. 4, in solut. ad ultimum, ubi videtur assignare pro ratione primi peccati Adami, quod in illa tentatione ad auxilium divinum non recurrerit : sentit ergo adfuisse tunc præceptum talis recursus.

Satisfit  
utrumque  
impugna-  
tionibus.

165. Sed quia valde urget contra hunc modum dicendi impugnatio in objectione facta, et ejus confirmatio, posset eis non improbabiler responderi, si dicatur, in ipso præcepto negativo non superbiendi, quod Adamum, et omnes obligat pro semper, includi præceptum affirmativum recurrenti in illo casu ad divinum auxilium per actum spei, aut subjiçendi specialiter Deo propriam excellentiam per actum humilitatis; quatenus sine hoc recurso, aut subjectione nequiret Adamus, rebus ut tunc, superbiam evitare : ut enim supra disp. 5 diximus, vix est aliquod præceptum negativum, quod in se non includat saltem pro aliquo casu affirmativum; et e contra : ut in præcepto negativo non concupiscendi clauditur affirmativum adhibendi orationem, vel aliud medium, quoties necessarium censebitur ad concupiscentiam, vel ejus periculum evitandum. In casu ergo argumenti supposita diaboli tentatione et quod Adamus motu prosequativo tenderet in excellentiam, quam illi objiciebat, sicut tetendit de facto, nequiret sine recurso ad aliquem ex prædictis actibus humilitatis, vel spei vitare superbiam et ejus periculum : et ita urgebat præceptum talis recursus. Cujus ratio potest desumi tum ex ipsa tentatione, quæ et quia erat prima, incussaque inexperto, et quia callidissime fuit inducta, scilicet mulieris interventu, et suasionem, et quia offerebat rem in illo statu valde appetitum allicientem, suapte natura periculum consensus afferebat, nisi contra illam voluntas Adami speciali recurso ad Deum præmuniretur. Tum etiam quia semel proposita

Adamo excellentia illa, quæ in scientia eminenti, et supernaturali elucebat, duplici tantum via poterat a superbia liberari, vel per modum fugæ divertendo ad alia, et non curando de tali excellentia, seu illam tanquam suis viribus incommensuratam abjiciendo; vel proseguendo illam per actum alicujus earum virtutum, quæ circa prosecutionem excellentiæ assignantur, uti sunt spes, et magnanimitas : cum ergo primo medio usus non fuerit, sed positive illam appetierit, tenebatur uti secundo : in quo clauditur recurso ad divinum auxilium, quia respectu objecti ita excedentis, neque spes virtus, neque magnanimitas se exercent, nisi innitendo prædicto auxilio. Ex quo etiam fit, quod actus Adami tendentis in prædictam excellentiam sine tali recurso, secundum suam primariam speciem esset actus superbiæ : non enim erat ex specie indifferens, ut est per se notum : neque etiam virtuosus propter defectum modo declaratum; oportebat ergo ut esset actus vitiosus : cumque objectum esset propria excellentia appetita sine debita mensura consistente pro illo tunc in prædicto recurso, nihil defuit; quominus esset proprie actus superbiæ. Hac via, ut diximus, posset non improbabiler obviam iri objectioni propositæ, et ratio D. Thomæ elucidari. Sed forte rem attentius consideranti minus firma censebitur : quia remisse probat prædictam obligationem recurrenti positive ad divinum auxilium : neque satis ostendit non superfuisse Adamo aliam viam ad peccatum superbiæ evitandum, nisi vel per modum fugæ, vel per actum magnanimitatis, aut spei ; quinimo ad actum magnanimitatis expresse postulari similem recursum non omnino ostendit. Et ideo ut ab omnibus his scrupulis liberemur, curabimus alio itinere difficultatem enodare.

#### § IV.

##### *Firmior solutio objectionis propositæ.*

166. Pro firmiori ergo solutione nota Deum in imponendo Adamo præceptum illud non edendi de ligno scientiæ boni et mali potissimum voluisse subdere sibi ejus voluntatem, et judicium quadam peculiari, et veluti secretiori dependentia supra illam, quam naturalis ejus ratio assequeretur : ut media tali dependentia homo captivaret suum intellectum in obsequium divinæ celsitudinis : et liberum arbitrium perfectiori,

Anim  
vers



tiori, et liberiori obedientia divinæ voluntati haberet submissum: ac tandem recognosceret, se a Deo dependere, ejusque auxiliis indigere non modo in his, quæ lumen naturalis rationis assequi poterat, sed etiam in aliis occultis, et superexcedentibus, quæ illa suis viribus non poterat deprehendere. Ad hoc autem imposuit Adamo ultra ea præcepta, quæ naturalis ratio dictabat, per quæ sponte (ut sic dicamus) et suapte natura Deum ut legislatorem, auctorem, et finem naturalem lubens agnoscebat, præceptum aliud mere positivum ex sola libera Dei voluntate ortum, videlicet ne ederet de ligno scientiæ: cujus præcepti ipse Adamus nullam aliam rationem, vel convenientiam assequeretur, nisi supremum Dei dominium, et liberrimam voluntatem: cujusque reverente acceptatione, et inviolabili observantia subjectior, et humilior sub fide, et obedientia ipsius Dei ut auctoris supernaturalis teneretur, agnosceretque hac via, non omnia ad salutem necessaria per propriæ naturæ vires, aut per auxilia naturaliter debita se posse adipisci; sed in multis ad auxilia gratiæ debere recurrere: ac proinde animadverteret in seipso peculiarem modum subjectionis, et dependentiæ a Deo supra illum, quem reliqua præcepta notificabant. Hæc autem peculiaris dependentia, et subjectio erat mensura, et regula præfixa a Deo excellentiæ Adami, sub qua et non aliter deberet eam appetere. Nam cum excellentia ex sua ratione importet eminentiam, et exemptionem, eo ipso quod sub dependentia, et subjectione constituatur, limitatur, regulatur, et deprimitur. Quare superbia Adami in eo consistere potuit, quod ejus appetitus elatus fuerit in propriam excellentiam, abjecta, vel ommissa prædicta dependentia, et subjectione: nam hoc fuit appetere illam sine debita mensura, seu supra illam.

167. Deinde nota, dupliciter posse intelligi, quod Adamus objecerit subjectionem ex illius præcepti impositione provenientem: vel per formalem ejusdem præcepti violationem; ut volendo expresse comedere: vel etiam ante talem expressam violationem, nolendo manere habitualiter sub illo, respuendoque, et fastidiendo hoc, quod est manere tali præcepto habitualiter ligatum. Quicumque enim admittit supra se præceptum, etiam antequam obligatio occurrat, vel urgeat tempus juxta, aut contra operandi, sed ex ipsa impositione cen-

setur habitualiter subjectus imponenti, et cum quadam inferioritate, et minoratione respectu illius: unde ex hoc ipso etiamsi occasio adimplendi, aut violandi præceptum non occurrat, animadvertit se depressum: et humiliatum: propriamque excellentiam coarctatam, limitatam, et mensuratam per talem subjectionem: et ideo ex solo motivo abjiciendi eam subjectionem, excellendique, et eminendi, etiam si appetitus agendi rem prohibitam non præcat, potest respuere, et fastidire tale præceptum, et appetere propriam excellentiam ut exemptam, et independentem ab illo: atque ex hoc fastu incitari ad ejus violationem per actum prohibitum: quatenus prædicta exemptio, et independentia in tali violatione clarius splendet. Hac igitur ratione deliquit Adamus, non quia urgeret tunc præceptum affirmativum de aliquo actu, quem omiserit, nec quia primario voluerit comedere pomum vetitum, et ejus præceptum frangere: sed quia videns se impositione illius præcepti humiliari, et minorari ultra id, quod naturalis ejus ratio deprehendebat, cernensque propriam excellentiam per talem subjectionem coarctari, quasi impatiens, illam sub ea regula et limitatione contineri, appetiit habere ipsam ut exemptam et liberam a prædicta subjectione, atque adeo ut a debita mensura extractam. Quare ut Adamus in eo appetitu superbe deliquerit, non est necesse adfuisse tunc præceptum affirmativum de exercendo aliquo actu, v. g. spei, humilitatis, aut charitatis, sicut fuit in Angelo, sed sufficit esse impositum præceptum non edendi de ligno scientiæ boni, et mali eo fine, ut talis impositio, necnon dependentia, et subjectio habitualis inde in Adamo resultans esset mensura, et regula suæ excellentiæ; et adesse etiam præceptum non appetendi prædictam excellentiam sine tali dependentia, et mensura, seu ea abjecta. Hoc autem posterius præceptum non distinguitur ab ipso præcepto naturali negativo non superbiendi: quia supposito quod Deus pro mensura excellentiæ Adami prædictam dependentiam decreverit, quilibet appetitus talis excellentiæ excludens illam dependentiam est appetitus propriæ excellentiæ sine debita mensura: atque adeo superbus, et prohibitus prædicto præcepto.

Sed dices: vel Adamus voluit formaliter suam excellentiam ut independentem a subjectione consurgente ex præcepti impositione, ita ut tam excellentia: quam inde-

Replica.

pendentia esset expresse volita : vel voluit expresse solam excellentiam ; independentiam vero interpretative, quatenus omisit subjectionem, quam debebat amplecti ? Primum non videtur posse affirmari : tum quia conjunctum illud, nempe *excellencia ut independens* secundum se est malum objectum : primum autem Adami peccatum sicut primum peccatum Angeli non habuit pro objecto aliquid secundum se malum ; sed rem bonam inordinate dilectam. Tum etiam quia prædictum conjunctum utpote secundum se malum non potuit appeti ab Adamo sine errore, quo judicaretur bonum : non est autem dicendum, primum peccatum Adami processisse ex errore, sicut nec de peccato Angeli hoc asseritur : ergo, etc. Si vero secundum dicatur, videlicet solam excellentiam fuisse ab Adamo expresse volitam ; independentiam vero non nisi interpretative, quatenus omisit subjectionem, quam debuit adhibere, seu amplecti, jam ponitur præceptum affirmativum assumendi, vel amplectendi ipsam subjectionem, atque adeo incidimus in inconveniens, quod impugnavimus.

168. Respondetur, eligendo primam partem dilemmatis. Et ad primam impugnationem dicendum est excellentiam ut independentem a prædicta subjectione posse considerari dupliciter : vel absolute, nulla facta suppositione : vel respective ad Adamum ut oneratum, et ligatum præcepto non edendi, factaque talis præcepti suppositione. Primo modo non est objectum malum, nam Deus habet talem excellentiam, et independentiam, et ipse Adamus potuisset totum id licite appetere, si tali præcepto oneratus non fuisset : et hoc dumtaxat voluit expresse Adamus ; atque ita nihil malum expresse appetiit. Secundo autem modo habet rationem mali propter improprietatem quam dicit talis ex excellentia ad suppositum eo præcepto oneratum : sed Adamus non voluit expresse hanc improprietatem, neque eam consideravit : quia non comparavit talem excellentiam ad se ut habentem præceptum ; sed appetiit illam ut exemptam, et independentem absolute, factaque comparatione dumtaxat ad se ipsum consideratum absolute, et sine ordine ad præceptum : quo modo non splendebat in ea prædicta improprietate. Et quamvis in eo appetitu positive abjecerit oppositam dependentiam, et subjectionem ; adhuc tamen in hoc nulla elucebat inordinatio stando præcise in prædicta compara-

tionem. Propterea tamen peccavit, et superbiit, quia ex suppositione quod jam erat præcepto oneratus, debuisset hoc attendere, secumque rem agere ut subjectus tati præcepto : et quia hoc modo excellentia cum abjectione prædictæ dependentiæ erat sibi ibi et tunc improprietata, debuisset illam non sic appetere, neque similem abjectionem suo appetitu facere. Appetiit autem, positive subjectionem abiciens, amavitque proinde excellentiam abjecta subjectione, et mensura debita, quia non se ita consideravit ; sed potius secum egit, quasi non haberet illud præceptum, ex cujus impositione subiectio consurgebat.

Ad secundam respondetur, non sequi juxta hunc modum dicendi, peccatum Adami quantum ad primam malitiam debuisset procedere ex errore formali, quia etiam si nihil falsum judicaverit (in quo solum poterat error consistere) salvatur sufficienter totum, quod diximus, per solam inconsiderationem, seu inattentionem eorum, quæ debuit attendere, ut intuitu facile constabit. In eo enim quod Adamus judicaverit, excellentiam scientiæ ut exemptam, et independentem ab habituali præcepti subjectione esse in se et absolute bonam, et appetibilem, nullus fuit error : quia revera prædicta excellentia in se et absolute considerata eo est melior, quo major ; et eo est major, quo minus dependens. Neque etiam fuit error in eo quod judicaverit eandem excellentiam ita exemptam et independentem, esse bonam et convenientem sibi præcise secundum se considerato, aut etiam ut affecto appetitu excellendi : quia nullo ex istis modis prædicta excellentia erat illi disconveniens, vel improprietata : et ideo nisi fuisset impositum præceptum non comedendi, licite potuisset illam appetere cum tota illa independentia et exemptione. Solum ergo esset error, si consideratis ab Adamo omnibus in illa occasione concurrentibus, seque ipso ut eo præcepto onerato ; judicaret prædictam excellentiam cum ea exemptione esse absolute et simpliciter ibi et tunc sibi convenientem, aut esse convenientem sibi ita onerato : quia utrumque hoc posterius falsitatem contineret. Cæterum non est necesse ut dicamus aliquid istorum judicasse ; sed illa tantum, quæ prius diximus ; alia vero non considerasse aut in judicando ab eis præcidisse. Ex hac enim inconsideratione una cum illo priori iudicio potuit sufficienter oriri volitio scientiæ a diabolo promissæ, et excellentiæ ejus

ejus non solum cum præcisione, vel omissione, sed etiam cum positiva abjectione dependentiæ, et subjectionis habitualis ad quodvis præceptum naturalibus superadditum, atque adeo appetitus propriæ excellentiæ sine debita mensura.

169. Dices : Adamus absolute et simpliciter appetiit prædictam excellentiam, abjecta dependentia, et subjectione : ergo judicavit absolute et simpliciter, esse sibi convenientem : sed absolute et simpliciter non erat conveniens : ergo erravit. Respondetur concedendo primam consequentiam, si *ly absolute et simpliciter* cadat supra *judicavit*, negando vero illam, si cadat supra *convenientem* et sic neganda est secunda consequentia. Licet enim Adamus absolute et simpliciter efformaverit iudicium circa illam excellentiam, et ejus exemptionem ; non tamen hoc iudicium dictabat eam esse convenientem Adamo absolute et simpliciter, hoc est, inspectis omnibus ibi et tunc occurrentibus : sed dumtaxat esse convenientem illi considerato solum secundum se, vel ut excellendi appetitu affecto, nihil curando de convenientia, vel disconvenientia ; quæ esset talis simpliciter, et attentis omnibus. Id autem satis fuit, ut voluntas Adami absolute ferri posset in prædictam excellentiam : quia licet ad volitionem absolutam non sufficiat iudicare convenientiam in objecto secundum unam vel aliam rationem, quando attentis omnibus iudicatur esse hic et nunc disconveniens ; at quando de hoc, quod attentis omnibus verum erit, non curatur, neque iudicatur, sed vel per oblivionem, vel per inadvertentiam, vel per præcisionem iudicium inde excluditur, satis est, si in illa vel illa ratione, secundum quam de objecto iudicium fertur, convenientia deprehendatur, ut tale iudicium habeat vim absoluti, et secum ferat voluntatem. En ergo viam, qua sine errore formali per solam voluntariam et culpabilem inconsiderationem potest sufficienter declarari, qualiter Adamus in illo primo actu superbe deliquerit.

Sed etsi oppositum quis defendere voluerit, nempe adfuisse tunc errorem practicum, etiam pro regulanda prima illius actus deformitate, non quod talis error absolute, vel in omni genere causæ actum voluntatis præcesserit, sed ita ut præcesserit in genere causæ formalis regulativæ ; fuerit tamen posterior in genere causæ efficientis : sicut solet dici de primo actu fidei respectu actus charitatis, vel piæ affec-

tionis : satis probabiliter incedet, neque a vestigiis D. Thomæ aberrabit. Quod enim S. Doctor aliquoties asserit, Adamum ante suum primum peccatum non habuisse errorem, intelligendum est vel de antecedentia durationis, vel de errore speculativo, et in universali ; non autem de errore practico, qui dicitur *error*, vel ignorantia pravæ electionis : quo judicaverit, etiam attentis omnibus tunc occurrentibus fuisse sibi expediens appetere scientiæ excellentiam cum independentia, et exemptione, quam sæpe diximus : quique habuerit prioritatem, et posterioritatem explicatam respectu primæ malitiæ. Porro hujusmodi errorem practicum Adamo adfuisse, et per eum prædictam malitiam regulasse, solumque errorem speculativum et in universali ibi defecisse, satis insinuat Ang. Præceptor quæst. 18 de verit. art. 6 ad 1 et ad 8. Et 1, ad Timoth. 2, lect. 3. Necnon in 2, dist. 22, quæst. 1, art. 1 ad 1. Quamvis et in his locis non ita expresse loquatur de errore formali regulante primam illam malitiam, quin probabiliter exponi valeat, vel de errore solum virtuali qui ab inconsideratione culpabili non differt, vel de errore omnino subsequuto ad prædictam primam malitiam, et regulante dumtaxat alias posteriores : quod latius in præsentem examinare non vacat. Admisso autem errore formali, facilius assertio nostra defensabitur, magisque independentem ab existentia præcepti affirmativi urgentis pro illo tunc, ad quod prima solutio recurrebat. Doctrina vero, quam in tract. de Angelis disp. 10, dub. 8, tradidimus pro excludendo a suo primo peccato errorem formalem etiam practicum, huic, quæ modo proposita est, nequaquam adversabitur.

## § V.

*Assertio alia ad plenam dubii decisionem.*

170. Dicendum est secundo, prædictum Adami peccatum ultra superbiæ deformitatem habuisse duplicem aliam malitiæ speciem, videlicet inobedienciæ, et gulæ : utraque tamen fuit in eo secundaria, et minus principalis. Hæc assertio quantum ad secundam partem de malitia gulæ communis est inter Patres, et Theologos, adeo ut nemo Catholicorum debeat circa illam dubitare. Estque expressa D. Thomæ locis citatis in *D. Thom.* assertione præcedenti : præsertim 2, 2, quæst. 163, art. 1 ad 2 ubi sic ait : *Dicendum quod*

Enervatur alia replica.

Probabile est primum Adami peccatum processisse ex errore.

D. Thom.

Secunda assertio nis pars communis.

D. Thom.

in peccato primorum parentum etiam gula locum habuit: dicitur enim Genes. 3, vidit mulier, quod lignum esset bonum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile, et tulit de fructu ejus, et comedit. Non tamen ipsa bonitas et pulchritudo cibi fuit primum motivum ad peccandum; sed potius suasio serpentis, qui dixit: aperientur oculi vestri, et eritis sicut Dii; quod appetendo, superbiam mulier incurrit: et ideo peccatum gulæ derivatum est ex peccato superbix. Idem docet in præsentī art. 2 ad 1 et quæst. 4 de mal. art. 8, ejus verba inferius referemus.

Genes. 3. Probaturque manifeste ex sacra Scriptura: nam Genes. 3 dicitur: *Quia audisti vocem uxoris tuæ, et comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea, etc.* Quæ verba cum contineant maledictionem, et pœnas Adamo, et toti humano generi pro illius peccato inflictas, necessario debent intelligi de primo peccato, quia hoc dumtaxat in posteros transivit, prædictasque maledictionem et pœnas secum tulit: atque adeo ipsum primum peccatum habuit eam malitiam comedendi de ligno vetito, quæ est malitia gulæ. Et quia hæc pars est ita certa, ut diximus, non oportet in ejus probatione immorari. Declarandum tamen erit, qualiter prædicta malitia secundario in eo peccato locum habuerit, fueritque malitiæ superbix adnixa, et ex ea consequuta, quod præstabimus num. 172.

Rom. 5. 171. Prima autem pars ejusdem assertionis (quæ non de inobedientia generaliter accepta, quo pacto imbibitur in omnibus peccatis, sed de inobedientia proprie et specialiter dicta, quæ peculiararem speciem malitiæ constituit, intelligenda est) inde nobis satis probatur, quia valde consonat sacre Scripturæ, præsertim ad Roma. 5: *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.* Ex quo sancti Patres, et Ecclesiæ Doctores communem loquendi modum desumpserunt: ita ut nihil sic eorum scripta circa peccatum illud proclamant, sicut rationem inobedientiæ, et divinæ legis contemptum. Et quamvis testimonium Apostoli exponi valeat (si necessitas id postularet) de inobedientia generaliter, et minus proprie accepta, sicut exposuisse videtur D. Thom. citata dist. 22 in responsione ad 3, et 2, 2, quæst. 105, art. 2 ad 3, negari tamen non potest, convenientius multo intelligi de inobedientia propria et speciali: quia sic accipiuntur verba Scripturæ in sensu omnino proprio: præsertim

cum nulla ratio cogat nos ab eo recedere: et ideo ita illud intellexit Ang. Doct. 2, 2, citata quæst. 163, art. 1 ad 1. Juxta quem locum concordari debet citata quæst. 105 et in 2 sentent. et non e contra. Quod facile est si dicamus, in illis locis sermonem esse de peccato Adami quantum ad suam primam malitiam, quæ fuit superbia: ne autem quis posset intelligendo verba Apostoli de hac prima malitia, eam a superbix genere excludere, propterea quod in illo testimonio *inobedientia* vocatur, dixit D. Thom. prædicta verba (utique sic intellecta) non continere inobedientiam propriam, et specialem; sed generalem, et communem, quæ sicut in cæteris peccatis, in ipsa etiam superbia includitur. Nequaquam tamen negare voluit, quod in eodem peccato esset etiam alia malitia ad superbiam consequuta, quæ sit inobedientia specialiter dicta, de qua verba Apostoli cum omni proprietate verificentur: sicut habet loco citato ex 2, 2, quæst. 163 ad 1. Et clarius in præsentī quæst. 82, art. 2 ad 1, ubi inter alias reddit hanc rationem, cur peccatum originale, cum sit unum, aliquando in Scriptura pluraliter dicatur? *Quia (inquit) in peccato primi parentis, quoad per originem traducitur, fuerunt plures deformitates, scilicet superbix, inobedientiæ, gulæ, etc.* Ubi cum inobedientia condistinguat a superbia, et gula, manifeste est sermo de inobedientia constituente peccatum speciale. Idem habet quæst. 4 de mal. art. 8 ad 1, ibi: *In peccato actuali primi parentis fuit multiplex peccati deformitas: fuit enim ibi superbia, inobedientia, gula, etc.*

Greg. Mart. Quamvis autem hanc partem veram et tenendam judicemus, non tamen adeo certam, et communem, sicut putavit Gregorius Mart. quæst. 81 præcedenti art. 2, dub. 1, conclus. 3. ubi oppositum censet temerarium propter testimonium Apostoli ad Roma. 5, et loquitur de inobedientia propria et speciali: ut intuenti patebit. Sed nos huic censuræ minime acquiescimus: quia neque prædictum testimonium, quo nullum apertius habemus in Scriptura, ad eam sufficit; potest enim sine temeritate exponi de obedientia generaliter dicta. Neque etiam adest aliqua ratio, quæ nostram assertionem evidenter, aut certo convincat: nam cum res sit de facto, et contingens, absolute potuit attentata quavis ratione sic vel aliter evenire: et ideo quid re ipsa evenerit, potissimum Scripturæ, vel Patrum testimoniis investigandum erit. Hæc autem testimonia non sunt

sunt ita clara, aut ab scholasticis doctoribus adeo communiter pro ea parte recepta, ut oppositæ suam non relinquunt probabilitatem.

Ordo in-  
ter de-  
formita-  
tes pec-  
cati Ada-  
mi.

172. Quare hujusmodi probabilitate illi concessa, ut nostræ assertionis veritas secundum utranque ejus partem magis eluceat, declarari oportet, qualiter in primo Adami peccato malitiæ inobedientiæ, et gulæ secundo et consequente ad malitiam superbiæ locum habuerint. Quod minime est intellectu difficile: nam eo ipso quod Adamus ut finem et motivum primum appetierit propriam excellentiam absque mensura, consequens erat, ut eodem actu appeteret illud, quod sibi proponebatur tanquam medium ad prædictam excellentiam sine mensura habendam, seu in quo excellentia ipsa, et exemptio ejus a mensura magis elucebat: hoc autem fuit contemnere, et frangere præceptum sibi impositum, in subjectione ad quod mensura talis excellentiæ fuerat a Deo constituta: nam sicut prædicta excellentia coarctabatur, et mensurabatur per impositionem et acceptationem illius præcepti, et per habitualement subjectionem ad illud juxta dicta num. 167, ita per ejus contemptum et violationem excelsior et eminentior reddebatur: eo enim quisque excellentiorem se reputat, quo minus alterius præcepto, et ordinationi subjacet. Igitur dum Adamus inordinate excellentiam sibi adamavit, totum hoc uno actu appetiit, nimirum eminentiam scientiæ, quam serpens proponebat, ut independentem et exemptam a subjectione habituali ad præceptum sicut Deus illam habet, et sicut fuerat ab ipso serpente promissa: contemptum et abjectionem præcepti, in quibus prædicta independentia et exemptio potissimum relucebat, et sine quibus, supposito præcepto, vix potuit intelligi: nec non violationem ejusdem præcepti in ejus contemptu et abjectione inclusam. Ratione primi fuit ille actus superbiæ cujus objectum est excellentia sine debita mensura. Ratione secundi: fuit ibi malitia specialis inobedientiæ: hæc enim nihil dicit formaliter, quam contemptum et abjectionem divini præcepti volendo illa expresse: quod regulariter fit ex motivo excellendi inordinate: et ideo inter vitia, quæ ex superbia oriuntur, et illi valde accedunt, ponitur inobedientia. Ratione tertii constituitur prædictus actus in specie gulæ: quia cum præceptum esset de non comedendo, quilibet affectus tale præceptum violandi fuit inordinatus appe-

titus cibi, in quo consistit gula. Nec refert an comestio ipsa, quæ est gulæ objectum, per prædictum actum fuerit volita formaliter, vel solum virtualiter: satis enim fuisset hoc posterius ad tribuendam gulæ speciem. Ex quibus non solum manet explicata secunda assertio quoad utranque partem; sed etiam confirmata: quia licet admittamus potuisse rem aliter evenire; negari tamen non potest, suavem, et communem modum operandi magis postulare, ut Adamus ordine explicato in omnes prædictas malitias prolaberetur.

#### §. VI.

##### *Corollaria ad pleniorē veritatis intelligentiam.*

173. Ex dictis inferre licet primo, quod cum in defensione rationis D. Thomæ no-<sup>Primum corollarium.</sup> luimus ad errorem etiam practicum regulando primo Adami peccato habere recursum; sed independentem ab eo assertionem tueri, hoc intelligendum est de prædicto peccato ut omnino primo, seu quoad primam ejus deformitatem, quæ fuit superbiæ; non autem quoad malitias inobedientiæ, et gulæ. Nam cum inobedientia postulet contemptum formalem divini præcepti; gula vero eam supponeret, neutra videtur posse intelligi sine prævio errore, quo prædictus contemptus secundum se et re ipsa malus, bonus et expediens judicaretur: ponere autem talem errorem nullum est inconveniens, etiam sequendo illam viam. Nam sicut malitia superbiæ ordine naturæ et causalitatis præcedit cæteras, istæque ex ea originantur, quamvis omnes eidem instanti, et in eodem actu coexistent: ita prædictus error potuit in illo et instante oriri a primo peccato, ut erat superbiæ, et hanc malitiam in eo supponere; regulare vero idemmet peccatum, ut erat inobedientiæ, et gulæ, præcedereque utranque istam malitiam. Quod si tenuissemus cum aliquibus, non fuisse ibi malitiam specialis inobedientiæ, sed dumtaxat superbiæ, et gulæ, facilius posset talis error a toto peccato arceri: nam objectum superbiæ, scilicet excellentia exempta ab ordine ad præceptum, sine errore potuit proponi expresse Adamo, et ab eo acceptari: objectum vero gulæ sufficeret fuisse cognitum virtualiter eadem cognitione, quæ fuit formaliter objecti superbiæ.

Secundo inferre licet, primum Adami <sup>Secundum.</sup>

peccatum nullam aliam habuisse malitiæ mortalis speciem præter tres illas, quas enumeravimus. Et ratio est : quia non plures debemus ponere in eo deformitates, quam ex Scriptura deducere possumus : non enim in hac re pro solo captu nostro licitum est discurrere. In dubio autem potius minorandæ sunt, quam augendæ : nam pietatis jure debemus primi parentis honori, quantum fas est, consulere : nec facile credere, ab ordinatissimo illo statu, primo lapsu ita malitiose cecidisse, ut statim omnia sibi possibilia commiserit peccata ; sed illa dumtaxat, quæ cum primo motivo superbiendi specialem habent connexionem, et quæ sacra Scriptura manifestat, uti sunt tria tantum, quæ diximus. Objectiones vero, quæ adversus doctrinam hujus corollarii fieri possunt, sequenti § diluemus.

Tertium. 174. Tertio infertur, peccatum nostrum originale eo modo quo habet speciem, pertinere ad tres enumeratas, et ad nullam aliam, ita quidem ut prima et essentialis sit superbia, secunda inobedientia, et tertia gula. Quod disertis verbis tradit D. Gregorius homil. 10, in Evangel. ubi numerans deformitates, et peccata, per quæ a regione paradisi discessimus, sic ait: *A regione etenim nostra superbiendo, inobediendo; cibum vetitum gustando discessimus, etc.* Hujus vero ratio inde liquet : quia de specificatione, et distinctione peccatorum habitualium eodem modo philosophandum est sicut de actualibus, eo quod habitualia non aliter constituunt, aut habent speciem, quam per reductionem ad actualia : et ideo eadem species malitiæ, eodemque ordine distingui debent in unoquoque peccato habituali, quæ fuerunt in actuali, a quo processit : cum ergo originale nostrum sit quoddam peccatum habituale ex Adami actu procedens, plane fit, easdem malitiæ species, eodemque ordine esse illi tribuendas, quæ fuerunt in prædicto actu. Eo præsertim quia ut dubio præced. num. 170 dicebamus, peccatum originale, et quodvis habituale ultra privationem gratiæ includit respectum ad causam efficientem, quæ est peccatum actuale : unde sicut ob hanc rationem ex diversitate actualium penes majorem vel minorem gravitatem deducimus, habitualia graviora esse, aut leviora, ita ex illorum distinctione penes plures vel pauciores species malitiæ debemus in istis colligere similem pluralitatem vel paucitatem. Et sane quod peccatum originale habeat malitiam gulæ, et inobedientiæ, satis colligitur ex eo quod

omnes communiter sic de eo loquuntur. Malitia etiam superbiæ propterea nequit ab eo relegari, quia hæc in peccato Adami fuit essentialis, et primaria, et saltem prima malitia peccati actualis nequit non ad habituale transire. Quapropter dum in disput. 14, dub. 5, diximus, solum primum Adami peccatum ad posteros transisse, ly *primum* non supponit tantum pro prima malitia, sed pro toto peccato quatenus prædictas tres deformitates comprehendit, solumque excluduntur alia peccata, si forte ea commisisset, vel quæ commisisset a toto illo primo actu diversa.

Verum doctrinæ hujus corollarii obstare videtur ea, quam habet D. Thom. art. 2 hujus quæst. 82, ubi docet peccatum originale in omnibus hominibus esse unum secundum speciem, et in quolibet supposito unum numero : si autem haberet tres illas deformitates specie differentes, non esset secundum speciem unum, sed multiplex. Nec refert si dicas, quod sicut peccatum actuale dicitur unum, quoties est unicus actus, licet habeat plures deformitates ex diversis circumstantiis, quia ly *unum* non appellat supra ipsam deformitatem, sed supra substantiam actus, quæ deformitatibus substat, ita peccatum habituale, seu originale, etiam si easdem habeat deformitates, potest dici unum propter unitatem subjecti, quia videlicet omnes in unica gratiæ privatione adunantur. Non itaque hoc refert : tum quia licet prædicta unitas sufficeret, ut peccatum originale absolute diceretur *unum*, non tamen sufficere potest, ut dicatur *unum* cum hac reduplicatione *secundum speciem* : quia hæc particula *secundum speciem* reddit sensum formalem : reduplicat enim rationem specificam, qua nihil est formalius in rebus. Tum etiam quia si prædictas deformitates adunari in una gratiæ privatione, sufficeret, ut diceretur *unum peccatum numero*, vel *specie*, nunquam in eodem peccatore darentur simul plura peccata habitualia, quantumvis plura et diversa actualia commisisset, omnes quippe habituales deformitates ex quibuscunque actibus remanentes unirentur in prædicta privatione : hoc autem non videtur admittendum, ut vidimus num. 150, ergo, etc.

175. Respondetur, D. Thomam satis se pro nobis explicuisse in eo articulo, dum in solutione ad 2, reddens rationem cur peccatum originale, cum sit unum, appelletur in Scriptura pluraliter *iniquitates* et *peccata*, recurrit ad pluralitatem deformitatum,

tatum, quæ fuerunt in peccato Adami, et inde ad nos transierunt: unde non potuit in eodem articulo hujusmodi pluralitatem denegare. Ut autem difficultati occurramus, et mentem S. Doctoris explicemus, animadvertendum est id, quod non semel jam diximus, videlicet de unitate, aut distinctione peccati originalis, et cujuscunque habitualis eodem modo philosophandum esse sicut de unitate, aut distinctione peccati actualis, a quo processit: eo quod tota illius specificatio et unitas attenditur per reductionem ad istud. Quare ubi concursus multarum deformitatum, etiam specie distinctarum non obest, quominus peccatum actuale dicatur *unum* et *absolute*, et *secundum speciem*, obesse etiam non debet, ut utroque modo vocetur *unum* peccatum habituale. Deinde nota: quod cum in eodem actu propter objectum, et circumstantias dantur plures malitiæ, etiamsi inter se specie differant, non omnes dicuntur dare, aut constituere speciem; sed una dumtaxat, nempe illa, quæ sumitur ex objecto primario talis actus. Cæteræ vero desumptæ ex circumstantiis; vel objectis secundariis potius dicuntur extra speciem: eo quod hæc vox in communi modo loquendi sumitur pro sola specie primaria, et essentiali: et ideo quicumque actus habet idem objectum primum, etiamsi in circumstantiis valde differant, dicimus absolute esse ejusdem speciei: quia conveniunt in specie essentiali et primaria. Ex his ad difficultatem respondetur, ex eo quod tam peccatum Adami originans, quam nostrum originale dicatur *unum* non tantum absolute, sed etiam cum illa reduplicatione *secundum speciem*, ut D. Thom. loquitur, nequaquam tolli, quominus utrunque habeat malitias, quas diximus: sed solum effici. ut non omnes dent prædicto peccato speciem essentialem; sed illa tantum, quæ sumitur ex objecto primario, quæ est malitia superbiæ: quia absolute loquendo secundum hanc dumtaxat attenditur unitas, vel distinctio specifica cujuscunque peccati. Cum quo optime stat, ut tanquam secundariæ, et accidentales admixtæ illi fuerint malitia inobedienciæ, et malitia gulæ. Solutio vero inter objiciendum data si ad hunc modum dicendi reducat, poterit admitti. Ad cujus primam probationem satis constat.

Ad secundam respondetur peccatum originale non ex eo præcise dici *unum* vel *absolute*, vel *secundum speciem*, quia omnes ejus deformitates in una gratiæ priva-

tione concurrant: sed quia concurrunt ordine explicato, ita ut una tantum sit prima, et essentialis, pro qua stat illa loquutio, cæteræ autem secundariæ et accidentales, sicut fuerunt in peccato Adami, qui idcirco non supponunt pro specie. Quare neganda est omnino sequela: nam ubi plura peccata actualia diversa præcesserunt, malitiæ habituales remanentes non servant prædictum ordinem, sed disparate se habent: et ita unaquæque, quæ in peccato actuali sibi correspondente fuit primaria, potest idem habere respectu privationis gratiæ, ac si nulla alia in prædicta privatione reperiretur. Ut enim num. 150 dicebamus, illa privatio licet materialiter, et quasi in esse entis sit una, multiplicatur tamen formaliter in ratione peccati, quoties respicit actus omnino diversos, qui habuerunt illam inducere: unde quatenus stat sub respectu ad unum, potest esse illi essentialis, et primaria deformitas, quæ fuit primaria in eo actu; et quatenus stat sub respectu ad alium, potest esse primaria deformitas, quæ fuit talis in isto, et sic de aliis.

176. Contra eandem quoque doctrinam ex alia parte objici potest; quia si in peccato Adami malitia superbiæ fuit simpliciter prior, quam inobediencia, et gula, per illam antecedenter ad istas perdidisset justitiam originalem, quæ cum qualibet malitia mortali erat impossibilis: ergo illam dumtaxat et nullam aliam ad nostrum peccatum originale transmisisset. Patet: nam illam solam malitiam transmittere potuit, per quam justitia originalis amissa fuit: sola autem malitia omnino prima hujusmodi effectum habuit: cæteræ enim posterius supervenientes, cum jam illam amissam invenerint, non potuerunt in ejus expulsionem influere.

Respondetur negando antecedens: quia prioritas illa, quam habuit malitia superbiæ respectu inobedienciæ et gulæ, solum subsistit facta collatione inter ipsas malitias secundum se, quo pacto una est causa, et reliquæ effectus: si autem fiat comparatio in ordine ad expulsionem justitiæ originalis, non erit inter eas prioritas, aut posterioritas; sed omnes simul in prædictam expulsionem influunt, sicut omnes sunt simul in eadem duratione: quia neque superbia influit nisi ut terminata, et consummata per inobedienciam et gulam; neque istæ nisi ut complentes, et terminantes superbiam.

Si vero iustes: quia in illo priori, quod

Alia  
objectio.

Eno da-  
tur.

Replica.

damus superbiæ respectu aliarum, non intelligimus esse in Adamo justitiam : revera enim non fuit : ergo intelligimus eam jam exclusam : atque adeo independenter ab inobedientia, et gula.—Respondetur primo, in illo priori neutrum intelligi, quia de nullo illorum agitur; sed dumtaxat de influxu primæ deformitatis in alias duas : quando vero de influxu in expulsionem justitiæ curatur, quod est in signo sequenti, omnes simul, sub eodemque priori accipiuntur, ita ut prioritas et posterioritas, quæ alias inter eas cadunt, omnino de materiali se habeant. Secundo respondetur, in illo primo priori ex vi malitiæ superbiæ intelligi expulsionem justitiæ originalis initiative, et in fieri, complete vero, et in facto esse non intelligi, quousque inobedientia et gula concipiuntur : et ita datur locus, ut omnes in prædictam expulsionem influant.

177. Quarto infertur decisio illius dubii, quod solent aliqui sciscitari, an peccatum Adami fuerit omnium gravissimum? Neque est sermo in comparatione ad peccata Angelorum, sed in comparatione ad alia, quæ homines possunt committere. Ex dictis ergo sufficienter hujus solutio habetur, nam quamvis ratione circumstantiæ personæ magna fuerit illius peccati gravitas, et ex hac parte a nullo alio superetur, aut adæquetur, eo quod talis circumstantia crescit secundum personæ dignitatem, quæ in Adamo pluribus titulis fuit maxima; absolute tamen loquendo, non fuit peccatum inter omnia gravissimum : quia gravitas simpliciter attenditur secundum objectum : sunt autem alia peccata, quæ habent objecta graviora. Quod recte explicat D. Thom. 2, 2, citata quæst. 163, art. 3, his verbis : *Duplex gravitas in peccato attendi potest. Una quidem ex ipsa specie peccati : sicut dicimus adulterium esse gravius peccatum simplici fornicatione. Alia autem est gravitas peccati, quæ attenditur secundum aliquam circumstantiam loci, vel personæ, aut temporis. Prima autem gravitas essentialior est peccato, et principalior : unde secundum eam magis peccatum dicitur grave, quam secundum aliam. Dicendum est igitur, quod peccatum primi hominis non fuit gravius omnibus aliis peccatis humanis secundum speciem peccati. Et si enim superbia secundum suum genus habeat quandam excellentiam inter alia peccata; major tamen est superbia, qua quis Deum negat, vel blasphemat, quam superbia, qua quis inordinate divinam similitudinem appe-*

*tit : qualis fuit superbia primorum parentum, ut dictum est. Sed secundum conditionem personarum peccantium, peccatum illud habuit maximam gravitatem propter perfectionem status ipsorum. Et ideo dicendum est : quod illud peccatum fuit quidem secundum quid gravissimum, non tamen simpliciter.*

Si autem objicias, quod primum in unoquoque genere debet esse simpliciter maximum, quia debet esse mensura cæterorum : peccatum autem primorum parentum inter peccata hominum fuit primum : ergo debuit esse gravissimum simpliciter. Respondet Ang. Doctor ibidem ad 3: *Dicendum quod in his, quæ sunt per se ordinata, oportet id, quod est primum, esse maximum : talis autem ordo non attenditur in peccatis, sed unum per accidens sequitur post aliud : unde non sequitur, quod primum peccatum sit maximum.*

178. Denique ex dictis depromitur intelligentia aliquarum loquutionum, quibus Patres, et Theologi ad explicandam superbiæ Adami utuntur : ut cum dicunt ; quod *voluit esse similis Deo, sicut voluit Angelus : quod voluit habere a se scientiam, quam serpens promisit, sicut Deus illam habet : quod voluit eam consequi suis viribus, propriæque innixus virtuti, aut per edulium ligni vetiti*, aliaque hujusmodi. In primis enim prima propositio non est accipienda de similitudine per modum æquiparantiæ, aut æqualitatis in ipsa natura, vel attributis divinis : talem enim similitudinem neque diabolus ausus fuit appetere : esset enim stultissimus error eam sibi possibilem existimare, ut in tract. de Angel. late diximus : sed de similitudine per modum imitationis, quia voluit Deum imitari in modo habendi illam scientiam, quam diabolus promiserat. Non quod voluerit habere illam omnino a se, et sine ulla dependentia a Deo : hæc enim potius esset similitudo æqualitatis : sed per vires propriæ naturæ, et cum sola dependentia ab ipso ut ejusdem naturæ auctore, ac sine recursu ad supernaturale auxilium, sicut habemus scientias pure naturales. Unde prima propositio coincidit cum secunda, et secunda explicatur per tertiam. De hac autem dubium est an sit intelligenda formaliter : ita ut Adamus expresse voluerit prædictam scientiam consequi per vires suæ naturæ, propriæque virtuti innixus : vel solum interpretative, quatenus, nolens subesse præcepto supra propriæ rationis captum a Deo sibi imposito, ita se habuit, ac si expresse nollet ab eo dependere, aut putaret



taret propriam naturam, et virtutem cum solo concursu naturaliter debito ad omnia sibi sufficere. Et quia hic posterior sensus liberior est ab errore formali, præeligen- dum credimus. Eundemque habet ultima propositio, quod *voluit consequi talem scientiam per edulium ligni vetili : non enim ita accipiendum est, quasi Adamus expresse crediderit, fructum illius arboris habere in se virtutem scientiæ communicativam : nam hic etiam esset error satis absurdus : sed quia dum ad excellendum, et eminentium quasi pro medio assumpsit contemptum, et transgressionem præcepti, quo fructus ille prohibebatur, ita se habuit, ac si putaret per talem fructum, et ejus comestionem assequiturum scientiam sibi a diabolo promissam, quæ materia fuit prædictæ eminentiæ, et celsitudinis.*

## § VII.

*Opposita nostræ doctrinæ.*

179. Contra ea quæ in prima assertionem diximus, tenet Scotus in 2, dist. 21, quæst. 2, primum Adami peccatum non fuisse superbiam, sed in ordinatum amorem amicitiae, seu benevolentiae erga uxorem. Idemque tuentur Gabriel dist. 22, quæst. 1, Lychetus quæst. 2 et alii. Quam sententiam probat Scotus ex D. Augustino lib. 11 de Genesi ad literam cap. 42, ubi ait, quod *Adamus noluit contristare eam, quam credebatur sine suo solatio contabescere, et a se alienatam omnino interire : ex quo manifeste non carnali concupiscentia victus, sed amicabile quadam compulsus benevolentia, qua plerunque fit, ut offendatur Deus, ne offendatur amicus, peccavit.* Deinde arguit hac ratione : quia peccatum illud fuit aliquis inordinatus amor : non enim potuit esse actus fugæ, sed prosecutionis : atqui non fuit amor inordinatus erga se, neque fuit amor concupiscentiæ erga aliquem : ergo solum potuit esse inordinatus amor amicitiae erga uxorem. Minor quoad secundam partem satis liquet, nam cum in Adamo antequam peccaret, nulla esset concupiscentia, aut libido, non potuit primum ejus peccatum ex hoc principio oriri. Quoad primam vero suadetur ab Scoto : quia Adamus non potuit primo inordinate amare, quod non primo cognovit : non autem primo cognovit se ipsum, sed alia a se : ex sensibilibus enim, et externis in sui ipsius cognitionem

*Salmant. Cours. theolog. tom. VIII.*

devenit : ergo non habuit primum amorem inordinatum erga se.

Respondetur primo ad locum Augustini, amorem Adami erga uxorem, si semel fuit peccaminosus, non pertinuisse ad primam malitiam sui peccati, sed ad malitiam gulæ, quæ fuit in eo secundaria. Et ratio est : quia talis amor solum potuit Adamum impellere ad comedendum cum Eva, ne si ab ea rogatus non comederet, illam contristaret : hoc autem totum fuit quid secundarium, supponens in voluntate Adami superbam elationem, ad quam non alienus impulit amor, sed appetitus propriæ excellentiæ. Secundo respondetur quod dum quis motus amore, et benevolentia alicujus præceptum Dei frangit, talis amor non est peccatum secundum se, sed præcise ratione violationis præcepti, et ita non constituit aliam peccati speciem ab ea, quæ in ipsa violatione consistit. Quocirca etiamsi demus, Adamum primo deliquisse motum Evæ amicitia, ne illam contristaret, non ideo primus ejus peccatum fuisset iste amor secundum se, sed transgressio et violatio præcepti, ad quam induxit : unde quia prima transgressio fuit præcepti non superbiendi, consequenter primum peccatum, et prima malitia ad superbiam pertinuit. Ad rationem Scoti respondetur negando minorem. Cujus probatio debet etiam negari : quia Adamus non deliquit ex vi primæ cognitionis, sed multo postquam se, et alia cognoverat : et ita nihil refert ad intentum, an se primo, vel alia cognoverit. Et quidem si prædicta ratio aliquid convinceret de Adamo, idem probaret de Eva : de qua tamen etiam apud Scotum pro comperto habetur peccasse primo ex amore erga se : cur ergo non potuit Adamus ex simili amore primo delinquere ? Videatur Cajetanus 2, 2 quæst. 163, art. 4, ubi prædictam Scoti rationem latius impugnat.

180. Deinde contra eandem doctrinam, et contra eam, quam tradidimus in tertio corollario, potest argui : quia Adamus commisit peccatum infidelitatis credendo suasioni serpentis contra Dei verba : sed hoc peccatum præcessit superbiam, et alias malitias : ergo, etc. Minor probatur : nam inter opposita servatur idem ordo prioritatis, aut posterioritatis, unde sicut fides in credentibus est prima virtus, ita infidelitas in eis, qui fidem perdunt, debet esse primum peccatum. Major autem videtur esse aliquorum e sanctis Pa-

Ambros. tribus, ut Ambrosii lib. 7 in Lucam, Prosperi in respons. ad excerpta Genuensium dub. 3, Fulgentii lib. de Incarnat. cap. 22, qui satis expresse fatentur Adamum cum iustitia originali amisisse fidem. Pro qua etiam parte referri debent quotquot aiunt fuisse a serpente per Evam seductum, aut deceptum : ut martyr Ignatius in epist. ad Trallianos, Epiphanius hæresi 31, Tertullianus, Augustinus et alii, quos referunt Bellarminus lib. 3 de amissione gratiæ cap. 4 et Granadus controversia 2 de gestis mirabilibus vitæ Christi disp. 1, sect. 6. Confirmatur : quia si Adamus non amisisset fidem, non esset ratio, cur eam ad posteros non traduceret : ergo cum non traduxerit, debemus fateri illam amisisse.

Solutio.

D. Thom.

Ab hoc argumento possemus facile expediri, si ommissa majori negaretur minor. Cujus probationem solvit D. Thom. in 2, dist. 22, quæst. 1, art. 1 ad 2 his verbis : *Dicendum quod ordo compositionis est contrarius ordini resolutionis : quia quod est primum in compositione, est ultimum in resolutione : et ideo non sequitur, quod si fides est prima in compositione ædificiispiritualis, quod infidelitas sit prima in resolutione ejusdem.* Ex quo aperte fit, quod etsi admitteremus Adamum cecidisse in infidelitatem, non est dicendum hanc fuisse primum ejus peccatum, aut ad illud pertinuisse ; sed ad aliud omnino distinctum et posterius : non est autem contra nostram doctrinam, quod Adamus ultra primum peccatum, et malitias in eo repertas aliquod aliud in paradiso commiserit.

I Ad  
Tim. 2.  
D. Thom.

181. An vero de facto ita fuerit, quod Deo discrediderit, et circa fidem erraverit, non est omnino exploratum. Nam partem affirmativam tuentur Bellarminus, et Granadus ubi supra propter dicta Sanctorum, quos citavimus. Sed oppositum habetur ex illo Apostoli I ad Timoth. 2 : *Adam non est seductus, mulier autem seducta in pravariatione fuit.* Super quæ verba D. Thom. ibidem lect. 3, sic ait : *Seductio est duplex, scilicet in universali, et in particulari eligibili, quæ est ignorantia electionis : quicumque ergo peccat, seducitur ignorantia electionis in particulari eligibili : mulier autem fuit seducta ignorantia in universali, quando credidit, quod serpens dixit : sed vir non credidit hoc, sed deceptus fuit in particulari, scilicet quod gerendus esset mos uxori, et cum ea comedere deberet, etc.* Constat autem deceptionem in particulari non opponi fidei, neque eam excludere : alias quicumque pec-

cat esset infidelis, quia semper decipitur in particulari, ut D. Thom. dixit. Idem docet 2, 2, citata quæst. 163, art. 4 et alibi non semel negans Adamum credidisse verbis serpentis, aut errorem aliquem contra fidem admisisse. Quem sequitur Abulensis in Genes. cap. 13, quæst. 69, ubi refert, et impugnat plures expositiones, quæ pro contraria parte possent verbis Apostoli adhiberi asseritque omnium Catholicorum esse sententiam, Adamum non perdidisse fidem. Sequuntur etiam Salmeron tom. 15 super citatum locum Apostoli, Cajetanus, Lira, et Benedictus Justinianus ibidem. Pererius lib. 6 in Genes. quæst. 2, Benedictus Fernandez tom. 1, cap. 3, sect. 11. Idemque docuerat Magister sentent. in 2, dist. 22, et cum eo plures scholastici. Meritoque huic parti suffragantur. Tum quia ita salvabitur, nunquam fidem defecisse in Ecclesia, ex quo cœpit in Adam : quod non verificatur, si in illo etiam defecit. Tum etiam, quia cum Deus decrevisset, primum hominem a peccato educere, et ad se per gratiam revocare, valde expediebat remanere in eo habitus fidei et spei, ut sic facilius ad pœnitentiam excitaretur, et ad implorandam divinam misericordiam, salutemque sperandam animaretur : quod esset ei multo difficilius, et per principia intrinseca prorsus impossibile, si extincto penitus fidei lumine, omnino in tenebris remansisset.

Loca vero Sanctorum, qui dicunt Adamum perdidisse fidem aut ea exutum fuisse habent facilem explicationem : nam vel fidem nominant non virtutem Theologicam, de qua agimus ; sed gratitudinem et fidelitatem, quæ sunt virtutes morales. Vel loquuntur de fide viva et formata, quæ quantum ad hanc rationem semper amittitur cum charitate ; licet quoad suam essentiam remaneat. Vel denique solum intendunt Adamum amisisse fidem quoad nos, sive prout erat caput nostrum : quia amisit jus transferendi illam in posteros. Quando vero dicunt Adamum fuisse seductum, debent intelligi de seductione in particulari, quæ fidei non opponitur, ut D. Thom. explicuit.

Ad confirmationem respondetur, quod licet Adamus fidem pro se conservaverit, non ideo debuit eam ad nos traducere : quia neque fides, neque aliud donum erat nobis ex illo communicandum nisi media communicatione justitiæ originalis : quatenus talia dona ad prædictam justitiam consequebantur,

consequabantur, vel in ea includebantur : unde quia Adamus per peccatum amisit pro se et pro nobis talem justitiam, et nos omnes jus ad eam recipiendam, aut exigendam, consequenter non debuit aliquod aliud donum ad nos traducere. Cum quo tamen stat, quod in ipso Adamo ut persona particulari sicut remansit scientia, manserint etiam fides et spes, ut haberet initium futuræ conversionis et quia cum fides non dependeat in *conservari* a gratia, aut a justitia originali, sed possit connaturaliter sine eis permanere, ex propria natura habet, ut in persona ipsam habente non perdat per solam illarum amissionem ; sed indigeat ad sui destructionem actibus infidelitatis sibi contrariis elicitis ab eadem persona ; sicut modo cernimus, quod etsi amissa gratia per quodlibet peccatum mortale, consequenter aliæ virtutes infusæ destruantur ; fides tamen non amittitur sine prædictis actibus.

Argu-  
mentum  
ulti-  
mum.  
182. Tertio arguitur ; quia primum Adami peccatum fuit inordinatus appetitus scientiæ : quam diabolus expetendam proposuit : sed appetitus scientiæ potius pertinet ad curiositatem, quam ad superbiam : ergo etiam prædictum peccatum.

Thom.  
Hoc argumentum solvit D. Thom. loco cit. ex 2, 2, art. 1 ubi illud sibi objecit, et respondet : *Ad tertium dicendum, quod appetitus scientiæ causatus fuit in primis parentibus ex inordinato appetitu excellentiæ. Unde et in verbis serpentis præmittitur, eritis sicut dii : et postea subditur, scientes bonum et malum.* Si autem urgeas : quia jam saltem ut consequentem et secundariam debemus admittere in primo Adami peccato aliam malitiam a supradictis distinctam, nempe curiositatis, consistentem in illo appetitu sciendi. Possemus etiam ex eodem S. Doctore occurrere in 2, dist. 22, quæst. 1, art. 1 ad 5, ubi ait : *Dicendum, quod non peccavit mulier (idem est de homine) in hoc, quod appeteret scientiam eorum, quæ ad ipsam non pertinebant ; sed in hoc, quod in scientia eminentiam desideravit, ut in hoc quodammodo Deo æquaretur.* Juxta quam doctrinam non est necesse admittere in primo Adami vel Evæ peccato malitiam aliquam curiositatis, licet forte in alio actu ab illo primo omnino distincto non defuerit.—Secundo respondetur, esse valde probabile, etiam primum peccatum habuisse talem malitiam, ut insinuat D. Thom. quæst. 7 de mal. art. 7 ad 12. Ea tamen intra proprium genus non excedit limites

venialis : et ideo usque modo illius non meminimus, quia loquuti sumus determinate de malitia mortali, ut in tertio corollario expressimus.

Per quod manet soluta alia objectio, quæ adversus doctrinam illius corollarii fieri posset ex D. Thom. in præsentī art. 2 ad 1, ubi cum dixisset fuisse in peccato Adami deformitates superbiæ, inobedienciæ, et gratiæ, addit : *Et alia hujusmodi*, quo satis innuit adfuisse ibi aliquas malitiæ species præter tres illas, quas recensuerat. Hujusmodi autem malitiæ, non apparet, quænam esse possint, nisi malitia curiositatis ; de qua nuper diximus, et quædam malitia furti, cujus meminit Ang. Doctor quæst. 4 de mal. art. 8 ad 1, adnectens illam tribus sæpe dictis. *Fuit enim ibi (inquit) superbia, inobedientia, gula, et furtum.* Hæc igitur objectio tollitur per ea, quæ modo diximus, nam neque malitia curiositatis propter suum genus, neque malitia illa furti propter parvitatem materiæ potuit excedere limites peccati venialis. Ob idque neutrius mentionem fecimus : sicut neque aliarum deformitatum præcise venialium, si forte ibi intervenerunt : quia parum, vel nihil referre poterant ad dignoscendam naturam peccati originalis.

183. Sed urgebis : quia eadem ratione Replea.  
dici posset, etiam malitiam gulæ non excessisse limites venialis propter parvitatem materiæ : parva siquidem materia videtur respectu virtutis abstinentiæ ejus unius pomi. Præsertim si Adamus non illud integre comedit, sed ubi primo gustavit, antequam deglutiret abjecit : ergo neque istius malitiæ pro originali peccato debuimus mentionem facere.— Respondetur negando Enc da-  
tur.  
antecedens : quicquid enim sit, an pomum illud, attentæ præcise naturalis abstinentiæ regula, fuerit materia sufficiens ad mortale ; dubitari tamen non debet, potuisse Deum præcepto suo positivo quemlibet vel dimidii pomi esum sub mortali interdicere, sine exceptione parvitatatis materiæ, hujusmodique interdicto materiam, alias levem, intra genus abstinentiæ gravem constituere. Sicut de facto in diebus ab Ecclesia statutis ex vi sui præcepti positivi efficitur materia mortalis intra genus gulæ bina comestio ; quæ tamen secundum se, attentæ præcise naturalis abstinentiæ regula, vel nullum esset peccatum, vel non excederet culpam venialem. Quod si virtute præcepti positivi humani res ex genere suo non mortalis potest intra idemmet genus mortalis effici ; quanto

magis divinum præceptum rem alias in suo genere levem poterit gravem efficere, si ea intentione feratur, ut vel minimam quantitatem graviter prohibeat. Porro Deum de facto quamlibet vel minimam illius ligni comestionem ita arcte interdixisse, ut non esset locus materiæ parvitati, ostenditur tam ab effectu, quam ex modo præceptum imponendi. Et præsertim id manifestant verba illa mulieris Genes. 3: *Præcepit nobis Deus ne comederemus, et ne tangeremus illud*: quasi diceret, præcepit nobis, ut illius arboris nec minimum quid gustaremus: hoc enim videtur addere *non tangere supra non comedere*. Adde non ita constare, prædictam comestionem adhuc secundum se, et alias fuisse in suo genere materiam parvam: nam esto Adamus unicum pomum, et non plura comederit (quod Scriptura non declarat, sed ait, *tulit de fructu*, etc.) pomum

illud proculdubio erat magnum, ob idque et non tantum propter colorem visum fuit Evæ pulcherrimum: pomorum enim sicut, et aliquarum aliarum rerum pulchritudo commendatur non parum ex quantitate, et magnitudine. Neque etiam insinuat Scriptura Adamum gustasse solummodo illud pomum, statimque abjecisse; sed potius ex animo, dataque opera, ac sufficienter de eo comedisse denotat verbum *comedere*; quo Scriptura utitur, *deditque viro, et comedit et rursus, de ligno de quo præceperam, ne comederes, comedisti*: et iterum, *dedit mihi, et comedi*. Qui modus dicendi potius denotat integram, et absolutam comestionem, quam levem, et modicam prægustationem. Quæ omnia simul sumpta satis superque inducunt, ut credamus, gulam illam primi parentis non potuisse excusari a mortali ob materiæ parvitatem.

## QUÆSTIO LXXXIII.

### *De subjecto originalis peccati in quatuor Articulos divisa.*

*Deinde considerandum est de subjecto originalis peccati. Et circa hoc quærentur quatuor. Primo, utrum subjectum originalis peccati per prius sit caro, vel anima? Secundo, si anima, utrum per essentiam, aut per potentias suas? Tertio, utrum voluntas per prius sit subjectum peccati originalis, quam alix potentiæ animæ? Quarto, utrum aliquæ potentiæ animæ sint specialiter infectæ, scilicet generativa, vis concupiscibilis, et sensus tactus?*

#### ARTICULUS I.

*Utrum originale peccatum sit magis in carne, quam in anima?*

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod peccatum originale magis sit in carne, quam in anima: repugnantia enim carnis ad mentem ex corruptione originalis peccati procedit, sed radix hujus repugnantie in carne consistit: dicit enim Apostolus ad Rom. 7: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*: ergo originale peccatum in carne principaliter consistit.

2. Præterea: unumquodque potius est in causa, quam in effectu: sicut calor magis est in igne calefaciente, quam in aqua calefacta: sed anima inficitur infectione originalis peccati per semen carnale: ergo peccatum originale majus est in carne quam in anima.

3. Præterea: peccatum originale ex primo parente contrahimus, prout in eo fuimus secundum rationem seminalem: sic autem non fuit ibi anima, sed sola caro: ergo originale peccatum non est in anima, sed in carne.

4. Præterea: anima rationalis creata a Deo corpori infunditur: si igitur anima per peccatum originale inficeretur, consequens esset, quod ex sua creatione inquinaretur, et sic Deus esset causa peccati, qui est auctor creationis, et infusionis.

5. Præterea: nullus sapiens liquorem pretiosum vasi infecto infunderet, ex quo sciret ipsum liquorem infici: sed anima rationalis est pretiosior omni liquore: si ergo anima

ex corporis unione infici posset infectione originalis culpæ, Deus, qui ipsa sapientia est, nunquam animam tali corpori infunderet; infundit autem; non ergo inquinatur ex carne: sic igitur peccatum originale non est in anima, sed in carne.

Sed contra est, quod idem est subjectum virtutis, et vitii sive peccati, quod contrariatur virtuti: sed caro non potest esse subjectum virtutis: dicit enim Apostolus ad Rom. 7. *Scio quod non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum: ergo caro non potest esse subjectum originalis peccati, sed solum anima.*

Respondeo dicendum, quod aliquid potest esse in aliquo dupliciter: uno modo sicut in causa vel principali, vel instrumentali: alio modo sicut in subjecto. Peccatum ergo originale omnium hominum fuit quidem in ipso Adam sicut in prima causa principali, secundum illud Apostoli Roma. 5: *In quo omnes peccaverunt*. In semine autem corporali est peccatum originale sicut in causa instrumentali, eo quod per virtutem activam seminis traducitur peccatum originale in prolem simul cum natura humana. Sed sicut in subjecto peccatum originale nullo modo potest esse in carne, sed solum in anima. Cujus ratio est, quia sicut supra dictum est, hoc modo ex voluntate primi parentis peccatum originale traducitur in posteros per quandam generativam motionem, sicut a voluntate alicujus hominis derivatur peccatum actuale ad alias partes ejus. In qua quidem derivatione potest attendi, quod quicquid provenit ex motione voluntatis peccati ad quamcumque partem hominis, quæ quoecumque modo potest esse particeps peccati, vel per modum subjecti, vel per modum instrumenti, habet rationem culpæ, sicut

sicut ex voluntate gulæ provenit concupiscentia cibi a concupiscibilem, et sumptio cibi ad manus, et os, quæ in quantum moventur a voluntate ad peccandum, sunt instrumenta peccati. Quod vero ulterius derivatur ad vim nutritivam, et ad interiora membra, quæ non sunt nata moveri a voluntate non habet rationem culpæ. Sic igitur cum anima possit esse subjectum culpæ, caro autem de se non habeat quod sit subjectum culpæ, quicquid provenit de corruptione primi peccati ad animam, habet rationem culpæ: quod autem provenit ad carnem, non habet rationem culpæ, sed pœnæ. Sic igitur anima est subjectum peccati originalis, non autem caro.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Augustinus dicit in lib. *Retractat.* Apostolus loquitur ibi de homine jam redempto, qui liberatus est a culpa, sed subjacet pœnæ, ratione cujus peccatum dicitur habitare in carne: unde ex hoc non sequitur, quod caro sit subjectum culpæ, sed solum pœnæ.

Ad secundum dicendum, quod peccatum originale causatur ex semine sicut ex causa instrumentali: non autem oportet, quod aliquid sit principaliter in causa instrumentali quam in effectu, sed solum in causa principali: et hoc modo peccatum originale potiori modo fuit in Adam, in quo fuit secundum rationem actualis peccati.

Ad tertium dicendum, quod anima hujus hominis non fuit secundum seminalem rationem in Adam peccante sicut in principio effectivo, sed sicut in principio dispositivo, eo quod semen corporale, quod ex Adam traducitur sua virtute non efficit animam rationalem, sed ad eam disponit.

Ad quartum dicendum, quod infectio originalis peccati nullo modo causatur a Deo, sed ex solo peccato primi parentis per carnalem generationem: et ideo cum creatio importet respectum animæ ad solum Deum, non potest dici, quod anima ex sua creatione inquinetur. Sed infusio importat respectum, et ad Deum infundentem, et ad carnem, cui infunditur anima, et ideo habito respectu ad Deum infundentem; non potest dici, quod anima per infusionem maculetur; sed solum habito respectu ad corpus, cui infunditur.

Ad quintum dicendum, quod bonum commune præfertur bono singulari: unde Deus secundum suam sapientiam non prætermittit universalem ordinem rerum, qui est, ut tali corpori talis anima infundatur, ut videtur singularis infectio hujus animæ: præsertim cum natura animæ hoc habeat, ut esse non incipiat nisi in corpore, ut in prima habitum est. Melius est autem ei sic esse secundum naturam, quam nullo modo esse: præsertim cum possit per gratiam damnationem evadere.

*Conclusio: Anima est subjectum originalis peccati, non autem caro.*

Circa quam conclusionem nota, animam hic non sumi ut condistinctam a suis potentiis, sicut fit articulo sequenti: sed ut includit omnes illas, quæ sunt capaces malitiæ: atque adeo tam voluntatem, et intellectum, quam irascibilem, et concupiscibilem. Quare nomine *carnis* intelligi debet solum ipsum corpus cum potentiis, et facultatibus partis vegetativæ, et illis ex sensitivis, quæ omnino expertes sunt libertatis. Nota secundo, ex ratione, quæ in corpore habetur aliquantulum juvari modum dicendi, quem tetigimus disp. præced. num. 112, circa concupiscentiam, quo pacto ad peccatum originale pertineat. Nam ita comparatur ad prædictum peccatum defectus, qui ex eo provenit in concupiscibilem, sicut comparatur ad peccatum actuale malitia, quæ a voluntate derivatur in ipsam concupiscibilem, et in

ejus actum: unde cum hæc non utcumque sit peccati materia, sed ita ut intrinsece in se etiam vere sit malitia, ut disp. 10, dub. 1 vidimus, videtur hoc idem colligi de prædicto defectu.

Tertio notat Cajetanus ex solut. ad 2, quod peccatum Adami, etiam prout mansit in illo, fuit formaliter peccatum originale: nam ita appellatur a D. Thoma in prædicta solutione: et clarius 3 p. quæst. 8, art. 5 ad 1. Quod tamen aliqui alii Theologi non concedunt: eo quod non fuit per originem inductum, sicut sonat *originale*. Sed nobis, quod attinet ad rem, perspicua est doctrina Cajetani: nam modus effectiois non pertinet ad essentiam peccati: et ideo ejusdem essentiæ fuit illud, quod Adamus per proprium actum in se immediate causavit, et quod nobis per originem transmisit. Nec solum quoad essentiam, sed etiam quoad conditionem peccato originali valde præcipuam, quæ est esse peccatum naturæ, adest formalis convenientia inter peccatum Adami, et nostrum: nisi quod illud insuper fuit etiam personale. Quare si nominis impositio non modum effectiois, neque modum voluntarii, sed solam speciem aut conditionem peccati naturæ respexit, utrumque formaliter, et sine addito dicendum erit *peccatum originale*. Si vero nominis impositio prædicta accidentaliter attendit (de quo certo non constat) nostrum dumtaxat absolute, et formaliter dicetur *originale*; quod autem fuit in Adamo, solum causaliter. Ad tollendam vero omnem æquivocationem inventa est illa distinctio, cujus non semel mentionem fecimus, nempe *originalis originati*, et *originalis originantis*. Neque circa quæstionem præcise nominalem immorari oportet, præsertim ubi neuter loquendi modus dissonat. Videri possunt Alvarez in præsentis disp. 178, Greg. Mart. dub. 1, Medina, et alii, qui prædictam quæstionem examinant. Et etiam aliam, quam tangit D. Thom. in solut. ad 5, an scilicet melius aut eligibilius sit esse cum peccato, quam omnino non esse? De qua diximus aliquid disp. 14, num. 23.

## ARTICULUS II.

*Utrum peccatum originale sit per prius in essentia animæ quam in potentiis?*

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod peccatum originale non sit per prius in essentia animæ, quam in potentiis: anima enim nata est esse subjectum peccati quantum ad id, quod potest a voluntate moveri: sed anima non movetur a voluntate secundum suam essentiam, sed solum secundum potentias: ergo peccatum originale non est in anima

secundum suam essentiam; sed solum secundum potentias.

2. Præterea: peccatum originale opponitur originali justitiæ: sed originalis justitia erat in aliqua potentia animæ, quæ est subjectum virtutis: ergo, et peccatum originale est magis in potentia animæ, quam in ejus essentia.

3. Præterea: sicut a carne peccatum originale derivatur ad animam, ita ab essentia animæ derivatur ad potentias: sed peccatum originale magis est in anima, quam in carne: ergo etiam magis est in potentis animæ, quam in ejus essentia.

4. Præterea: peccatum originale dicitur esse concupiscentia, ut dictum est: sed concupiscentia est in potentis animæ: ergo et peccatum originale.

Sed contra est, quod peccatum originale dicitur esse peccatum naturale, ut supra dictum est: anima autem est forma, et natura corporis secundum essentiam suam, et non secundum potentias, ut in primo habitu est: ergo anima est subjectum originalis peccati principaliter secundum suam essentiam.

Respondeo dicendum, quod illud animæ est principaliter subjectum alicujus peccati, ad quod primo pertinet causa motiva illius peccati: sicut si causa motiva ad peccandum sit delectatio sensus, quæ pertinet ad vim concupiscibilem, sicut objectum proprium ejus, sequitur, quod vis concupiscibilis sit proprium subjectum illius peccati. Manifestum est autem, quod peccatum originale causatur per originem: unde illud animæ, quod primo attingitur ab origine hominis, est primum subjectum originale peccati. Attingit autem origo animam ut terminam generationis, secundum quod est forma corporis: quod quidem convenit ei secundum essentiam propriam, ut in primo habitu est. Unde anima secundum essentiam est primum subjectum originalis peccati.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut motio voluntatis alicujus proprie pervenit ad potentias animæ, non autem ad animæ essentiam, ita motio voluntatis primi generantis per viam generationis pervenit primo ad animæ essentiam, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod etiam originalis justitia pertinebat primordialiter ad essentiam animæ: erat enim donum divinitus datum humanæ naturæ, quam per prius respicit essentia animæ quam potentia: potentia enim magis videtur pertinere ad personam, in quantum sunt principia personalium actuum, unde sunt propria subjecta peccatorum actualium, quæ sunt peccata personalia.

Ad tertium dicendum, quod corpus comparatur ad animam sicut materia ad formam, quæ etsi sit posterior ordine generationis; est tamen prior ordine perfectionis, et naturæ: essentia autem animæ comparatur ad potentias sicut subjecta ad accidentia propria, quæ sunt posteriora subjecto, et ordine generationis, et etiam perfectionis: unde non est similis ratio.

Ad quartum dicendum, quod concupiscentia se habet materialiter, et ex consequenti in peccato originali, ut supra dicta est.

### Conclusio est affirmativa.

Tota doctrina hujus articuli confirmat eam, quam circa traductionem, et essentiam peccati originalis superius tradidimus. Movet autem dubium Cajetanus contra conclusionem ex Scoto in 2, dist. 32, quia essentia animæ, ut essentia est, non est susceptiva culpæ, sed mediantibus potentiis: ergo in istis erit principaliter quam in illa quodcumque peccatum. — Respondetur, antecedens esse verum de culpa actuali; non autem de originali: de qua neque ab Scoto probatur antecedens, neque ab alio suadebitur. Et rationem tradit Cajetanus: nam cum anima secundum suam essentiam rationalis, et spiritualis sit, et radix omnium actuum moralium bonorum, et malorum,

nihil est cur ex hac parte repugnet illi esse immediatum subjectum alicujus, quod sit moraliter malum, ac proinde peccati, et culpæ originalis. Quod vero culpæ actualis immediate non sit capax provenit ex eo, quod talis culpa consistit in actu, vel actuali exercitio: et ideo debet habere pro subjecto immediato illud, quod est immediate principium actus: hæc est autem sola potentia. Quod si anima posset esse immediatum principium prædictæ culpæ; etiam posset esse immediatum subjectum. Si igitur sit aliqua culpa, quæ non consistat in actu vel actuali exercitio, nulla est ratio, cur anima per suam essentiam non sit subjectum talis culpæ: et hujusmodi est originalis. Aliunde etiam cum eadem anima secundum suam substantiam, seu substantialem unionem sit, quæ primo, et immediate per generationem attingitur, consequenter debet esse prima, quæ inficitur illa macula, quæ generatione ipsa traducitur. De quo agunt latius Montesinos disp. 13, quæst. 1, Alvarez disp. 179, et alii super hunc articulum. Nobis autem post illa, quæ in utraque præcedente disp. scilicet 14, et 16 tradidimus, nihil remanet hic superaddendum.

### ARTICULUS III.

*Utrum peccatum originale per prius inficiat voluntatem, quam alias potentias?*

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod peccatum originale non per prius inficiat voluntatem, quam alias potentias: omne enim peccatum principaliter pertinet ad potentiam, per ejus actum causatur: sed peccatum originale causatur per actum generativæ potentia: ergo inter cæteras potentias animæ videtur magis pertinere ad generativam potentiam.

2. Præterea: peccatum originale per semen carnale traducitur: sed aliæ vires animæ propinquiores sunt carni, quam voluntas: sicut patet de omnibus sensitivis, quæ utuntur organo corporali: ergo in eis magis est peccatum originale, quam in voluntate.

3. Præterea: intellectus est prior voluntate: non enim est voluntas, nisi de bono intellecto: si ergo peccatum originale inficit omnes potentias animæ, videtur, quod per prius inficiat intellectum tanquam priorem.

Sed contra est, quod justitia originalis per prius respicit voluntatem: est enim rectitudo voluntatis, ut Anselmus dicit in lib. de conceptu virginali: ergo peccatum originale, quod ei opponitur, per prius respicit voluntatem.

Respondeo dicendum, quod in infectione peccati originalis duo est considerare: primo quidem inhaerentiam ejus ad subjectum. Et secundum hoc primo respicit essentiam animæ, ut dictum est: deinde oportet considerare inclinationem ejus ad actum: et hoc modo respicit potentias animæ. Oportet ergo, quod illam per prius respiciat, quæ primam inclinationem habet ad peccandum: hæc autem est voluntas, ut ex supradictis patet. Unde peccatum originale per prius respicit voluntatem.

Ad primum ergo dicendum, quod peccatum originale non causatur in homine per potentiam generativam proles, sed per actum potentia generativæ parentis: unde non oportet, quod sua potentia generativa sit primum subjectum originalis peccati.

Ad secundum dicendum, quod peccatum originale habet duplicem

duplicem processum, unum quidem a carne ad animam: alium vero ab essentia animæ ad potentias. Primus quidem processus est secundum ordinem generationis; secundus autem secundum ordinem perfectionis. Et ideo quamvis aliæ potentia, scilicet sensitivæ, propinquiores sint carni, quia tamen voluntas est propinquior essentiæ animæ tanquam superior potentia, primo pervenit ad ipsam infectio originalis peccati.

Ad tertium dicendum, quod intellectus quodammodo præcedit voluntatem, in quantum proponit ei suum objectum: alio vero modo voluntas præcedit intellectum secundum ordinem motionis ad actum, quæ quidem motio pertinet ad peccatum.

*Conclusio est affirmativa.*

Quam optime probat ratio articuli. Et etiam confirmat doctrinam, quam disp. præced. a num. 120 tradidimus circa rationem primariam, et constitutivam peccati originalis. Quinimo ex hoc loco sumitur distinctio, per quam facile conciliantur alia, ubi D. Thom. deordinationem voluntatis appellat *formale* in prædicto peccato. Nam distinguit illud, prout respicit subjectum seu naturam, et prout respicit operationem: et primo modo dicit esse in essentia animæ: secundo vero in potentiis, quæ sunt immediate propter operationem: et per prius in voluntate, quæ movet cæteras ad agendum. Unde sicut primo illo modo ratio formalis debet esse illa privatio justitiæ originalis, quæ immediate est in essentia animæ: ita hoc posteriori dici potest ratio formalis illa, quæ in voluntate residet. Cæterum sicut in homine absolute est prius *esse*, quam *operari*: et natura quam potentia: ita in prædicto peccato absolute est prior privatio immediate afficiens animam, quæ est privatio justitiæ originalis quoad effectum primarium, quacunquæ alia privatione afficiente voluntatem, vel alias potentias: adeoque illa et non ista debet esse constitutiva, et essentialis, ut eo loci explicuimus. Quod autem D. Thom. ait, posse in prædicto peccato considerari inclinationem ejus ad actum, non est intelligendum de aliqua inclinatione positiva, quæ directe, et per se in actum tendat: sed de ipsa privatione justitiæ originalis, quæ dicitur inclinare per accidens, et ut removens prohibens: quatenus solvit ligamen, quo potentia in primo statu compescebantur, ne effrænate ad bona sensibilia tenderent, ut explicuimus disp. præced. dubio 4. Unde ex hoc loco nihil pro se habet sententia constituens peccatum originale in positivo.

ARTICULUS IV.

*Utrum præfatæ potentia sint magis infectæ quam aliæ?*

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod prædictæ potentia non sint magis infectæ, quam aliæ. Infectio enim originalis peccati magis videtur pertinere ad illam animæ partem, quæ prius potest esse subjectum peccati: hæc autem est rationalis pars, et præcipue voluntas: ergo ipsa est magis infecta per peccatum originale.

2. Præterea: nulla vis animæ inficitur per culpam, nisi in quantum potest obedire rationi: generativa autem non potest obedire, ut dicitur in 1 Ethic. ergo generativa non est maxime infecta per originale peccatum.

3. Præterea: visus inter alios sensus est spiritualior, et propinquior rationi, in quantum plures differentias rerum ostendit, ut dicitur in 1 Metaphys. sed infectio culpæ primo est in ratione: ergo visus magis est infectus, quam tactus.

Sed contra est, quod Augustinus dicit in 14 de Civit. Dei, quod infectio originalis culpæ maxime apparet in motu genitalium membrorum, qui rationi non subditur: sed illa membra deserviunt generativæ virtuti in commixtione sexuum, in qua est delectatio secundum tactum, quæ maxime concupiscentiam movet: ergo infectio originalis peccati maxime pertinet ad ista tria, scilicet potentiam generativam, vim concupiscibilem, et sensum tactus.

Respondeo dicendum, quod illa corruptio præcipue infectio nominari solet, quæ nata est in aliud transferri: unde et morbi contagiosi (sicut lepra, et scabies, et hujusmodi) infectiones dicuntur. Corruptio autem originalis peccati traducitur per actum generationis, sicut supra dictum est. Unde potentia, quæ ad hujusmodi actum concurrunt, maxime dicuntur esse infectæ: hujusmodi autem actus deservit generativæ, in quantum ad generationem ordinatur. Habet autem in se delectationem tactus, quæ est maximum objectum concupiscibile: et ideo cum omnes partes animæ dicantur esse corrupte per peccatum originale, specialiter tres prædictæ dicuntur esse corruptæ, et infectæ.

Ad primum ergo dicendum, quod peccatum originale ex ea parte, quæ inclinatur in peccata actualia, præcipue pertinet ad voluntatem, ut dictum est: sed ex ea parte, quæ traducitur in prolem, pertinet propinque ad potentias prædictas: ad voluntatem autem remote.

Ad secundum dicendum, quod infectio actualis culpæ non pertinet nisi ad potentias, quæ moventur a voluntate peccantis: sed infectio originalis culpæ non derivatur a voluntate ejus, qui ipsam contrahit, sed per originem naturæ, cui deservit potentia generativa: et ideo in ea est infectio originalis peccati.

Ad tertium dicendum, quod visus non pertinet ad actum generationis nisi secundum dispositionem remotam: prout scilicet per visum apparet species concupiscibilis: sed delectatio perficitur in actu: et ideo talis infectio magis attribuitur tactui, quam visui.

*Conclusio est affirmativa.*

Circa titulum nota, *præfatas potentias* esse concupiscibilem, generativam, et sensum tactus, ut declaratur in argumento *sed contra*, et in corpore articuli. Potuit vero D. Thom. illas expresse non referre, non solum quia articulo præced. aliquarum earum meminerat, ut ait Montesinos: sed quia in quæstionis vestibulo, dum articulos distribuit, assignavit illas expresse pro hoc art. 4, verbis illis: *Quarto, utrum aliquæ potentia animæ sint specialiter infectæ, scilicet generativa, vis concupiscibilis, et sensus tactus.*

Dubitant expositores, quo pacto verum sit, prædictas potentias esse magis infectas

originali culpa quam aliæ : et adhuc quam voluntas, ad quam etiam fit comparatio in solut. ad 1. Citoque occurrit ratio dubitandi tum ex articulo præced. ubi statutum fuit, peccatum originale prius afficere voluntatem, quam reliquas potentias : ergo ipsa præ cæteris infecta erit tali peccato. Tum etiam quia in art. præced. excluduntur a linea subjecti malitiæ omnes illæ potentia, quæ non subduntur immediate dominio voluntatis : et ponitur exemplum in nutritiva : atqui nec generativa, nec sensus tactus subsunt immediate tali dominio : ergo neque erit in eis malitia originalis, neque illa inficientur.

Hæc dubitandi ratio aliquibus non est visa admodum facilis. Verum si litera D. Thomæ, et modus loquendi attente inspiciantur, cito apparebit solutio. Distinguit enim curiose satis et accurate inter peccati *corruptionem*, et *infectionem*, quod non quælibet corruptio dicitur proprie *infectio*, sed illa, quæ nata est in aliud transferri : sicut inter morbos corporales illos dicimus *infectiones*, qui contagiosi sunt, seu qui plures inficiunt, et infectant : unde quia peccatum originale, et deordinat hominem in seipso, et ab uno transfundit in alios; non ideo aliqua potentia dicenda est magis aut minus *infecta*,

quia in seipsa plus vel minus habeat deformitatis, et corruptionis : sed quia plus minusve traductioni prædicti peccati deseruit, proximiusque vel remotius ad ea concurrat. Quia ergo talis traductio proxime fit per generationem, quæ immediate est actus potentia generativæ, et habet præ aliis actionibus annexam delectationem tactus quæ plurimum movet concupiscibilem, ideo hujusmodi tres potentia, scilicet generativa, concupiscibilis, et tactus, præ cæteris *originali peccato infectæ* dicuntur : quatenus nulla alia ita proxime, et immediate se habet ad ejus traductionem. Cum quo optime stat, quod corruptio et deordinatio potius et formaliter afficiat alias potentias, præsertim voluntatem : et quod hæc et aliæ, quæ libertatem participant, magis deordinatæ sint et vitiatæ, eo quod plus de ratione malitiæ participant : dicantur vero minus infectæ, quia remotius se habent ad prædictam traductionem. Imo cum hoc stat, ut in generativa et tactu, quæ ita infecta dicuntur, non reperiatur formaliter peccatum secundum rationem culpæ, sed solum causaliter, quia ratio infectionis non attenditur penes informationem, vel receptionem, sed penes causalitatem et influxum.

## QUÆSTIO LXXXIV

*De causa peccati secundum quod unum peccatum alterius peccati causa est, in quatuor articulos divisa.*

*Deinde considerandum est de causa peccati, secundum quod unum peccatum est causa alterius. Et circa hoc quaeruntur quatuor.*

### ARTICULUS I.

*Utrum cupiditas sit radix omnium peccatorum?*

Ad primum sic proceditur. Videtur quod cupiditas non sit radix omnium peccatorum. Cupiditas enim, quæ est immoderatus appetitus divitiarum, opponitur virtuti liberalitatis : se liberalitas non est radix omnium virtutum : ergo cupiditas non est radix omnium peccatorum.

2. Præterea : appetitus eorum, quæ sunt ad finem, procedit ex appetitu finis sed divitiarum, quarum appetitus est cupiditas, non appetuntur nisi ut utiles ad aliquem finem, sicut dicitur in 1 Ethic. ergo cupiditas non est radix omnis peccati ; sed procedit ex alia priori radice.

3. Præterea : frequenter invenitur, quod avaritia, quæ cupiditas nominatur, oritur ex aliis peccatis : puta cum quis appetit pecuniam propter ambitionem, vel ut satisfaciat gula : non ergo est radix omnium peccatorum.

Sed contra est, quod dicit Apostulus 1 ad Timoth. ult. Radix omnium malorum est cupiditas.

Respondeo dicendum, quod secundum quosdam cupiditas tripliciter dicitur. Uno modo, prout est appetitus inordinatus divitiarum ; et sic est speciale peccatum. Alio modo, secundum quod significat inordinatum appetitum cujuscunque boni temporalis : et sic est genus omnis peccati : nam in omni peccato est inordinata conversio ad commutabile bonum, ut dictum est. Tertio modo sumitur, prout significat quandam inclinationem naturæ corruptæ ad bona corruptibilia inordinate appetenda : et sic dicunt, cupiditatem esse radicem omnium peccatorum, ad similitudinem radicis arboris, quæ ex terra trahit alimentum : sic enim ex amore rerum temporalium omne peccatum procedit. Et hæc quidem : quamvis vera sint : non tamen videntur esse secundum intentionem Apostoli, qui dixit, cupiditatem esse radicem omnium peccatorum : manifeste enim ibi loquitur contra eos, qui cum velint divites fieri, incidunt in tentationes, et laqueum



laqueum diaboli, eo quod radix omnium malorum est cupiditas. Unde manifestum est, quod loquitur de cupiditate, secundum quod est appetitus inordinatus divitiarum: et secundum hoc dicendum est, quod cupiditas, secundum quod est speciale peccatum, dicitur radix omnium peccatorum ad similitudinem radicis arboris, quæ alimentum præstat toti arbori. Videmus enim, quod per divitias homo acquirit facultatem perpetrandi quodcumque peccatum, et adhibendi desiderium cuiuscumque peccati: eo quod ad habenda quæcumque temporalia bona, potest homo per pecuniam juvari: secundum quod dicitur Eccles. 10. Pecunie obediunt omnia, Et secundum hoc patet quod cupiditas divitiarum est radix omnium peccatorum.

Ad primum ergo dicendum, quod non ab eodem oritur virtus, et peccatum: oritur enim peccatum ex appetitu commutabilis boni: et ideo appetitus illius boni, quod juvat ad consequenda omnia temporalia bona radix peccatorum dicitur: virtus autem oritur ex appetitu incommutabilis boni, et ideo charitas, quæ est amor Dei, ponitur radix virtutum, secundum illud Ephes. 3: In charitate radicati, et fundati.

Ad secundum dicendum, quod appetitus pecuniarum dicitur esse radix peccatorum, non quidem quia divitiæ propter se querantur tanquam ultimus finis: sed quia multum queruntur ut utiles ad omnem temporalem finem, et quia universale bonum est appetibilius, quam aliquod particulare bonum, ideo magis movet appetitum, quam quædam bona singularia, quæ simul cum multis aliis per pecuniam haberi possunt.

Ad tertium dicendum, quod sicut in rebus naturalibus non queritur quid semper fiat; sed quid in pluribus accidit, eo quod natura corruptibilem rerum impediri potest, ut non semper eodem modo operetur, ita etiam in moralibus consideratur, quod ut in pluribus est, non autem quod semper est, eo quod voluntas non ex necessitate operatur: non igitur dicitur avaritia radix omnium malorum, quin interdum aliquid aliud malum sit radix ejus: sed quia ex ipsa frequenter alia mala oriuntur ratione prædicta.

Conclusio: *Cupiditas secundum quod est peccatum speciale, est radix omnium peccatorum.*

Commentarius.

1. Distinguit D. Thomas in hac litera tres cupiditatis acceptiones. Primo enim sumitur pro inordinato amore divitiarum: et hoc modo est peccatum speciale, quia determinat specialem materiam. Secundo pro inordinato appetitu cuiuslibet temporalis boni: quo pacto non est peccatum speciale, sed divagatur per omnia: nam sicut in omnibus peccatis clauditur inordinatus amor sui (ut dictum est supra quæst. 77, art. 4), ita etiam in omnibus illis includitur amor alicujus boni temporalis, quod peccans sibi appetit, et ad quod convertitur, dum peccat. Dicitur autem a D. Thoma hujusmodi cupiditas *genus omnis peccati*, non quia proprie genus sit, sed quia est generalis conditio omnia illa transcendens, ut vidimus super artic. citatum. Tertio accipitur pro inordinatione naturæ corruptæ ad bona corruptibilia inordinate appetenda: quo pacto est idem ac concupiscentia: de qua plura diximus disp. præcedenti dub. 4.

2. Quamvis autem D. Thomas non neget, cupiditatem quolibet ex istis modis acceptam posse esse causam omnium peccato-

rum, et aliquando a Patribus ita appelletur, ut ab Augustino lib. 9 de Genesi ad liter. cap. 15, Ambros. epist. 84, Hierony. super ad Ephes. 4 et 5, Gregor. homil. 6, in Evang. et aliis; restrinxit tamen suam doctrinam ad primam acceptionem. Tum ut tueretur sensum Apostoli, cujus auctoritate utitur 1 ad Timoth. cap. ult. ubi dixit quod radix omnium malorum est cupiditas: quo loci sermonem esse de cupiditate pro amore divitiarum, probat in præsentem ex ipso contextu, qui manifeste loquitur contra divitiarum amatores, qui dum volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli. Et eodem modo intelligunt Apostolum Ambrosius, et Chrysostomus ibidem. Cyprianus de oratione Dom. ad illa verba *Panem nostrum quotidianum*. Hieronym. super 6 cap. Jerem. Isidorus lib. 2 de summ. bono cap. 41 et plures alii. Tum etiam ut explicaret peculiarem modum, quo cupiditas prædicto modo accepta habet influere in omnia peccata, ratione cujus potiori jure quem aliis peccatorum causis tribuitur illi nomen *radicis*. Sicut enim in arboribus eam partem *radicem* vocamus, quæ cæteris præbet alimentum, ita inter passiones et vitia id quod reliquis peccatis alimentum et pabulum subministrat, merito eorum *radix* nuncupatur: hujusmodi autem esse cupiditatem seu inordinatum amorem divitiarum ex eo liquet, quia nullum est peccatum, ad cujus perpetrationem divitiæ incitamentum non præbeant: dum jvant ad acquirenda quæcumque temporalia bona, propter quæ homines peccare contingit. Ut enim dicitur Eccles. 10: *Omnia obediunt pecuniæ*: et ideo cui hæc suppetit, quæcumque inordinate diligit facile consequitur.

Ex quo patet, causalitatem in omnia peccata, quæ in præsentem cupiditati tribuitur, et vocatur *per modum radicis*, non esse in genere causæ finalis, aut ordine intentionis (quamvis etiam in hoc genere et ordine amor divitiarum ad multa peccata concurrat, hacque ratione avaritia numeratur inter vitia capitalia, quæ sunt aliorum causæ præcipue per modum finis: ut videbimus artic. 4.) sed ordine executionis, et quasi in genere causæ materialis: quatenus divitiæ inordinate amatae habent esse possidenti materia et instrumentum ad alia peccata perpetranda.

3. Fit deinde, nullam esse objectionem, qua aliqui contra assertionem D. Thomæ utuntur, ex Chrysostomo, Hieronymo, et

D. Aug.  
D. Amb.  
D. Hier.  
D. Greg.

1 ad Timoth.  
cap. ult.

Ambros.  
Chrys.  
Cyprian.

Isidor.  
Hier

Ecclesia.  
10.

In quo genere cupiditas sit causa peccatorum.

Objectio.

Multi-lex cupiditatis acceptio.

aliis Patribus assignantibus ut causam avaritiæ et cupiditatis gulam, invidiam, et similia peccata, non ergo ipsa avaritia vel cupiditas erit radix hujusmodi peccatorum.

*Diluitur.* Hæc igitur obiectio nullius momenti est : stat enim cupiditatem esse causam omnium peccatorum ordine executionis, atque in genere causæ materialis, ut diximus, et tamen in alio genere, nempe in genere causæ finalis, esse effectum aliquorum ex illis : ut in aliis rebus sæpe contingit, quod idem simul sit causa et effectus respectu ejusdem in diverso genere causæ.

*putium.* 4. Major dubitandi ratio est ; an D. Thomas nomine *cupiditatis* intelligat avaritiam proprie et specialiter dictam, ut est affectus nimis et inordinate divitias retinendi ; distinguiturque a prodigalitate, quæ est affectus nimis et inordinate illas expendendi ? an vero intelligat inordinatum amorem divitiarum ut sic, abstrahendo a differentiis avaritiæ et prodigalitatis ? Dicendumque est hoc posterius cum Cajetano et aliis. Ob id enim proculdubio D. Thomas tam in titulo quam in corpore articuli noluit uti nomine *avaritiæ*, sed nomine *cupiditatis* (quo etiam usus fuerat Apostolus) quia eo nomine non exprimitur propria ratio avaritiæ, sed dumtaxat amor nimius divitiarum, quicumque ille sit. Et ratio videtur etiam perspicua ; nam affectus divitiarum, qui patrandis peccatis materiam et fomentum subministrat, non est amor determinate illas retinendi seu non expendendi, quod est munus avaritiæ : quin potius talis amor sæpe retrahit a peccato, ne in hujus perpetracione divitiæ consumantur : sed est amor acquirendi et habendi illas, ut abstrahit ab amore retinendi vel expendendi : divitiæ enim habitæ et possessæ incitant, ut impleantur prava desideria, et ut in eorum adimpletione expendantur.

*Replica.* 5. Neque obest, si dicas, amorem divitiarum in prædicta abstractione non esse peccatum speciale, sed aliquid commune et genericum ad prodigalitatem et avaritiam : at D. Thomas expresse dicit se loqui de cupiditate ut est peccatum speciale : et in solutione ad tertium appellat illud nomine *avaritiæ* : ergo loquitur determinate de hujusmodi peccato. Non igitur hoc obest : nam esto concedamus, prædictum amorem divitiarum non constituere speciem peccati atomam, sed gradum genericum et communem prodigalitatis et avaritiæ (de quo alias salvatur sufficienter intentum D. Thomæ, nempe quod cupiditas in præsentibus non ac-

cipiatur communissime ; ut cum sumitur pro inordinato amore cujuscumque boni temporalis, vel pro inclinatione naturæ corruptæ ad hujusmodi bonum inordinate appetendum : sed ut determinata ad certam materiam, scilicet divitias : sive in ea materia constituat speciem atomam unius vitii, sive subalternam et communem duobus versantibus circa talem materiam. Quemadmodum si aliquis diceret, se loqui de injustitia, quatenus est speciale peccatum, non ideo deberet necessario intelligi de aliqua specie injustitiæ atomam, sed posset sufficienter exponi de subalterna et communi furto, homicidio, detractone et similibus, dummodo excluderetur injustitia latissime sumpta, ut est communis ad omnia peccata, quæ in alium committuntur. Ad illud ex solutione ad tertium respondetur, nomen *avaritiæ* aliquando sumi minus stricte pro quolibet vitio contra liberalitatem, sive opponatur illi per excessum, sive per defectum : atque adeo abstrahendo ab avaritia stricte sumpta, et a prodigalitate : quo pacto proprium ejus nomen est *illiberalitas* seu *cupiditas* : et ita sumitur a D. Thoma in prædicta solutione.

6. Denique fit, juxta hanc doctrinam omnino præcludi aditum objectioni Durandi in 2, dist. 32, quæst. 4, qui ex eo probare nititur cupiditatem non esse radicem peccatorum modo a D. Thoma explicato, quia divitiæ non præbent facultatem adimplendi mala desideria, nisi per sui distributionem : cupiditas autem non est appetitus earum ad distribuendum, sed ad congregandum et retinendum eas : et ideo cupiditas pecuniarum magis impedit assecutionem malorum desideriorum, quæ per distributionem pecuniarum possent impleri ; quam ad hoc inclinet vel promoveat. Præsertim cum sint aliqua peccata, quæ potius contrariantur et repugnant avaritiæ, sicut prodigalitas et *apyrocalia* sive *consumptio*, sic dicta quia tanquam ignis omnia consumit. Hujusmodi ergo objectioni omnino præcluditur aditus juxta doctrinam traditam : quia nomine *cupiditatis* in præsentibus non intelligitur avaritia specialiter dicta, ut est appetitus retinendi, et non expendendi ; sed solum amor congregandi et habendi divitias : ex quo amore, sicut ex ipsis divitiis congregatis nullum est peccatum, quod sequi non valeat ; quamvis sint ipsa *prodigalitas* et *apyrocalia*, quæ avaritiæ opponuntur.

Addit Gregorius Martinez in præsentibus, quod

Alii  
objec  
Dura

Perin  
tur

Mart  
nez

Decidi-  
tur.

Enoda-  
tur.

quod etiamsi nomine *cupiditatis* intelligatur avaritia proprie dicta, verificabitur quod sit radix omnium peccatorum etiam ipsius prodigalitatis. Ad hoc enim avarus retinet pecunias, ut oblata sibi occasione, quod voluerit, consequi valeat: licet multoties in tantum crescat avaritia, ut nunquam judicet adesse tempus expendendi. Unde quamvis elargitio pecuniæ pro executione peccati ad prodigalitem pertineat, illius tamen acquisitio, secundum quam aliquis fit potens ad elargiendum et ad peccatum exequendum, pertinet ad avaritiam: quia ergo per prodigalitem elargiri non potest, nisi quod prius congregatum est, merito avaritia, cujus est congregare, ponitur ut radix ipsius prodigalitatis, et aliorum peccatorum, quæ a prodigo executioni mandantur.

7. In solutione ad tertium modificat D. Thomas doctrinam usquemodo traditam, ut sit sensus, non quod de facto omnia peccata ex cupiditate vel avaritia oriantur, aut quod primum peccatum inchoans alia, semper sit avaritia; cum enim voluntas in peccando sit libera, potest unde voluerit, inchoare: sed sensus est, quod avaritia seu cupiditas, quantum est ex se, ad omnia peccata viam parat, et ad omnia sollicitat, dum immoderate congregat pecuniam et divitias, quibus homines quicquid inordinate appetunt, facile consequuntur. Unde satis est ad veritatem prædictæ doctrinæ, nullum dari peccatum, quod ex cupiditate seu avaritia oriri non valeat: vel quod frequentius et ut in plurimum alia peccata ex illa originentur. Quæ regula semper præ oculis habenda est, ne forte cum D. Thomas in præsentia aut alibi aliquam passionem vel aliquod peccatum pro cæterorum causa assignat, universalius intelligatur, quam Angelic. Doctor intendit.

ARTICULUS II.

*Utrum superbia sit initium omnis peccati?*

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod superbia non sit initium omnis peccati. Radix enim est quoddam principium arboris, et ita videtur idem esse radix, et initium peccati: sed cupiditas est radix omnis peccati, ut dictum est: ergo ipsa etiam est initium omnis peccati, non autem superbia.

2. Præterea: Eccles. 10 dicitur: Initium superbiæ hominis est apostatare a Deo: sed apostasia a Deo, est quoddam peccatum: ergo aliquod peccatum est initium superbiæ: ergo et ipsa non est initium omnis peccati.

3. Præterea: Illud videtur esse initium omnis peccati, quod facit omnia peccata: sed hoc est inordinatus amor sui, qui facit civitatem Babylonis, ut Augustinus dicit in 14 de civit. Dei: ergo amor sui est initium omnis peccati, non autem superbia.

Sed contra est quod dicitur Eccles. 10: Initium omnis peccati superbia.

Respondeo dicendum, quod quidam dicunt superbiæ dici tripliciter. Uno modo secundum quod superbia significat inordinatum appetitum propriæ excellentiæ, et sic est speciale peccatum. Alio modo, secundum quod importat quandam actuale contemptum Dei, quantum ad hunc effectum, qui est non subdi ejus præcepto: et sic dicunt quod est generale peccatum. Tertio modo, secundum quod importat quandam inclinationem ad hujusmodi contemptum ex corruptione naturæ: et sic dicunt, quod est initium omnis peccati. Et differt a cupiditate: quia cupiditas respicit peccatum ex parte conversionis ad bonum commutabile, ex quo peccatum quodam modo nutritur et fovetur, et propter hoc cupiditas dicitur radix: sed superbia respicit peccatum ex parte aversionis a Deo, cujus præcepto homo subdi recusat: et ideo vocatur initium, quia ex parte aversionis incipit ratio mali. Et hæc quidem quamvis vera sint, tamen non sunt secundum intentionem Sapientis, qui dicit: initium omnis peccati est superbia. Manifeste enim loquitur de superbia, secundum quod est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ, ut patet per hoc quod subdit: sedes ducum superborum destruxit Deus. Et de hac materia loquitur ibi in toto capitulo. Et ideo dicendum est, quod superbia etiam secundum quod est speciale peccatum, est initium omnis peccati. Considerandum est enim quod in actibus voluntariis, cujusmodi sunt peccata, duplex ordo invenitur, scilicet intentionis et executionis. In primo quidem ordine habet rationem principii et finis, ut supra multoties dictum est. Finis autem in omnibus bonis temporalibus acquirendis, est ut homo per illa quandam perfectionem singularem, et excellentiam habeat: et ideo ex hac parte superbia, quæ est appetitus excellentiæ, ponitur initium omnis peccati. Sed ex parte executionis est primum id, quod præbet opportunitatem adimplendi omnia desideria peccati, quod habet rationem radicis, scilicet divitiæ: et ideo ex hac parte avaritia ponitur esse radix omnium malorum, ut dictum est. Et per hoc patet responsio ad primum.

Ad secundum ergo dicendum, quod apostatare a Deo dicitur esse initium superbiæ ex parte aversionis. Ex hoc enim quod homo non vult subdi Deo, sequitur quod inordinate velit propriam excellentiam in rebus temporalibus: et sic apostasia a Deo non sumitur ibi quasi speciale peccatum, sed magis ut quedam conditio generalis omnis peccati, quæ est aversio ab incommutabili bono. Vel potest dici, quod apostatare a Deo dicitur esse initium superbiæ, quia est prima superbiæ species. Ad superbiæ enim pertinet, cuique superiori nolite subdici, et præcipue nolite subdi Deo; ex quo contingit, quod homo supra seipsum indebite extollatur quantum ad alias superbiæ species.

Ad secundum dicendum, quod in hoc homo se amat, quod sui excellentiam vult. Idem enim est se amare, quod sibi velle bonum; unde ad idem pertinet, quod ponatur initium omnis peccati superbia, vel amor proprius.

Conclusio: *Ordine intentionis et ex parte finis superbia etiam secundum quod est speciale peccatum, est initium omnis peccati.*

*Commentarius.*

1. Sensus hujus conclusionis est ille, quem circa conclusionem articuli præcedentis nuper explicuimus: nempe quod superbia quantum est ex se, apta nata est finalizare omnia peccata, et movere ad illa per modum finis; frequenterque ita de facto contingere. Unde quia finis in moralibus habet rationem primi principii, merito superbia dicitur *initium omnis peccati*: sicut avaritia dicta est *radix*: quamvis de facto non semper alia peccata ex prædicto fine oriantur, propter libertatem voluntatis,

D.Thom  
quæ potest pro libito moveri ad peccandum ex quolibet fine. Quæ intelligentia et expositio habetur ex ipso D. Thoma non solum in solutione ad tertium articuli præcedentis, in simili de avaritia, sed etiam in propriis terminis 2, 2, quæst. 162, art. 2, ubi sic ait : *Sciendum tamen quod ad hanc generalitatem superbiæ pertinet, quod omnia vitia interdum ex superbia oriri possunt : non autem ad eam pertinet, quod omnia semper ex superbia oriuntur.* Et art. 7, ad primum : *Dicendum, quod superbia dicitur esse omnis peccati initium, non quia quodlibet peccatum singulariter ex superbia oriatur, sed quia quodlibet genus peccati natum est ex superbia oriri.*

Eccles.  
10.  
Conclusionem vero sic intellectam dedit D. Thomas ex illo Eccles. 10 : *Initium omnis peccati superbia.* Qui locus quamvis ab aliquibus intelligatur de superbia in latiori acceptione, nempe ut dicit quendam divinæ legis contemptum, vel inclinationem naturæ corruptæ ad illum (quo pacto non est dubium in omnibus peccatis concurrere) verius tamen accipitur de superbia peculiariter dicta, ut dicit appetitum inordinatum propriæ excellentiæ. Quia Ecclesiasticus in toto illo cap. de hac posteriori superbia loquitur, ut observat D. Thomas in præsentibus, et cuilibet legenti constabit. Adhuc tamen intellectus prædictus locus de hac superbia, posset diversimode exponi : sicut exponit Ambros. Tobia. 4. August. gloss. nempe vel cum D. Ambrosio epistol. 84, de peccato primi hominis quod fuit proprie superbia, ab illoque omnis nostra perditio initium sumpsit, ut dicitur Tobia 4. Vel cum Augustino lib. de natura et grat. cap. 29, de superbia primi Angeli, cujus peccatum initium dedit aliis omnibus tam in Angelis quam in hominibus. Nec D. Thomas hujusmodi interpretationibus ullibi contradicit : sed potius aliquando eas approbat.

2. Cæterum in hoc articulo aliter exponit prædictum locum, ut ostendat proprium modum, quo uniuscujusque nostrum superbia sit causa per modum finis aliorum peccatorum, quæ ab eo committuntur. Cum enim finis illius qui peccat, semper sit aliquod bonum temporale, per quod excellentiam, et perfectionem sibi acquirat, idcirco superbia, quæ est appetitus propriæ excellentiæ, ex propria ratione habet concurrere ad cætera peccata per modum finis. Non autem opus est, ut semper concurrat de facto : quia non est necesse, ut peccans semper intendat sub ratione excellentiæ

propriæ bonum illud quod appetit : aut quod hujusmodi bonum semper fit improprium in ratione excellentis. Per quod objectio quæ contra assertionem D. Thomæ fieri poterat, manet obiter soluta.

3. In solutione ad tertium nota, non ideo dici pertinere ad idem, quod ponatur ut initium omnis peccati superbia, et quod ponatur amor proprius, quasi hæc duo inter se convertantur, aut quia eodem prorsus modo in cæteris peccatis concurrant. Amor enim proprius secundum propriam rationem clauditur de facto in omnibus illis velut ratio quædam generica, ut vidimus quæst. 77, in commentar. artic. 4. Superbia autem sub propria ratione non adest de facto in omnibus peccatis : quamvis in omnibus possit esse materia superbiendi : ubicunque vero reperitur, tribuit malitiam specialem. Propterea ergo dicuntur pertinere ad idem, quia cum objecto proprii amoris, quod est bonum proprium, clauditur semper aliquid propriæ excellentiæ, quæ est superbiæ objectum, et tam bonum quam excellentia moveant per modum finis ; imo ipsa excellentia sit potissima pars boni proprii : idcirco quoties superbia seu excellentia in aliquod peccatum influit, reducit talis influxus ad influxum boni proprii, quasi non ponens in numero cum illo.

### ARTICULUS III.

*Utrum præter superbiam, et avaritiam sint alia peccata specialia, quæ dici debeant capitalia ?*

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod præter superbiam et avaritiam non sint quedam alia peccata specialia, quæ dicantur capitalia. Ita enim se videtur habere caput ad animalia, sicut radix ad plantas, ut dicitur in secundo de Anima: nam radices sunt ori similes. Si igitur cupiditas dicitur radix omnium malorum, videtur quod ipsa sola debeat dici vitium capitale, et nullum aliud peccatum.

2. Præterea caput habet quandam ordinem ad alia membra, in quantum a capite in omnia membra diffunditur quodammodo sensus, et motus : sed peccatum dicitur per privationem ordinis : ergo peccatum non habet rationem capitis, et ita non debent poni aliqua capitalia peccata.

3. Præterea : capitalia crimina dicuntur, quæ capite peccantur : sed tali pena puniuntur quedam peccata in singulis generibus : ergo vitia capitalia non sunt aliqua determinata secundum speciem.

Sed contra est, quod Gregorius trigesimo primo Moral. enumera quedam specialia vitia, quæ dicit esse capitalia.

Respond. Dicendum, quod capitale dicitur a capite. Caput autem proprie quidem est quoddam membrum animalis, quod est principium, et directivum totius animalis. Unde metaphorice omne principium directivum, caput vocatur : et etiam homines qui alios dirigunt, et gubernant, capita aliorum esse dicuntur. Dicitur ergo vitium capitale uno modo a capite proprie dicto, et secundum hoc peccatum capitale dicitur peccatum, quod capitis pena punitur : sed sic nunc non intendimus de capitalibus peccatis, sed secundum quod alio modo dicitur peccatum capitale, prout metaphorice signat principium vel directivum aliorum. Et sic dicitur vitium capitale, ex quo alia vitia oriuntur, et præcipue secundum

cundum originem causæ finalis, quæ est formalis origo, ut supra dictum est: et ideo vitium capitale non solum est principium aliorum, sed etiam directivum, et quodammodo ductivum aliorum. Semper enim ars, vel habitus, ad quem pertinet finis, principiatur, et imperat circa ea quæ sunt ad finem. Unde Gregorius trigesimo primo *Moralium* huiusmodi vitia capitalia ducibus exercituum comparat.

Ad primum ergo dicendum, quod capitale dicitur denominative a capite, quod quidem est per quandam derivationem vel participationem capitis: sicut habens aliquam proprietatem capitis, et non sicut simpliciter caput. Et ideo capitalia vitia dicuntur non solum illa, quæ habent rationem primæ originis, sicut avaritia, quæ dicitur radix, et superbia, quæ dicitur initium: sed etiam illa, quæ habent rationem originis propinquæ respectu plurimum peccatorum.

Ad secundum dicendum, quod peccatum caret ordine ex parte aversionis: ex hac enim parte habet rationem mali. Malum autem secundum Augustinum in libro de natura boni, est privatio modi, speciei, et ordinis; sed ex parte conversionis respicit quoddam bonum. Et ideo ex hac parte dicitur habere ordinem.

Ad 3 dicendum, quod illa ratio procedit de capitali peccato, secundum quod dicitur a reatu pænæ: sic autem hic non loquimur.

*Conclusio est affirmativa.*

Cujus optima ratio traditur in litera. Ex qua, et ex solutione ad primum satis clare habetur non esse de ratione peccati capitalis, quod sit prima origo et prima radix aliorum, ut diximus esse superbiam, et avaritiam: sed sufficere ut sit saltem origo immediata plurimorum, quamvis aliam priorem supponat. Habetur etiam, ad rationem peccati capitalis, prout nunc, et in communiori usu de illo est sermo, nec sufficere nec requiri quicquid sufficit, et requiritur ad rationem peccati mortalis. Ad hoc enim neque sufficit neque est necessarium quod sit origo aliorum, sed dumtaxat quod sit aversio ab ultimo fine: quæ quidem aversio non est necessaria ad peccatum capitale: ad quod tamen omnino requiritur, et sufficit prædicta ratio originis. Et aliqua sunt inter prædicta capitalia, ut gula, avaritia, et inanis gloria, quæ in suo genere ad gradum peccati mortalis non attingunt; de quo videndus D. Thomas 2, 2, quæst. 132, art. 4, et quæst. 138, art. 5, nec non de malo quæst. 9, et sequentibus. Atque hinc etiam fit, manifeste esse vulgi errorem, appellare universaliter *peccata mortalia*, ea quæ a Theologis *capitalia* vocantur, et septenario numero continentur: cum re vera aliqua ex illis secundum se gradum venialis non excedant: nisi forte locutio sit causalis, ut D. Thomas aliquando exponit.

Solutio ad secundum videtur pro negativis malitiam positivam: dum ratio mali in peccato reperta reducitur ad aversionem. Sed quam parum similia testimonia illorum sententiæ suffragentur, constat ex

dictis disp. 6, dub. 3, præsertim num. 49, et 62.

ARTICULUS IV.

*Utrum convenienter dicantur septem vitia capitalia?*

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod non sit dicendum, septem esse vitia capitalia, quæ sunt inanis gloria, invidia, ira, avaritia, tristitia, gula, luxuria. Peccata enim virtutibus opponuntur: virtutes autem principales sunt quatuor, ut supra dictum est: ergo et vitia principalia sive capitalia non sunt nisi quatuor.

2. Præter. Passiones animæ sunt quedam causæ peccati, ut supra dictum est: sed passiones animæ principales sunt quatuor, de quarum duabus nulla fit mentio inter prædicta peccata, scilicet de spe, et timore: enumerantur autem aliqua vitia, ad quæ pertinet delectatio, et tristitia: nam delectatio pertinet ad gulam et luxuriam; tristitia vero ad accidia et invidiam: ergo inconvenienter enumerantur principalia peccata.

3. Præter. Ira non est principalis passio: non ergo debuit poni inter principalia vitia.

4. Præter. Sicut cupiditas, sive avaritia est radix peccati, ita superbia est peccati initium, ut supra dictum est: sed avaritia ponitur unum de septem vitis capitalibus: ergo superbia inter vitia capitalia enumeranda esset.

5. Præter. Quedam peccata committuntur, quæ ex nullo horum causari possunt, sicut cum aliquis errat ex ignorantia, vel cum aliquis ex aliqua bona intentione committit aliquid peccatum, puta, cum aliquis furatur ut det eleemosynam: ergo insufficienter capitalia vitia enumerantur.

Sed in contrarium est autoritas Gregor. sic enumerantis 31 *Moralium*.

Respon. dicendum, quod sicut dictum est, vitia capitalia dicuntur, præcipue secundum rationem causæ finalis. Huiusmodi autem origo potest attendi dupliciter. Uno quidem modo secundum conditionem peccantis, qui sic dispositus est ut maxime afficiatur ad unum finem, ex quo ut plurimum in alia peccata procedat: sed iste modus originis sub arte cadere non potest, eo quod infinitæ sunt particulares hominum dispositiones. Alio modo secundum naturalem habitudinem ipsorum finium ad invicem, et secundum hoc in pluribus unum vitium ex alio oritur: unde iste modus originis sub arte cadere non potest. Secundum hoc ergo illa vitia capitalia dicuntur, quorum fines habent quasdam primarias rationes movendi appetitum, et secundum harum rationum distinctionem distinguuntur capitalia vitia. Movet autem aliquid appetitum dupliciter. Uno modo directe et per se et hoc modo bonum movet appetitum ad prosequendum; malum autem secundum eandem rationem ad fugiendum. Alio modo indirecte, et quasi per aliud, sicut aliquis aliquid malum prosequitur propter aliquid bonum adjunctum: vel aliquid bonum fugit propter aliquid malum adjunctum. Bonum autem hominis est triplex. Est enim primo quoddam bonum animæ, quod scilicet ex sola apprehensione rationem appetibilitatis habet, sicut excellentia laudis vel honoris: et hoc bonum inordinate prosequitur inanis gloria. Aliud est bonum corporis, et hoc vel pertinet ad conservationem individui, sicut cibus et potus, et hoc bonum inordinate prosequitur gula: aut ad conservationem speciei, sicut coitus, et ad hoc ordinatur luxuria. Tertium bonum est externum, scilicet divitiæ, et ad hoc ordinatur avaritia. Et eadem quatuor vitia inordinata fugiunt quatuor mala contraria. Vel aliter, Bonum præcipue movet appetitum ex hoc, quod participat aliquid de proprietate felicitatis, quam naturaliter omnes appetunt, de cuius ratione est primo quedam perfectio. Nam felicitas est perfectum bonum, ad quod pertinet excellentia, vel claritas, quam appetit superbia, vel inanis gloria. Secundo de ratione ejus est sufficientia, quam appetit avaritia in divitiis eam promittentibus. Tertio est de conditione ejus delectatio, sine qua felicitas esse non potest, ut dicitur in 1 et 10 *Ethic.* et hanc appetit gula et luxuria. Quod autem aliquis bonum fugiat propter aliquid malum adjunctum, hoc contingit dupliciter: quia aut hoc est respectu boni proprii, et sic est accidia, quæ tristatur de bono spirituali propter laborem corporalem adjunctum: aut est de bono alieno, et hoc si sit sine insurrectione, pertinet

ad invidiam, quæ tristatur de bono alieno, in quantum est impeditum: propriæ excellentiæ: aut est cum quadam insurrectione ad invidiam, et sic est ira. Et ad eadem vitia pertinet persecutio mali oppositi.

Ad primum ergo dicendum est, quod non est eadem ratio originis in virtutibus et vitiis. Nam virtutes causantur per ordinem appetitus ad rationem, vel etiam ad bonum incommutabile, quod est Deus: vitia autem oriuntur ex appetitu boni commutabilis: unde non oportet quod principalia vitia opponantur principalibus virtutibus.

Ad secundum dicendum, quod timor et spes sunt passiones irascibilis: omnes autem passiones irascibilis oriuntur ex passionibus concupiscibilis, quæ etiam omnes ordinantur quodammodo ad delectationem et tristitiam. Et ideo delectatio et tristitia principaliter connumerantur in peccatis capitalibus tanquam principalissimæ passiones, ut supra dictum est.

Ad tertium dicendum, quod ira licet non sit principalis passio, quia tamen habet specialem rationem appetitivum motus, prout aliquis impugnat bonum alterius sub ratione honesti, id est, iusti vindicativi, ideo distinguitur ab aliis capitalibus vitiis.

Ad quartum dicendum, quod superbia dicitur esse initium omnis peccati secundum rationem finis, ut dictum est: et secundum eandem rationem accipitur principalitas vitiorum capitalium. Et ideo, superbia non quasi universale vitium connumeratur aliis, sed magis ponitur velut regina quædam omnium vitiorum, sicut Gregor. dicit: avaritia autem dicitur radix secundum aliam rationem, sicut supra dictum est.

Ad quintum dicendum, quod ista vitia dicuntur capitalia, quia ex eis ut frequentius alia oriuntur: unde nihil prohibet aliqua peccata interdum ex aliis causis oriri. Potest tamen dici, quod omnia peccata, quæ ex ignorantia proveniunt, possunt reduci ad accidiam, ad quam pertinet negligentia, qua aliquis recusat bona spiritualia acquirere propter laborem. Ignorantia enim, quæ potest esse causa peccati, ex negligentia provenit, ut supra dictum est, Quod autem aliquis committat aliquod peccatum ex bona intentione,

videtur ad ignorantiam pertinere, in quantum scilicet ignorat, quod non sunt facienda mala ut veniant bona.

*Conclusio est affirmativa.*

Quæ etiam optime suadetur et declaratur in corpore articuli. Illud autem observandum venit, quod cum in vulgari horum peccatorum calculatione numeretur primo loco superbia, intelligenda est sub eo nomine inanis gloria, potius quam vera superbia. Hæc enim non annumeratur septem vitiis capitalibus ut unum ex illis; sed ut aliquid majus; omnibus illis supponitur. Nam ut ex D. Gregorio recte observat D. Thomas, vitia capitalia habent se sicut duces immediati, qui a rege mittuntur: superbia vero assimilatur regi, qui ducibus principatur, et illis omnibus imperat: ob idque communiter dicitur *Regina vitiorum*. De omnibus hujusmodi vitiis capitalibus et de eorum regina superbia tractat magis in speciali D. Thomas, instituens pro singulis suas quæstiones 2, 2, et in quæstionibus de Malo a quæst. 8, usque ad 15, ubi videri debet. Hic autem finitur quinta pars hujus tractatus, quæ est de causis peccati, et accedit, sexta de ejus effectibus.

## QUÆSTIO LXXXV

*De effectibus peccati, in sex Articulos divisa.*

*Deinde considerandum est de effectibus peccati. Et primo quidem de corruptione boni naturæ. Secundo de malitia animæ. Tertio de reatu pænæ. Circa primum quærentur sex.*

Sicut peccatorum plures, et diversæ sunt causæ, quarum proinde notitia plures D. Thomæ quæstiones requisivit: ita multiplices sunt effectus: pro quibus investigandis varias quæstiones Angelic. Doctor instituit. Hujusmodi vero effectuum quidam oriuntur a peccato modo physico, sive in genere causæ formalis, sive in genere efficientis: uti sunt varii defectus, et vulnera naturæ, privatio gratiæ seu macula, et alia hujusmodi: de quibus fit mentio in hac, et sequenti quæst. Quidam vero solum moraliter, et per modum demeriti ab illo originantur, cujusmodi est pœna: de qua proinde et de reatu ad illam, nec non

de discrimine inter peccata venialia, et mortalia, quæ differunt penes hujusmodi reatum, procedunt cæteræ quæstiones usque ad octogesimam nonam, quæ est ultima hujus tractatus.

### ARTICULUS I.

*Utrum peccatum diminuat bonum naturæ?*

Ad primum sic proceditur. Videtur quod peccatum non diminuat bonum naturæ. Peccatum enim hominis non est gravius quam peccatum dæmonis: sed bona naturalia in dæmonibus manent integra post peccatum, ut Dionysius dicit 4 de divin. nom. ergo peccatum etiam bonum naturæ humanæ non diminnet.

2. Præter. Transmutato posteriori non transmutatur prius, manet enim substantia eadem transmutatis accidentibus: sed natura præexistit actioni voluntariæ: ergo facta deordinatione

dinatione circa actionem voluntariam per peccatum, non transmutatur propter hoc natura, ita quod bonum naturæ diminuat.

3. Præt. Peccatum est actus quidam, diminutio autem est passio: nullum autem agens ex hoc ipso quod agit, patitur. Potest autem contingere, quod in unum agat, et ab alio patitur: ergo ille qui peccat, per peccatum non diminit bonum suæ naturæ.

4. Præt. Nullum accidens agit in suum subjectum, quia quod patitur est potentia ens: quod autem subicitur accidenti, jam est actu ens secundum accidens illud: sed peccatum est in bono naturæ, sicut accidens in subjecto: ergo peccatum non diminit bonum naturæ: diminuere enim quoddam agere est.

Sed contra est, quod sicut dicitur Luc. 10: Homo descendens ab Hierusalem in Jericho, id est, in defectum peccati, expoliatur gratuitis, et vulneratur in naturalibus, ut Beda exponit: ergo peccatum diminit bonum naturæ.

Respondeo dicendum, quod bonum naturæ humanæ potest tripliciter dici. Primo ipsa principia naturæ, ex quibus ipsa natura constituitur, et proprietates ex his causatæ, sicut potentie animæ, et alia hujusmodi. Secundo quia homo a natura habet inclinationem ad virtutem, ut supra habitum est, ipsa inclinatio ad virtutem est quoddam bonum naturæ. Tertio modo, potest dici bonum naturæ donum justitiæ originalis, quod fuit in primo homine collatum toti humanæ naturæ. Primum igitur bonum naturæ, nec tollitur, nec diminitur per peccatum. Tertium vero bonum naturæ totaliter est ablatum per peccatum primi parentis. Sed medium bonum naturæ, scilicet ipsa naturalis inclinatio ad virtutem diminitur per peccatum. Per actus enim humanos, fit quedam inclinatio ad similes actus, ut supra habitum est. Oportet autem quod ex hoc quod aliquid inclinatur ad unum contrarium, diminuatur inclinatio ejus ad aliud. Unde cum peccatum sit contrarium virtuti, ex hoc ipso quod homo peccat, diminitur bonum naturæ, quod est inclinatio ad virtutem.

Ad primum ergo dicendum, quod Dionys. loquitur de bono primo naturæ, quod est esse, vivere et intelligere, ut patet ejus verba intuenti.

Ad secundum dicendum, quod natura etsi sit prior quam voluntaria actio, tamen habet inclinationem ad quandam voluntariam actionem: unde ipsa natura secundum se non variatur propter variationem voluntariam actionis: sed ipsa inclinatio variatur ex illa parte, quæ ordinatur ad Deum.

Ad tertium dicendum, quod actio voluntaria procedit ex diversis potentiis, quarum una est activa, et alia passiva: et ex hoc contingit, quod per actiones voluntarias causatur aliquid, vel aufertur ab homine sic agente, ut supra dictum est, cum de generatione habitum ageretur.

Ad quartum dicendum, quod accidens non agit effective in subjectum: agit tamen formaliter in ipsum eo modo loquendi, quo dicitur, quod albedo facit album: et sic nihil prohibet, quod peccatum diminuat bonum naturæ, eo tamen modo, quo est ipsa diminutio boni naturæ, in quantum pertinet ad inordinationem actus. Sed quantum ad inordinationem agentis, oportet dicere, quod talis inordinatio causatur per hoc quod in actibus animæ aliquid est activum, et aliquid passivum: sicut sensibile movet appetitum sensitivum, et appetitus sensitivus inclinatur rationem et voluntatem, ut supra dictum est. Et ex hoc causatur inordinatio non quidem ita, quod accidens agat in proprium subjectum, sed secundum quod objectum agit in potentiam, et una potentia agit in aliam, et deordinat ipsam.

*Prima Conclusio: Bonum quod sunt ipsa principia naturæ et ejus proprietates, nec tollitur nec diminitur per peccatum.*

*Secunda Conclusio: Bonum originalis justitiæ omnino per peccatum sublatum est a natura.*

*Tertia Conclusio: Bonum naturæ quod est inclinatio ad virtutem, diminitur per peccatum.*

Prima ex his conclusionibus est satis per se nota: quia natura rationalis, et ejus potentie sunt ipsum subjectum peccati: peccatum autem non destruit suum subjectum, alias destrueret seipsum: neque illud diminit, quia neque natura, neque ejus potentie magis vel minus suscipiunt: unde vel deberent destrui totaliter, vel non dimini.

Circa secundam conclusionem plura diximus disp. præcedenti dub. 1 et 5. Exindeque habetur, justitiam originalem numerari hic inter bona naturæ, non quia sit naturæ debita; sed quia erat donum promissum, et conferendum toti naturæ: et etiam quia rectificabat illam non solum in ordine supernaturali, sicut modo rectificat gratia, sed etiam intra ipsum naturæ ordinem, ut in prædicta disp. dub. 1, explicuimus. Tertiam conclusionem, circa quam suboriri posset difficultas, exponemus in commentario articuli sequentis.

## ARTICULUS II.

*Utrum totum bonum naturæ possit auferri per peccatum?*

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod totum bonum humanæ naturæ possit per peccatum auferri. Bonum enim naturæ humanæ finitum est, cum et ipsa natura humana sit finita: sed quodlibet finitum totaliter consumitur facta continua ablatione. Cum ergo bonum naturæ continue per peccatum dimini possit, videtur quod possit quandoque totaliter consumi.

2. Præterea: Eorum quæ sunt unius naturæ, similis est ratio de toto, et de partibus, sicut patet in aere, et in aqua, et carne, et omnibus corporibus similibus partium: sed bonum naturæ est totaliter uniforme. Cum igitur pars ejus possit auferri per peccatum, totum etiam per peccatum auferri posse videtur.

3. Præt. Bonum naturæ quod per peccatum minuitur, est habitus ad virtutem: sed in quibusdam propter peccatum habitus prædicti totaliter tollitur, ut patet in damnatis, qui reparari ad virtutem non possunt, sicut neque cæcus ad visum. Ergo peccatum potest totaliter tollere bonum naturæ.

Sed contra est, quod August. dicit in Enchi. quod malum non est nisi in bono: sed malum culpæ non potest esse in bono virtutis vel gratiæ, quia est ei contrarium: ergo oportet quod sit in bono naturæ: non ergo totaliter tollit ipsum.

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est, bonum naturæ quod per peccatum diminitur, est naturalis inclinatio ad virtutem, quæ quidem convenit homini ex ipso quod rationalis est. Ex hoc enim habet, quod secundum rationem operetur, quod est agere secundum virtutem. Per peccatum autem non potest totaliter ab homine tolli, quod sit rationalis, quia jam non esset capax peccati: unde non est possibile, quod prædictum naturæ bonum totaliter tollatur. Cum autem inveniatur hujusmodi bonum continue dimini per peccatum, quidam ad hujus manifestationem usi sunt quodam exemplo, in quo invenitur aliquid finitum in infinitum dimini, tamen nunquam totaliter consumi. Dicit enim Philosophus in 1 Physic. quod si ab aliqua magnitudine finita, continue auferatur aliquid secundum eandem quantitatem, totaliter tandem consumetur, puta, si a quacunque quantitate finita semper subtraxero mensuram palmi. Si vero fiat subtractio secundum eandem proportionem, et non secundum eandem quantitatem, poterit in infinitum subtrahi, puta, si quantitas dividatur in duas partes, et a dimidio subtrahatur dimidium, ita poterit in infinitum procedi, ita tamen quod

semper quod posterius subtrahitur, erit minus eo quod prius subtraheretur. Sed hoc in proposito non habet locum, non enim sequens peccatum minus diminit bonum naturæ, quam præcedens, sed forte magis, si sit gravius. Et ideo est dicendum, quod prædicta inclinatio intelligitur ut media inter duo: fundatur enim sicut in radice in natura rationali, et tendit in bonum virtutis, sicut in terminum et finem. Dupliciter igitur potest intelligi ejus diminutio. Uno modo ex parte radicis: alio modo ex parte termini: Primo quidem modo non diminuitur per peccatum, eo quod peccatum non diminit ipsam naturam, ut supra dictum est: diminuitur secundo modo, in quantum scilicet ponitur impedimentum pertingendi ad terminum. Si autem primo diminueretur, oporteret quod quandoque totaliter consumeretur, natura rationali totaliter consumpta. Sed quia diminuitur ex parte impedimenti, quod apponitur, ne pertingat ad terminum, manifestum est quod dimini quidem potest in infinitum, quia in infinitum possunt impedimenta apponi, secundum quod homo potest in infinitum addere peccatum peccato: non tamen potest totaliter consumi, quia semper manet radix talis inclinationis, sicut patet de diaphano corpore, quod quidem habet inclinationem ad susceptionem lucis ex hoc ipso quod est diaphanum: diminuitur autem inclinatio velabilitas ex parte nebularum supervenientium, cum tamen semper maneat in radice nature.

Ad primum ergo dicendum, quod objectio illa procedit, quando fit diminutio per subtractionem: hic autem fit diminutio per appositionem impedimenti, quod neque diminit radicem inclinationis, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod inclinatio naturalis est quidem tota uniformis: sed tamen habet respectum et ad principium, et ad terminum, secundum quam diversitatem quodammodo diminuitur, et quodammodo non diminuitur.

Ad tertium dicendum, quod etiam in damnatis manet naturalis inclinatio ad virtutem, alioquin non esset in eis remorsus conscientie: sed quod non reducat in actum, contingit quia deest gratia secundum divinam justitiam, sicut etiam in cæco remanet aptitudo ad videndum in ipsa radice naturæ, in quantum est animal naturaliter habens visum: sed non reducit in actum, quia deest causa, quæ reducere possit formando organum quod requiritur ad videndum.

*Conclusio est negativa.*

*Commentarius.*

1. Doctrina hujus et præcedentis articuli sæpe in superioribus usi sumus: quia multoties necessitas ejus occurrit: nunquam tamen ex professo illam explicuimus: et ideo in præsentiarum, ubi propriam sedem habet, debita est major elucidatio. Pro qua nota, naturæ rationali ex eo quod rationalis est, inditam esse non modo capacitatem, sed etiam inclinationem et propensionem ad bonum virtutis, quod est bonum rationis: per se enim consequitur unamquamque naturam inclinatio ad bonum consonum et proportionatum tali naturæ: naturæ autem rationali, quæ ratione regitur, per se consonat bonum ipsius rationis. Prædicta autem inclinatio alia est remota et radicalis, alia vero proxima respiciens immediate bonum, in quod inclinatur. Ex quibus illa prior non differt ab ipsa substantia animæ rationalis ut habet rationem naturæ et principii mediati operationum rectarum. Posterior vero invenitur in potentiis, quæ ab illa dimanant, ut principia proxima et im-

Natura-  
lis incli-  
natio du-  
plex.

mediata prædictarum operationum. Sunt vero hujusmodi potentiæ non tantum voluntas et intellectus, ut aliqui existimant, sed etiam appetitus sensitivus, quatenus in homine percipiat aliquid ordinis rationis, juxta dicta disput. 10, dub. 2. Quamvis enim prædictum participium imperfectum sit, utcunque tamen inclinatur ad sequendum rationis ductum, et ad bonum honestum: utque hæc inclinatio sit completa, adduntur postea habitus moralium virtutum, quæ in tali appetitu subjectantur.

2. Sed an ea inclinatio ad bonum sit aliqua ratio ex natura rei distincta ab earum entitate, vel potius identificentur cum illa cum sola virtuali distinctione, vix est qui dubitet: imo fere omnes hoc posterius supponunt: cum tamen illud prius probabilitate non careat; non tantum respectu appetitus sensitivi, cui illa participatio, ex qua diximus inclinari ad bonum rationis, absolute est accidentalis; sed etiam respectu voluntatis et intellectus, quibus per se convenit prædicta inclinatio: de quo vide, si placet, quæ diximus in tractatu de virtutibus. disp. 2, dub. 3. Ad præsens autem sufficit distinctio virtualis consistens in eo quod potentia præcise in ratione potentiæ solum dicit commensurationem essentialem cum objecto, et ordinem ad illud secundum se abstrahendo a proportionem vel impropotionem, facilitate vel difficultate etc. In ratione vero naturalis inclinationis dicitur aptitudinem, habilitatem, atque propensionem ad illud attingendum.

Asserit itaque D. Thomas in 1 art. hu-  
jus quæstionis, quod etsi per peccatum non destruantur neque diminuantur prædictæ potentiæ ut potentiæ sunt; diminuitur tamen earum inclinatio etabilitas ad bonum: quia per quemlibet actum peccaminosum relinquitur in potentia eliciente aliqua dispositio inclinans ad similes actus: quæ sane inclinatio cum sit ad oppositum virtutis, retardat et quasi elongat inclinationem naturalem, qua potentia tendit in bonum ipsius virtutis. In 2 vero articulo asserit, quod licet prædicta inclinatio diminuat juxta multitudinem et gravitatem peccatorum, adeoque magis diminuat per peccata gravia quam per levia, et magis per plura quam per unicum; nunquam tamen manente subjecti natura, potest totaliter corrumpi, etiamsi peccata in infinitum syncategorematicè augeantur.

3. Cujus ratio sumitur ex modo quo fit prædicta diminutio. Dupliciter enim fieri potest

Quid d  
ejus  
distinctio

D.Tho  
Quali  
poss  
vel n  
pos  
dimin

Ra  
pra  
dent



potest ut inclinatio alicujus potentia dimi-  
nuatur: nimirum vel ex parte subjecti,  
subtrahendo ab eo aliquid entitatis vel in-  
tentionis, sicut diminuuntur habitus, quan-  
do remittuntur: vel potest fieri ex parte  
termini, integra manente subjecti entitate,  
quatenus supervenientibus aliquibus impe-  
dimentis, potentia removetur ab attingentia  
vel consequutione termini, in quem erat  
inclinata: quo enim potentia ratione impe-  
dimentorum magis fuerit ab aliquo actu  
impedita et remota, eo fit minor inclinatio  
etabilitas ejus ad talem actum. Quod recte  
explicuit D. Thomas 4 contra gentes cap.

112, ubi sic ait: *Subjectum autem fit minus  
potentia ad formam non quidem per solam  
subtractionem alicujus partis subjecti, per hoc  
quod aliqui pars potentia subtrahatur, sed  
per hoc quod potentia impeditur per contra-  
rium actum, ne in actum formæ exire possit,  
sicut subjectum tanto est minus potentia fri-  
gidum, quanto in eo magis calor augetur.*  
Quando ergo diminutio fit primo modo, in  
tantum poterit inclinatio diminui, ut tan-  
dem ex toto corrumpatur; quia cum ejus  
entitas sit limitata, oportet ut per conti-  
nuam subtractionem aliquotarum partium  
tandem tota entitas auferatur, et inclinatio  
non remaneat. Quando vero fit secundo  
modo, nequit inclinatio ex toto deficere,  
etiamsi semper diminuatur per impedimen-  
ta, quæ continuo superveniant: quia nul-  
lum diminuens aufert aliquid entitatis; hac  
autem permanente, permanere etiam debet  
inclinatio, quæ fundatur in illa, et ab ea  
quasi nutritur et conservatur.

4. Porro inclinationem de qua loquimur,  
non diminui per peccatum ex parte sub-  
jecti, diminui vero ex parte termini modo  
dicto; nec tandem posse totaliter corrumpi  
permanente natura rationali, probant rati-  
ones utriusque articuli, quas latius prose-  
quitur D. Thomas in 2, dist. 34, art. 5, ibi-  
demque ad Anibald. art. 4, necnon de Malo  
quæst. 2, art. 2, ejus verba adducemus,  
quia rem optime declarant. *Habilitas* (inquit)  
*diminui potest dupliciter, uno modo per sub-  
tractionem, alio modo per contrarii positio-  
nem. Per subtractionem quidem, sicut aliquod  
corpus est habile ad calefaciendum per calo-  
rem quem habet: unde diminuto calore dimi-  
nuiturabilitas calefaciendi. Per appositio-  
nem autem contrarii, sicut aqua calefacta  
habet naturalem aptitudinem vel habilitatem  
ad infrigidationem: sed quanto plus fuerit  
appositum de calore tanto minuiturabilitas  
ad frigus. Hic enim modus diminutionis, qui*

*Salmant. Curs. theol., tom. VIII.*

*est per appositionem contrarii, magis habet  
locum in potentiis passivis et receptivis: pri-  
mus autem modus in potentiis activis, quam-  
vis uterque modus in utrisque potentiis aliqua-  
liter inveniri possit. Quando ergo est diminutio  
habilitatis per subtractionem, tunc totaliter  
abilitas potest auferri, ablato eo quod habi-  
litem causabat: quando vero abilitas di-  
minuitur per appositionem contrarii, tunc  
considerandum est, utrum appositio contrarii  
exercens possit corrumpere subjectum aut  
non: si enim potest corrumpere subjectum,  
potest totaliter abilitas tolli, sicut tantum  
potest augeri calor in aqua, quod corrumpitur  
aqua et sic totaliter tollitur abilitas quæ  
speciem aquæ consequatur. Si autem per  
appositionem contrarii quantumcunque mul-  
tiplicetur, non possit subjectum corrumpi,  
semper quidem minuetur abilitas contrario  
apposito crescente; nunquam tamen totaliter  
tolletur propter permanentiam subjecti, in quo  
radicatur talis abilitas: sicut quantumcun-  
que calidum cresceret non tolleretur aptitudinem  
materie primæ, quæ est incorruptibilis ad for-  
mam aquæ. Manifestum est autem quod ha-  
bilitas nature rationalis ad gratiam est sicut  
potentie susceptivæ, et quod talis abilitas  
naturam rationalem consequitur in quantum  
hujusmodi. Dictum est autem supra, quod di-  
minutio hujus abilitatis est per appositionem  
contrarii, dum scilicet creatura rationalis  
avertitur a Deo per conversionem ad contra-  
rium. Unde cum natura rationalis sit incor-  
ruptibilis et non desinat esse quantumcunque  
peccatum multiplicetur, consequens est quod  
abilitas ad bonum gratiæ semper diminuatur  
per appositionem peccati: ita tamen quod  
nunquam totaliter tollatur. Et sic in propo-  
sito diminutio procedit in infinitum per oppo-  
situm ad appositionem: sicut in continuis e  
converso appositio fit in infinitum per oppo-  
situm ad divisionem dum quod uni lineæ sub-  
trahitur, alteri apponitur.*

5. Possunt vero in præsentī nonnulla  
inquiri. Primo an prædicta diminutio lo-  
cum habeat non solum in inclinatione  
proxima, quæ est in potentiis, sed etiam in  
radicali, quæ est in anima? Secundo an  
non solum in inclinatione naturali, quæ est  
respectu boni honesti naturalis ordinis, sed  
etiam in inclinatione vel habilitate obe-  
dientiali ad recipiendam gratiam, et alia  
supernaturalia dona? Tertio an non solum  
inclinatio potentiarum, sed etiam inclinatio  
virtutum ad suos actus possit prædicto mo-  
do diminui? Quarto an ea diminutio sive  
in potentiis sive in virtutibus, dicenda sit

Interro-  
gantur  
nonnul-  
la.

intrinsicæ, vel extrinsicæ : seu an denominatio quam tribuit potentiis, vel habitibus, sit denominatio intrinsicæ? Quanto an eo modo quo prædicta inclinatio diminuitur per peccata, augeatur per eorum ablationem, et per virtutum adventum. Ex alia quoque parte potest inquiri, quænam peccata causent prædictam diminutionem : an solum peccata commissionis, vel etiam venialia? solum personalia, vel etiam originalia? Quibus omnibus breviter occurremus.

6. Ad primum ergo respondetur affirmative : nam inclinatio radicalis dicitur per ordinem ad proximam, et in ordine ad attingendum terminum non ponit in numero cum illa : unde impedita vel diminuta inclinatione proxima, eo ipso radicalis impedita vel diminuta censetur. Ad secundum etiam respondetur affirmative. Quia etsi D. Thomas in præsentis non meminerit inclinationis vel habilitatis ad bona supernaturalia ; id tamen expresse docet in 2, dist. citata, et citato loco de Malo, ubi sermo est de habilitate ad gratiam, ut vidimus ex ejus verbis in quibus etiam redditur ratio prædictæ diminutionis.

Ad tertium respondetur primo sustinendo partem affirmativam cum Medina, et Curiel super hunc artic. quia etiam habitus virtutum retardantur a suis actibus per peccata supervenientia, propter contrarios habitus vel dispositiones, quæ per illa generantur. Et in hoc ipso diminuitur extrinsece et quodammodo promptitudo et habilitas virtutum, quatenus diminutio habilitatis potentiæ veluti refunditur in illas. Possuntque sub hac lege comprehendi non tantum virtutes acquisitæ, sed etiam charitas et aliæ virtutes infusæ, ut comprehendunt authores citati. Et hac probabili solutione uti sumus supra disp. 4, num. 8. Habet autem locum respectu virtutum infusarum in solis peccatis venialibus ; quia mortalia non diminuunt, sed destruunt totaliter prædictas virtutes. Quod vero D. Thom. et communiter Theologi negant peccata, loquendo etiam de venialibus, diminuere virtutes infusas, intelligendum est de diminutione intrinsicæ, et ex parte subjecti, quæ fit per subtractionem alicujus realitatis, vel alicujus gradus intensionis ; non tamen de hac diminutione ex parte termini, et quasi extrinsicæ. Quoad virtutes autem acquisitas observandum est, eas diminui hoc modo per peccata tam mortalia, quam venialia, ex quocumque capite venialia sint : cæte-

rum quando sunt mortalia, vel venialia solum ex genere, adest simul cum hac diminutione ex parte termini illa alia ex parte subjecti : quia prædicta peccata generant habitus vitiosos, ad quorum intensionem ipsæ virtutes intensionem suam amittunt, et remittuntur. Diximus *venialia solum ex genere*, etc. quia quæ sunt talia vel ex defectu plenæ deliberationis, vel ex materiæ parvitate non generant prædictos habitus : et ideo ad summum potuerunt diminuere ex parte termini.

7. Secundo cum eodem Medina, Vasquez disp. 137, cap. 3, Montesinos disp. 16, quæst. 1, et aliis, respondetur negative. Disparitas vero est : quia peccata non recipiuntur in habitibus virtutum, neque in eis relinquunt aliquam inclinationem ad malum : recipiuntur autem in ipsa potentia, verbi gratia in voluntate, relinquuntque in ea prædictam inclinationem : unde sicut sola potentia afficitur in seipsa prædictis impedimentis inclinaturque ad malum ; ita sola illa, non vero habitus virtutum amittunt per talia impedimenta aliquid propriæ inclinationis ad bonum. Et quamvis diminuta inclinatione potentiæ, non ita facile virtutes in suos actus prorumpant ; non tamen hæc minor facilitas refundi debet in ipsas virtutes, quasi iis aliquid suæ inclinationis deficiat, sed in solam potentiam : sine cujus usu et exercitio nequeunt virtutes operari.

8. Ad quartum respondetur, quod etsi prædicta diminutio communiter appelletur *extrinsicæ*, quia nihil subtrahit entitatis ; et sit per connotationem impedimenti quasi extrinseci : revera tamen denominatio ejus est intrinsicæ potentiæ. Nam sicut ante adventum peccati potentia per seipsam, et per id quod est sua entitas, tanquam per formam denominantem in recto, dicebatur valde inclinata ad bonum, quamvis ad hanc denominationem debeat connotari remotio extrinseci impedimenti : ita post peccati adventum dicitur *magis remota*, seu *minus inclinata* ; non per ipsum peccatum immediate et in recto, sed per id quod potentia habet ex se, quodque est sua entitas, connotando tamen in obliquo impedimentum peccati : atque adeo utraque denominatio est intrinsicæ, sicut forma a qua provenit in recto. Unde quoties prædicta inclinatio transit a majori in minorem, seu a diminuta in diminutam, vel e contra, quamvis non varietur intrinsicæ in esse rei, quia nihil entitatis accipit, vel amittit ; variatur tamen intrinsicæ in ratione et munere inclinationi,

Respondetur ad primum.

Ad secundum.

D. Thom.

Ad tertium, Medina, Curiel.

Alia soluti Medina Vasquez Monte

Soluti ad quæstionem

nationis, et in esse denominativo, transiens ab una denominatione intrinseca ad aliam similiter intrinsecam. Neque hoc est novum, sed sæpe contingit, ut invariata rei entitate amittat vel recipiat de novo aliquam intrinsecam denominationem, juxta doctrinam quam tradidimus supra disp. 12, num. 23, et cernitur in materia prima; quæ a propria entitate tanquam a ratione denominante in recto dicitur *desiderans formam ad quam disponitur*, antequam illam habeat; ubi vero eam recipit, amittit prædictam denominationem, et accipit aliam nimirum *complacentis in tali forma*, estque utraque denominatio intrinseca, utpote desumpta ex propria entitate; cujus tamen nihil accipit materia, vel amittit per mutationem prædictarum denominationum. Suntque plura alia hujus rei exempla, quæ disput. citata et alibi tetigimus.

Ad quintum. 9. Ad quintum respondetur affirmative cum Montes. et aliis: quia non est major ratio, ut positus impedimentis retardantibus inclinationem ad bonum, talis inclinatio dicatur *diminui*, quam ut ablatis illis *augeri*, et in priorem statum redire. Præsertim cum neque in augmento neque in diminutione prædictæ inclinationis addatur vel tollatur aliquid in esse rei; sed solum sit mutatio denominationum et munium, ad quam sufficit diversa connotatio.

Ad ea quæ pro alia parte dubitantur. D. Thom. In aliis quæ pro secunda parte inquiruntur fecit rationem dubitandi D. Thomas in præcedenti artic. reddens enim rationem, cur peccatum diminueat inclinationem ad bonum, sic ait: *Per actus enim humanos fit quædam inclinatio ad similes actus, ut supra habitum est: oportet autem quod ex hoc quod aliquid inclinatur ad unum contrarium, diminuat inclinatio ejus ad aliud*, etc. Hæc autem ratio solum videtur habere locum in peccatis commissionis actualibus, quæ in actu consistunt, non vero in omissionibus, neque in peccato originali, quæ consistunt in privatione. Neque etiam prædicta ratio procedere videtur in peccatis venialibus: quia hæc non sunt contraria respectu virtutis, sed sunt aliquid præter virtutem.

Quid de peccatis venialibus, et de peccato omissionis. 10. Respondetur tamen, in omnibus prædictis peccatis habere locum doctrinam traditam, quamvis diversimode. Nam peccata venialia sicut non repugnant virtutibus simpliciter, sed secundum quid, ita hoc dumtaxat modo diminuunt inclinationem ad illas et ad bonum honestum. Hæc autem qualis qualis diminutio non est cur eis de-

negetur: præsertim cum per peccata venialia possit generari aliqua inclinatio vitiosa saltem per modum dispositionis, quæ absque dubio retardat aliquid inclinationum circa bonum. Peccata autem mortalia quia simpliciter bono honesto repugnant, simpliciter etiam diminuunt inclinationem ad ipsum. Neque apud nos locum habet ratio dubitandi pro peccatis omissionis: quia censemus hujusmodi peccata indispensabiliter afferre actum, qui sit causa omittendi: et per hujusmodi actum non minus quam per peccata commissionis potest produci inclinatio vitiosa, juxta dicta supra disp. 5, dub. 1. Si autem per possibile vel impossibile admittatur pura ommissio, adhuc nihil contra nos. Tum quia satis est conclusionem D. Thomæ verificari regulariter et ut in pluribus; quamvis in aliquo casu raro, uti esset casus puræ omissionis, oppositum contingeret, juxta id quod Angelicus Doctor observat quæst. præcedenti art. 1 et 3. Tum etiam quia adhuc in illo casu peccatum omissionis averteret a Deo fine ultimo tam naturali quam supernaturali, saltem ex consequenti, et hæc aversio impediret voluntatem, ne illa manente exire posset in actum dilectionis Dei super omnia, etiam ut finis naturalis: in quem tamen natura sua exire posset saltem pro parvo tempore, aversione seclusa. Hujus tamen solutionis doctrina alibi examinanda est.

11. Major est difficultas circa peccatum originale, quod nullo modo importat actum, sed solam privationem originalis justitiæ, nihilque positivum confert homini, quod ipse naturæ suæ relictus non haberet? atque ita non apparet, quod apponat impedimentum inclinationi ad bonum, per quod illam diminueat. Quocirca probabile nobis est, D. Thomam non tribuere hujusmodi effectum peccato originali, sed solis actualibus, quorum dumtaxat, non vero originalis meminit in isto articulo. Quin etiam artic. 3 sequenti exponit, se in præsentī loquutum fuisse de peccatis actualibus, ut constat ex illis, quæ habet in fine corporis: *Sed quia inclinatio ad bonum virtutis in unoquoque diminuitur per peccatum actuale, ut ex dictis patet*, etc. scilicet in hoc et præcedenti articulo. Accedit quod cum in eodem articulo præcedenti ageret D. Thomas de alio effectu, qui est privatio originalis justitiæ, tribuit illum peccato originali; cum vero agit de isto, qui est diminuere inclinationem ad bonum, non jam meminit originalis, sed peccati ut sic dumtaxat: *Natura-*

*lis inclinatio ad virtutem (inquit) diminuitur per peccatum.* Utque insinuaret, se loqui solum de actuali quod vel est actus, vel illum secum affert, prosequitur: *Per actus enim humanos fit quædam inclinatio, etc.* Quæ omnia satis persuadent vel D. Thomam noluisse tribuere peccato originali prædictum effectum, vel saltem de hoc non curasse: atque adeo aliunde quam ex doctrina præsentium articulorum venandum esse quid circa hoc sit tenendum. Non est autem difficile explicare, qualiter etiam prædictum peccatum diminuatur inclinationem, de qua loquimur. Vel sustinendo id quod in casu puræ omissionis dicebamus de aversione a Deo, quæ aversio etiam habet locum in peccato originali. Vel asserendo hujusmodi peccatum efficere in nobis aliquam inclinationem ad malum, et renitentiam ad bonum, non directe et per se; sed indirecte tanquam removens prohibens, juxta dicta disput. præcedenti num. 31 et 34. Quia enim prædictum peccatum abstulit originalem justitiam, cujus fræno potentiæ hominis ab inordinatis motibus compescebantur, et a malo prohibebantur, consequenter fuit causa hoc modo, nimirum sicut removens prohibens, ut prædictæ potentiæ effrenate in sua objecta tendant, et in motus illicitos prorumpant, maneatque proinde debilitatæ et minus habiles ad bonum honestum. Quæ est doctrina D. Thomæ supra quæst. 82, artic. 1, ad tertium et ad Rom. 5, lec. 3, potestque etiam videri art. 5 hujus quæstionis. Et Cajet. in comment. sequentis artic. 3.

## ARTICULUS III.

*Utrum convenienter ponantur vulnera naturæ ex peccato consequentia, infirmitas, ignorantia, malitia et concupiscentia.*

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod inconvenienter ponantur vulnera naturæ ex peccato consequentia, scilicet infirmitas, ignorantia, malitia et concupiscentia. Non enim idem est effectus, et causa ejusdem: sed ista ponuntur causæ peccatorum, ut ex supra dictis patet; ergo non debent poni inter effectus peccati.

2. Præterea: Malitia nominatur quoddam peccatum: non ergo debet poni inter effectus peccati.

3. Præterea: Concupiscentia est quiddam naturale, cum sit actus virtutis concupiscibilis: sed illud quod est naturale non debet poni vulnus naturæ: ergo concupiscentia non debet poni vulnus naturæ.

4. Præterea: Dictum est quod idem est peccare ex infirmitate et ex passione: sed concupiscentia passio quædam est: ergo non debet contra infirmitatem dividi.

5. Præterea: Aug. in lib. de Natura et grat. ponit duo pœnalia animæ peccanti, scilicet ignorantiam et difficultatem, ex quibus oritur error et cruciatus, quæ quidem quatuor non concordant istis quatuor: ergo videtur quod aliter eorum insufficienter ponatur.

In contrarium autem est auctoritas Bedæ.

Respondeo dicendum, quod per justitiam originalem perfecte ratio continebat inferiores animæ vires, et ipsa ratio a

Deo perficiebatur ei subjecta. Hæc autem originalis justitia subtracta est per peccatum primi parentis, sicut jam dictum est: et ideo omnes vires animæ remanent quodammodo destitutæ proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem: et ipsa destitutio vulneratio dicitur naturæ. Sunt autem quatuor potentiæ animæ, quæ possunt esse subjecta virtutum, ut supra dictum est, scilicet ratio, in qua est prudentia: voluntas, in qua est justitia: irascibilis in qua est fortitudo: concupiscibilis, in qua est temperantia. In quantum ergo ratio destituitur suo ordine ad verum, est vulnus ignorantia: in quantum vero voluntas destituitur ordine ad bonum, est vulnus malitiæ: in quantum vero irascibilis destituitur suo ordine ad arduum, est vulnus infirmitatis: in quantum vero concupiscentia destituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, est vulnus concupiscentia. Sic igitur ista quatuor sunt vulnera inflicta toti humanæ naturæ ex peccato primi parentis. Sed quia inclinatio ad bonum virtutis in unoquoque diminuitur per peccatum actuale, ut ex dictis patet, etiam ista sunt quatuor vulnera ex aliis peccatis consequentia, in quantum scilicet per peccatum et ratio hebetatur præcipue in agendis, et voluntas induratur ad bonum, et major difficultas bene agendi accrescit, et concupiscentia magis exardescit.

Ad primum ergo dicendum, quod nihil prohibet id quod est effectus unius peccati, esse alterius peccati causam. Ex hoc enim quod anima deordinatur per peccatum præcedens, facilius inclinatur ad peccandum.

Ad secundum dicendum, quod malitia non sumitur hic pro peccato, sed pro quadam pronitate voluntatis ad malum, secundum quod dicitur Genes. 6. Proni sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua.

Ad tertium dicendum, quod sicut supra dictum est, concupiscentia in tantum est naturalis homini, in quantum subditur rationi: quod autem excedat limites rationis, hoc est homini contra naturam.

Ad quartum dicendum, quod infirmitas communiter potest dici omnis passio, in quantum debilitat robur animæ, et impedit rationem: sed Beda accepit infirmitatem strictè, secundum quod opponitur fortitudini, quæ pertinet ad irascibilem.

Ad quintum dicendum, quod difficultas quæ ponitur ab Augustino includit ista tria, quæ pertinent ad appetitivas potentias, scilicet malitiam, infirmitatem, et concupiscentiam. Ex his enim tribus contingit, quod aliquis non facile tendit in bonum: error autem et dolor sunt vulnera consequentia. Ex hoc enim aliquis dolet, quod infirmatur circa ea quæ concupiscit.

Prima conclusio: *Quatuor sunt vulnera naturæ inflicta ex peccato primi parentis juxta numerum potentiarum animæ, quæ sunt subjecta virtutum, scilicet ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, infirmitas in irascibili, et concupiscentia in concupiscibili.*

Secunda conclusio: *Eadem quatuor vulnera causant suo modo cætera peccata, quatenus diminuunt naturalem inclinationem ad bonum.*

## Commentarius.

1. Vulgare est in tota Scriptura, hominem per peccatum infirmatum fuisse, viribus attenuatum, vulneribusque percussum. Unde Isaïæ 1, dicitur: *Omne caput languidum, et omne cor mœrens, a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas, vulnus et livor, et plaga tumens.* Et Psal. 40: *Sana animam meam, quia peccavi tibi. Ubi* D. Augustinus: *Quid sanatur (inquit) si nihil*

Isae. 1.

Psal. 40

August.

Luc. 10. *hil est vulneratum, nihil sauciatum, nihil debilitatum atque vitiatum?* Quo etiam allusit Christus Dominus Luc. 10, in parabola hominis descendentis a Jerusalem in Jericho, de quo ait incidisse in latrones, qui expoliaverunt eum, et plagis impositis abierunt semivivo relicto. Quem locum D. Ambrosius, Beda, glossa, et communiter interpretes intelligunt de primo homine, qui per peccatum in quod incidit, privatus et destitutus fuit donis justitiæ originalis, vulneratusque et percussus in suis potentiis. Indeque receptum est apud Theologos velut commune axioma, *hominem per peccatum expoliatum fuisse gratuitis, et vulneratum in naturalibus.* Unde conclusio D. Thomæ ab omnibus recipitur : eamque optime declarat, et suadet in corpore articuli. Ubi etiam redditur ratio quaternarii numeri prædictorum vulnerum, insinuatque sufficienter, cur defectus illi ex peccato in potentiis provenientes *vulnera* dicantur. Sicut enim in corpore humano *vulnus* dicitur, quando inter partes continuatas et unitas fit aliqua ruptio vel divisio, ita in anima merito appellatur *vulnus* ruptio illa vel divisio, quæ per peccatum in ejus potentiis facta fuit, dum ab ordine rationis, cui per justitiam originalem erant perfecte unitæ, fuerunt divisæ et separatæ per destitutionem prædicti ordinis.

Unde dicta vulnera naturæ.

Ubi sub jectetur.

2. Ubi observandum est, non poni prædicta vulnera in ipsa animæ substantia, ubi est originale peccatum ; sed in potentiis, ubi sunt ejus effectus : quia ipsum peccatum secundum suam essentiam, vel secundum illud quod de materiali importat in ipsa anima non ita apte diceretur *vulnus* ; sed vocatur *infirmetas vel languor naturæ*, ut habetur supra quæst. 82, art. 1, quia per illud totus homo infirmatur et languescit : vulnera autem dicuntur peculiares quidam defectus, qui in aliis partibus consequuntur, velut quædam infirmitates particulares. Sicut enim non appellamus *vulnus* febrim, qua totum animal laborat, quæque residet in corde, ubi est principium vitæ ; sed vocamus illam *languorem et infirmitatem* : vulnera vero sunt quibus læditur hæc vel illa pars determinata : ita respectu peccati id quod inficit substantiam animæ, ubi est principium supernaturalis vitæ, et quæ pro toto homine supponit, non debuit appellari *vulnus*, sed *languor et infirmitas* : nomen autem *vulneris* relinqui debuit illis defectibus, quibus partes ipsius animæ, scilicet potentiæ deordinantur et læduntur.

Secundum quam vero acceptionem sumantur in præsentī nomina *malitiæ, infirmitatis, et concupiscentiæ*, ne cum aliis significationibus prædictorum nominum confundantur, exponit D. Thomas in solutionibus argumentorum.

3. Unum superest declarandum, in quo est aliqua difficultas, videlicet quo pacto ea quæ diximus, dicantur *vulnera naturæ* : aut qua ratione homo juxta commune axioma dicatur vulneratus in naturalibus per peccatum, cum nihil naturalis perfectionis amiserit ; gratuitis vere, quæ amisit non dicatur *vulneratus* sed *expoliatus et destitutus* ? Præsertim cum verificari simul debeat aliud axioma sumptum ex D. Dionysio, quod *naturalia tam in Adamo quam in homine manserunt integra post peccatum* : et ideo juxta valde communem sententiam homo in natura lapsa non habet minores vires, nec minus aliquid perfectionis, quam haberet in pura natura : si ergo naturalia manent integra, et eodem modo ac tunc essent, quo pacto dici potest homo in illis vulneratus.

Dubitatio.

Dionysius.

Ad hanc dubitationem posset occurri cum aliquibus, hominem dici vulneratum in naturalibus, non quia amiserit aliquid illius perfectionis, quæ ex propria natura sibi debetur ; sed quia dona justitiæ originalis, quæ amisit erant valde consona et convenientia tali naturæ, et hac ratione possunt dici *naturalia*. Sed hæc solutio non placet, quia non distinguit naturalia a gratuitis, neque illa in quibus homo dicitur *vulneratus*, ab his quibus expoliatus remansit : quæ tamen distinguenda esse ostendit supra dictum axioma.

Prima solutio.

4. Quare secundo respondetur, animadvertendo justitiam originalem ultra perfectionem supernaturalis ordinis, quæ est per gratiam et virtutes infusas, contulisse homini quandam aliam perfectionem ordinis naturalis, per quam intra hunc ordinem et respectu naturalis finis rectificabantur potentiæ, et uniebantur rationi, ac sub regula ejus continebantur (sive hæc perfectio esset aliquis habitus vel qualitas completa, sive dumtaxat modus superadditus habitibus aut potentiis). Et licet prædicta perfectio non esset naturaliter debita humanæ naturæ, neque ab ea dimanans, sed illi gratis concessa : et hac ratione dici posset *supra talem naturam* : absolute tamen dicenda erat *perfectio naturalis*, quia non erat aliquid supernaturalis ordinis, neque naturalem omnino superexcedebat. Juxta

quam doctrinam (quæ est satis verosimilis, neque efficaciter impugnabitur) ad dubitationem respondetur, hominem dici *vulneratum in naturalibus*, propter amissionem hujusmodi naturalis perfectionis: dici vero *expoliatum gratuitis*, propter amissionem gratiæ, et cæterorum bonorum supernaturalium: Axioma vero quod *naturalia post peccatum manserunt integra*, intelligendum, erit non de omnibus, quæ continentur intra naturalem ordinem; sed de illis tantum quæ humanæ naturæ ex suis principiis debentur, quæque haberet condita in puris absque justitia originali et quovis alio sibi debito.

Melior solutio.

5. Tertio et forte melius respondetur, prædicta vulnera non consistere in amissione alicujus perfectionis non debitæ, etiam naturalis ordinis; sed in diminutione inclinationis ad bonum, quam explicuimus artic. præced. Illa enim inclinatio et ejus augmentum in recto non erat aliquid distinctum separabile ab entitate potentiarum: sed ab ipsamet entitate, connotando absentiam peccati et assistentiam gratiæ et virtutum, dicebatur talis inclinatio *aucta et major* quam sine illis: ab eademque entitate, connotando absentiam gratiæ et virtutum peccatique assistentiam, dicitur *diminuta et minor*: fitque hoc totum sine subtractione alicujus realitatis per appositionem impedimentorum modo supra explicato. Igitur hominem per peccatum expoliatum fuisse gratuitis, nihil aliud est, quam quod amiserit omnia dona sive naturalis sive supernaturalis ordinis collata cum justitia originali; omnia quippe gratis fuere illi concessa: esse vero vulneratum in naturalibus in eo situm est, quod in ipsa inclinatione ad bonum debita naturæ, et ex ejus principiis orta, passus sit læsionem et detrimentum per supradictam diminutionem. Quæ diminutio recte dicta est *vulnus*, quia sicut per corporale vulnus partes corporis patiuntur divisionem et separationem inter se; ita per prædictam diminutionem potentiæ separantur et dividuntur ab ordine et rectitudine rationis, cui per inclinationem naturalem et ejus augmentum erant conjunctæ et unitæ. Sicque ex omni capite commune axioma verificatur. Salvaturque etiam aliud, quod dicitur *naturalia permansisse integra*; quia ex parte recti et in esse entis nihil ab eis sublatum est per prædictam diminutionem. Videturque hæc tertia solutio satis ad mentem D. Thomæ in hoc 3 artic. ubi reddens rationem, cur

etiam per peccata actualia prædicta vulnera inferantur, recurrit ad diminutionem quam dicimus. *Sed quia inclinatio ad bonum virtutis* (inquit) *in unoquoque diminuitur per peccatum actuale, ut ex dictis patet, etiam ista sunt quatuor vulnera ex aliis peccatis consequentia, etc.* Sentit ergo hujusmodi vulnera in prædicta diminutione consistere; de hoc tamen dicemus iterum in tract. De gratia, ibique propriam sententiam declarabimus.

6. Sed dices; in puris naturalibus non <sup>Replica.</sup> essent vulnera, cum non præcessisset peccatum ea inferens: et tamen inclinatio potentiarum ad bonum non esset ibi major, aut minus diminuta quam modo est; nec potentiæ per illam essent magis unitæ rationi: ergo non recte explicamus vulnera per prædictam diminutionem.

Respondetur negando consequentiam: <sup>Diluitur.</sup> nam ut observat Montes. <sup>Montes.</sup> de ratione vulneris est, ut dividat et separet inter ea, quæ prius erant unita; vel saltem debuerunt uniri; unde eadem divisio, quæ connotando præexistentem unionem extremorum, aut ejus debitum, habet rationem vulneris, hac connotatione seclusa nequit appellari *vulnus*: ut patet in divisione reperta inter digitos, quæ non est vulnus, eo quod digiti semper fuerunt divisi: si tamen aliquis nasceretur cum illis unitis et conglutinatis, nullatenus eorum divisio fieri posset sine vulnere. Ad rem igitur cum in statu puræ naturæ non præcessisset in potentiis perfecta unio cum ratione, neque talis unio fuisset debita, divisio illarum per defectum naturalis inclinationis non haberet rationem vulneris. Modo vero cum præcessisset unio propter augmentum prædictæ inclinationis, quod fuit in statu justitiæ originalis, cujus debitum semper permanet, nihil deest, quominus diminutio et minoratio talis inclinationis habeat rationem vulneris. Sicut propter eandem rationem carentia multarum perfectionum, quæ in hoc statu sunt privationes, et habent rationem mali, in statu naturæ puræ id non haberent, sed essent tantum negationes et naturales conditiones.

ARTICULUS IV.

*Utrum privatio modi, speciei et ordinis sit effectus peccati.*

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod privatio modi, speciei et ordinis non sint effectus peccati. Dicit enim Aug. in lib. de natura boni, quod ubi hæc tria magna sunt, magnum bonum est, ubi parva parvum, ubi nulla nullum: sed peccatum non annullat bonum naturæ, ergo non privat modum, speciem, et ordinem.

2. Præter. Nihil est causa sui ipsius: sed peccatum est privatio modi, speciei, et ordinis, ut Aug. dicit in lib. de Natura boni: ergo privatio modi, speciei, et ordinis non est effectus peccati.

3. Præter. Diversa peccata diversos habent effectus: sed modus, species, et ordo cum sint quedam diversa, diversas privationes habere videntur: ergo per diversa peccata privantur: non ergo est effectus cujuslibet peccati privatio modi, speciei, et ordinis.

Sed contra est, quod peccatum est in anima, sicut infirmitas in corpore, secundum illud Psal. 6. Misere mei Domine, quoniam infirmus sum: sed infirmitas privat modum, speciem, et ordinem ipsius corporis: ergo peccatum privat modum, speciem, et ordinem animæ.

Respondeo dicendum, quod sicut in primo dictum est, modus, species, et ordo consequuntur unumquodque bonum creatum in quantum hujusmodi, et etiam unumquodque ens. Omne enim esse, et bonum consideratur per aliquam formam, secundum quam sumitur species. Forma autem uniuscujusque rei, qualiscumque sit sive substantialis, sive accidentalis, est secundum aliquam mensuram: unde in 8 Metaph. dicitur, quod formæ rerum sunt sicut numeri: et ex hoc habet modum quandam, qui mensuram respicit: ex forma vero sua unumquodque ordinatur ad aliud. Sic igitur secundum diversos gradus honorum sunt diversi gradus modi, speciei et ordinis. Est ergo quoddam bonum pertinens ad ipsam substantiam naturæ, quod habet suum modum, speciem et ordinem, et illud nec privatur, nec diminuitur per peccatum. Est etiam quoddam bonum naturalis inclinationis, et hoc etiam habet suum modum, speciem et ordinem: et hoc diminuitur per peccatum, ut dictum est, sed non totaliter. Est etiam quoddam bonum virtutis et gratiæ, quod etiam habet suum modum, speciem, et ordinem: et hoc totaliter tollitur per peccatum mortale. Est etiam quoddam bonum, quod est ipse actus ordinatus, quod etiam habet suum modum, speciem, et ordinem, et hujus privatio est essentialiter ipsum peccatum. Et sic patet qualiter peccatum est privatio modi, et speciei, et ordinis, et privat vel diminuit modum, speciem, et ordinem. Unde patet responsio ad duo prima.

Ad tertium dicendum, quod modus, species, et ordo se consequuntur, sicut ex dictis patet: unde simul privantur et diminuuntur.

Prima conclusio: *Bonum quod pertinet ad substantiam naturæ, nec privatur nec diminuitur per peccatum.*

Secunda conclusio: *Bonum naturalis inclinationis diminuitur per peccatum: sed non totaliter tollitur.*

Tertia conclusio: *Bonum virtutis et gratiæ totaliter tollitur per peccatum mortale.*

Quarta conclusio: *Privatio boni, quod est ipse actus ordinatus, est essentialiter ipsum peccatum.*

*Commentarius.*

Tangit D. Thomas in hoc artic. qualiter omne bonum in modo, specie, et ordine consistat, ex professo vero id examinavit 1

D.Thom.

p. quæst. 5, art. 5, ubi videri debet. Nunc autem disquirat, qualiter diversorum bonorum privationes ad peccatum se habeant. Illudque difficultatem ingerit, quod ultimo asserit, videlicet privationem actus ordinati esse essentialiter ipsum peccatum. Quod testimonium manifestissimum videtur pro sententia asserente peccatum secundum suam essentiam non in positivo, sed in privatione consistere, sed hanc difficultatem diluimus disp. 6, dub. 3, num. 52, exponentes hunc locum de peccato omissionis, de quo non est dubium consistere in privativo: neque aliunde quam ex ipsa litera expositionem desumpsimus. Nam sermo est de privatione, quæ est carentia actus ordinati et recti, et de qua prædicatur quod est ipsum peccatum: quæ autem in peccato commissionis reperitur, non est carentia actus, sed solius rectitudinis, ut adversarii etiam fatentur: neque prædicatur de ea proprie quod sit peccatum, quia nomen *peccati* supponit pro concreto, et pro sola malitia.

Si autem objicias, quod D. Thomas intendit explicare omnes privationes boni, quæ vel sunt ipsum peccatum, vel ejus effectus: inter quas non solum continetur privatio peccati omissionis, sed etiam privatio peccati commissionis. Respondetur, S. Doctorem non loqui de qualibet privatione boni aut bonitatis, sed de privatione boni transcendentalis concretive accepti, quod cum ente convertitur; nam de hoc bono procedit corpus articuli: et de eo communiter accipitur pronuntiatum illud, sumptum ex D. Augustino lib. de natura boni cap. 3, quod *omne bonum consistit in modo, specie, et ordine*: et quod dicitur Sapient. 11: *Omnia fecisti in numero, pondere, et mensura*: de quo legendus est D. Thomas loco citato ex 1 p. ad quem in præsentem se remittit. Loquendo autem de prædicto bono non fuit opus D. Thomæ meminisse privationis in peccato commissionis repertæ: quia hæc non est carentia boni transcendentalis, et concretive dicti, cum non tollat quominus actus peccati maneat ut transcendentalis bonum; sed est privatio rectitudinis moralis, quæ communiter a transcendentali bono distinguitur, diciturque dumtaxat *bonitas*, et non *bonum* in concreto. Neque explicari solet per *modum, speciem, et ordinem*, sed alia via. Debuit vero S. Doctor mentionem facere privationis peccati omissionis, quia hæc est carentia totius actus, adeoque boni transcendentalis, et concretive

August Sap 11. D.Thom.

Cajet. dicti. Sed quamvis ejus doctrina extendere-  
tur ad privationem peccati commissionis,  
non deesset probabilis explicatio. Posset  
enim dici cum Cajetano in præsentī D. Tho-  
mam loqui de peccato non ut est in genere  
actus moralis, atque adeo non quoad pro-  
priam speciem, et essentiam peccati, sed  
ut est in genere mali absolute dicti: quo  
pacto privatio rectitudinis potest dici *essen-*  
*tialis*, quamvis supponat malitiam positi-  
vam ut constituentem peccatum in sua ra-  
tione primaria, juxta dicta disp. citata,  
num. 48. Vel posset dici cum Joanne a  
S. Thoma supra quæst. 18, disp. 9, artic. 2,  
ly *essentialiter* posse intelligi pro eo quod  
est *intrinsecum*, et invenitur in ipsa enti-  
tate, et substantia actus peccaminosi, licet  
non sit ut ratio constitutiva, sed ut modus  
consequutus: sicut in homine negatio la-  
pidis potest dici essentialis, non quia sit  
ratio constituens, sed quia est quasi imbi-  
bita in ipsa essentia.

## ARTICULUS V.

*Utrum mors, et alii corporales defectus sint effectus peccati?*

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod mors, et alii defectus corporales non sint effectus peccati. Si enim causa fuerit æqualis, et effectus erit æqualis: sed hujusmodi defectus non sunt æquales in omnibus, sed in quibusdam hujusmodi defectus magis abundant, cum tamen peccatum originale sit in omnibus æquale, sicut dictum est, cujus videntur hujusmodi defectus maxime esse effectus: ergo mors, et hujusmodi defectus non sunt effectus peccati.

2. Præter. Remota causa, removetur effectus: sed remoto omni peccato per baptismum vel penitentiam non removetur hujusmodi defectus: ergo non sunt effectus peccati.

3. Præter. Peccatum actuale habet plus de ratione culpæ, quam originale: sed peccatum actuale non transmutat naturam corporis ad alium defectum: ergo multo minus peccatum originale: non ergo mors, et alii defectus corporales sunt effectus peccati.

Sed contra est, quod Apostolus dicit Rom. 5: Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors.

Respondeo dicendum, quod aliquid est causa alterius dupliciter, uno modo quidem per se: alio modo per accidens. Per se quidem est causa alterius, quod secundum virtutem suæ naturæ, vel formæ producit effectum: unde sequitur, quod effectus sit per se intentus a causa. Unde cum mors, et hujusmodi defectus sint præter intentionem peccantis, manifestum est, quod peccatum non est per se causa istorum defectuum. Per accidens autem aliquid est causa alterius, si sit causa removens prohibens, sicut dicitur in 8 Physic. quod divellens columnam, per accidens movet lapidem columnæ superpositum: et hoc modo peccatum primi parentis est causa mortis, et omnium hujusmodi defectuum in natura humana, in quantum per peccatum primi parentis sublata est originalis justitia, per quam non solum inferiores animæ vires continebantur sub ratione habet absque omni deordinatione, sed totum corpus continebatur sub anima absque omni defectu, ut in primo habitum est. Et ideo subtracta hac originali justitia per peccatum primi parentis, sicut vulnerata est humana natura quantum ad animam per deordinationem potentiarum, ut supra dictum est, ita enim est corruptibilis effecta per deordinationem ipsius corporis. Subtractio autem originalis justitiæ habet rationem pænæ, sicut etiam subtractio gratiæ: unde etiam mors, et omnes defectus corpo-

rales consequentes sunt quædam pænæ originalis peccati. Et quamvis hujusmodi defectus non sint intenti a peccante, sunt tamen ordinati secundum justitiam Dei punientis.

Ad primum ergo dicendum, quod æqualitas causæ per se causat æqualem effectum. Augmentata enim, vel diminuta causa per se, augetur vel diminuitur effectus: sed æqualitas causæ removentis prohibens non ostendit æqualitatem effectuum. Si quis enim æquali impulsu divellat duas columnas, non sequitur quod lapides superpositi æqualiter moveantur: sed ille velocius movebitur, qui gravior erit secundum proprietatem suæ naturæ, cui relinquitur remoto prohibente. Sic igitur remota originali justitia, natura corporis humani relicta est sibi: et secundum hoc secundum diversitatem naturalis complexionis quorundam corpora pluribus defectibus subjacent, quorundam vero paucioribus, quamvis existente originali peccato æquali.

Ad secundum dicendum, quod culpa originalis et actualis removetur ab eodem, a quo etiam removetur hujusmodi defectus, secundum illud Apostoli Rom. 8. Vivificabit mortalia corpora vestra per inhabitantem spiritum ejus in vobis: sed utrumque fit secundum ordinem divinæ Sapientiæ congruo tempore. Oportet enim quod ad immortalitatem, et impassibilitatem gloriæ, quæ in Christo inchoata est, et per Christum nobis acquisita, perveniamus conformati prius passionibus ejus: unde oportet quod ad tempus, ejus passibilitas in nostris corporibus remaneat ad impassibilitatem gloriæ promerendam conformiter Christo.

Ad tertium dicendum, quod in peccato actuali duo possunt considerari, scilicet ipsam substantiam actus, et rationem culpæ. Ex parte quidem substantiæ actus potest peccatum actuale alium defectum corporalem causare, sicut ex superfluo cibo aliqui infirmantur, et moriuntur: sed ex parte culpæ privat gratia, quæ datur homini ad rectificandum animæ actus, non autem ad cohibendum defectus corporales, sicut originalis justitia cohibebat. Et ideo peccatum actuale non causat hujusmodi defectus, sicut originale.

*Prima conclusio: Peccatum primi parentis fuit causa mortis, et aliorum corporalium defectuum in humana natura, non per se, sed per accidens, removendo scilicet justitiam originalem, quæ prædictos defectus impedit.*

*Secunda conclusio: Mors et omnes illi defectus sunt ordinati, secundum divinam justitiam in pœnam peccati originalis.*

## ARTICULUS VI.

*Utrum mors, et alii defectus sint naturales homini.*

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod mors, et hujusmodi defectus sint homini naturales. Corruptibile enim, et incorruptibile differunt genere, ut dicitur 10 Metaph., sed homo est ejusdem generis cum aliis animalibus, quæ sunt naturaliter corruptibilia: ergo homo est naturaliter corruptibilis.

2. Præter. Omne quod est compositum ex contrariis, est naturaliter corruptibile, quasi habens in se causam corruptionis suæ: sed corpus humanum est hujusmodi: ergo est naturaliter corruptibile.

3. Præter. Calidum naturaliter consumit humidum: vita autem hominis conservatur per calidum et humidum: cum igitur operationes vitæ explicantur per actum caloris naturalis, ut dicitur in 2 de Anima, videtur quod mors et hujusmodi defectus sint homini naturales.

Sed contra. Quicquid est homini naturale, Deus in homine fecit: sed Deus mortem non fecit, ut dicitur Sap. 1, ergo mors non est homini naturalis.

4. Præter. Id quod est secundum naturam, non potest dici pœna nec malum: quia unicuique rei est conveniens id quod est ei naturale: sed mors, et hujusmodi defectus sunt pœna peccati originalis, ut supra dictum est: ergo non sunt homini naturales.

5. Præter. Materia proportionatur formæ, et qualibet res suo



suo fini : finis autem hominis est Beatitudo perpetua, ut supra dictum est. Forma etiam humani corporis est anima rationalis, quæ est incorruptibilis, ut in 1 habitum est : ergo corpus humanum est naturaliter incorruptibile.

Respondeo dicendum, quod de unoquoque re corruptibili dupliciter loqui possumus, uno modo secundum naturam universalem : alio modo secundum naturam particularem. Natura quidem particularis est propria virtus activa, et conservativa uniuscujusque rei, et secundum hanc omnis corruptio, et defectus est contra naturam, ut dicitur in 2 de cœl. quia hujusmodi virtus intendit esse, et conservationem ejus, cujus est. Natura vero universalis, est virtus activa in aliquo universali principio naturæ, puta, in aliquo cœlestium corporum, vel alicujus superioris substantiæ, secundum quod etiam Deus a quibusdam dicitur natura naturans, quæ quidem virtus intendit bonum, et conservationem universi, ad quod exigitur alternatio generationis, et corruptionis in rebus : et secundum hoc corruptiones et defectus rerum sunt naturales, non quidem secundum inclinationem formæ, quæ est principium essendi, et perfectionis, sed secundum inclinationem materiæ, quæ proportionaliter attribuitur tali formæ secundum distributionem universalis agentis. Et quamvis omnis forma intendat perpetuum esse quantum potest : nulla tamen forma rei corruptibilis potest assequi perpetuitatem sui præter animam rationalem, eo quod ipsa non est subjecta omnino materiæ corporali ; sicut aliæ formæ : quoniam habet propriam operationem immaterialem, ut in primo habitum est : unde ex parte suæ formæ naturalior est homini incorruptio, quam aliis rebus corruptibilibus. Sed quia et ipsa habet materiam, ex contrariis compositam, ex inclinatione materiæ sequitur corruptibilitas in toto : et secundum hoc homo est naturaliter corruptibilis secundum naturam materiæ sibi relictæ, sed non secundum naturam formæ. Tres autem primæ rationes procedunt ex parte materiæ ; aliæ vero tres ex parte formæ : unde ad earum solutionem considerandum est, quod forma hominis, quæ est anima rationalis, secundum suam incorruptibilitatem proportionata est suo fini, qui est beatitudo perpetua : sed corpus humanum, quod est incorruptibile secundum suam naturam consideratum, quodammodo proportionatum est suæ formæ, et quodammodo non. Duplex enim conditio potest attendi in aliqua materia : una scilicet quam agens eligit, alia quæ non est ab agente electa, sed est secundum conditionem naturalem materiæ. Sicut faber ad faciendum cultellum eligit materiam duram et ductilem, quæ subtiliari possit, ut sit apta incisioni, et secundum hanc conditionem ferrum est materia proportionata cultello : sed hoc quod ferrum sit frangibile, et rubiginem contrahens consequitur

ex naturali dispositione ferri ; nec hoc elegit artifex in ferro, sed magis repudiaret, si posset : unde hæc dispositio materiæ non est proportionata intentioni artificis, nec intentioni artis. Similiter corpus humanum est materia electa a natura quantum ad hoc, quod est temperatæ complexionis, ut possit esse convenientissimum organum tactus, et aliarum virtutum sensitivarum et motivarum, sed quod sit corruptibile, hoc est ex conditione materiæ, nec est electum a natura : quin potius natura eligeret materiam incorruptibilem, si posset. Sed Deus, cui subjacet omnis natura, in ipsa institutione hominis supplevit defectum naturæ, et dono justitiæ originalis dedit corpori incorruptibilitatem quandam, ut in primo dictum est. Et secundum hoc dicitur, quod Deus mortem non fecit, et quod mors est pœna peccati. Unde patet responsio ad objecta.

*Prima conclusio : Corruptiones et defectus rerum licet sint contra naturam particularem, sunt tamen secundum naturam universalem.*

*Secunda conclusio : Mors et cæteri corporales defectus sunt naturales homini, non quidem secundum naturæ suæ formam, sed ex parte materiæ.*

Uterque iste articulus continet perutilem doctrinam, quam D. Thomas optime declarat. Et ideo nihil circa eos occurrit quod necesse sit adnotare. Prima conclusio secundi articuli examinatur a N. Compluten-<sup>Complutens.</sup> sib. 1 de generat. disp. 3, quæst. 3, et potest <sup>D.Thom.</sup> circa illam videri ipse Ang. Doctor. 1 p. quæst. 22, art. 2 ad 2 et 3, contra gent. cap. 94. Possemus vero hic disserere de pœna originalis peccati, in eis præsertim, qui cum solo illo decedunt, uti sunt pueri non pervenientes ad aquam lustralem. Sed commodius hoc præstabimus infra disp. 18, dub. 3.

## QUÆSTIO LXXXVI

*De macula peccati, in duos articulos divisa.*

*Deinde considerandum est de macula peccati. Et circa hoc quaruntur duo.*

### ARTICULUS I.

*Utrum peccatum causet aliquam maculam in anima ?*

Ad primum sic proceditur. Videtur quod peccatum non causet aliquam maculam in anima. Natura enim superior non potest inquinari ex contactu naturæ inferioris : unde radius solaris non inquinatur per tactum corporum fetidorum, ut August. in lib. contra quinque hæreses : sed, anima humana est multo superioris naturæ, quam res commutabiles, ad quas peccando convertitur : ergo ex eis maculam non contrahit peccando.

2. Præter. Peccatum est principaliter in voluntate, ut supra dictum est, voluntas autem est in ratione, ut dicitur in 3 de Anima : sed ratio sive intellectus non maculatur ex

consideratione quarumcunque rerum, sed magis perficitur : ergo nec voluntas ex peccato maculatur.

3. Præter. Si peccatum maculam causat, aut macula illa est aliquid positive, aut est privatio pura. Si sit aliquid positive, non potest esse nisi dispositio vel habitus, nihil enim aliud videtur ex actu causari ; dispositio autem et habitus non est. Contingit enim remota dispositione vel habitu, adhuc remanere maculam, ut patet in eo qui peccavit mortaliter prodigalitate, et postea transmutatur mortaliter peccando in habitum vitii oppositi : non ergo macula ponit aliquid positive in anima. Similiter etiam nec est privatio pura : quia omnia peccata eveniunt ex parte aversionis, et privationis gratiæ. Sequeretur ergo quod omnium peccatorum esset una macula : ergo macula est effectus non peccati.

Sed contra est, quod dicitur Eccles. 47 Salomoni : Dedisti maculam in gloria tua. Et Ephes. 5 : Ut exhiberet sibi glo-

riosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam : et utrobique loquitur de macula peccati : ergo macula est effectus peccati.

Respondeo dicendum, quod macula proprie dicitur in corporalibus, quando aliquod corpus nitidum perdit suum nitorem ex contactu alterius corporis, sicut vestis, et aurum, et argentum, aut aliud huiusmodi. In rebus autem spiritualibus ad similitudinem huius oportet maculam dici. Habet autem anima hominis duplicem nitorem. Unum quidem ex refulgentia luminis naturalis rationis, per quam dirigitur in suis actibus : alium vero ex refulgentia divini luminis, scilicet sapientiæ et gratiæ, per quam etiam homo perficitur ad bene, et decenter agendum. Est autem quasi quidam animæ tactus, quando inhaeret aliquibus rebus per amorem : cum autem peccat, adhaeret rebus aliquibus contra lumen rationis, et divini legis, ut ex supradictis patet. Unde ipsum detrimentum nitoris ex tali contactu proveniens, macula animæ metaphorice vocatur.

Ad primum ergo dicendum, quod anima non inquinatur ex rebus inferioribus virtute earum, quasi agentibus eis in animam : sed magis e converso, anima sua actione se inquinat inordinate eis inhaerendo contra lumen rationis et divini legis.

Ad secundum dicendum, quod actio intellectus perficitur secundum quod res intelligibiles sunt in intellectu per modum ipsius intellectus : et ideo intellectus ex eis non inficitur sed magis perficitur. Sed actus voluntatis consistit in motu ad ipsas res, ita quod amor rei amate animam conglutinet, et ex hoc anima maculatur quando inordinate inhaeret, secundum illud Osee 9 : Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.

Ad tertium dicendum, quod macula non est aliquid positive in anima : nec significat privationem solam, sed significat privationem quandam nitoris animæ in ordine ad suam causam, quæ est peccatum. Et ideo diversa peccata diversas maculas inducunt : et est simile de umbra : quæ est privatio luminis ex objecto alicujus corporis, et secundum diversitatem corporum objectorum diversificabuntur umbrae.

Conclusio : *Cum homo per amorem inordinate adhæret rebus contra lumen rationis et legis divini, incurrit carentiam nitoris, qui erat ex refulgentia gratiæ et prædicti luminis.*

## ARTICULUS II.

*Utrum macula maneat in anima post actum peccati.*

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod macula non maneat in anima post actum peccati. Nihil enim manet in anima post actum, nisi habitus vel dispositio : sed macula non est habitus vel dispositio, ut supra habitum est ; ergo macula non manet in anima post actum peccati.

2. Præ. Hoc modo se habet macula ad peccatum, sicut umbra ad corpus, ut supra dictum est : sed transeunte corpore non manet umbra : ergo et transeunte actu peccati, non manet macula.

3. Præ. Omnis effectus dependet ex sua causa : causa autem maculae est actus peccati : ergo remoto actu peccati, non remanet macula in anima.

Sed contra est, quod dicitur Josue 22 : An parum est vobis quia peccastis in Beelphegor, et usque in præsentem diem macula huius sceleris in vobis permanet ?

Respondeo dicendum, quod macula peccati remanet in anima, etiam transeunte actu peccati, cujus ratio est : quia macula, sicut dictum est, importat quendam defectum nitoris propter recessum a lumine rationis, vel divini legis, et ideo quandiu homo manet extra huiusmodi lumen, manet in eo macula peccati : sed postquam redit ad lumen rationis, et ad lumen divinum, quod fit per gratiam, tunc macula cessat. Licet autem cesset actus peccati, quo homo discessit a lumine rationis, vel legis divini, non tamen statim homo ad illud redit in quo fuerat, sed requiritur aliquis motus voluntatis contrarius primo motui : sicut si aliquis sit distans alicui per aliquem motum, non statim cessante motu, fit ei propinquus, sed oportet, quod appropinquet rediens per motum contrarium.

Ad primum ergo dicendum, quod post actum peccati nihil positive remanet in anima nisi dispositio vel habitus : remanet tamen aliquid privative, scilicet privatio conjunctionis ad divinum lumen.

Ad secundum dicendum, quod transeunte obstaculo corporis, remanet corpus diaphanum in æquali propinquitate et habitudine ad corpus illuminans, et ideo statim umbra transit : sed remoto actu peccati, non remanet anima in eadem habitudine ad Deum : unde non est similis ratio.

Ad tertium dicendum, quod actus peccati facit distantiam a Deo, quam quidem distantiam sequitur defectus nitoris hoc modo, sicut motus localis facit localem distantiam. Unde sicut cessante motu locali, non tollitur distantia localis : ita nec cessante actu peccati, tollitur macula.

Conclusio : *Etiam transacto actu peccati, permanet in homine ejus macula quandiu ad lumen gratiæ non fuerit restitutus.*

## Commentarius.

1. Hic erat locus disserendi de peccato habituali personali, essetque non levis disceptatio circa ejus essentiam, et rationem constitutivam. Cui tamen ut obviarem, egimus uberius disp. præcedenti de essentia et constitutivo peccati originalis, quod habituale etiam est, inserentes dub. 3 et 5, cuncta fere, quæ pro essentia et constitutivo prædicti habitualis necessaria videbantur. Idque data opera præstitimus, urgentes pro viribus non modo rationes et argumenta utrique peccato communia, sed etiam illa quæ per prius aut efficacius militant in personali : ut ita sine incuriæ nota possemus hic a nova disputatione abstinere, et tractatus brevitati consulere. Quare sufficere modo nonnulla adjicere pro utriusque præsentis articuli elucidatione, et pro confirmatione electæ ibi sententiæ, nimirum quod prædictum peccatum non consistit in aliquo positivo existente in anima, vel in voluntate ; sed in sola gratiæ privatione, secundum rationem quam n. 113 et a num. 130 explicuimus.

2. Atque in primis supponimus (quod D. Thomas probat in 2 art.) nempe quod transacto actuali peccato remanet in anima macula ex illo causata, per quam habitualiter dicitur *maculata, immunda, Deo invisita*, et huiusmodi : quousque per gratiam justificationis remittatur offensa, et prædicta macula auferatur. Hoc autem adeo est certum inter Theologos, ut probatione non indigeat. Habetur satis expresse in sacra Scriptura, ut constat ex illo Josue 22, quod in Jos præsentem D. Thomas adducit : *An parum vobis est quod peccastis in Beelphegor, et usque in præsentem diem macula huius sceleris in vobis permanet ?* Sane peccatum illud in Beelphegor longe ante præcesserat, omninoque jam actus peccaminosus transierat :  
nam

am. 25. nam fuit quod a Moyse refertur Num. 25, et tamen ejus macula nondum erat abolita, sed permanebat in illis. Idem constat ex rem. 2. illo Jerem. 2: *Quomodo conversa es mihi in pravam vinea aliena? Si laveris te nitro, et multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me. Quomodo dicis, non sum polluta? Vide vias tuas in convalle, scito quid feceris, etc.* Quibus verbis non solum denotatur, animam incurrisse per peccatum maculam et pollutionem, sed permanere habitualiter in illa, nec potuisse ab ea mundari quæsitis aliis coloribus et remediis: quia non pervenerat ad veram pœnitentiam, et ad infusionem gratiæ. Sicut enim in humanis non statim ac quis alterum offendit, ex eo solum quod non offendat amplius, cessat inimicitia contracta per talem offensionem, quousque offensus offendentem remittat, et irrogatæ sibi offensæ obliviscatur. Ita cum homo peccando, maculam et Dei inimicitiam incurrit, non eo ipso hæc ablata censetur, quia ille peccare desistat; sed permanet, reddens eum habitualiter peccatorem et maculatum, quousque homo ipse per gratiam iterum reconcilietur Deo, et prædicta macula auferatur. Eo præsertim quia cum macula peccati non sit aliud nisi carentia gratiæ, seu nitoris et refulgentiæ, quæ ex ea veluti ex divino quodam lumine animæ proveniebat, ut declarat D. Thomas in 1 art. oportet, tandiu prædictam maculam permanere, quandiu gratia ipsa per peccatum amissa non restituitur.

jectio. 3. Neque obest, si objicias, quod macula habet se ad peccatum actuale, sicut umbra ad corpus interpositum impediens lucem: lux autem sublato corpore, statim redit, et tollitur umbra: ergo similiter transacto actu peccati, debet statim auferri macula. Respondetur enim esse disparem rationem. Nam ut docet D. Thomas in solut. ad 2 hujus articuli, in primo casu, ablato corpore impediente, manet subjectum illuminandum in eadem dispositione, et in eadem propinquitate ad principium illuminans, sicut erat antea, nec corpus illud ullo modo vim jam habet ad lucem impediendam: unde nihil tollit quin prædictum subjectum eodem modo ac antea iterum illuminetur. Anima vero post commissum peccatum non manet in eadem dispositione, neque in eadem propinquitate ad Deum, sed in longe diversa: semperque peccatum illud conservat vim ad divinum lumen impediendum. Quamvis enim actus et malitia

illius physice transierit; moraliter tamen adhuc permanet et ratione offensæ, quæ subjective moraliter est in Deo, et etiam ratione malitiæ, quæ moraliter etiam manet in Dei abominatione objective; quandiu hæc ab ipsa anima per pœnitentiam non retractatur, et illa a Deo per gratiam non remittitur, juxta dicta disp. 14, dub. 3. Sufficit autem hic modus permanentiæ moralis, ut prædictum peccatum sit obstaculum dividens inter Deum et animam, impediaturque proinde divini luminis influentiam.

4. Secundo supponendum est, maculam <sup>Aliud supponendum.</sup> (loquimur de macula peccati mortalis; de veniali enim dicitur infra) secundum rem non distingui ab eo quod vocamus *peccatum habituale*: sed eadem gratiæ privatio, quæ appellatur *macula*, quia aufert nitorem et pulchritudinem ex assistentia et refulgentia divini luminis proveniente, relditque animam inquinatam et immundam; dicitur *peccatum habituale*, quia est terminus peccati actualis, et permanet etiam illo transacto, ut aversio *in facto esse* a fine ultimo, denominaturque habentem *habitualmente peccatorem*. Esse vero ita asserendum, constat ex sacra Scriptura, ubi pro eodem omnino sumitur prædictum peccatum et macula, ut constat ex verbis Jeremiæ cap. 2, ad animam peccatricem nuper adductis: *Maculata es in iniquitate tua.* Et Job: 18 *Immisit in rete (id est in peccatum) pedes suos, in maculis ejus ambulat.* E contra vero de anima justa, et sine peccato existente, dicitur Cantic. 4: *Tota pulchra es, et macula non est in te.* Apocal. 14: *Sine macula sunt ante thronum Dei,* et alibi multoties existentia in peccato per *maculam*, exclusio vero illius per *munditiam ab ipsa macula* significatur.

Hac ratione gratia sanctificans dicitur *aqua munda*, et dicitur *lavare et mundare*: quod proprie est respectu maculæ: quia expellit peccata habitualia, quibus anima maculata permanebat. Unde dicit Apostolus ad Ephes. 5: *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam, aut rugam aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta, et immaculata, etc.* Et Ezechiel. cap. 36: *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab universis idolis vestris mundabo vos. Et spiritum meum ponam in medio vestri, etc.* Quo etiam modo loquendi SS. Patres satis communiter utuntur. Neque apud illos, vel Scripturam sa-

Aliud supponendum.

Jerem. 2.

Job. 18.

Cantic. 4  
Apoc. 14.

Ephes. 5.

Ezechiel.

cram, aut apud antiquos scholasticos fundamentum reperies ad distinguendum inter maculam, et inter illud quod in peccatore habitualiter conservat rationem peccati.

Ratio  
hujus  
præsup-  
positi.

5. Et ratio videtur perspicua : nam esse maculatum et immundum coram Deo, quod est effectus formalis maculæ, nihil aliud est quam esse peccatis coinquinatum, et esse Deo injuriosum et offensum ; quod est effectus formalis peccati habitualis : ubi autem effectus formalis est idem, eadem debet esse forma, vel quasi forma tribuens

D.Thom.

talem effectum. Hac de causa Divus Thomas nullibi (quod viderimus) tractans hanc materiam, egit de peccato habituali personali, nisi quatenus egit de macula, et sub hoc nomine, ut videre est in hac quæstione 86 et in 4 distinct. 18 quæst. art. 2, quæstiunc. 1, aliisque in locis, quæ statim adducemus : in quo sane defectuose processisset, omittens notitiam prædicti peccati valde necessariam in hac materia ; nisi omnino idem essent macula et habituale peccatum, eademque notitia utriusque. Quin potius (quod non otiose observavimus) complexum hoc *peccatum habituale* in Divi Thomæ scriptis hactenus non offendimus : neque Bergomensis in sua Tabula adeo elaborata, videtur reperisse. Sed ubique quicquid ex peccato actuali relinquitur, quod ad habituale possit pertinere, appellavit Sanctus Doctor nomine *maculæ* : quod etiam in aliis antiquis scholasticis animadvertimus : forte enim tunc complexum illud non erat in usu ; sed nomen peccati ad solum actuale vel originale veteres restringebant, et quod nos *habituale*, illi non nisi *maculam* vocabant, Quod si aliquis contendat prædicta duo juxta doctrinam D. Thomæ debere distingui, ut ita collata macula in privativo, peccatum habituale in positivo constituat, locum assignet fundantem eam distinctionem, et credemus ei.

Obser-  
vandum.

Bergo-  
mens.

6. Fatemur autem nomen *maculæ* latius extendi, et plura complecti, quam nomen *peccati habitualis* : quia cum metaphorice tantum ad præsens usurpetur, ut observat Divus Thomas, non ita exprimit malitiam, et culpam, aversionemque a Deo, sicut ipsum nomen peccati. Et propterea Sanctus Doctor in art. 1, non solum privationem nitoris gratiæ, quæ prædictum peccatum constituit, sed etiam privationem nitoris luminis naturalis, et virtutum acquisitarum sub macula comprehendit : nam quicquid ab anima et ejus potentiis tollit aliquid perfectionis seu honestatis, tollit etiam

D.Thom

aliquid pulchritudinis ; et quicquid hujus aliquid tollit, potest metaphorice vocari *macula*. Hinc tamen nequaquam fit, peccatum habituale dicere aliquid præter maculam, sed non ita extendi sicut illa : converti autem cum macula, quæ tollit præcipuam et supernaturalem pulchritudinem, scilicet gratiam : et ideo dici potest *macula principalis et primaria*.

7. His suppositis, non erit difficile confirmare ex doctrina D. Thomæ sententiam quam disput. præced. agentes de peccato originali, etiam circa habituale personale dub. 3 et 5 elegimus, nempe quod non sit aliquid positivum, sed privatio gratiæ secundum rationem a num. 130 explicatam. Quod enim ad rationes attinet, credimus, sufficienter convinci tribus illis quas dub. 3 et aliis quas dub. 5 ejusdem disputationis expendimus : quibus nihil addendum occurrit. Quod autem D. Thomas perpetuus fuerit in prædicta sententia, probatur ita. Peccatum habituale est omnino idem quod macula principalis et primaria, ita ut saltem in esse rei non distinguantur : sed macula juxta doctrinam D. Thomæ non est aliquid positivum, sed consistit in privatione gratiæ, quatenus ex peccato actuali relicta : ergo similiter peccatum habituale. Major liquet ex modo prænotatis.

Peccatum  
habitua-  
l quid

Minor vero habetur artic. 1 hujus quæstionis in solut. ad 3, ubi sic dicitur : *Macula non est aliquid positive in anima, sed significat privationem quandam nitoris*, etc. Quæ verba licet per se sint satis clara, majorem adhuc vim habent, si conferantur cum argumento, cui solutio illa adhibetur. Idem docet S. Doctor art. 2 ad 1, ubi argumentum erat, quod transacto actu peccati, nihil remanet in anima, nisi habitus vel dispositio, de quibus certum est non esse ipsam maculam, cum sæpe illis manentibus, hæc auferatur : et econtra : ergo transacto prædicto actu, non remanet macula. Respondet vero *dicendum, quod post actum peccati, nihil positive remanet in anima, nisi dispositio vel habitus : remanet tamen aliquid privative, scilicet privatio conjunctionis ad divinum lumen*. En convictus D. Thomas, quod nihil positivum potest habere rationem maculæ, ut eam assignet, recurrit ad divini luminis vel gratiæ privationem. Idem docet infra quæst. 109, art. 7. Et ex professo id docuerat in 4, distinct. 18, quæst. 1, art. 2, quæstiunc. 1, quærens *utrum macula aliquid positive in anima sit?* et arguit pro nobis hoc modo : *Ex peccato non remanet*

D.Th

Ide

remanet

*remanet positive aliquid in anima, nisi dispositio vel habitus, quæ consequuntur peccatum ex parte actus, ex quo aliquid ponit: sed macula non est dispositio ex actu causata, nec habitus: quod patet ex hoc quod dispositio et habitus possunt sine gratia destrui per contrariam consuetudinem; macula autem sine gratia non aufertur: ergo macula non ponit aliquid positive in anima.* Nec obest, si dicas, hujusmodi verba contineri in argumento: *Sed contra*, quod non semper ponitur a D. Thoma ut ratio convincens, sed multoties præcise ad dubitandum. Nam contra est, quod in corpore illius quæstiunculæ convictus prædicto argumento, resolvit difficultatem omnino juxta illud his verbis: *Ex hoc aliquid maculatum dicitur, quia debitæ pulchritudinis patitur detrimentum: unde macula secundum quod hujusmodi non habet quod aliquid ponat; sed per comparisonem ad illud quod pulchritudinis detrimentum causat, aliquid quandoque ponere dicitur: sicut aliquid in faciem inductum, quod candorem faciei tegat, aut privet. Pulchritudo autem animæ consistit in assimilatione ipsius ad Deum, ad quem formari debet per claritatem gratiæ ab eo susceptam: sicut autem perceptio claritatis corporalis a Sole prohibetur a nobis per aliquod obstaculum interpositum: ita etiam claritas gratiæ prohibetur ab anima per peccatum commissum, quod dividit inter nos et Deum, ut dicitur Isaiæ 59, unde ipsa macula, quantum in se est, non ponit de essentia sua nisi privationem gratiæ, sed ponit ut causam obstaculum peccati, quod obstat ad gratiæ receptionem: et propterea etiam macula tenebra dicitur ratione prædicta similitudinis.* Idem docet distinct. 14, quæst. 2, artic. 1, quæstiunc. 3 ad secundum ibi: *Per adventum gratiæ ad essentiam animæ tollitur macula, quæ nihil aliud erat quam gratiæ privatio.* Et in 2, distinct. 32, quæst. 1, art. 1: *Gratia restituta, simul et macula tollitur, quæ in defectu gratiæ consistebat.* Non minus clare loquitur distinct. 33, quæst. 2, art. 1 in corp. et ad secundum, et quæst. 3 de potentia art. 6 ad 23: *Dicendum* (inquit) *quod macula in anima non ponit naturam aliquam, sed solam gratiæ privationem: tamen cum respectu ad actum peccati præcedentem, qui hujus privationis causa fuit, vel esse potuit.* Idem repetit 3 part. quæst. 88, art. 1 in 2, distinct. 42, quæst. 1, art. 2 ad quartum et in 3, distinct. 36, art. 5 ad secundum, quæst. 28 de veritate art. 6 aliisque in locis.

8. Dices his testimoniis non obstantibus, *Replia.* posse adhuc sustineri, vel quod macula includat aliquid positivum, vel quod peccatum habituale sit distinctum a macula. Primum videtur probari, tum ex solutione ad tertium artic. 1 hujus quæstionis, ubi dicitur, quod macula non significat privationem solam: ergo includit aliud aliquid quod non sit privatio. Tum etiam quia si macula esset solum privatio gratiæ, diversa peccata non inducerent diversas maculas; sicut non inducunt diversas gratiæ privationes, sed unam et eandem. Posterius vero potest suaderi, quia peccatum habituale non modo relinquit in anima privationem gratiæ seu maculam, per quam voluntas manet aversa; sed relinquit etiam aliquid, per quod manet adhærens creaturæ ut ultimo fini: quæ sane adhæsiō non potest esse effectus solius privationis, sed alicujus conversionis positivæ. Et præterea relinquit etiam reatum pœnæ æternæ, qui quidem reatus aliquid est saltem morale, ultra prædictam privationem. Cur ergo non dicemus, peccatum habituale consistere in hujusmodi reatu, aut in adhæsiōe et conversione illa positiva, potius quam in gratiæ privatione.

Sed hæc omnia facile corruunt ex eisdem *Diluitur.* testimoniis quæ adduximus, et citavimus. Unde ad primum ex objectis respondetur, non ideo Divum Thomam dixisse, quod macula non dicit privationem solam, quia in suo conceptu essentiali, et in recto includat aliquid positivum, sed quia dicit prædictam privationem, non absolute sumptam, sed ut respicit vel connotat suam causam, quæ fuit peccatum actuale præcedens: sine qua connotatione vel respectu sicut non intelligitur ut terminus prædicti peccati, ita neque ut voluntaria et peccaminosa, neque ut macula per illud inducta, et distincta ab aliis maculis, quæ per alia peccata inferuntur. Quod optime explicatur in prædicta D. Thomæ solutione, præsertim si conferatur cum argumento: in quo objiciebatur, quod si macula esset privatio pura, esset omnium peccatorum una macula, cum omnium sit una aversio et gratiæ privatio. Respondet vero D. Thomas: *Ad tertium dicendum, quod macula non est aliquid positive in anima: nec significat privationem solam, sed significat privationem quandam nitoris animæ in ordine ad suam causam, quæ est peccatum: et ideo diversa peccata diversas maculas inducunt: et est simile de umbra, quæ est privatio luminis*

*ex objecto alicujus corporis, et secundum diversitatem corporum objectorum diversificantur umbræ.*

9. Per quod patet ad illud de indistinctione macularum, quod additur in objectione. Adduximus autem hanc doctrinam, agentes de peccato originali, disp. præced. num. 170 et præter testimonia ibi allegata, habetur etiam in 4, distinct. 18, quæst. 1, art. 2. quæstiune. 1, et quæst. 3 de potentia artic. 6 ad 23, ut constat ex verbis quæ nuper retulimus. Quo pacto vero intelligendum sit, quod privatio dicat respectum ad peccatum actuale, ex quo fuit inducta, ita ut neque ibi sit ordo positivus et realis, neque reducat ad ens rationis, explicavimus supra disput. 14, num. 115. Ad primum pro secunda parte hujus objectionis diximus disput. præced. num. 76, ubi explicuimus, per quid fiat conversio et adhæsiō voluntatis ad objectum peccati; et ad bonum commutabile, etiamsi peccatum habituale nihil afferat positivum. Et num. 74 et 75 diluimus alia, quæ hic possent objectari. Ad secundum de reatu, constabit disput. sequenti, dub. 1, quid sit, et qualiter distinguatur a peccato habituali, vel identificetur cum illo.

### §

*Quid de peccato actuali non retractato?*

10. Sunt qui excludentes nobiscum a constitutivo maculæ seu peccati habitualis omne positivum habituale, negant adhuc constitutivum prædicti peccati saltem adæquatam esse gratiæ privationem. Sed minus hoc tribuunt peccato actuali præterito: quod etsi physice transierit, dum tamen non retractatur per pœnitentiam, vel justificationem, censetur moraliter pertinere: a quo ut sic moraliter permanente putant desumendam esse denominationem *peccatoris*. Ita Vasquez in præsentī, disput. 139, cap. 5, et quidam alii. Additque idem Vasquez prædictam denominationem non esse intrinsecam, sed extrinsecam; imo non esse realem, sed rationis.

Cæterum hic modus dicendi sufficienter manet impugnatus, tum ex dictis disput. præced. a num. 124, rationes enim quibus ibi ostendimus, peccatum originale debere esse aliquid intrinsecum, distinctumque ab actuali peccato Adami, et ex eo derivatum, probant similiter de peccato habituali personali, de quo certum est non debere esse

minus intrinsecum, aut minus efficiens physice peccatorem adultum, quam peccatum originale afficit parvulum. Eo præsertim, quia si peccatum actuale Adami vim habet transfundendi in posteros aliquid habituale intrinsecum, quod vere et proprie peccatum sit, vereque et intrinsece peccatores illos denominet, a fortiori relinquere debuit in Adamo idem habituale intrinsecum, per quod proprie et vere *peccator* diceretur: hoc autem habituale intrinsecum relictum in Adamo, fuit in eo peccatum habituale personale, sicut in posteris est peccatum originale: atque adeo de utroque isto peccato est eodem modo ad præsens philosophandum. Tum etiam manet impugnatus prædictus modus dicendi, ratione qua in eadem disput. a num. 127 probavimus, privationem gratiæ prout relictam ex actuali peccato, et cum sola connotatione illius absque inclusione, habere omnes conditiones quæ desiderari possunt ad rationem maculæ et culpæ habitualis: adeoque adstante physice in peccatore prædicta privatione illumque intrinsece afficiente, ab ea et non ab actu qui præterit, debet constitui et denominari habitualiter *peccator*.

11. Sed impugnatur præterea: nam per illud constitui debet homo *peccator*, et *injustus* habitualiter, cujus proprium oppositum constituit habitualiter *justum* et *sanctum*: sed *justum* et *sanctum* constituit immediate gratia justificans, non vero aliquis actus quantumvis perfectus: ergo *injustus* et *peccator* constitui debet per gratiæ privationem, quæ est proprium ejus oppositum, non vero per aliquem actum quantumvis peccaminosum. Confirmatur: quia etiamsi homo per actum charitatis convertatur actualiter in Deum ut finem ultimum, non omnino denominatur a tali actu conversus habitualiter, aut absolute *justus* et *sanctus*, sed a sola gratia, quæ ex vi illius actus relinquitur, estque conversio habitualis et physice permanens, sumuntur immediate omnes prædictæ denominationes: quod si transacto actu gratia non remaneret, consequenter non esset a quo desumerentur: ergo quamvis homo per actum peccati actualiter avertatur a Deo, non tamen ab hujusmodi actu habebit denominari *aversus* aut *injustus* habitualiter; sed ab ipsa gratiæ privatione, quæ ex tali actu relinquitur, quæque est aversio habitualis et physice permanens. Patet consequentia a paritate rationis:

Præditu ampli

Vasq.  
Unde corruiat hic modus dicendi.

rationis : neque enim potest esse major vis in actu peccati ad constituendum hominẽ habitualiter *aversum et injustum*, quam in actu charitatis ad constituendum illum habitualiter *justum et conversum*.

12. Alia via potest hoc ipsum suaderi, et præcedens impugnatio roborari, ostendendo, permanentiam illam moralem quæ tribuitur actui peccaminoso, postquam physice præterit, non sufficere, ut homo ex vi illius vere et re ipsa peccator sit, nisi fundetur in aliquo termino a se relicto physice permanenti, qui etiam sit vere peccatum, sitque ratio immediata denominationis *peccatoris* : (non enim prædicta denominatio est solum rationis, ut Vasquez autumat, aut competens solum moraliter, ut alii existimant : sicut neque est ens rationis, aut moralis tantum existimatio vel appetitatio, quod homo qui peccavit, maneat habitualiter injustus et Dei inimicus ; sed re ipsa et antecederet ad omnem moralem appetitacionem id habet) cumque prædictus terminus etiam apud Vasquez non possit esse alius nisi privatio gratiæ ; fit, non præcedentem actum moraliter permanentem, sed hujusmodi privationem physice et re ipsa suo modo existentem, esse immediatam rationem denominationis quam dicimus. Hanc tamen impugnationem consulto non prosequimur, quia ejus doctrina nobis opus non est : existimamus namque, actum peccaminosum nedum jam præteritum, sed etiam dum physice existit, quantumvis existentia hæc perduret, ineptum et improportionatum esse adtribuendum effectum et denominationem *peccatoris et injusti habitualis*.

13. Pro quo nota, quemlibet effectum formalem, et quamlibet denominationem exigere formam dominantem sibi proportionatam, et habentem modum essendi, quem exprimit ipsa denominatio. Unde si hæc exprimat informationem subjecti, et constitutionem aut qualificationem illius in aliquo *esse*, vel quasi *esse* permanenti et quieto in ordine ad subjectum ipsum ; forma debet esse quietata et permanens, respiciensque subjectum ut in se constituendum vel qualificandum, sicut habitus et formæ permanentes respiciunt. Si autem denominatio exprimat motum, fluxum, aut tendentiam ad aliud ; forma debet esse fluens, et tendens, sicut sunt operationes et actus secundi : aliter non erit debita proportio inter denominationem seu effectum formalem, et inter formam tribuentem talem denominationem vel effectum.

14. Hinc formatur sequens impugnatio. Quoniam esse peccatorem et injustum non est de illis effectibus vel denominationibus, quæ exprimunt motum et tendentiam, sed potius informationem et qualificationem subjecti in ordine ad se ipsum, et ad hoc ut in se sit tale, vel tale : atque adeo forma vel quasi forma unde sumitur, non debet esse motus vel actus, qui dicant fluxum et tendentiam circa aliud, sed aliquid quietum et permanens, respiciensque subjectum, ut qualificandum et constituendum in se : atqui peccatum actuale sive præsens sive præteritum, non se habet hoc posteriori modo, sed illo priori : ergo nequit ab eo desumi prædicta denominatio vel effectus. Consequentia videtur perspicua ex prænotato. Major vero etiam liquet : quia esse aliquem habitualiter injustum et peccatorem, non exprimit modum aut tendentiam circa aliud vel aliquid fluens ; sed informationem et statum, quo in seipso permanet prave dispositus, mortuus Deo, aversus et separatus ab illo, et ei inimicus : quæ omnia exprimunt qualificationem et constitutionem subjecti in se ipso. Minor autem facile suadetur : nam peccatum actuale sive ut præsens, sive ut præteritum concipiatur, non concipitur ut forma quietata, constituens aut qualificans subjectum, ut sit in seipso tale vel tale ; sed ut operatio et exercitium potentiæ, adeoque ut motus et tendentia circa aliud : hoc enim est de ratione cujuscunque operationis ut sit attingentia sui objecti : non ergo denominatio sumpta ex prædicto peccato, potest exprimere statum et modum essendi fixum et quietum, quem exprimit denominatio *injusti et peccatoris*.

15. Confirmatur a simili : nam ita se habet quoad præsens denominatio *peccatoris et injusti* ad formam ex qua oritur, sicut opposita denominatio *justi et sancti* ad formam unde sumitur : sed hæc secunda denominatio ex eo quod exprimit statum subjecti, et modum essendi fixum in illo, nequit desumi ab aliqua operatione, vel actu secundo quantumvis optimo et perfecto, sed a gratia justificante, quæ est forma habitualis et permanens : ergo neque prima illa poterit ob eandem rationem desumi ab actu quantumvis pravo et peccaminoso, sed ab aliqua ratione, quæ sit habitualis et permanens, uti est gratiæ privatio.

Confirmatur secundo : nequit ab habitu vel forma permanente sumi immediate

Impugnatio a via

Impugnatio.

Confirmatio.

Confirmatio.

denominatio exprimens tendentiam et motum, uti est denominatio *peccantis*, vel denominatio *merentis*: ergo neque ab eo quod est tendentia et motus, sicut est peccatum actuale, et sicut est actus charitatis, sumi poterunt denominationes exprimentes permanentiam et statum, uti exprimentur denominatio *justi*, et denominatio *peccatoris*. Adde, modum dicendi, quem impugnamus, aperte esse contra D. Thomam, non solum quia agens de macula peccati, ubique eam collocat in sola privatione, nullius alterius rationis mentionem faciens, ut constat ex testimoniis adductis: sed etiam quia distinguit illam a peccato actuali tanquam medium ab extremo, et effectum a sua causa: ut videre est in 2, dist. 42, in expositione textus, ubi ait: *Dicendum, quod macula est medium inter actum peccati et reatum, quasi effectus actus, et fundamentum reatus*. Adde secundo, juxta communem modum D. Thomæ, et aliorum Patrum, majorem permanentiam concedendam esse ei, quod est macula, quam peccato actuali: nam de isto absolute et simpliciter dicunt, quod transit, et non permanet; de illa vero sicut etiam de reatu, quod permanet et non transit: sentiunt ergo maculam distinctum quid esse a prædicto peccato: alias utrunque eodem modo vel transiret, vel permaneret. Adde tandem, quod semel concesso privationem gratiæ habere rationem culpæ habitualis, sicut concedit Vasq. ubi supra, cap. 4, nulla est necessitas recurrendi ad peccatum actuale præteritum pro denominatione *peccatoris* tanquam ad formam. Imo neque est locus ad talem recursum: quia quoties respectu alicujus denominationis adest ratio intrinseca, ex qua possit desumi, hæc prævenit et præcludit aditum cuilibet extrinseco in ordine ad immediate denominandum, ut constabit inductione.

16. Duo tamen objici possunt pro sententia Vasq. Primum est, quia totum illud ingredi debet rationem maculæ et peccati habitualis, a quo mundat et liberat justificando: sed hæc non tantum liberat et mundat nos a gratiæ privatione, sed etiam a peccato actuali: et ideo quod ante justificationem propter non retractionem moraliter permanebat impediens gratiæ infusionem, postea omnino tollitur, et nullo modo permanet: ergo utrunque hoc clauditur in ratione maculæ et peccati habitualis. Secundum est, quod privatio gratiæ non distinguitur, nec multiplicatur juxta

distinctionem et multiplicationem peccatorum actualium; sed sicut gratia tantum est unica forma, sic ejus carentia ex quocunque peccato ortum habeat, tantum est unica privatio: cum ergo peccata habitualia et maculæ distingui et multiplicari debeant secundum distinctionem actualium, necessario debent includere aliquid ultra prædictam privationem; quod sit ratio distinctionis: neque apparet aliud pro prædicto munere, nisi peccatum actuale. Sed utraque objectio soluta est disput. præced. prima num. 74, et secunda a num. 150.

Omittimus impugnare modum dicendi, quem tuetur in præsentibus Curiel de privatione conformitatis habitualis ad legem: quia illum retulimus et examinavimus disput. præced. dub. 1. Sicut etiam omittimus alium, quem meditatur Suarez disput. 8 de peccat. sect. unic. conclus. 3, ubi essentiam peccati habitualis reducit ad quandam moralem et prudentem appretiationem, juxta quam ille qui moraliter deliquit, dum non justificatur, censetur aversus a Deo, et ad bonum commutabile conversus sine aliquo physico, a quo intrinsece afficiatur. Privationem vero gratiæ ideo rejicit a conceptu prædicti peccati, quia existimat non posse habere rationem culpæ, cum sit pœna, et a Deo subtrahente ipsam gratiam. Sed non videtur loqui admodum consequenter: nam disput. 9, sect. 2, constituit in prædicta privatione essentiam peccati originalis; de quo dubitare non potuit, quod vere et proprie sit culpa. Verum (quicquid sit de prædicta inconsequentia) cum nos disput. præced. a num. 129 et 142, sufficienter ostenderimus, privationem gratiæ simul esse culpam et pœnam, inesseque illi aliquam rationem quæ a Deo non sit, ibidem eo ipso diluimus fundamentum hujus auctoris, sicut et aliorum, qui propter eandem rationem, omitta omni privatione, pro constituendo peccato habituali, sive originali, sive proprio, ad alia recurrunt. Unde non oportet circa hoc immorari. Hæc vero dixerimus, non quia ex eis habeatur exacta rei intelligentia, sed ut complementum præcedentis disputationis, ubi quærenda est, dub. 3 et 5.



QUÆSTIO LXXXVII.

*De reatu pœnæ, in octo articulos divisa.*

*Deinde considerandum est de reatu pœnæ. Et primo de ipso reatu. Secundo de mortali et veniali peccato quæ distinguuntur secundum reatum. Et circa primum quæruntur octo.*

Egit in præcedentibus D. Thomas de illis effectibus, qui physice et executive ex peccato consequuntur, uti est macula, diminutio boni naturæ, etc. quos proinde *effectus physicos* nuncupavimus. In hac vero quæstione agit de effectibus moralibus, cujusmodi est pœna, ad quam peccans non concurrat physice et executive (saltem per se loquendo) sed demeritorie : quod ad genus causæ moralis spectat.

ARTICULUS I.

*Utrum reatus pœnæ sit effectus peccati?*

Ad primum sic proceditur. Videtur quod reatus pœnæ non sit effectus peccati. Quod enim per accidens se habet ad aliquid, non videtur esse proprius effectus ejus : sed reatus pœnæ per accidens se habet ad peccatum, cum sit præter intentionem peccantis : ergo reatus pœnæ non est effectus peccati.

2. Præter. Malum non est causa boni : sed pœna bona est, cum sit justa et a Deo : ergo non est effectus peccati, quod est malum.

3. Præter. August. dicit in 1 Confess. quod omnis inordinatus animus sibi ipsi est pœna ; sed pœna non causat reatum alterius pœnæ, quia sic iretur in infinitum : ergo peccatum non causat reatum pœnæ.

Sed contra est, quod dicitur Rom. 2: Tribulatio et angustia in animam omnem operantis malum : sed operari malum est peccare : ergo peccatum inducit pœnam, quæ nomine tribulationis et angustiae designatur.

Respondeo dicendum, quod ex rebus naturalibus ad res humanas derivatur, ut id quod contra aliquid insurgit, ab eo detrimentum patiat. Videmus enim in rebus naturalibus, quod unum contrarium vehementius agit, altero contrario superveniente : propter quod aquæ calefactæ magis congelantur, ut dicitur in 2 Meteororum. Unde in hominibus hoc ex naturali inclinatione invenitur, ut unusquisque deprimat eum, qui contra ipsum insurgit. Manifestum est autem, quod quæcunque continentur sub aliquo ordine, sunt quodammodo unum ad principium ordinis. Unde quicquid contra ordinem aliquem insurgit, consequens est ut ab ordine et principe ordinis deprimatur. Cum autem peccatum sit actus inordinatus, manifestum est, quod quicunque peccat, contra aliquem ordinem agit : et ideo ab ipso ordine consequens est quod deprimatur, quæ quidem depressio pœna est. Unde secundum tres ordines, quibus subditur humana voluntas, triplici pœna potest homo puniri. Primo quidem enim subditur humana natura ordini propriæ rationis. Secundo, ordini exterioris hominis gubernantis vel spiritualiter, vel temporaliter, politice, seu œconomicæ. Tertio subditur universali ordini divini regiminis. Quilibet autem horum ordinum per peccatum pervertitur, dum ille qui peccat, agit et contra rationem, et contra legem humanam, et

contra legem divinam. Unde triplicem pœnam incurrit, unam quidem a seipso, quæ est conscientie remorsus, aliam vero ab homine, tertiam vero a Deo.

Ad primum ergo dicendum, quod pœna consequitur peccatum, in quantum malum est ratione suæ inordinationis : unde sicut malum est per accidens in actu peccantis præter intentionem ipsius, ita et reatus pœnæ.

Ad secundum dicendum, quod pœna quidem justa esse potest et a Deo, et ab homine inflictæ : unde ipsa pœna non est effectus peccati directe, sed solùm dispositive. Sed peccatum facit hominem esse reum pœnæ, quod est malum. Dicit enim Dion. 4, cap. de divin. no. quod puniri non est malum, sed fieri pœna dignum : unde reatus pœnæ directe ponitur effectus peccati.

Ad tertium dicendum, quod pœna illa inordinati animi debetur peccato ex hoc, quod ordinem rationis pervertit : fit autem reus alterius pœnæ per hoc, quod pervertit ordinem legis divinæ, vel humanæ.

Prima conclusio : *Triplici pœnæ subditur homo per peccatum : primæ a seipso : secundæ ab aliis hominibus : tertie a Deo.*

Secunda conclusio : *Reatus pœnæ directe ponitur effectus peccati.*

Continet litera hujus articuli non solam congruentiam ad declarandam primam conclusionem, ut aliquibus visum est ; sed etiam rationem satis efficacem ad illam comprobandam : ex iis enim, quæ in naturalibus contingunt, recte arguitur ad ea, quæ sunt secundum rationem, eo quod ordo naturæ est ordo rationis et intelligentiæ. Sensus autem prædictæ conclusionis non est, quod singula peccata incurrant omnes illas pœnas : nam pure interna non puniuntur ab hominibus : sed debet intelligi per accommodam distributionem : ita ut quædam omnes et quædam aliquas, vel aliquam incurrant, nullamque sit cui non aliqua ex prædictis pœnis respondeat. Secunda conclusio habetur in solutione ad secundum et videtur directius respondere titulo articuli, quam prima. Sed ut notavit Cajetanus, voluit D. Thomas a notioribus in corpore arguere, et ibi insinuare quod in solutionibus argumentorum expressius traditurus erat, ut illis satisfaceret. Pro eodem

Cajet.

autem sumitur in prædicta solutione *causare dispositive*, ac *causare demeritorie*, quod est causalitas moralis, quam exercet peccatum respectu pœnæ; ad distinctionem illiusquam exercet respectu reatus, quæ est causalitas physica, et vocatur a D. Thoma *causalitas directa*. In solutione ad primum nota, malum ea ratione dici *per accidens* respectu actus peccati, quia est præter peccantis intentionem; non quia non ex natura rei, et respectu defectibilitatis voluntatis suo modo per se consequatur in tali actu.

## ARTICULUS II:

*Utrum peccatum possit esse pœna peccati?*

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod peccatum non possit esse pœna peccati. Pœnæ enim sunt inductæ, ut per eas homines reducantur ad bonum virtutis, ut patet per Philosophum in 10 Ethic. sed per peccatum non reducitur homo in bonum virtutis, sed in oppositum: ergo peccatum non est pœna peccati.

2. Præt. Pœnæ justæ sunt a Deo, ut patet per August. in lib. 83 quæst. peccatum autem non est a Deo, et est injustum: non ergo peccatum potest esse pœna peccati.

3. Præt. De ratione pœnæ est quod sit contra voluntatem: sed peccatum est a voluntate, ut ex supra dictis patet: ergo peccatum non potest esse pœna peccati.

Sed contra est, quod Greg. dicit super Ezech. quod quædam peccata sunt pœnæ peccati.

Respondeo dicendum, quod de peccato dupliciter loqui possumus, per se scilicet, et per accidens. Per se quidem nullo modo peccatum potest esse pœna peccati. Peccatum enim per se consideratur secundum quod egreditur a voluntate: sic enim habet rationem culpæ; de ratione autem pœnæ est, quod sit contra voluntatem, ut in 1 habitum est. Unde manifestum est, quod peccatum per se loquendo, nullo modo potest esse pœna peccati. Per accidens autem peccatum potest etiam esse pœna peccati tripliciter. Primo quidem ex parte causæ, quæ est remotio prohibentis. Sunt enim causæ inclinantes ad peccatum, passiones, tentatio diaboli, et alia hujusmodi, quæ quidem causæ impediuntur per auxilium divinæ gratiæ, quæ subtrahitur per peccatum: unde cum ipsa subtrahit gratiæ sit quædam pœna et a Deo, ut supra dictum est, sequitur quod per accidens etiam peccatum quod ex hoc sequitur, pœna dicatur. Et hoc modo loquitur Apostolus Rom. 1, dicens: propter quod tradidit eos Deus in desideria cordis eorum, quæ sunt animæ passiones: quia scilicet deserti homines ab auxilio divinæ gratiæ, vincuntur a passionibus: et hoc modo semper peccatum dicitur esse pœna præcedentis peccati. Alio modo ex parte substantiæ actus, quæ afflictionem inducit, sive sit actus interior, ut patet in ipsa ira et invidia, sive actus exterior, ut patet cum aliqui gravi labore opprimuntur et damno, ut explent actum peccati, secundum illud Sap. 5, lassati sumus in via iniquitatis. Tertio modo ex parte effectus, ut scilicet aliquod peccatum dicatur pœna respectu effectus consequentis: sed his duobus ultimis modis unum peccatum non solum est pœna præcedentis peccati, sed etiam sui.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc etiam, quod aliqui puniuntur a Deo, dum permittit eos in aliqua peccata profluere, ad bonum virtutis ordinatur, quandoque quidem etiam ipsorum qui peccant, cum scilicet post peccatum humiliores et cautiore resurgunt. Semper autem est ad emendationem aliorum, qui videntes, aliquos ruere de peccato in peccatum magis reformidant peccare. In aliis autem duobus modis manifestum est, quod pœna ordinatur ad emendationem: quia hoc ipsum, quod homo laborem et detrimentum patitur in peccando, natum est retrahere homines a peccato.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit de peccato secundum se. Et similiter dicendum est ad tertium.

Prima conclusio: *Peccatum per se loquendo nullo modo potest esse pœna peccati.*

Secunda conclusio: *Peccatum potest per accidens esse pœna peccati tripliciter: nempe ex parte causæ, ex parte effectus, et ex parte substantiæ actus.*

Tertia conclusio: *Ex parte substantiæ actus, et ex parte effectus non solum unum peccatum potest esse pœna alterius, sed etiam sui ipsius.*

## ARTICULUS III

*Utrum aliquod peccatum inducat reatum æternæ pœnæ?*

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod nullum peccatum inducat reatum æternæ pœnæ. Pœna enim justa adæquat culpæ: justitia enim æquitas est. Unde dicitur Isaia 27. In mensura contra mensuram cum abjecta fuerit, judicabit eam: sed peccatum est temporale: ergo non inducit reatum pœnæ æternæ.

2. Præt. Pœnæ medicinæ quædam sunt, ut dicitur in 2 Ethic. sed nulla medicina debet esse infinita, quia ordinatur ad finem: quod autem ordinatur ad finem non est infinitum, ut Philosophus dicit in 1 Polit. ergo nulla pœna debet esse infinita.

3. Præt. Nullus sapiens facit aliquid, nisi propter se in ipso delectetur: sed Deus non delectatur in perditione hominum, ut dicitur Sap. 1 ergo; non puniet homines pœna sempiterna.

4. Præt. Nihil quod est per accidens, est infinitum: sed pœna est per accidens, non est enim secundum naturam ejus qui punitur: ergo non potest in infinitum durare.

Sed contra est, quod dicitur Matt. 25: Ibunt hi in supplicium æternum. Et Marci 3 dicitur: Qui autem blasphemerit in Spiritu Sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed erit reus æterni delicti.

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, peccatum ex hoc inducit reatum pœnæ, quod pervertit aliquem ordinem: manente autem causa, manet effectus: unde quandoque perversitas ordinis remanet, necesse est quod remaneat reatus pœnæ. Pervertit autem aliquis ordinem quandoque quidem reparabiliter, quandoque autem irreparabiliter: semper enim defectus, quo subtrahitur principium, irreparabilis est. Si autem salvetur principium, ejus virtute alii defectus reparari possunt: sicut si corrumpatur principium visivum, non potest fieri visionis reparatio, nisi sola virtute divina: si vero salvo principio visivo, aliqua impedimenta adveniant visioni, reparari possunt per naturam vel per artem. Cujuslibet autem ordinis est aliquod principium, per quod aliquis fit particeps illius ordinis, et ideo si peccatum corrumpat principium ordinis quo voluntas hominis subditur Deo, erit inordinatio quantum est de se irreparabilis, etsi reparari possit virtute divina. Principium autem hujus ordinis est ultimus finis, cui homo inhæret per charitatem: et ideo quæcunque peccata avertunt a Deo, charitatem auferentia, quantum est de se, inducunt reatum æternæ pœnæ.

Ad primum ergo dicendum, quod pœna peccato proportionatur, secundum acerbitatem tam in judicio divino, quam in humano: sed sicut August. dicit 21 de Civit. Dei: In nullo judicio requiritur, ut pœna adæquetur culpæ secundum durationem. Non enim quia adulterium vel homicidium in momento committitur, propter hoc momentanea pœna punitur, sed quandoque quidem perpetuo carcere, vel exilio, quandoque etiam morte, in qua non consideratur occisionis mora, sed potius quod in perpetuum auferatur a societate viventium: et sic representat suo modo æternitatem pœnæ inflictæ divinitus. Justum tamen est secundum Greg. quod qui in suo æterno peccavit contra Deum, in æterno Dei puniatur. Dicitur autem aliquis in suo æterno peccasse, non solum secundum continuationem actus in tota hominis vita durantis, sed quia ex hoc ipso quod finem in peccato constituit, voluntatem habet in æternum peccandi. Unde dicit Gregor. 4

Mor. quod iniqui voluissent sine fine vivere, ut sine fine potuissent in iniquitatibus permanere.

Ad secundum dicendum, quod pœna quæ etiam secundum leges humanas infligitur, non semper est medicinalis ei qui punitur, sed solum aliis : sicut cum latro suspenditur, non ut ipse emendetur, sed propter alios, ut saltem metu pœnæ peccare desistant, secundum illud Proverb. 19 : Pestilente flagellato, stultus sapientior erit. Sic igitur et æternæ pœnæ reproborum a Deo inflictæ, sunt medicinales his, qui consideratione pœnarum abstinere a peccatis, secundum illud Psalm. 59, Dediti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus, ut liberentur dilecti tui.

Ad tertium dicendum, quod Deus non delectatur in pœnis propter ipsas, sed delectatur in ordine suæ justitiæ, quæ hæc requirit

Ad quartum dicendum, quod pœna, etsi per accidens ordinetur ad naturam, per se tamen ordinatur ad privationem ordinis, et ad Dei justitiam : et ideo durante inordinatione, semper durat pœna.

**Conclusio :** *Quæcunque peccata avertunt a Deo, auferendo charitatem, inducunt reatum pœnæ æternæ.*

ARTICULUS IV.

*Utrum peccato debeatur pœna infinita secundum quantitatem?*

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod peccato debeatur pœna infinita secundum quantitatem. Dicitur enim Hierem. 10. Corripe me Domine, veruntamen in iudicio, et non in furore tuo, ne foris ad nihilum redigas me. Ira autem Dei vel furor metaphysice significat vindictam divinæ justitiæ : redigi autem in nihilum est pœna infinita, sicut et ex nihilo aliquid facere, est virtutis infinitæ : ergo secundum vindictam divinam peccatum punitur pœna infinita secundum quantitatem.

2. Præt. quantitati culpæ respondet quantitas pœnæ, secundum illud Deuter. 25 : Pro mensura peccati erit et plagarum modus : sed peccatum quod contra Deum committitur, est infinitum : tanto enim est gravius peccatum, quanto major est persona contra quam peccatur : sicut gravius peccatum est percute principem, quam percute hominem privatum : Dei autem magnitudo est infinita : ergo pœna infinita debetur pro peccato, quod contra Deum committitur.

3. Præt. Dupliciter est aliquid infinitum, duratione scilicet et quantitate : sed duratione est pœna infinita, ergo et quantitate.

Sed contra est, quia secundum hoc omnium peccatorum mortalium pœnæ essent æquales, non enim est infinitum in finito majus.

Respondeo dicendum, quod pœna proportionatur peccato. In peccato autem duo sunt, quorum unum est aversio ab incommutabili bono, quod est infinitum : unde ex hac parte peccatum est infinitum. Aliud quod est in peccato, est inordinata conversio ad commutabile bonum, et ex hac parte peccatum est finitum, tum quia ipsum bonum commutabile est finitum : tum etiam quia ipsa conversio est finita non enim possunt esse actus creaturæ infiniti. Ex parte igitur aversionis respondet peccato pœna damni, quæ etiam est infinita ; est enim amissio infiniti boni, scilicet Dei : ex parte autem inordinatæ conversionis respondet ei pœna sensus, quæ etiam est finita.

Ad primum ergo dicendum, quod omnino redigi in nihilum cum qui peccat, non convenit divinæ justitiæ, quia repugnat perpetuitati pœnæ, quæ est secundum divinam justitiam, ut dictum est : sed in nihilum redigi dicitur, qui spiritualibus bonis privatur : sed secundum illum I Corinth. 13 : Si non habuero charitatem, nihil sum.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit de peccato ex parte aversionis. Sic enim homo contra Deum peccat.

Ad tertium dicendum, quod duratio pœnæ respondet durationi culpæ non quidem ex parte actus, sed ex parte maculæ, qua durante manet reatus pœnæ : sed acerbitas pœnæ respondet gravitati culpæ. Culpæ autem quæ est irreparabilis, de se habet quod perpetuo duret, et ideo debetur ei

pœna æterna : non autem ex parte conversionis habet infinitatem, et ideo non debetur ei ex hac parte pœna infinita secundum quantitatem.

**Conclusio :** *Ex parte aversionis correspondet peccato pœna damni quæ est infinita : ex parte vero inordinatæ conversionis respondet illi pœna sensus, quæ est finita.*

ARTICULUS V.

*Utrum omne peccatum inducat reatum pœnæ æternæ.*

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod omne peccatum inducat reatum pœnæ æternæ. Pœna enim, ut dictum est, proportionatur culpæ : sed pœna æterna differt a temporali in infinitum ; nullum autem peccatum differre videtur ab altero in infinitum ; cum omne peccatum sit humanus actus, qui infinitus esse non potest : cum ergo alicui peccato debeatur pœna æterna, sicut dictum est, videtur quod nulli peccato debeatur pœna temporalis tantum.

2. Præt. Peccatum originale est minimum peccatorum : unde et Aug. dicit in Enchir. quod mitissima pœna est eorum, qui pro solo peccato originali puniuntur : sed peccato originali debetur pœna perpetua : nunquam enim videbunt regnum Dei pueri, qui sine baptismo decesserunt cum originali peccato, ut patet per id quod Dominus dicit Joan. 3 : Nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei : ergo multo magis omnium aliorum peccatorum pœna erit æterna.

3. Præt. Peccato non debetur major pœna ex hoc, quod alteri peccato adjungitur, cum utrumque peccatum habeat suam pœnam taxatam secundum divinam justitiam : sed peccato veniali debetur pœna æterna, si cum mortali inveniatur in aliquo damnato, quia in inferno nulla potest esse remissio : ergo peccato veniali simpliciter debetur pœna æterna. Nulli ergo peccato debetur pœna temporalis.

Sed contra est, quod Greg. dicit in 4 Dialogor. quod quædam leviores culpæ post hanc vitam remittuntur : non ergo omnia peccata æterna pœna puniuntur.

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, peccatum causat reatum pœnæ æternæ, in quantum irreparabiliter repugnat ordini divinæ justitiæ, per hoc scilicet quod contrariatur ipsi principio ordinis, quod est ultimus finis. Manifestum est autem, quod in quibusdam peccatis est quidem aliqua inordinatio, non tamen per contrarietatem ad ultimum finem, sed solum circa ea quæ sunt ad finem, in quantum plus, vel minus debite eis intenditur, salvato tamen ordine ad ultimum finem, puta, cum homo, etsi nimis ad aliquam rem temporalem afficiatur, non tamen pro ea vellet Deum offendere, aliquid contra præceptum ejus faciendo : unde hujusmodi peccatis non debetur æterna pœna, sed temporalis.

Ad primum ergo dicendum, quod peccata non differunt in infinitum ex parte conversionis ad bonum commutabile, in qua consistit substantia actus : differunt autem in infinitum ex parte aversionis. Nam quædam peccata committuntur per aversionem ab ultimo fine : quædam vero per inordinationem circa ea quæ sunt ad finem : finis autem ultimus ab his quæ sunt ad finem, in infinitum differt.

Ad secundum dicendum, quod peccato originali non debetur pœna æterna ratione suæ gravitatis, sed ratione conditionis subjecti, scilicet hominis, qui sine gratia invenitur, per quam solum fit remissio pœnæ. Et similiter dicendum est ad tertium, de veniali peccato. Æternitas enim pœnæ non respondet quantitati culpæ, sed irreparabilitati ipsius, ut dictum est.

**Prima conclusio :** *Peccatis quæ non contrariantur ultimo fini, scilicet venialibus, non debetur pœna æterna, sed temporalis.*

**Secunda conclusio :** *In solut. ad secundum : Peccato originali non debetur pœna ratione suæ gravitatis : sed ratione conditio-*

*nis subjecti, quod sine gratia invenitur, per quam solum sit remissio pœnæ.*

Omnes isti articuli, et eorum assertiones continent graves difficultates, quæ ex professo examinare oportet : pro quo erit

## DISPUTATIO XVII.

*De reatu et pœna peccati in communi.*

Reatus peccati, et ejus pœna mutuo sibi correspondent, ille ut obligatio et demeritum ; ista vero ut terminus et compensatio talis obligationis : unde non immerito utriusque disputationem conjungimus. Incipiemus vero a reatu, quia prior est, et minus controversiæ obnoxius.

### DUBIUM I.

*Quid sit reatus et qualiter ad peccatum comparetur.*

Hoc primum dubium doctrina et explanatione, potius quam disceptatione peragendum est : nam de rebus *quid sint*, non tam probari postulat, quam declarari.

### § I.

*Principia pro dubii resolutione.*

Reatus  
unde  
dictus.

Cicero.

Idem.

1. Cum nomen *reatus* ex nomine *reus* deductum sit ; *reus* vero a *re* dicatur, ex hujus significatione venandum est, quid utrumque illud significet. *Res* autem inter alias acceptiones non infrequenter pro *lite* olim usurpabatur : ita ut dixerit Cicero pro Mur. *Nondum potuisse statuere juris consultos, utrum rem, an litem dici oporteret?* Indeque antiquitus *reus* dictus fuit quisquis litem cum altero contestatam habebat : sive is egit, sive cum eo actum est. Unde dixit idem Cicero lib. 2 de Orat. *Reos appello non modo eos qui arguuntur, sed omnes, de quorum re disceptatur.* Postea vero is solum *reus* dictus est, qui accusatur et arguitur : qui vero arguit et accusat, *actoris* nomen usurpavit. Vox ergo *reatus*, quæ recentior est, et a *reo* deducitur in hac posteriori acceptione, nihil aliud denotat nisi meritum vel obligationem, qua is qui aliquod crimen commisit, pœnæ vel satisfactioni tenetur obnoxius. Quia igitur quicumque peccat, incurrit eo ipso debitum, ut puniatur et satisfaciatur, ut probat ratio primi articuli, merito Theologi prædicto nomine

usi sunt ad hujusmodi debitum significandum. Itaque *reatus*, quoad præsens attinet, nihil aliud est, nisi quædam habitudo vel quasi habitudo inter peccatum et pœnam per modum debiti, seu ligaminis, vel obligationis ad patiendam ipsam pœnam. Quæ autem sit forma constitutiva talis habitudinis, et denominativa *reatus*, examinandum est, quia non satis constat inter Theologos.

Pro quo nota, plura concurrere ad hoc ut prædictam habitudinem intelligamus : nam præcedit peccatum actuale, quo quis pœnam promeruit : succedit peccatum habituale seu macula, a qua permanenter et in facto esse constituitur *peccator* : nec non offensa seu injuria, a qua Deus denominatur *offensus* : adest etiam divina lex, non solum qua peccatum prohibetur ex justitia legali ; sed etiam qua homo si peccaverit, destinatur ad pœnam ex justitia punitiva, taxaturque ipsa pœna juxta gravitatem delicti : et denique advenit pœna determinata per talem legem. Rursus in peccato habituali, quod remanet actuali transacto, potest considerari malitia seu deformitas, quæ est ratio primaria et constitutiva : et potest considerari condignitas sive proportio ad pœnam in ipsa malitia fundata, et eam veluti consequens : nam ex eo peccatum est pœna dignum, quia est malum et deforme. In lege etiam sive justitia divina potest considerari et ordinatio activa, quæ est ipse actus divinus, a qua Deus dicitur *ordinans ad pœnam, condemnans* : et ordinatio passiva, a qua peccator dicitur *ordinatus ad pœnam, sive condemnatus* : quæ quidem passiva ordinatio in peccatore nihil reale intrinsecum ponit, sed vel denominationem extrinsecam ab actu Dei ordinantis, vel aliud ens rationis.

2. Scotus ergo in 4, dist. 14, quæst. 1, num 6 et 7, tam maculam quam reatum constituit in hac ordinatione passiva : quam dicit posse considerari ut disconvenientem animæ, et sic esse ejus maculam ; vel ut obligationem et destinationem ad pœnam, et sic esse ejus reatum. Additque, eandem ordinationem active sumptam, ut dicit actum voluntatis divinæ, per quem peccator ordinatur ad talem pœnam, esse offensam. Quem sequuntur Gabriel, Major, et Almainus super citata dist. quamvis in modo explicandi prædictam doctrinam, nonnihil dividantur.

Eorum autem opinio quamvis non ex omni parte falsum contineat, ut infra constabit,

Quæ  
concur-  
rant ad  
fundan-  
dum rea-  
tum.

Opini-  
Scoti.

Gabriel  
Major  
Alma-  
nus.

tabit, communiter tamen deseritur : quia saltem ratio maculæ nequit in prædicta ordinatione consistere, sed in privatione gratiæ, ut vidimus quæst. præced. in commentario art. 1. Macula enim apud omnes est de genere mali culpæ, cum sit ipsum habituale peccatum, atque adeo nequit ab aliquo Dei actu sive per modum effectus, sive per modum denominationis provenire : ordinatio vero passiva peccatoris ad pœnam procudubio est de genere boni : nam bonum et justum est peccatorem ad pœnam destinari : imo est effectus vel denominatio ipsius actus divini destinantis. Non igitur ratio maculæ consistere potest in prædicta ordinatione. Ad hæc etiamsi Deus hominem, qui mortaliter delinquit, non destinasset ad pœnam (ut potuisset de lege absoluta) ipse homo nihilominus haberet peccatum habituale et maculam, a quibus denominaretur *peccator* et *maculatus*, ut est per se notum : ergo non consistit ratio maculæ in prædicta ordinatione. Et eadem rationes convincunt, neque offensam collocandam esse in tali ordinatione, quovis modo accepta. Ex quo etiam fit, neque reatum, saltem adæquate sumptum, posse in illa consistere : quia cum reatus non solum dicat obligationem ex Dei justitia ortam ad subeundam pœnam, sed etiam condignitatem et demeritum respectu talis pœnæ, quæ ex ipso peccato oriuntur, suntque aliquid de genere mali culpæ (nam malum et culpabile est fieri pœna dignum) vel dicendum est aliquid hujus mali ex Dei actu provenire : quod est absurdum : vel non est asserendum omnem reatum consistere in prædicta ordinatione.

Inter alios vero, qui maculam et reatum a tali ordinatione distinguunt, non satis adhuc constat, an reatus sit ipsamet macula; an vero aliquid illi superadditum. Conveniunt fere omnes non esse aliquid reale realiter a macula diversum; sed vel quid cum ea identificatum, et solum virtualiter aut ex modo nostro concipiendi distinctum; vel quandam relationem rationis, quam intelligimus resultare et fundari in macula in ordine ad pœnam : quamvis non desint qui prædictam relationem velint esse realem: de quo videri possunt Curiel, Araujo, et Gregorius Mart. art. 1 hujus quæstionis.

3. Pro rei ergo intelligentia oportet aliquibus uti distinctionibus. Primo enim reatus distinguitur in *reatum culpæ*, et *reatum pœnæ*. Reatus culpæ potest dici illa ne-

cessitas, qua omnes posteros Adami constrictos intelligimus ad incurrendum peccatum originale, ubi primo concipiuntur : de quo late egimus disp. 15, dub. 1, et potest etiam *reatus culpæ* dici illa subjectio, qua quisquis commisit aliquod peccatum mortale, tenetur sub ejus macula quasi captivus et ligatus, impotens, quantum est ex propriis viribus, ad inde egrediendum, donec per gratiam remissionis solvatur : habet enim se prædicta subjectio velut ligamen, quo homo manet sub culpa vinculatus, et ideo recte dici potest *reatus culpæ*. Reatus vero pœnæ est ille, cujus rationem inquirimus, et nuper num. 1 descripsimus per obligationem et ligamen, sive condignitatem ad pœnam sustinendam. Fundatur autem hæc distinctio in communi usu loquendi, quo dicimus, absolvi aliquem a culpa simul et a pœna, aut a culpa, et non a pœna, scilicet non a tota, distinguentes inter utramque absolutionem. Cum enim absolutio directe respiciat reatum (nam absolvere est ligatum solvere), oportet ut juxta prædictam duplicem absolutionem scilicet a culpa et a pœna, detur etiam duplex reatus, alter ligans ad pœnam et alter constringens sub culpa.

Deinde reatus pœnæ distinguendus est in *radicalem*, et *proximum*, seu in *fundamentalem*, et *formalem*. Reatus fundamentalis sive radicalis est ille, qui fundat condignitatem ad pœnam; proximus vero sive formalis adhuc subdistinguitur : nam aliquando sumitur pro ipsa condignitate proxima ad pœnam, quæ ex parte peccati se tenet : aliquando vero pro ordinatione, qua peccator ex divina justitia destinatur et constringitur ad pœnam subeundam. Quicumque enim peccat, eodem peccato, quo fit pœna dignus, tribuit jus divinæ justitiæ, ut infligat ei pœnam, per quam reparetur inordinatio facta per culpam. Et licet nomen *reatus* frequentius usurpetur pro prædicta condignitate, quam pro Dei ordinatione ; recte tamen huic etiam adaptatur : quia ligatio seu obligatio, quam ipsa vox *reatus* sonat, cum proprietate salvatur in prædicta ordinatione. Majoris vero claritatis gratia istum appellabimus *reatum justitiæ*, quasi ex divina justitia ortum : et illum *reatum demeriti*, quia inducitur per ipsum peccatum, et in ejus malitia fundatur.

Curiel.  
Araujo.  
Martin.

Distinctiones  
pro rei  
intelligentia.

## § II.

*Deciditur dubium aliquibus assertis.*

4. Ex his quæ præmisimus, non erit difficile quæsitis in hoc dub. satisfacere, quod claritatis gratia fiet per aliquas assertiones, quas brevissime comprobabimus. Sit prima conclusio. Reatus culpæ non est aliquid distinctum a culpa habituali seu macula : sed est ipsa macula secundum suam essentialem rationem. Non loquimur de reatu culpæ ut dicit debitum ad originalem contrahendam ; nam de hoc fuse egimus disp. 15, sed ut dicit subjectionem et detentionem sub ipsa culpa, sive originali, sive propria : qui solus reatus pertinet ad hanc disputationem. Probatur conclusio : nam culpa habitualis non alio quam seipsa ligat et tenet sub se peccatorem ; sicut non alio quam seipsa afficit et informat illum : idem quippe est teneri sub culpa, ac culpa ipsa informari : cum ergo reatus in acceptione qua loquimur, præcise dicat illud, quo homo sub culpa tenetur, plane fit non posse ab ipsa culpa distingui.

Vasq. Dices cum Vasq. agnoscente hanc reatus acceptionem disp. 132, c. 3, reatum culpæ supponere in eo, qui reus est, aliquod peccatum et culpam ; alioqui reatus culpæ non esset : quia reatus est obligatio et constrictio, qua tenemur sub culpa, atque adeo supponit culpam, sub qua constringit ; et non est ipsa culpa. Respondetur, reatum seu constrictionem sub culpa habituali supponere ipsam culpam, non ut una ratio formalis supponit aliam formalem rationem, sed sicut effectus formalis supponit suam formam : cum qua non ponit in numero, nec censetur aliud ab ipsa forma, sed est ipsamet ut communicata subjecto : sicut album non dicit aliam formam ab albedine, sed ipsam ut communicatam corpori : ita ergo reatus non dicit aliam formam seu rationem constitutivam præter culpam habituales ; sed illamet ratio quæ abstracte accepta dicitur *culpa habitualis*, ut communicata subjecto et ut efficiens illud dicitur *reatus* : quia per talem communicationem et affectionem tenet et ligat sub se ipsum subjectum : et hoc est *reum* constituere. Quando autem nos asserimus, prædictum reatum esse ipsam culpam habituales, non negamus inter illa distinctionem formæ et effectus formalis ; sed intendimus non requiri aliam formam ad constituendum talem effectum.

5. Secunda conclusio. Etiam reatus pœnæ <sup>Secunda assertio.</sup> fundamentalis seu radicalis est ipsa culpa habitualis sine ulla distinctione. Probatur : nam talis culpa immediate per suam essentiam fundat condignitatem ad pœnam : ipsa quippe ratio culpæ et malitiæ est sufficiens causa et radix prædictæ condignitatis : unde hæc causalis est vera et immediata, *quia homo habet peccatum, ideo est pœna dignus* : sed reatus fundamentalis nihil est aliud, nisi radix et fundamentum prædictæ condignitatis, ergo non differt a culpa habituali secundum suam essentiam.

Dices, potius peccatum actuale esse causam et radicem condignitatis ad pœnam : quia condignitas hæc per prius oritur ex prædicto peccato, quam ex culpa habituali : ergo hæc, sed illud debet dici *reatus fundamentalis*. Respondetur, nos loqui de illis, a quibus homo permanentemente dicitur *reus* sive culpæ sive pœnæ : quæ necessario debent esse aliquid habituale et permanens : unde quia peccatum actuale statim transit, habituale vero permanet, non illud, sed istud assignare debuimus pro prædicto reatu. Quamvis non negemus, sed potius supponamus, totum hoc quod dicimus *reatum et peccatum habituale*, ex actuali tanquam ex causa efficiente et transeunte effluxisse ; de qua proinde non est quæstio : quia cum sit transiens, nequit immediate per se ipsam fundare reatum habitualiter permanentem : et ideo quærendum est pro hujusmodi fundamento aliquid similiter permanens relictum ex ipso peccato actuali : et hoc dicimus esse peccatum habituale seu maculam.

6. Tertia conclusio. Reatus demeriti <sup>Assertio tertia.</sup> formalis et proximus non est aliqua relatio realis, vel rationis, aut aliquid reipsa a peccato habituali distinctum : neque etiam ipsum peccatum habituale secundum suum conceptum essentialem et primarium ; sed quidam conceptus ejus secundarius, virtualiter distinctus et consequutus : sicut in substantia creata ratio *naturæ* est conceptus virtualiter distinctus et consequutus ad rationem *essentiæ*, quæ est conceptus rei primarius.

Probatur hæc conclusio discurrendo per ejus partes. In primis quod prædictus reatus non sit relatio realis, patet : tum quia hæc relatio deberet fundari in peccato habituali, ratione cujus convenit peccatori : peccatum autem habituale cum sit aliquid privativum, nequit fundare relationem positivam et realem. Tum etiam quia relatio <sup>realis</sup>

realis petit terminum realiter existentem : terminus vero prædictæ relationis, qui deberet esse pœna, sæpe non existit : non ergo reatus iste constitui potest per talem relationem. Secunda pars videlicet neque esse relationem rationis, probatur : quia denominatio realis debet provenire a forma reali : repugnat enim quod ens solius rationis realem denominationem tribuat : sed denominatio *reatus* est denominatio realis : realiter namque peccator est reus pœnæ, et dignus ut puniatur, in quo reatus consistit : ergo forma vel ratio istius constitutiva seu denominativa debet esse realis. Et confirmatur : nam peccator antecederet ad quamlibet operationem nostri intellectus est dignus pœna et habet condignitatem ad illam : sed reatus de quo loquimur, solum dicit hanc condignitatem : ergo datur ante operationem intellectus ; adeoque non est ens rationis, sed aliquid a parte rei.

7. Dices cum Curiele et aliis, esse duplex genus relationis rationis : quædam enim sunt per intellectum adinventæ et attributæ rebus : ut relatio generis, speciei, et similes : et istæ non denominant realiter, neque ante intellectus operationem. Aliæ vero sunt, quæ non ex adinventionem intellectus, sed ex quadam necessitate consequuntur in rebus, quas intelligimus : quo pacto se habent relatio Creatoris, et relatio dominii in Deo erga creaturas, relatio æqualitatis inter divinas personas, et alia hujusmodi : unde istæ conveniunt rebus, et denominant illas secundum suum esse reale, saltem ex parte fundamenti. Quia igitur relatio, in qua reatus consistit, est hujus secundi generis, potest ejus denominatio esse realis, quamvis ipsa sit rationis.

Hæc tamen evasio non solvit argumentum : nam vel sermo est de relatione rationis secundum suum esse formale : vel de fundamento talis relationis ? Si hoc secundum, admittimus prædictam doctrinam, quia fundamentum relationis rationis non est ipsa relatio, neque ens rationis, sed aliqua ratio realis in peccato habituali reperienda. Si autem sermo sit de prædicta relatione pro formali, quo pacto est formaliter ens rationis, falso dicitur talem relationem, quantumvis necessario ad modum intelligendi consequatur, non dependere ab operatione intellectus, aut convenire rebus a parte rei, aut tribuere denominationem realem. Est enim manifesta implicatio, quod ens solius rationis cujuscunque generis sit, a parte rei existat, aut a parte rei con-

veniat subjecto, vel illud denominet ; alias tale ens rationis in nullo distingueretur ab ente reali.

Ex quibus manet etiam probatum aliud quod diximus, videlicet prædictum reatum non esse aliquid realiter distinctum a peccato habituali : quia præter relationem realem vel rationis, nihil apparet, quod possit ab illo realiter distingui. Eo præsertim quia vel hoc distinctum esset positivum : et sic non posset fundari in peccato habituali, quod est privatio ; in quo tamen fundari debet reatus, de quo loquimur. Vel esset privatio : et hæc non posset esse alterius formæ, nisi gratiæ, cujus etiam est privatio prædictum peccatum : atque adeo deberet cum illo coincidere.

Porro distinguendum esse virtualiter ab ipso peccato tanquam conceptum secundarium (quæ est ultima pars conclusionis) patet : tum quia ratio primaria peccati habitualis non sumitur per ordinem ad pœnam, sed per ordinem ad gratiam, qua privat, et ad peccatum actuale, quod fuit ejus causa : ratio vero reatus sumitur immediate per ordinem ad pœnam, sine respectu ad quam non potest intelligi : non est ergo omnino idem conceptus peccati, et reatus. Deinde condignitas pœnæ supponit peccatum et maculam : prius enim concipimus, aliquem habere maculam peccati, quam intelligamus esse æterna pœna dignum : ergo talis condignitas supponit conceptum maculæ et peccati, saltem primum, atque adeo non potest esse nisi conceptus secundarius. Potestque hoc confirmari in gratia, quæ simul facit hominem justum et sanctum, et vita æterna condignum : et tamen primum ejus conceptus non est hæc condignitas, sed participatio divinæ naturæ, ad quam talis condignitas subsequitur : ita ergo philosophandum est in peccato habituali respectu reatus, qui est condignitas pœnæ.

9. Quarta conclusio. Ista condignitas ad pœnam, quæ reatum demeriti constituit, non potest a nobis concipi, nisi sub quadam relatione rationis ad ipsam pœnam : ob idque solet per talem relationem explicari. Juxta hanc conclusionem credimus loquutos fuisse aliquos auctores Thomistas, qui dicunt prædictum reatum esse relationem rationis : non enim ita illum appellant, quia non detur a parte rei ; sed quia propter connexionem et connotationem pœnæ nequit aliter concipi, quam sub ratione ad illam, quæ est relatio rationis.

Quarta assertio.

Evasio.

Præcluditur.

Plura enim hoc modo se habent ut privationes, negationes, et denominationes extrinsecæ : quæ licet secundum suum quale quale esse vel non esse vere sint a parte rei, adeoque non sint rationis entia, sed ad genus entis realis reducuntur : quia tamen nullam ponunt entitatem in subjectis, quibus attribuuntur ; intellectus autem noster nihil concipere valet nisi ad modum entis, cogitur, quoties circa illa versatur, efformare aliquod ens rationis, sub quo eo apprehendat. Quia vero intellectus in iudicando reflectitur supra suam apprehensionem corrigendo illam, inde est, ut licet apprehendat ea quæ diximus, sub relationibus rationis : non tamen talia esse iudicet : sed iudicat esse veras privationes, aut denominationes extrinsecas, quæ aliter quam sub prædictis relationibus nequeant apprehendi. Et quia modus significandi sequitur modum concipiendi, inde etiam fit ut nomina *reatus*, et alia quæ prædictis imponimus, primo auditu nobis offerant ipsas relationes rationis, sub quibus concipiuntur : et ut etiam promiscue pro eis usurpentur. Habenda est igitur ratio distinctionis inter apprehensionem et iudicium, ut falsitas quæ in illa non est, et in isto esse potest, evitetur.

Assertio  
ultima.

10. Quinta conclusio. Reatus justitiæ est denominatio extrinseca sumpta ab actu divinæ justitiæ determinantis pœnam pro peccato, et ordinantis ad illam peccatorem: quæ etiam denominatio concipitur a nobis sub relatione rationis ad ipsam pœnam. Hæc secunda pars conclusionis constat ex dictis pro præcedenti : nam denominationes extrinsecæ licet sint reales propter formam, a qua proveniunt ; quia tamen in subjecto denominato, ubi a nobis concipiuntur nihil ponunt reale, oportet ad earum apprehensionem aliquod ens rationis effingere, sicut de privationibus dicebamus. Quod sane ens rationis in casu præsentis non potest non esse relatio : quia concipitur ut habitudo inter peccatorem ad pœnam destinatum, et ipsam pœnam. Prima vero pars, videlicet prædictum reatum esse realem denominationem extrinsecam a divina justitia desumptam, patet : nam ex suppositione quod homo peccet, divina justitia ordinat illum realiter ad pœnam peccato proportionatam, realiterque ipse homo manet obligatus et destinatus tali pœnæ per prædictam justitiam; quamvis totum hoc nihil ponat intrinsecum in ipso homine : sed hæc obligatio et destinatio cum omni veritate et

proprietas dicitur *reatus justitiæ* : ergo huiusmodi reatus consistit in prædicta denominatione. Confirmatur : nam aliquando dicitur homo vere et realiter *reus pœnæ*, sine eo quod facile appareat aliquid aliud, in quo talis reatus consistat, præter prædictam denominationem : ut cum post justificationem remissa culpa mortali et pœna æterna, permanet adhuc reatus pœnæ temporalis : quo casu, ut infra constabit, difficile est assignare aliquam rationem ex parte hominis se tenentem, a qua denominetur *reus* : ob idque necesse est recurrere ad denominationem *obligati et destinati* ad talem pœnam, desumptam a divina justitia, ergo etc. Vide infra ad art. 6, et invenies alium reatum justitiæ intrinsecum.

11. Quod si hoc tantum voluisset Scotus, non deberet impugnari. Propterea vero doctrina ejus rejicitur, quia nihil aliud in peccatore agnovit, etiam antequam justificetur, quod habeat rationem reatus : cum re vera prius et principalius *reatus* dici debeat ille, quem in tertia assertionem explicuimus, et appellabimus *reatum demeriti*. Hic enim directe et per se est peccati effectus, consequiturque ad illud ex natura rei per modum condignitatis pœnæ, prius natura quam intelligamus legem aliquam decernentem ipsam pœnam ; imo quamvis nulla esset lex talem pœnam decernens, diceretur homo absolute et simpliciter *reus et dignus* pœnæ ex vi prædictæ condignitatis. Et propterea Theologi cum D. Thoma potissimum de hoc reatu demeriti determinant ; reatus vero justitiæ vix comminiscuntur, quamvis ipsum non negent, sed potius ut indubitatum supponant. Rejicitur etiam doctrina Scoti quia non modo omnem reatum, sed etiam ipsam maculam, et culpam habitualement, imo et offensam ad ordinationem divinæ justitiæ reducit: quasi hæc ordinatio secundum diversas considerationes omnia ista constituat : in quo opinio ejus sequenda non est, ut vidimus n. 2.

### § III.

*Exponitur quædam loquutio D. Augustini, et diluitur objectio contra doctrinam præcedentem.*

12. Ex dictis in nostris assertionibus præsertim prima et secunda, depromendus est verus et legitimus sensus D. Augustini, cum agens de peccato originali, videtur illud constituere

D. Aug.



constituere in concupiscentia et reatu; in illa quidem pro materiali, et in hoc pro formali: quo pacto loquitur lib. I de nupt. et concupisc. cap. 26, et lib. 26, contra Juli. cap. 8, et alibi. Ex quibus locis occasionem desumpsit Vasquez disp. 132, cap. 3, ad impingendum Augustino errorem negantem parvulis peccatum originale intrinsecum et inexistens (quem sequuti fuere Catharinus, et Albertus Pighius, ut vidimus disp. 14, num. 112, et disp. præced. num. 138). Postquam enim retulit sententiam, quam ipse de mente Augustini arbitratur, et eo modo quo putat intellectam fuisse ab ipso Augustino, subdit: *Verum opinio Augustini hoc modo intellecta Theologis scholasticis jam non probatur: et merito, ex ea enim cogimur incidere in sententiam Pelagii, ut mox patebit.* Interpretatur enim Vasquez verba Augustini de reatu pœnæ proximo et formali; imo de reatu justitiæ, qui solum dicit obligationem sive destinationem ad illam. Quem reatum non esse peccatum aut culpam, probat, tum quia prædicta obligatio pendet ex voluntate Dei, qui posset etiam non obligare aut destinare ad pœnam, manente peccato: tum etiam quia ipsa obligatio non est iniustitia, neque iniquitas: ergo neque peccatum, non enim eo quis malus est et peccator, quo est ad pœnam obligatus; licet ex eo quod malus est, sequatur obligatum esse ad pœnam. *Quare (inquit) non video quo pacto hæc sententia ab opinione Pighii et Catharini differat.* Hæc Vasquez.

13. Sed falsus est re vera: nam dum Augustinus peccatum originale nominat *reatum*, potest et debet intelligi non de reatu pœnæ proximo et formali sive demeriti sive justitiæ; sed de reatu culpæ, et de reatu pœnæ radicali et fundamentalis, quem in prima et secunda conclusione diximus esse ipsam maculam et peccatum habituale animæ intrinsecum: prout etiam intellexerunt graves Theologi, quos Vasquez commemorat et impugnat. In quo non laude, sed animadversione dignus invenitur, qui tametsi prædicta intelligentia verum importet, possitque sufficienter adæquari verbis D. Aug. ut adæquant prædicti Theologi; alia vero quam Vasq. ei tribuit, manifestum errorem contineat; laborat non parum, ut contra illos ostendat (neque id tandem assequitur) S. Doctorem pro errore et contra veritatem extitisse. In cujus etiam confirmationem adducit aliqua ejus loca, ubi pro

humilitate potius quam pro nescientia dixit, essentiam peccati originalis esse sibi explicatu difficilem, eaque nihil ad prædicandum notius, et ad intelligendum secretius: ob idque coartari hæreticorum argumentis, quæ essentiam et traductionem prædicti peccati impugnant. *Quid igitur mirum (concludit Vasq.) si vir alioqui doctissimus et sanctissimus et difficultate rei oppressus nihil aliud invenerit, in quo essentiam peccati originalis constitueret, quam reatum illum, etc.* Otiosus sane labor, et gravi Theologo indignus: cujus studium in id potissimum impendendum erat, ut dicta Patrum, illorum præsertim qui in Ecclesia Dei primatum obtinuerunt, etiamsi alias difficultia appareant, ad sensum verum et catholicum reduceret. Quod vero ipsi Patres rerum difficultate oppressos se aliquando fateantur, commendat plurimum humilitatem, qua tota illorum doctrina referta est; nullo tamen modo vel ignorantiam arguit, vel sapientiam diminuit. Maneat ergo, prædictam Augustini doctrinam exponendam esse (ut potest facile) de reatu culpæ, vel de reatu pœnæ radicali juxta primam et secundam nostram conclusionem; nullo tamen modo erroris aut falsitatis insimulanda.

14. Objicies autem contra tertiam assertionem, quod reatus pœnæ proximus et formalis separatur a culpa habituali, et manet sine illa: ergo distinguitur realiter a tali culpa. Consequentia est perspicua. Nam evidentius signum distinctionis realis inter aliqua est separatio unius ab alio. Antecedens vero suadetur: tum quia licet remissa culpa mortali per gratiæ infusionem, solvatur reatus pœnæ æternæ, manet tamen sæpe reatus pœnæ temporalis, quousque vel per pœnitentiam in hac vita, vel per purgatorii ignem in futura fiat integra satisfactio. Tum etiam quia ex peccatis venialibus non relinquitur aliqua macula vel culpa habitualis; et tamen relinquitur reatus temporalis pœnæ: separatur igitur hujusmodi reatus a prædicta culpa.

Nec refert, si dicas nos loqui in assertionibus de reatu pœnæ æternæ, et non de reatu pœnæ temporalis, a quo non potest fieri argumentum: nam si separatur a peccato habituali, perspicuum est debere ab illo distingui: secus autem in reatu pœnæ æternæ, qui est omnino inseparabilis. Non itaque hoc refert: nam hinc potius roboratur objectio: quia si separamus reatum temporalis pœnæ a culpa habituali, aliquid

Vasq.

Vasq.

Repre-  
nditur  
Vasq.  
et expo-  
nitur  
D. Aug.

Objectio.

assignare debemus pro ejus constitutivo distinctum realiter a tali culpa : neque aliud assignare poterimus, nisi relationem rationis. Si igitur hæc constituit reatum pœnæ temporalis, cur non constituere poterit reatum pœnæ æternæ? Et sane rationes quibus in tertia conclusione prædictam relationem a constitutivo hujus posterioris reatus exclusimus, æque militant in illo priori, ut intuiti constabit. Debet igitur uterque vel nullus per illam constitui.

Prima solutio.

Respondetur sustinendo solutionem traditam : cujus impugnatio postulat, ut præter relationem rationis, contra quam militat, assignemus aliquid, a quo homo, dimissa habituali culpa, denominetur *reus pœnæ temporalis*. Hoc autem primo dicimus esse ordinationem passivam divinæ justitiæ destinantis hominem ad prædictam pœnam, juxta dicta in quinta assertione de reatu justitiæ. Sicut enim a prædicta ordinatione denominatur homo *realiter destinatus ad pœnam temporalem* : sic etiam dicitur *realiter ad illam obligatus*, ac proinde *reus talis pœnæ*. Nec necesse est in casu objectionis reatum demeriti permanentem inquirere : cum et nullus talis reatus appareat : et ad omnia quæ verificari debent, sufficiat reatus justitiæ, quem assignamus.

Replica.

15. Sed urgebis, tum quod justitia divina non obligat ad pœnam etiam temporalem, nisi propter aliquod demeritum : ergo ubi non est reatus demeriti, nequibit esse reatus justitiæ. Tum etiam quod prædictus reatus ex parte formæ constitutivæ non potest esse ipsa justitia Dei increata : cum hæc sit æterna et invariabilis; ille vero incipiat et finiatur in tempore : ergo debemus assignare pro ejus constitutione aliquid creatum.

Enodatur.

Respondetur ad primum, satis esse ad hoc ut reatus justitiæ respectu pœnæ temporalis permaneant, quod reatus demeriti præcesserit in eo qui *reus* dicitur, quamvis non existat de facto : quia ob demeritum præcedens habet divina justitia sufficiens jus, ut obliget ad talem pœnam, quandiu ea non est totaliter soluta aut condonata. Ex quo enim homo mortaliter peccavit, acquisivit jus divina justitiæ ad illum æternaliter puniendum : et quamvis, in justificatione remittat ei totam culpam, non tamen totam pœnam ; sed commutat æternam in temporalem : cedensque juri suo quantum ad illam, conservat jus et vim obligandi ad istam : a quo quidem jure homo denominatur *reus et obligatus ad prædictam pœnam* ;

quousque ponatur integra satisfactio, vel totalis remissio. Prædictum autem jus, quod dicimus divinæ justitiæ acquiri ex eo quod homo peccaverit, non est aliquid ab ea distinctum vel superadditum in esse rei, sed quædam veluti explicatio ipsius justitiæ in illud munus destinandi et obligandi hominem ad pœnam, propter ejus præcedentem culpam. Sicut unio Verbi divini ad humanitatem non est aliquid in esse rei distinctum vel superadditum ipsi Verbo, sed quædam veluti explicatio actualitatis divinæ personæ in illud munus uniendi sibi et terminandi naturam humanam. Ex quo ad secundum objectionis negatur antecedens. Et ad probationem dicendum, quod licet divina justitia in se sit æterna et immutabilis, potest tamen aliquod ejus munus et denominatio incipere, et desinere in tempore : sicut in verbo cœpit in tempore munus uniendi, et denominatio *uniti*. Cujus rationem tetigimus non semel hoc eodem tractatu præsertim disput. 12, num. 23.

Addendum est in fine hujus solutionis, quod licet specialiter illam applicuerimus reatui pœnæ temporalis, qui manet ex peccato mortali dimisso quoad culpam et pœnam æternam; attamen idem dicendum est de reatu peccati venialis : si semel ex isto nulla relinquitur macula habitualis, quæ possit fundare prædictum reatum : de quo infra q. 89, ad art. 1. Si namque talis macula relinqueretur, ipsa utique haberet rationem reatus, sicut dictum est de macula peccati mortalis respectu reatus pœnæ æternæ.

16. Secundo ad præmissam objectionem potest responderi ex D. Thoma 3 p. q. 86, art. 4, ubi statuit posse manere reatum pœnæ temporalis post remissionem culpæ mortalis : et cum in contrarium ita objecisset : *Remota causa, removetur effectus : sed culpa est causa reatus pœnæ : ergo remota culpa, nequit remanere reatus*. Respondet, quod culpa mortalis et habet aversionem a Deo, et conversionem ad bonum commutabile, sed aversio a Deo est ibi sicut formale ; conversio vero sicut materiale : remoto autem formali alicujus rei, tollitur species : et ideo ex hoc dicitur culpa mortalis remitti, quia tollitur aversio mentis a Deo, simul cum reatu pœnæ æternæ ; remanet tamen conversio ad bonum creatum et commutabile, pro quo debetur reatus pœnæ temporalis. Juxta quam doctrinam dicendum est, ultra denominationem extrinsecam provenientem ab ordinatione divinæ justitiæ,

Alia solutio D. Tho.

justitiæ, de qua in præcedenti solutione egimus, manere in homine post remissam culpam mortalem aliquid aliud, quod fundet et secum identificet reatum pœnæ temporalis; nempe prædictam conversionem inordinatam ad bonum commutabile, quæ non omnino tollitur per justificationem, quamvis tollatur aversio.

Quid sit autem hæc conversio inordinata manens post justificationem, difficile est explicare. Nam in peccatore, transacto peccato actuali, nihil aliud relinquitur nisi macula, quæ est privatio gratiæ: et forte aliquis habitus vel dispositio ad similes actus inclinans: macula autem seu privatio gratiæ omnino tollitur per justificationem, ut est per se notum: prædicta vero dispositio vel habitus (præterquam quod non semper relinquitur) sæpe aufertur etiam ante justificationem, vel per cessationem a tali peccato, vel per repetitionem actus contrarii: nihil ergo apparet manens post maculam dimissam ad constituendam prædictam conversionem, prædictumque reatum.

17. Dices cum Cajetano super citatum locum 3 p. doctrinam D. Thomæ vel accipiendam esse non de necessitate: quasi semper remanere debeat prædicta conversio post peccatum dimissum, ablataque aversione; sed de possibili, quia potest manere, et manet aliquando. Videtur enim intellexisse Cajet. nomine *conversionis* habitum vel dispositionem vitiosam, quam modo dicebamus, quæ aliquando producitur per actum peccati, et remanet post justificationem; aliquando non producitur; aliquando vero licet producat, non remanet. Vel intelligendam esse prædictam doctrinam non de ipsa conversione ad bonum commutabile, sed de ejus inordinatione, quæ sane inordinatio, etiamsi conversio tollatur, permanet et fundat reatum pœnæ temporalis, donec fuerit sufficienter ordinata per ipsam pœnam. Hæc Cajetanus.

Sed contra primum obstat, quod D. Thom. nomine *conversionis* intelligit id, quod fundat reatum pœnæ temporalis, quod proinde tamdiu et non amplius manere debet, quamdiu manet ipse reatus: sed habitus et dispositio sæpe tollitur, manente adhuc prædicto reatu, sæpeque manet illo jam finito: ergo non intellexi talem habitum vel dispositionem. Minor quoad primam partem ex eo liquet: quia reatus pœnæ temporalis saltem in illis, qui cum solæ attritione in Sacramento Pœnitentiæ justificantur, durat ad minus quo usque impositam sibi pœniten-

tiam adimpleant, vel alia similia opera exerceant: certum est autem non in omnibus illis manere toto illo tempore prædictam dispositionem vel habitum; sed in multis, esto præcesserit, fuisse jam destructum vel per cessationem a suis actibus, vel per contrariorum repetitionem. Quoad secundam partem etiam suadet: nam sæpe ille qui justificatur, habet habitum vitii ita intentum, ut post multos pœnitentiæ actus non omnino illum devincat: et tamen credi potest per tales actus simul cum indulgentiis et jubilæis absolvi a reatu pœnæ temporalis, quo antea ligabatur. Et sane incerta regula videtur pro duratione prædicti reatus duratio dispositionis vitiosæ, ita ut credatur pœna temporalis ex toto remissa, quando illa cessaverit; superesse vero aliquid solvendum, quando adhuc durat.

Adde, quod D. Thomas nomine *conversionis* intelligit aliquid, quod sit pars saltem per modum materiæ peccati actualis vel habitualis, sicut aversio est pars formalis: habitus autem vitiosus nullo modo est pars peccati, neque ad ejus integritatem concurrat, ut tetigimus disp. præced. num. 111, ob idque nullo existente habitu vel dispositione, manet peccatum integrum: ergo, etc. Adde etiam, prædictam expositionem aperte rejici ab ipso D. Thom. in 2, dist. 42, q. 1, art. 2, ubi in tertio argumento ponit impugnationem, quam modo efformavimus: illaque convictus, respondet: *Dicendum, quod reatus non fundatur per se loquendo super dispositionem vel habitum; sed per accidens, secundum quod talis dispositio vel habitus cuidam defectui conjungitur.* Aliquid ergo aliud præter habitum vel dispositionem assignandum est, fundans per se prædictum reatum: sive jungatur illi dispositio vel habitus, sive non, quod est per accidens.

Secundum quod ait Cajetanus, videlicet manere inordinationem conversionis, quamvis non maneat ipsa conversio, non minorem ingerit difficultatem, quamdiu non explicatur, neque explicari facile potest, quid sit illa inordinatio, aut ibi maneat, seclusis tam aversione quam conversione peccati. Hæc difficile reddunt utramque Cajetani expositionem, compelluntque aliam inquirere: quæ licet non omnino a difficultatibus immunis, erit tamen conformis menti D. Thomæ, et veritati.

18. Pro quo nota, peccatum mortale actuale, licet physice pertranseat finita actione, manere tamen moraliter, quo usque per pœnitentiam retractetur. Ob idque

disp. præcedenti num. 74, diximus, terminum a quo justificationis non esse solum peccatum habituale consistens in gratiæ privatione, sed includere etiam suo modo ipsum peccatum actuale præteritum moraliter permanens, quæ quidem permanentia per ipsam justificationem destruitur; secundum quod per eam formaliter vel virtualiter retractatur, et juxta gradum talis retractionis. Unde ut tollatur omnino, nihilque ejus remaneat, oportet ut retractetur quoad totum quod in eo fuit: si vero quoad aliquod non retractetur, permanebit quoad hoc moraliter, etiam post justificationem. Deinde nota, in prædicto peccato fuisse simul et conversionem ad bonum commutabile, et aversionem a Deo fine ultimo: ut explicuimus disp. 6, dub. 3, et quamvis utraque hæc ratio sit mortaliter peccaminosa; tamen conversio non habet quod sit mortalis, præcise ut conversio est; sed in quantum est inductiva aversionis seu in quantum est conversio aversiva. Unde si consideretur præcise ut est conversio ad bonum commutabile, præscindendo ab eo quod sit aversiva a Deo, quamvis adhuc prout sic sit inordinata, non tamen hæc inordinatio præcise ex hoc capite ad rationem culpæ mortalis pertingit; sed est etiam communis peccato veniali, in quo invenitur conversio ad commutabile bonum inordinata et peccaminosa.

Ex quo fit (et est tertio observandum) quod licet in qualibet justificatione, dum gratia infunditur, et peccatum habituale aufertur, retractetur etiam peccatum actuale præcedens, quantum ad illud quod habebat aversionis, seu conversionis aversivæ, quia hæc ratio non retractata est omnino cum gratia impossibilis; non tamen necesse est, quod retractetur etiam quantum ad conversionem secundum se præcise sumptam: quia talis ratio cum prædicta præcise non repugnat gratiæ, ut cernitur in peccatis venialibus. Unde adhuc post justificationem potest moraliter permanere: quo usque voluntas per pœnam et mortificationem assumptam tantum sibi displiceat, tantundemque delectationis et gustus sibi adimat, quantum indulserat per prædictam conversionem, sicque omnino illam retractet, et ejus deordinationem ad debitum ordinem reducat. Quod si in ipsa justificatione maximo aliquo dolore id fiat, ut aliquando contingit, manebit ex tunc retractata et abolita prædicta conversio: sin minus, ut regulariter fit, durabit moraliter, absolvenda citius

vel tardius juxta fervorem actuum pœnitentiæ subsequentialium, et juxta majorem vel minorem deordinationem prædictæ conversionis.

19. Ex hac doctrina, quam alibi exactius confirmabimus, ad replicam contra solutionem D. Thomæ respondetur, S. Doctorem nomine *conversionis* manentis post sublatam aversionem culpæ mortalis non intelligere aliquid sive positivum, sive privativum, quod tunc physice permaneat; sed peccatum actuale præteritum non retractatum quantum ad conversionem ad bonum commutabile cum præcise sumptum, adeoque permanens moraliter quoad talem conversionem. Hæc autem ratio sic moraliter permanens, sufficit ad fundandum reatum demeriti respectu pœnæ temporalis, et ad tribuendam hanc denominationem, sine recursu ad relationem rationis, aut ad solum reatum justitiæ. Neque obest, quod prædicta conversio non existat physice, sed tantum moraliter, quia ad tribuendam denominationem moralem, uti est hæc de qua loquimur, sufficit ex parte formæ talis modus existendi.

Neque etiam obest, si dicas; quod conversio reperta in peccato mortali actuali sumpta secundum se, et cum præcise, quam diximus, non est separabilis a seipsa, ut est aversio seu conversio aversiva, cum nulla sit inter has rationes realis distinctio: ergo non stat, deleri hanc posteriorem per justificationem, et priorem illam indeletam manere. Respondetur enim, hinc solum probari inseparabilitatem inter prædictas rationes secundum esse physicum, et quantum ad physicam earum permanentiam; secus autem quantum ad permanentiam moralem; seu per non retractionem. Potest enim voluntas circa rationes inter se identificatas taliter suo affectu versari, ut doleat de una, et non de alia, adeoque ut illam et non istam retractet: in quo ipso tollit a prima moralem permanentiam non illi amplius adhærens; et conservat moraliter secundam per voluntariam adhæSIONEM ad ipsam: moralis enim permanentia aut non permanentia prædictæ conversionis vel aversionis in nullo alio consistit quam in adhæSIONE aut non adhæSIONE voluntatis ad illas.

20. Omittimus alias replicas, vel quia facile possunt dissolvi, vel quia propriam sedem habent in tractatu de Justificatione ubi a nobis diluentur. Addimus vero prædictam solutionem et doctrinam pariformiter

ter applicandam esse reatui pœnæ manenti ex peccato veniali : nam etiam hujusmodi peccatum permanet moraliter, quousque per sufficientem pœnitentiam retractetur : et dum sic permanet, potest constituere reatum pœnæ temporalis, quamvis ex illo nihil physice remaneat : de quo infra q. 88, art. 1. Addimus etiam pro confirmatione prædictæ doctrinæ et expositionis, nos eam non aliunde quam ex ipso D. Thoma accepisse : nam in 2, dist. 42, quæst. 1, art. 2, cum sibi opposuisset nostram principalem objectionem his verbis : *Infusa gratia, cessat gratiæ privatio : sed adhuc tamen aliquis reatus manet, quo homo ad pœnam saltem temporalem obligatur : ergo non videtur quod per privationem gratiæ reatus post actum remaneat.* Respondet : *Ad quintum dicendum, quod in peccante sunt duo defectus : unus qui est in ipso actu peccati, secundum quod aliquis limites legis divinæ et rationis rectæ transgreditur : alius est in ipso peccante, privatio virtutis ex priori defectu actus inducta. Quamvis autem cum aliquis gratiam recuperat, secundus defectus tollatur ; non tamen ex toto primus sublatus est : quia oportet, ut quantum voluntati suæ obedivit præter legem Dei, tantum etiam in contrarium recompenset : ut sic justitiæ servetur æqualitas : et ideo post gratiam recuperatam jungitur satisfactio, et est adhuc homo reus temporalis pœnæ.* Vides ergo non tolli per justificationem totum quod in peccato actuali fuit, sed aliquid ejus remanere fundans et constituens temporalem reatum : cumque illa permanentia non sit physica, ut est per se notum, erit utique moralis seu per non retractationem modo explicato.

Si vero hinc deducas, quod si remissa culpa et macula, manet moraliter conversio inordinata peccati actualis præteriti, et sic manens potest constituere reatum demeriti, a fortiori id poterit ante culpæ remissionem : siquidem non minus manet tunc prædicta conversio : imo manet non solum ut conversio, quo pacto fundat reatum pœnæ temporalis ; sed etiam ut aversio fundans reatum æternæ. Dabitur ergo tunc hujusmodi reatus distinctus realiter a macula contra dicta in 3 concl. Respondetur, conversionem vel aversionem peccati actualis moraliter permanentem, tunc solum tribuere immediate denominationem reatus, quando physice et intrinsece non adest alia ratio tribuens eandem denominationem : sicut contingit, quando ablata est jam macula, et culpa remissa. Quando vera adest

talis ratio physice afficiens subjectum, sicut afficit macula ante culpæ remissionem, ipsa eo quod intrinseca et immediatior est, denominationem tribuit, eaque locum præoccupat denominanti extrinseco vel solum moraliter existenti : et non permittit ut sumatur immediate ab illo denominatio, quam ipsa ratio intrinseca potest tribuere. Quemadmodum cum in utroque correlativo adest relatio intrinseca, nullum denominatur extrinsece a relatione existente in altero ; a qua tamen denominaretur, si ipsum in se relationem intrinsecam non haberet. Diximus *immediate*, etc., quia non negamus, denominationem reatus, quæ immediate sumitur a macula, provenire mediate a peccato actuali non retractato, seu moraliter permanente, quatenus hujusmodi peccatum dum non retractatur, est ratio, ut macula physice permaneat ; et ipsa macula est terminus talis peccati, et habet se ut forma, media qua prædictum peccatum denominat hominem tum peccatorem, tum etiam reum pœnæ æternæ.

## DUBIUM II.

*Utrum peccatum per se possit habere rationem pœnæ ?*

Inter plura, quibus ratio pœnæ competere potest, de solo peccato sciscitamus, ut fecit D. Thomas : quia pro illo dumtaxat potest esse ratio dubitandi. Cætera enim si sint de genere boni nihil mali habentia, ex hoc ipso a ratione pœnæ excluduntur : quia hæc est de genere mali. Si autem in ipso mali genere contineantur, et ad culpam non pertineant, spectabunt necessario ad pœnam : quia malum creaturæ rationalis adæquate dividitur in pœnam et culpam, ut probat D. Thomas 1 p. quæst. 38, art. 1, D.Thom. et quæst. 1 de Malo art. 4. Quare solum potest esse difficultas, an idipsum malum quod est culpa, possit etiam habere rationem pœnæ ? Et quia in hoc aliqua involvuntur, quæ declaratione potius indigent, quam disputatione, separabimus primo certa ab incertis, quædamque necessaria pro dubii decisione statuemus.

## § I.

*Præmittuntur nonnulla pro expeditione dubii.*Animad-  
versio.

21. Quoniam pœna ex sua propria ratione et ex justitiæ lege ordinatur ad reparandam culpam et ejus deordinationem reintegrandam, plura importare debet, quorum notitia ad cognitionem ipsius pœnæ conducet. Pro qua nota, malum culpæ, quod consistit in perversione ordinis rationis, dupliciter posse reparari: vel ex divina misericordia et liberalitate, gratis et ex se condonante offensam, et reintegrante prædictum ordinem; veluti quæ ex proprio liberalitatis thesauro solvit et donat quicquid necessarium est ad talem reparationem: vel ex justitia restituente talem ordinem secundum æquitatis legem, adeoque periculo et impensis illius, qui peccando ipsum destruit; prout ipsa justitia exposcit. In primo casu non habet locum pœnæ: quia tota reparatio fit (ut sic dicamus), impensis ipsius misericordiæ; nihilque a peccatore exigitur: neque attenditur, quid ille mereatur; sed quid deceat misericordiam et liberalitatem condonantis et elargientis. In secundo vero fit reparatio per pœnam: quia lex justitiæ postulat ut quoties ordo rationis ab aliquo fuerit perversus: restituatur periculo sive impensis illius, cujus operatione fuit corruptus: adeoque per pœnam ab eo exactam et solutam: nam et pœna, quæ a *pendendo* dicta est, importat illud quod reus pro delicto solvit et impendit.

Fit autem prædicta reparatio, tum quatenus in ipsa pœnæ inflictione, non infligentis, sed ejus cui infligitur, scilicet delinquentis periculo splendent iterum æqualitas et ordo, quæ culpa destruxit: dum ipse qui deliquit tantumdem a proprio bono, proprioque sibi conveniente deprimitur et amovetur; quantum ut sibi, eidemque proprio bono indulgeret, contra rationis ordinem insurrexerat, hacque insurrectione prædicto bono reddiderat se indignum. Tum etiam quatenus per ipsam culpæ punitio- nem homines a peccando deterrentur, sicque jura boni honesti, quæ malus violaverat, eaque violatione veluti læsa et deteriorata manebant, majores in posterum vires sumunt, ut securius custodiantur, et plures habeantur. Tum præterea nam judex puniendo culpam, ostendit, eam esse vituperio et probro dignam; bonum vero rationis, cui opponitur, esse pluris habendum et

æstimandum crescitque proinde hujus æstimatio per exhibitionem pœnæ, quantum diminuta fuerat per culpæ commissionem. Ad quod etiam confert, quod dum Judex justitia actus punit culpam, ostendit odium et repugnantiam illius in istam, ejusque præstantia et dignitas commendatur: nam eo aliquid melius et præstantius ostenditur, quo plus malo adversatur et repugnat.

22. Ex quo fit in primis, de ratione pœnæ esse, ut supponat culpam proportionatam, infligaturque propter illam: quia pœna, ut diximus, ordinatur ad culpæ reparationem; reparatio autem non habet locum ubi destructio non præcedit. Quare media aliâ, quæ ad præcavenda peccata futura præcise ordinantur, non habent rationem pœnæ (licet si sint pœnalia, aliquando improprie *pœnæ* appellentur) quia re vera nihil reparant, quod destructum sit; sed vitant, ne destruat quod reparatione indigeat. An vero proprie dicendæ sint *pœnæ*, quæ ponuntur transgressoribus quarundam humanarum legum non obligantium ad culpam moralem, etiam venialem, sed ad nudam pœnam; dicemus infra in comment. artic. 7. Deinde fit, pœnam debere esse a judice ordinatam et taxatam. Sicut enim judicis munus est malum culpæ reparare; ita ad eum spectare debet designatio et ordinatio medii pro tali reparatione, quod est pœna. Eo præsertim quia prædicta reparatio debet esse justa et adæquata; alias non esset culpæ reparatio, sed nova inæqualitas et nova culpa: constituere autem justum et adæquatum, opus est justitiæ, debetque proinde ad judicem pertinere. Debet etiam esse volita a judice: quia nullus ordinat aut determinat, nisi quod vult. Non tamen debet esse volita primario et propter se, puta ex intentione inferendi malum delinquenti, quasi in eo judex delectetur: quia hic affectus non justitiæ est, sed sævitæ et immanitatis. Sed secundario et propter aliud: nimirum propter reluctentiam, extensionem, et securitatem justitiæ et boni honesti, cui deservit.

Tertio fit, de ratione pœnæ esse, quod sit aliquid malum et disconveniens patienti. Tum quia correspondet demerito culpæ veluti ipsius stipendium: hoc autem non debet esse bonum, sed malum; quia culpæ non debetur præmium, sed supplicium. Tum etiam quia modus reparandi culpam per pœnam, quem nuper explicuimus, postulat, ut hæc sit mala et disconveniens patienti. Si enim esset bona et conveniens, nulla via

Consec-  
taria.

via in ejus inflictione ostenderetur justitiæ æqualitas : potiusque homines ratione illius allicerentur, ad peccandum, ut bonum pœnæ reciperent, quam ejus timore arcerentur. Quin et judex exhiberet se culpæ amatorem, potius quam vindicem : factoque ipso ostenderet, justitiam non adversari culpæ, sed adulari. Quæ omnia detrahunt valde justitiæ perfectioni.

23. Dices ex D. Dionysio lib. de divin. nomin. cap. 4, quod puniri non est malum, sed malum est fieri pœna dignum : ergo non pœna qua punitur peccator, sed sola culpa, qua fit dignus pœnæ, habet rationem mali. Deinde si pœna esset mala, non amaretur a justo judice : amatur autem : igitur non est mala, sed bona. Præterea illud quo homines avertuntur a malo, et ad bonum trahuntur, non est malum, sed bonum : hoc autem fit per pœnam : ergo, etc.

Respondetur animadvertendo, malum dici, quod est alicui disconveniens ; sicut bonum dicitur quod est conveniens. Duplīciter autem potest aliquid disconvenire creaturæ rationali (quæ sola habet esse subjectum culpæ et pœnæ) vel secundum se præcise consideratæ, ita ut regula et mensura talis disconvenientiæ sit ipsamet creatura. Vel in ordine ad legem divinam, per quam actus nostri liberi regulari debent : ita quod ipsa lex sit mensura prædictæ disconvenientiæ. Prima disconvenientia constituit malum pœnæ : nam pœna est malum creaturæ rationalis secundum se et sine respectu ad aliam regulam. Secunda vero constituit malum culpæ : quia culpa est malum prædictæ creaturæ in suis actibus, et in ordine ad mensuram ipsorum actuum scilicet legem. Sive (quod idem est) malum pœnæ est quod creaturæ rationali in se absolute disconvenit, opponiturque bono ejus peculiari et proprio : malum vero culpæ est illud, quo ipsa creatura efficitur dissona et disconveniens fini ultimo, et divinæ legi ordinanti ad talem finem : et quia his nequit disconvenire nisi ratione actuum liberorum, quorum est dumtaxat per legem regulari, et ad prædictum finem dirigi ; ideo culpa est malum talis creaturæ non in se absolute, sed in suis actibus : comprehendendo sub actibus etiam actuales omissiones.

Est autem discrimen inter prædicta duo mala : quoniam primum cum solum sit malum creaturæ, solum opponitur proprio et peculiari bono ipsius creaturæ : non autem opponitur Deo, aut ordini ad ultimum finem,

neque proinde repugnat divinæ voluntati ; sed potest ab ea ordinari ad finem honestum, et amari propter talem finem : et quia quod ordinatur ad finem bonum, ex ipso fine induit rationem boni, ideo tale malum ita est malum secundum se, ut simul sit bonum in ordine ad aliud : præstatque bonitas et amabilitas, quam accipit ex hac ordinatione, disconvenientiæ et odibilitati, quam habet secundum se : quippe illa spectat ad ordinem boni honesti ; cui hæc non opponitur, sed tantum bono proprio et delectabili : ob idque a prædicta bonitate et honestate dicitur pœna bona *simpliciter* ; a disconvenientia vero dicitur *mala solum secundum quid* : ut docet D. Thom. 2, 2, quæst. 19, art. 1, et quæst. 1 de Malo art. 1 ad 1, et ad 18. Econtra autem malum culpæ sicut ex propria ratione opponitur legi divinæ et ordini ad finem ultimum ; sic ex ea habet quod opponatur Deo et bonitati ejus, sitque malum non solius creaturæ, sed etiam ipsius Dei : non tantum ratione offensæ formalis, quæ est in eo moraliter subjective, sed etiam ratione malitiæ existentis in peccatore, quæ adversatur illi objective : juxta dicta disp. præced. n. 131, atque adeo exinde etiam habet, quod non possit ordinari in ipsum Deum, aut in aliquem finem honestum, neque a divina voluntate ob talem finem amari, aut decerni. Ex quo fit, hujusmodi malum secundum id quod exprimit deordinationis, ita esse malum, ut nulla via possit honestari aut fieri bonum : neque proinde licite appeti aut eligi ob quencunque finem : sed semper manet simpliciter et ex omni parte malum.

24. Ex his patet ad replicas : nam D. Dionysius loquitur de malo simpliciter, quod opponitur bono honesto et fini ultimo ; non autem de malo quod solum opponitur bono particulari creaturæ, conduciturque ad ipsum bonum honestum : et ideo est malum secundum quid, et bonum simpliciter. Et in hoc sensu loquens, recte dixit, non esse malum *puniri*, quod fit per pœnam ; sed solum esse malum *fieri pœna dignum*, quod est per culpam.

Ad secundam respondetur, pœnam posse amari a judice, quatenus induit rationem boni ex ordine ad finem honestum ; quamvis secundum se sit mala respectu patientis : quia cum hoc malum non opponatur Deo, potest ab eo eligi propter prædictum finem.

Ad tertiam dicas, conducentiam pœnæ pro retrahendo a culpa, et inducendo ad

replicæ.  
Dionys.

animad-  
versio  
no solu-  
tione.

D. Thom.

Enodan-  
tur repli-  
cæ.

bonum honestum, conferre illi ex hac parte honestatem et amabilitatem; non autem tollere, quominus secundum se spectata, et in ordine ad bonum particulare patientis servet oppositionem et disconvenientiam, proindeque sit ei mala.

Alia  
condi-  
tiones  
pœnæ.

25. Quarto habetur, omnem pœnam debere esse contra patientis voluntatem. Nam cum voluntas ex se inclinatur ad proprium bonum proprii suppositi, necesse est ut quicquid contrariatur huic bono, ut diximus contrariari pœnam, repugnet etiam ipsi voluntati. Observat autem D. Thomas quæst. 1 de malo, art. 4, quod *pœna tripliciter repugnat voluntati. Quandoque quidem voluntati actuali: sicut cum quis se sciente sustinet aliquam pœnam. Quandoque vero est contra voluntatem habitualem: sicut cum alicui ignorantia subtrahitur aliquod bonum, de quo doleret, si sciret. Quandoque vero solum contra naturalem inclinationem voluntatis: sicut cum quis privatur habitu virtutis, qui virtutem habere non vult; sed tamen naturalis inclinatio voluntatis est ad bonum virtutis, etc.* Quovis autem ex istis modis aliquid sit contra voluntatem, poterit habere rationem pœnæ, quantum est ex ipso capite. Quintam conditionem pœnæ assignat D. Thom. eodem loco, videlicet quod consistat in quadam passione. *Ea enim (inquit) quæ contra voluntatem eveniunt, non sunt a principio intrinseco, sed a principio extrinseco, cujus effectus passio dicitur.* Sextam ponit ibidem, quod pœna debet esse malum patientis, prout distinguitur a malo actionis, ita ut noceat illi immediate in seipso, non vero in solis operationibus, vel actibus secundis.

Hæc autem, quæ de ratione pœnæ esse diximus, e converso se habent in culpa: nam de ratione istius est, quod sit a voluntate, adeoque non contra, sed juxta illam: quod consistat in actione vel quasi actione, et non in passione: quod sit malum ipsius actionis potius quam agentis: de quo legendus est D. Thomas loco cit. et l p. quæst. 48, art. 5 et 6.

26. Quibus sic statutis, alia adhuc inferre licet non minus conducentia ad præsens. Primo quod nullum bonum, quod ita est bonum, ut nihil habeat de ratione mali et disconvenientis, sicut gratia, gloria, habitus virtutum et similia, quæ solum ordinantur ad perficiendum, potest esse pœna, ut initio dubii tetigimus. Nam ratione pœnæ est, quod sit mala et disconveniens patienti.

Novæ  
illatio-  
nes pro  
iis qui-  
bus com-  
petat ra-  
tio pœ-  
næ.

Secundo quod omne malum et disconveniens, sive quantum ad animam, sive quantum ad corpus, sive quantum ad exteriora bona (saltem excepta culpa) potest esse pœna: nam eo ipso ratione prædictæ disconvenientiæ potest ex justitia ordinari ad reparandam culpam, restituendumque ordinem rationis, et habere reliqua, quæ de ratione pœnæ esse diximus. Imo de facto omne tale malum esse re ipsa pœnam alicujus peccati saltem originalis, docet tamquam de fide certum D. Thomas in 2, dist. 36, quæst. 1, art. 4 et citato art. 4 ex quæst. 1 de Malo, ubi sic ait: *Habet hoc traditio fidei, quod nullum nocumentum creatura rationalis posset incurrere, neque quantum ad animam, neque quantum ad corpus, neque quantum ad aliqua exteriora, nisi peccato præcedente vel in persona, vel saltem in natura: et sic sequitur, quod omnis talis boni privatio, quo uti quis potest ad bene operandum, in hominibus pœna dicatur: et pari ratione in Angelis: et sic omne malum rationalis creaturæ vel sub culpa, vel sub pœna continetur.* Ex quo patet divisionem mali creaturæ rationali contingentis in culpam et pœnam esse adæquatam; non solum loquendo de pœna aptitudinaliter, sed etiam actualiter.

Idem.

27. Tertio deducitur, etiam ipsum peccatum posse habere rationem pœnæ secundum aliquid, quod antecedenter, vel concomitanter, vel consequenter se habet ad illud. Ex antecedentibus enim habet rationem pœnæ permissio ipsius peccati, et subtractio gratiæ et auxiliorum, quibus vitandum erat: nam talis permissio et subtractio vere est mala et disconveniens homini; sicut gratia quam tollit, esset conveniens: cumque non sit mala per modum culpæ, non enim dicit dissonantiam ad aliquam legem, neque opponitur divinæ voluntati; oportet ut sit malum pœnæ. Hæc tamen pœna non habet locum in primo peccato, sed solum in subsequentibus: quia de ratione pœnæ est, ut supponat culpam, pro qua infligatur (non enim Deus punit peccata solum quia possibile, vel futura, neque prout sic sunt capacia punitionis, sicut nec remissionis, aut satisfactionis) et ideo ubi culpa non supponitur, sicut non supponitur ad permissionem primi peccati, non habet locum pœna. Semel vero commisso uno peccato et non dimisso, potest Deus ex justitia in pœnam illius alia permittere, denegareque auxilia, quibus cavenda essent. Unde permissio illa primi peccati et negatio auxiliorum,



rum, quæ in ea includitur, non est punitio aut actus justitiæ; sed pura negatio beneficii indebiti: de quo plura diximus in tractatu de prædestinatione disp. 8, dub. 2. Ex concomitantibus peccatum habent rationem pœnæ afflictio, molestia, lassitudo, viriumque diminutio, et similia stipendia, quæ sæpe illi admiscuntur: quippe hæc et sunt disconvenientia patienti, et non dicunt ipsam deformitatem et malitiam, quæ Deo repugnat: adeoque possunt ab illo tanquam a iudice causari et disponi. Consequenter ad peccatum se habent damna et detrimenta in vita, honore, divitiis, etc., quæ ex illo frequenter sequuntur: de quibus etiam non est dubium, quod habeant rationem pœnæ, propter easdem rationes. Porro hæc duo genera pœnarum concomitantium et consequentium locum habent in omnibus peccatis: quia ratione illarum unum peccatum non modo alterius præcedentis, sed etiam sui ipsius potest esse pœna: semper enim malitia præcedit illas tempore, vel natura: et hæc prioritas sufficit, ut juste propter ipsam malitiam infligantur.

Hæc sunt quæ in hac materia communiter recipiuntur: traditque magna ex parte D. Thomas in hac quæstione, præsertim art. 2 et Magister in 2, dist. 36. Est autem controversum de ipso peccato secundum se, an habeat rationem pœnæ? In quo adhuc possumus plura considerare: ut deformitatem ipsam seu malitiam positivam per quam constituitur in ratione peccati, juxta dicta disput. 6, entitatem moralem per modum transcendentis in ea inclusam: entitatem physicam actus, qui est subjectum moralitatis et malitiæ: et privationem rectitudinis seu malitiæ privativam, quam disp. citat. in prædicto actu concessimus. Et quamvis expositores D. Thomæ, et alii agentes hanc quæstionem, reducant illam ad solam malitiam, non distinguentes inter positivam et privativam, neque entitatis sive physicæ sive moralis memoriam facientes; nobis de omnibus est dicendum: quia nullum prædictorum expers omnino est difficultatis.

## § II.

### *Prior et communis assertio.*

Dicendum est primo, peccatum quantum ad suam malitiam sive positivam sive privativam non posse habere rationem pœnæ.

Ita D. Thomas in præsentibus art. 2, dicens

*Salmant. Curs. theolog. tom. VIII.*

*peccatum per se nullo modo posse esse pœnam peccati: constat autem nihil magis per se considerari in peccato quam ipsam malitiam. Verba autem illa nullo modo potest, semel et iterum a D. Thoma replicata in corpore art. excludunt omnem modum, quo auctores contrarii intendunt peccatum, quantum ad suam malitiam posse, et esse pœnam peccati. Ang. Doctorem sequuntur communiter ejus expositores hoc loco, ubi Cajet. et Medina in suis commentariis, Curiel et Martin. dub. unic. Araujo dub. 1, n. 27, Alvar. disp. 181, Zumel disput. unic. Vasq. disp. 140, c. 3, Montesi. disp. 17, q. 1, nec non Capreolus in 2, dist. 36, q. unic. art. 3 ad 2, Aureoli contra primam conclusionem, Durand. ibidem q. 2 et alii. Potestque efficaciter probari. Primo quia de ratione pœnæ est ut sit reparativa culpæ. seu boni honesti destructi per illam: sed peccatum secundum suam malitiam nullo modo reparat prædictum bonum: ergo quantum ad illam nequit habere rationem pœnæ. Major constat ex iis, quæ prænotavimus. Minor vero suadetur. Tum quia malitia moralis ex se tendit ad destructionem boni honesti, et ad invertendum ordinem rationis constitutum talis boni: imo quælibet talis malitia addit novam inversionem et destructionem prædicti ordinis: non igitur potest esse illius reparativa. Tum etiam quia si peccatum secundum suam malitiam esset reparativum culpæ aut prædicti boni, licitum esset ob talem reparationem illud adhibere, ac proinde peccare: sicut ob eam licet adhibere alias pœnas; et sicut licet reparationem ipsam intendere: est autem manifesta implicatio, quod peccatum liceat: ergo, etc.*

Secundo probatur. Omnis pœna debet esse justa et honesta, utpote ex justitia ordinata ad honestum finem, qui est reparatio culpæ; habensque esse a Deo ut a iudice determinante et definiente illam, adeoque ut volente eam, licet secundo et propter prædictum finem: sed peccatum quantum ad malitiam ob nullum finem potest honestari, aut justificari, aut esse volitum a Deo, sive primario sive secundo, aut esse ab illo causatum, determinatum, vel definitum: ergo, etc.

Tertio, de ratione culpæ est, quod sit a voluntate, nam debet esse voluntaria et ab intrinseco; de ratione vero pœnæ est quod sit contra voluntatem: sed repugnat ut id quod est a voluntate, sit contra voluntatem: ergo repugnat, peccatum secundum eandem rationem, scilicet secundum rationem cul-

Cajet.  
Medina.  
Curiel.  
Martin.  
Araujo.  
Alvar.  
Zumel.  
Vasq.  
Montes.  
Capreol.  
Durand.

Prima  
ratio.

Secunda  
ratio.

pæ et malitiæ habere rationem pœnæ. Confirmatur: nam culpa est malum actionis nocens ei immediate; pœna vero est malum agentis illi in seipso immediate nocens: sed idem non potest esse malum actionis et agentis nocens utrique immediate; sicut non potest utrunque immediate afficere: ergo, etc.

Evasio. 29. Dices cum Scoto et aliis infra referendis, peccatum posse considerari dupliciter: vel ut actio est, seu quatenus egreditur effective a voluntate; vel in quantum est passio, et recipitur in ipsa voluntate: quamvis autem primo modo non possit esse pœna, ob rationes factas; bene tamen posteriori, quia in quantum est passio, juste et contra voluntatem patientis a Deo infligitur: ac proinde habet quicquid requiritur ad rationem pœnæ. Adducuntque exemplum in passione Christi Domini; quæ quidem ut recepta in ipso erat bona, et a Deo intenta, ut pœna et satisfactio pro peccatis nostris; in quantum vero erat actio Judæorum, erat pessima, et contra divinam voluntatem.

Animadversio pro impugnatione. Sed hoc effugium facile impugnatur animadvertendo, quod in actibus immanentibus, qui non identificant sibi motum proprie dictum, proindeque non sunt de prædicamento actionis, sed potius de prædicamento qualitatis, non datur passio prædicamentalis, quæ sit aliquid ab actione distinctum: sed ipsamet qualitas, quæ prout egreditur a potentia immanente, dicitur actio; ut recipitur in illa, et informat eam, habet modum passionis. Quam doctrinam sive adversarii tueantur, sive non, ad præsens debent necessario admittere vel supponere, et juxta eam discurrere. Nam cum sermosit de peccato quantum ad suam malitiam, non debet fieri recursus ad aliam rationem, quæ malitia non sit, sed ab ea distinguatur. Quippe de tali ratione, si detur, nullum est dubium quod possit habere rationem pœnæ; sicut de aliis antecedentibus, concomitantibus, et consequentibus nuper supposuimus: sed solum est quæstio de ipsa malitia. Porro si in peccato una cum actione peccaminosa interveniat passio prædicamentalis diversa ab actione, talis passio non erit malitia: nam hæc consistere debet penes eam tantum formalitatem et rationem, quæ est actio: atque adeo vel non debet fieri recursus ad prædictam passionem, sed rem agere cum sola actione, quasi alia ratio non daretur: vel extra eorum et extra dubii terminos erit talis recursus.

Si ergo ita philosophandum est, ac si non detur talis passio, supponamus eam non dari, ut nos verum credimus, tantumque esse ibi unam rationem et formalitatem, quæ considerata in ordine ad principium, seu ut egrediens a voluntate, gerit munus actionis; considerata vero in ordine ad subjectum, sive in quantum afficit et informat ipsam voluntatem, et in ea recipitur, habet modum passionis.

30. Ex hoc prænotato ita impugnatur evasio adducta. Nam quod malitia peccati consideretur in ordine ad subjectum, et ut informans illud, quod est considerari per modum passionis, non extrahit eam a linea malitiæ, neque addit aliquod munus, quod malitiæ munus non sit; sed potius explicat magis proprium munus et exercitium ipsius malitiæ: ergo adhuc ita considerata nequit habere rationem pœnæ. Consequentia liquet; ideo enim considerata per modum actionis, non potest esse pœna, neque habet ea, quæ de ratione pœnæ, esse diximus: quia prout sic explicat munus malitiæ, cui omnia illa repugnant: si igitur considerata per modum passionis, nihil aliud exprimit, eandem habebit repugnantiam ad munus pœnæ exercendum. Antecedens vero probatur: nam per hoc quod malitia recipiatur in subjecto, et informet illud, nihil aliud efficitur, nisi quod communicet ei suum effectum formalem, qui est reddere ipsum subjectum malum, turpe, et deforme: hoc autem totum est proprium malitiæ munus, propriumque ejus exercitium: ergo, etc.

Confirmatur: non minus repugnat Deo causare effective malitiam, ut informantem subjectum et habentem modum passionis, quam ut est actio egrediens a principio: imo si causaret eam priori illo modo, causaret etiam hoc posteriori: ergo non minus repugnat ipsi malitiæ ratio pœnæ uno modo quam altero. Consequentia liquet: et antecedens probatur. Tum quia causare effective malitiam ut informantem subjectum, nihil aliud est quam causare efficienter effectum formalem ipsius malitiæ, qui consistit in prædicta informatione; seu facere quod malitia tribuat subjecto talem effectum, reddatque illius malum, turpe, et peccaminosum: divinæ autem causalitati non minus repugnat causare hujusmodi effectum, quam causare ipsam malitiam, ut est per se notum: quis enim neget repugnare Deo quod faciat voluntatem nostram esse peccaminosam et malam, sicut repugnat quod faciat ejus

Impugnatur evasio

Alia

ejus peccatum et malitiam? Vide Cajetanum in præsentis articulo 2, ubi hanc impugnationem prosequitur.

Tum etiam quia cum malitia sit accidens, et hujus esse sit *inesse* subjecto, ille causat malitiam, eo modo quo causari potest, qui facit ut suo subjecto insit, et informet illud: vel ergo hoc posterius non est Deo tribuendum, vel debet dici absolute causa malitiæ. Tum præterea, nam malitia ut habet modum passionis, non dependet a causa efficiente, neque terminat aliquem ejus influxum, nisi mediante seipsa, ut est actio: non enim munus passionis addit in ea aliquid in esse rei, pro quo necessarius sit novus influxus effectivus, aut novus respectus ad aliquam causam efficientem præter illum, quem dicit ipsamet ut est formaliter actio: sed solum addit respectum ad subjectum per modum formæ, quatenus eadem realitas, quæ in ordine ad principium unde oritur, gerit munus solius actionis, vel effectus generis causæ efficientis; in ordine ad subjectum quod afficit, et in quo recipitur, induit rationem causæ formalis, aut etiam effectus generis causæ materialis: pro quibus muniis sicut necessaria non est nova aliqua realitas, sed eadem connotando subjectum et ejus causalitatem materialem, in prædicta munia se explicat, ita non est necessarium aliquod novum efficiens, aut aliqua nova dependentia in hoc genere causæ. Si igitur tota dependentia prædictæ passionis a quovis principio effectivo debet esse mediante dependentia sui ipsius ut actio est, plane sequitur vel Deum causare illam etiam ut actionem, quod adversarii negant; vel non causare illam adhuc ut passionem, quod intendimus.

Exemplum de passione Christi, et peccato Judæorum non est ad rem: quia prædicta passio recepta in Christo quamvis fuerit effectus illius peccati, non tamen fuit ipsum peccatum aut ejus malitia, etiam prout ista consideratur per modum passionis; sed aliquid omnino diversum, et in subjecto distincto existens: passio quippe erat in Christi corpore, peccatum vero et malitia in Judæorum voluntate: unde non mirum quod talis passio fuerit volita a Deo, sicut plura alia quæ sunt peccati effectus. Secus autem passio de qua in præsentis loquimur, quæ nullo modo est aliud ab actione et a malitia, et ab ejus effectu formali.

31. Dices secundo, non requiri ad rationem pœnæ, quod sit a Deo positive tanquam

ab influente in illam; sed sufficere quod sit ab illo permissive tanquam a non impediente: ut patet in pœna damni et in aliis, quæ consistunt in sola carentia alicujus boni, quod Deus non tribuit: hoc autem modo etiam malitia habet esse ab ipso; siquidem potest impedire illam, et non impedit, sed permittit ut fiat.

Sed contra est: nam ut recte vidit Cajetan. Deus diverso modo se habet in ordine ad causandam pœnam, atque in ordine ad culpam: ratione cujus discriminis absolute asseritur esse causa illius; et absolute negatur causa istius: si autem sufficeret ut respectu pœnæ haberet se permissive, quo pacto se habet respectu culpæ, nullum esset inter eas discrimen: atque adeo æque absolute et simpliciter diceretur causa unius, sicut alterius; quod omnino est negandum. Aliter ergo debet influere in pœnam quam pure permissive. Ad hæc: concursus Dei in pœnam debet esse talis, ut ratione illius ipsa pœna reducatur in Deum, tribuaturque ei ut causæ et auctori: ad hoc autem non sufficit concursus solum permissivus: ut patet in culpa, quæ nequit ratione talis concursus reduci in Deum, vel ei ut auctori et causæ tribui: ergo, etc. Debemus ergo ultra permissionem seu non impeditionem, tribuere Deo alium modum quasi positivum concurrenti ad pœnam: qui erit vel influendo physice in illam directe vel indirecte: vel saltem influendo moraliter, scilicet decernendo et ordinando, adeoque volendo positive ipsam pœnam: quo pacto nequit se habere ad malitiam sive per modum actionis, sive per modum passionis acceptam. Circa hæc tamen vide supra quæst. 79, in commentar. art. 3 n. 4 et 5, ubi agentes de pœna excæcationis et indurationis, explicuimus prædictam causalitatem moralem diluimusque objectionem, quæ hic poterat insurgere. Aliæ vero quæ contra rationes nostræ assertionis, præcipue vero contra tertiam pullulare poterant, in sequentibus diluentur.

### § III.

*Posterior assertio pro plena dubii decisione.*

32. Dicendum est secundo, in actibus voluntatis neque etiam entitatem sive moralem sive physicam, quæ se habet ut quid materiale respectu malitiæ, posse habere rationem pœnæ. Hæc conclusio non inve-

nitur ita expresse asserta ab authoribus; neque etiam ab eis negata. Esse autem de mente D. Thomæ, adeoque a suis discipulis defendendam, ostendet ratio, quam statim afferemus. Non enim pro ea militant omnes, quas pro præcedenti adduximus, sed solum tertia: nam entitas actus peccaminosi sive moralis sive physica quantum ad id quod dicit entitatis et actualitatis non repugnat Deo, debetque proinde ab eo causari, sicut omne ens per participationem debet causari ab ente per essentiam: et consequenter prima et secunda ratio, quibus præcedentem assertionem suasimus, petita ex illo principio, quod pœna debet esse a Deo, cujus nequit esse effectus malitia, cœssant omnino in præsentem, cum fateamur Deum esse causam prædictæ entitatis. Porro tertiam rationem, (quæ est D. Thomæ in præsentem art. 2), æque vel per prius convincere de ipsa entitate, quam de malitia, ostendet eadem ratio iterum proposita verbis Angelici Doctoris, quæ sic se habent: *Peccatum per se consideratur secundum quod egreditur a voluntate: de ratione autem pœnæ est quod sit contra voluntatem: manifestum ergo est, quod peccatum per se loquendo nullo modo potest esse pœna.* Quod autem hæc ratio prius et a fortiori procedat in entitate actus voluntatis quam in ejus malitia, quilibet animadvertet. Tota quippe innititur rationi voluntarii, quod est de conceptu culpæ, pœnæ vero adversatur: rationem autem voluntarii notum est convenire entitati actus voluntatis prius et magis per se, quam ejus malitiæ: illa enim seipsa directe et omnino per se est voluntaria; imo est ipsa voluntarii essentia: hæc vero non ita per se, sed ratione ipsius entitatis, quasi ex consequenti et indirecte voluntaria efficitur: ergo quod huic competit aut repugnat ratione voluntarii, a fortiori debet illi competere aut repugnare: *propter quod enim unumquodque tale, etc.*

33. Confirmatur: nam si quæ disconvenientia est in actu voluntatis peccaminoso, propter quam posset alicui ejus inclinationi repugnare, hacque ratione aliquid involuntarii induere, non est ipsa entitas secundum se considerata, sed potius ipsa malitia et deformitas; quæ sicut contrariatur bono honesto, repugnat etiam inclinationi voluntatis ad tale bonum, ut vidimus disp. 2, n. 6; igitur si hoc non obstante, prædicta malitia nequit esse involuntaria, prout exigitur ad rationem pœnæ; multo minus id

habetur entitas sive moralis sive physica secundum se considerata.

Sed forte retorquebis hanc confirmationem in assertionem precedentem quoad tertiam ejus probationem: quia admissio dari in malitia sive positiva, sive privativa prædictam disconvenientiam, prædictamque oppositionem respectu inclinationis voluntatis ad bonum honestum, ea utique sufficiet ut dicatur contrariari voluntati, quantum postulat ratio pœnæ: sufficit enim ad hanc, quod sit contra inclinationem habituales vel naturales, ut ex D. Thoma n. 25, vidimus: non ergo malitia ex vi illius rationis a linea pœnæ excluditur. Respondetur tamen, nos modo solum voluisse præferre entitatem malitiæ in ratione voluntarii, ut appareat, D. Thomæ rationem ex isto capite desumptam a fortiori in illa convincere. Quod autem prædicta disconvenientia reperta in malitia non sit satis ad involuntarium quod pœna requirit, atque adeo quod eadem ratio militet etiam sufficienter in ipsa malitia constabit ex dicendis n. 42.

34. Aliunde tamen videtur prædicta ratio pro hac secunda assertionem infirmari objiciendo contra illam: quia D. Th. in præsentem art. 2, inter illa, quæ in peccato habent rationem pœnæ, numerat ipsam substantiam actus: et loquitur etiam de actu interiori, ut constat ex illis verbis: *Alio modo ex parte substantiæ actus, quæ afflictionem inducit, sive sit actus interior, etc.* substantia vero actus nihil aliud est quam ejus entitas: ergo contra D. Thomam excludimus istam a ratione pœnæ.

Respondetur, D. Thomam non loqui de actibus a voluntate elicitis, de quibus procedit nostra assertio; sed de actibus qui ab ea imperantur, eliciuntur vero ab aliis potentiis, ut ab intellectu et appetitu sensitivo. Quos actus appellat interiores, quia manent ad intra in ipsis potentiis: ad differentiam actuum vel motuum omnino externorum, qui per membra externa exercentur. Et quod hæc fuerit mens D. Thomæ, constat: nam exemplum actus, quem vocat *interiorem*, ponit in ira, et invidia: quæ verius et per prius dicuntur de passionibus appetitus sensitivi, quam de actibus voluntatis. Pro actibus vero externis exemplificat in damno et labore corporalibus, quæ peccatores sæpe incurrunt, ut peccatum executioni mandent. Est autem magnum discrimen quoad præsens inter prædictos actus. Nam qui a voluntate

Ratio.  
D. Thom.

Objectio  
ex D.  
Thom.

Confir-  
matio.

Diffinitio.

luntate eliciuntur, sicut secundum se totos habent esse a voluntate, ipsaque eorum substantia et essentia in ingressu ab ea consistit; ita secundum nihil sui possunt eidem voluntati repugnare, aut esse contra illam: ac proinde neque ex aliquo capite habere rationem pœnæ. Qui vero ab aliis potentiis ex voluntatis imperio eliciuntur, non sunt ex ipsa voluntate adæquate et secundum se totos (substantia enim et entitas est ex eisdem potentiis elicentibus secundum se) sed solum habent ex illa quendam modum accidentalem et superadditum, a quo denominantur *imperati, liberi, mali, aut boni*. Quare in hujusmodi actibus licet prædictus modus nequeat esse contra voluntatem, et habere rationem pœnæ, quia per se oritur ab illa (idemque dicendum est de malitia, quæ in tali modo fundatur, vel per eum constituitur) entitas tamen et substantia, quæ aliunde sumitur, potest ei repugnare ex parte habitualis inclinationis: nam quod non est ex voluntate, non est cur ei repugnare non possit. Possuntque proinde tales actus quantum ad prædictam substantiam habere rationem pœnæ: quia ad hanc satis est, ut sit contra voluntatem secundum eam rationem, secundum quam munus pœnæ exercet; quamvis secundum aliquam aliam ab illo sit, et juxta illam.

35. ectio. Objicies secundo ad infirmandam eandem rationem, non esse de conceptu pœnæ illud quod supponimus, nempe quod repugnet voluntati: nam plures pœnæ sponte a nobis assumuntur ad meritum et satisfactionem, suntque proinde voluntariæ: aliæ vero quamvis ab extrinseco proveniant, acceptantur libere, et voluntas eis conformatur: ut patet in animabus purgatorii, quarum voluntas æquanimitè se habet respectu pœnarum, quas illic patiuntur. Quinimo ipsæ pœnæ, quibus malefactores cùm actuali renixu voluntatis puniuntur videntur illis esse voluntariæ in sua causa, scilicet in ipsa culpa, propter quam infliguntur, et cujus sunt effectus. Qui enim prævidens imminere sibi flagella aut suspensionem ex furto vel homicidio, nihilominus furatur vel occidit, voluntarie incurrit hujusmodi pœnas: siquidem potius vult, aut minus timet eas incurrere, quam a furto vel homicidio abstinere. Adde, quod multoties infligitur pœna nescienti: ut cum aliquis absens diffamatur, aut damnificatur in aliis fortunæ bonis: tunc autem non repugnat voluntas illi pœnæ: nam sicut

bonum ignoratum amari non potest, ita malum incognitum non potest respui.

Dices, prædictas pœnas, licet non repugnent voluntati actuali, sed sponte ab ea acceptentur, vel saltem non respuantur, repugnare tamen naturali inclinationi, qua omnis voluntas in proprium bonum propendit: et hoc sufficere ad rationem pœnæ. Solutio.

36. Sed hæc solutio non omnino evacuat difficultatem. Tum quia pœna non videtur repugnare voluntati ex parte naturalis inclinationis. Nam prædicta inclinatio est ad bonum honestum: naturaliter enim voluntas inclinatur in hujusmodi bonum, ut vidimus disput. 2, dub. 1; cum autem pœna sit justa et honesta, non potest esse contra talem inclinationem. Tum etiam quia malitia vere est contra hujusmodi inclinationem: ideo namque omne peccatum dicitur esse contra naturam rationalem, quia contrariatur bono honesto, in quod ratio et voluntas naturaliter inclinatur, ut citato dub. explicuimus: et tamen hoc non sufficit, ut malitia sit pœna: ergo repugnantia ad voluntatem pro pœna requisita, non debet attendi ex parte prædictæ inclinationis. Et quicquid sit de aliis pœnis, saltem pœna damni, quæ consistit in carentia gratiæ et gloriæ, non est cur naturali inclinationi repugnet, siquidem ad prædictas perfectiones nulla datur inclinatio naturalis. Ad hæc: vel illud quod actu est voluntarium, potest simul esse contra voluntatem ratione naturalis inclinationis; vel non? si primum, nulla est ratio negandi culpæ prædictam contrarietatem, ac proinde rationem pœnæ: cum ex eo solum negetur ei a D. Thoma, quia est voluntaria. Si secundum, igitur pœnæ, quas diximus, non habent talem contrarietatem: salvabiturque proinde sine illa ratio pœnæ. Impugnatur aliquibus replicis.

37. Respondetur nihilominus sustinendo Doctrina-  
pro tunc  
da solu-  
tione. solutionem traditam, quæ est D. Thomæ, ut vidimus n. 25, et satis communis. Ut vero impugnationibus occurramus, oportet recolere doctrinam, quam latius explicuimus in tract. de Virtutib. disp. 2, dub. 3, videlicet in voluntate nostra duas reperiri inclinationes: aliam omnino indistinctam ab ejus essentia, quam possumus appellare *essentialem et primariam*. Nam essentia voluntatis, sicut et cujuslibet appetitus in inclinatione et pondere consistit. Aliam superadditam et distinctam: sive distinctio sit formalis ex natura rei, sive solum virtualis, de quo diximus loco cit. Est autem

discrimen inter prædictas inclinationes tam ex parte principii, quam ex parte termini. Nam prima cum sit ipsamet essentia voluntatis, solum est quædam passio seu proprietas debita animæ rationali secundum se, ex ejusque essentialibus principiis oriens, absque speciali indigentia alterius superioris principii. Secunda autem est specialiter indita ab authore naturæ, ut quoddam ejus participium, in ordine ad dirigendos et regulandos actus ipsius voluntatis juxta præscriptum rationis et legis divinæ. Neque est omnino propria passio animæ (quamvis sit ab ea inseparabilis) quia non oritur ex solis suis principiis essentialibus; sed est quid altius et perfectius, descendens ex ipsa æterna Dei lege, cujus est participatio. Ex parte termini etiam differunt: nam prima respicit bonum proprii suppositi sub ratione boni physici, præscindendo ab ordine morali, et a qualibet alia determinatione. Unde et ipsa est inclinatio physica, cui neque bonum neque malum morale, præcise quantum est ex hoc capite, repugnat: sed potest tendere et concurrere ad utrumque; quatenus in utroque clauditur bonum physicum, et convenientia ad proprium suppositum: solum autem excludit illa, quæ eidem supposito secundum se sumpto disconveniunt. Secunda respicit determinate bonum morale, quod est bonum honestum, et divina lege regulatum: et ideo nequit concurrere ad malum oppositum. Unde merito hæc dicetur *inclinatio moralis et inclinatio participata*, illa vero *inclinatio physica et essentialis*. Ex quo fit, primam illam inclinationem debere concurrere in omnibus actibus, qui a voluntate eliciuntur; ac proinde nullum posse tali inclinationi contradicere. Secunda autem solum concurrat in iis, qui attingunt bonum honestum; qui vero contrariantur huic bono, repugnant tali inclinationi. Cujus discriminis ratio sumitur ex dictis: nam voluntas in omnibus suis actibus sive malis sive bonis operatur ut potentia physica, et per suam essentiam; ut bona vero moraliter solum operatur in bonis et honestis: debet ergo pro omnibus uti sua inclinatione physica et essentiali; inclinatione vero morali solum pro honestis.

38. Deinde nota, quod etsi utraque inclinatio possit dici *naturalis*, altera quia est ipsa voluntatis essentia et natura, altera quia est specialiter indita a naturæ auctore; attamen quando Theologi cum D. Thoma dicunt esse de ratione pœnæ ut sit contra

voluntatem quoad naturalem inclinationem, intelligendum est de inclinatione physica, et non de inclinatione morali. Unde quod aliquid huic posteriori consonet, vel repugnet, neque obest, neque conducit ad rationem pœnæ: sed attendendum est dumtaxat, an consonet, vel repugnet illi priori. Et ratio est perspicua: quia malum pœnæ est malum proprium suppositi, cui infligitur, debetque proinde adversari bono proprio talis suppositi, adeoque bono ejus physico: quemadmodum quia culpa est malum actionis et malum Dei, debet contrariari bono, quod consistit in actione et in ordine ad Deum, scilicet bono honesto. Cum igitur sola inclinatio physica respiciat primum illud bonum, moralis autem respiciat solum hoc posterius; plane sequitur, malum pœnæ attendendum esse ex repugnantia ad prædictam physicam inclinationem, quicquid sit de repugnantia vel convenientia ad inclinationem moralem. Sicut ob oppositam rationem malum culpæ attenditur per repugnantiam ad inclinationem moralem, quicquid sit de inclinatione physica. Consonat tota hæc doctrina D. Thomæ l. p. D. Thom. q. 64, art. 3 ad 3, ubi ait: *Dolere de malo culpæ propter se, attestatur voluntatis bonitati, cui malum culpæ opponitur: dolere autem de malo pœnæ, attestatur bonitati naturæ, cui malum pœnæ opponitur*. Vocat enim *bonitatem voluntatis* inclinationem inditam a Deo ad bonum honestum: bonitatem vero naturæ appellat inclinationem physicam ex ipsa natura secundum se ortam, quæ est ad proprium bonum ejusdem naturæ: et illi dicit opponi malum culpæ; huic vero malum pœnæ.

39. Ex his patet ad replicas contra solutionem traditam. Prima enim et secunda procedunt de inclinatione morali voluntatis, quam fatemur esse ad bonum honestum: quamvis autem pœna, quia justa est, consonet huic inclinationi, malitia autem ei repugnet; respectu tamen inclinationis physicæ econtra se habent. Nam pœna semper ei repugnat, cum repugnet bono proprio, ad quod tendit prædicta inclinatio. Malitia vero nequit illi repugnare: quia cum tota ex voluntate sit, nequit repugnare ejus essentiali, seu essentiali inclinationi, quæ ad omnem aliam inclinationem aut quasi inclinationem velut fundamentum præsupponitur. Porro ut nuper diximus. ad rationem pœnæ solum est attendenda repugnantia ad hanc physicam inclinationem: quicquid sit de repugnantia, vel convenientia

Applicatur doctrina, et primæ duæ replicæ diluuntur.

Alia doctrina.

venientia ad inclinationem moralem. Ad illud quod tangitur de pœna damni consistente in privatione gratiæ et gloriæ, respondetur, etiam hujusmodi pœnam repugnare voluntati : quia licet in hac non sit inclinatio naturalis ad gratiam et gloriam, est tamen potentia obedientialis ad eas recipiendas : et hæc potentia potest quoad præsens reduci ad inclinationem naturalem seu essentialem : quia est prima ratio, per quam anima et ejus potentiæ habent esse elevabiles et perfectibiles etiam in ordine ad proprium suppositum perfectionibus supernaturalibus : cui perfectibilitati sicut consonant ipsæ perfectiones gratiæ et gloriæ, sic earum privationes disconveniunt et dissonant.

Neque obest, si urgeas, quod si datur in voluntate inclinatio physica, quam adstruimus, ratione ejus dicitur malitia *juxta naturalem hominis inclinationem*, ac proinde juxta naturam rationalem : cujus oppositum supra disp. 2, tradidimus. Respondetur enim, aliud esse quod malitia non repugnet naturali inclinationi ; aliud vero quod sit juxta illam, aut juxta naturam rationalem. Illud enim prius, quod ex nuper dictis infertur, non opponitur doctrinæ superius traditæ : quia in illa disputatione solum habetur, quod malitia sit contra inclinationem voluntatis moralem : quam ibi *naturalem* appellavimus, quia est ab auctore naturæ specialiter indita : et ad summum quod non sit juxta inclinationem physicam. Posterius autem non est cur inferatur ex iis quæ modo tradidimus : nam prædicta physica inclinatio solum respicit per se proprium bonum physicum : et ideo hoc duntaxat illi consonat ; repugnatque malum oppositum : ad malitiam vero moralem habet se ut potentia neutra, cui ipsa malitia neque consonat, neque repugnat. Consonat autem talis malitia defectibilitati, quæ eidem physiciæ inclinationi adjungitur, quatenus habet esse ex nihilo : repugnat vero inclinationi morali, quæ ab auctore naturæ superadditur.

Duplex  
distinctio  
voluntarii.

40. Ad tertiam replicam respondetur animadvertendo, voluntarium dupliciter dici : primo formaliter : et sic denotat illud, quod ab intrinseco voluntatis oritur. Secundo objective : et hoc modo dicit illud quod est volitionis objectum : potiusque hoc dicitur *volitum*, quam *voluntarium* : quia *voluntarii* nomen absolute et in rigore stat pro illo quod est ab intrinseco : ut habet

communis diffinitio. Deinde voluntarium formale aliud est per se, aliud est per accidens. Dicimus namque *voluntarium per se* illud, quod secundum se totum et totaliter est effectus voluntatis, ita ut essentialiter et ex suo primo conceptu id habeat : sive oriatur ab ea directe sive indirecte, primario vel ex consequenti, etc. *Voluntarium per accidens* vocamus illud, cujus primus conceptus secundum se non est a voluntate, se ex aliis potentiis : quod vero a voluntate sit, habet ex aliquo modo accidentaliter sibi superaddito, ratione cujus imperatur ab illa : et ita cum dependentia a voluntate non conveniat ei per suammet essentialitatem, sed per prædictum modum accidentalem, merito dicitur *voluntarium per accidens* : potestque secundum se intelligi, aut etiam dari absque voluntarii ratione, ut n. 34 dicebamus.

41. Hac duplici distinctione præmissa, ad replicam quæ inquit, num quod actu est voluntarium possit repugnare naturali voluntatis inclinationi, respondetur, voluntarium, quod solum est tale objective, posse illi repugnare : quia cum hoc non sit ex voluntate, sed aliunde volendum occurrat, non est cur debeat semper habere convenientiam ad prædictam inclinationem. Idemque dicendum est propter eandem rationem de voluntario formali, quod est tale per accidens, si consideretur secundum se, seu quantum ad illam rationem, quæ non est per se ex voluntate, sed ex aliis potentiis, juxta dicta n. 34. Sub his autem duobus voluntarii generibus continentur pœnæ illæ, quas in objectione ut voluntarias commemoravimus : nam quæ a nobis sponte, nulloque infligente, assumuntur, licet contineantur sub voluntario formali, quia sunt ab intrinseco : non tamen sub illo quod est per se : quia nulla earum importat per se et essentialiter ac secundum se totam dependentiam a voluntate : idemque dicendum est de omnibus illis actibus, qui quamvis imperentur a voluntate, eliciuntur tamen ab aliis potentiis. Aliæ vero pœnæ quæ infliguntur ab extrinseco, cum nihil in eis sit a voluntate ortum, nihil habent voluntarii formalis, et ideo solum possunt dici voluntariæ *objective* : quia terminant volitionem sive formalem, sive interpretativam, in se, vel in causa, etc. Quare in istis omnibus esse *actu voluntaria* non tollit quominus voluntati ex parte prædictæ inclinationis repugnent, habeantque

Diffinitio  
tertia  
replica.

proinde rationem pœnæ : sicut non tollit, quod in omnibus sit aliquid aliunde quam ex voluntate procedens.

Cæterum voluntarium formale per se omnino excludit talem repugnantiam : quia cum in eo nihil sit, quod non ex voluntatis visceribus per se oriatur, impossibile est ut aliquid ejus repugnet essentiæ ipsius voluntatis, ac proinde ejus inclinationi physicæ. Continentur autem sub hoc voluntario omnes actus, qui a voluntate eliciuntur : sive considerentur quantum ad entitatem physicam vel moralem, sive quantum ad bonitatem vel malitiam. Et similiter continetur ex actibus imperatis ille modus, a quo *imperati* dicuntur, et supra quem fundatur omnis illorum bonitas vel malitia moralis : ac per consequens etiam continetur hæc ipsa bonitas et malitia : quippe nihil horum ubicunque sit, sive secundum se totum, sive secundum aliquid sui aliunde oritur quam ex visceribus voluntatis : a qua descendit quicquid libertatis et moralitatis in aliis potentiis et earum actibus reperitur.

Diluitur  
duplex  
objectio.

42. Per quod manet soluta objectio, quam n. 33 tetigimus, et huc remisimus, de disconvenientia malitiæ ad inclinationem naturalem voluntatis. Cum enim tota illa disconvenientia sit respectu inclinationis moralis, non vero respectu inclinationis physicæ, nihil confert ad rationem pœnæ. Tum etiam alia, quæ desumi solet ex eo, quod etiam malitia præsertim privativa non videtur esse voluntaria per se, siquidem non est per se volita aut intenta, sed sequitur per accidens et præter intentionem agentis : adeoque quantum est ex hoc capite non videtur ei repugnare ratio pœnæ. Hæc igitur objectio sublata manet ex dictis : nam licet malitia non dicatur intenta aut volita per se, potest tamen dici per se voluntaria, prout nunc de voluntario loquimur : quod tamen pœna non potest. Aliunde enim dicitur aliquid *volitum* seu *intantum*, et aliunde *voluntarium*. Nam primum habet in quantum terminat volitionem per modum objecti : et ita quod non terminat illam immediate et ratione sui, sed ratione alterius, ad quod consequitur, non dicitur volitum per se, sed per accidens. Secundum vero habet quia effective oritur a voluntate : et ideo quod oritur ab illa secundum illud quod essentialiter est, ita ut primaria et totalis ejus ratio in emanatione aut *in emanato* esse ab illa consistat, recte dicitur *voluntarium per se* : quia non per ali-

quid accidentaliter superadditum, sed per suam essentiam convenit illi prædicta denominatio, vel eam fundat aut expostulat : sive modus egrediendi a voluntate sit tanquam egressus primarius et directus ; sive tanquam secundarius et consequens. Dicitur vero *voluntarium per accidens*, quod non oritur a voluntate secundum illud ipsum, quod essentialiter est ; sed secundum aliquid accidentaliter sibi conveniens : quia in hoc casu ratio et denominatio *voluntarii* per accidens illi competit. Porro discrimen per se attendendum inter culpam et pœnam potius debet esse in ratione voluntarii quam in ratione voliti aut intenti : quia ex illo potius quam ex isto sumitur convenientia vel repugnantia ad inclinationem physicam et essentialem voluntatis.

43. Unde non est inconveniens concedere, quod malitia sive positiva sive privativa non sit per se, sed per accidens volita, sicut potest esse volita pœna : imo et quod pœna esset volita per se, et malitia solum per accidens : dummodo in ratione voluntarii e contra se habeant : ut se habere constat ex dictis. Nam rationi illi, quæ est malitia, essentialiter convenit a voluntate egredi secundum se totam, saltem egressu secundario et consequenti ; cum nihil aliud quam ipsa voluntas possit esse causa talis rationis : et ideo nihil illi deest, quominus dicatur *voluntaria per se*. Rationi vero, quæ est pœna, vel nullatenus vel non nisi ex modo imperii superaddito, adeoque accidentaliter competit talis egressus : ac proinde ad summum dici potest *voluntaria per accidens*. Et quicquid sit de modo loquendi (forte enim contendet aliquis nomen *voluntarii per se* reservandum esse voluntario primario et directo ; indirectum vero, ut est malitia, comprehendendum sub voluntario per accidens, in quo non immoramur) sufficit tamen ad præsens intentum discrimen assignatum ex parte rei inter illa, quæ sunt a voluntate essentialiter et secundum se tota, ut sunt omnes ejus actus elicit, et tam bonitas quam malitia moralis ; et inter alia quæ vel ab ea non egrediuntur, sed solum occurrunt ut objecta : vel si egrediuntur, non tamen essentialiter et secundum se tota, sed secundum aliquid accidentale et superadditum, ut se habent actus aliarum potentiarum a voluntate imperati. Hoc igitur sufficit, ut illa priora nequeant repugnare voluntati ex parte inclinationis physicæ ad proprium bonum ; secus vero hæc posteriora : ac proinde ut hæc possint,

et



et illa non possint habere rationem pœnæ. Cum autem diximus competere malitiæ per se seu essentialiter a voluntate egredi, ac proinde esse voluntariam, non intendimus quod sit formalissime ipsemet egressus, per quem in ratione voluntariæ constituitur (voluntarium enim solum est malitiæ fundamentum, non vero ipsa forma) sed quod essentialiter supponit talem egressum, et ab eo dependet, ita ut aliter intelligi non valeat.

## § IV.

*Adversa opinio, et argumenta pro illa.*

44. Oppositam sententiam, videlicet unum peccatum etiam secundum suam deordinationem et malitiam, posse esse pœnam alterius peccati, tuentur D. Bonavent. in 2, dist. 36, art. 1, quæst. 1, Gabriel ibidem quæst. unic. art. 2, concl. 1 et 3, Basolis quæst. unica, art. 1 et 2, et Richard. circa primum principale quæst. 1, Scotus dist. 37, quæst. unic., Valentia in hac 1, 2, disp. 6, quæst. 17, punct. Suarez tract. de vitiis et pecc. disp. 7, sect. 2, et alii, qui existimant sentire cum Magistro citata dist. 36, ubi testimoniis Scripturæ et SS. Patrum ex professo ostendit, crimina criminibus sæpe a Deo vindicari, et posteriora peccata esse pœnas priorum essentialiter, ut habet § 5 et 6.

Sed non est certum, Magistrum sensisse contra nostras assertiones : potest enim sufficienter intelligi de peccatis non quantum ad ipsam deformitatem et malitiam, sed quantum ad alia quæ antecedunt, concomitantur, aut consequuntur, juxta id quod n. 27 prænotavimus. Illa autem particula *essentialiter* potest intelligi, ut idem sit quod formaliter, et non solum causaliter : quia peccatum non solum est causa pœnæ, sed etiam quantum ad illa quæ diximus, est formaliter ipsa pœna. Et quia § 7, ponit exempla in peccatis, quæ sunt passiones appetitus sensitivi, ut ira, cupiditas, et timor, solum videtur voluisse, quod hujusmodi passiones etiam quantum ad entitatem et substantiam seu essentiam actus, habeant pœnæ rationem formaliter : juxta illud, quod de actibus a voluntate imperatis diximus num. 34.

45. Clarius favisse videtur prædictæ sententiæ D. Thom. super illam dist. 36, art. 3, in corp. et ad 1, et q. 1 de Malo art. 4 ad 2,

ubi de ipsa peccati inordinatione videtur concedere, quod sit pœna, et quod causetur a Deo, non positive ut ab influente, sed permissive ut a non impediante.

Respondet tamen Cajetan in præsentī, posse verba D. Thomæ exponi et glossari, ita ut inordinatio peccati sit pœna, non immediate in seipsa, sed in suo inseparabili effectu, qui est subtractio gratiæ aut ejus privatio. Deinde addit Cajetan. *Vel dicatur corrupta esse verba illa hic* (scilicet art. 2 hujus quæst.) *dum pluries auctor replicat, nullo modo peccatum posse esse pœnam peccati : nec enim frustra dicit et replicat ly nullo modo, et ly potest.* Idem sentiunt Montesi. et Gregor. Mart. ubi supra. Et sane aliqua verba D. Thomæ, præsertim super dist. citatam, difficile priorem expositionem admittent. Nisi velis dicere cum Araujo pœnam posse sumi dupliciter : vel proprie et stricte, et ita postulat condiciones a nobis assignatas. Vel large et improprie ut dicit qualemunque disconvenientiam respectu patientis, et secundum quancunque ejus inclinationem : quam disconvenientiam affert etiam suo modo ipsa malitia et deordinatio : nam aliqua disconvenientia est respectu hominis ratione prædicti deordinari et deturpari in suis actibus, eaque ratione odibilem Deo reddi. Juxta hanc ergo secundam acceptionem potuit D. Thom. appellare *pœnam* ipsam deordinationem et malitiam, quæ solum est a Deo permissive : et sic videtur loquutus locis nuper citatis. At vero in præsentī negat illi rationem pœnæ, quia loquitur juxta priorem acceptionem : prout nos etiam loquuti sumus. Ita Araujo : qui etiam addit, posse hac via exponi sententiam Bonaventuræ, Scoti, et aliorum, ut nostræ non omnino adverteatur : quasi illi loquuti sint de pœna large sumpta, nos vero de illa proprie et rigore accepta.

46. Sed quicquid de hoc sit (verius enim credimus dissidium esse de re, et non tantum de modo loquendi), illorum sententia prout nobis opponitur, videtur probari ex sacra Scriptura. Dicitur enim ad Rom. 1, de aliquibus peccatoribus qui graviter deliquerant : *Propter quod* (id est propter præcedentia peccata) *tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, etc.* Et inferius : *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominie, etc.* Quo etiam spectare videtur illud Psal. 68 : *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum.* Et illud 2, Reg. 12 : *Ecce ego suscito super te malum.* Et

Solutio.  
Cajet.Montes.  
Nartin-

Araujo.

Loca  
Scripturæ.

Rom. 1.

Psal. 68.  
2. Reg.  
12.

alia ubi Deus ostendit se authorem aliquorum, quæ in hominibus sunt peccata; ordinantur vero ad aliorum peccatorum punitionem.

Et confirmatur: nam sæpe Deus dicitur excæcare peccatores, et indurare illos, juxta illud Isai. 6: *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava.* Exod. cap. 4 et 7, et 8 et 9, dicitur sæpe Deus indurasse cor Pharaonis. Ad Roman. 9: *Quem vult, indurat.* At excæcatio, induratio, et aggravatio sunt peccata, et ut talia in Scriptura reprehenduntur. 1. Reg. 6: *Quare aggravatis corda vestra, sicut aggravavit Ægyptus.* Sap. 2: *Excæcavit illos malitia eorum,* et alibi. Assumit ergo Deus ea quæ sunt peccata, ad aliorum peccatorum punitionem.

Confirmatur secundo ex Patribus, qui eodem modo sæpe loquuntur. August. lib. 1 Confess. cap. 12: *Jussisti Domine et sic est, ut pœna sua sibi sit omnis inordinatus animus.* Quod late probat lib. de natura et grat. cap. 22. Et D. Gregorius hom. 11 in Ezechiel: *Peccatum (inquit) quod per pœnitentiam citius non deletur, aut peccatum est, et causa peccati, aut peccatum, et pœna peccati, aut peccatum et causa et pœna peccati.* Idem dicit lib. 25 Moral. c. 13. Et D. Isidor. lib. 2 sentent. de summo bono, c. 3, pluresque alii.

47. Respondetur, inter testimonia Scripturæ, quæ nobis objiciuntur, et alia quæ possent objici, quædam solum significare Deum esse causam peccati, aut aliqua peccata tribui illi ut auctori, quasi ea velit, causet, aut decernat, non facta mentione pœnæ: quædam vero non utcumque hoc significant, sed addunt quod Deus id faciat in pœnam aliorum peccatorum, vel eorundem, ad talia peccata puniendâ. Quæ hoc posterius denotant, ut quod adducitur ad Roman. 1, exponenda sunt juxta dicta n. 27, videlicet non quoad malitiam, neque etiam quoad entitatem actus voluntatis, sed solum quantum ad alia quæ antecedunt, concomitantur, vel consequuntur. Sufficit enim ad verificandas similes loquutiones, quod aliquid peccati sive antecedens, sive concomitans, aut consequens habeat rationem pœnæ; ordineturque a Deo ad malitiæ punitionem: quamvis ipsa malitia et entitas actus voluntatis extra lineam pœnæ sit. Testimonia vero quæ solum denotant causalitatem Dei erga peccatum, nulla facta mentione pœnæ, ultra præcedentem expositionem habent etiam aliam, nempe quod Deus sit causa peccati

quantum ad totum materiale ipsius, in quo includitur ipsa entitas actus voluntatis ut entitas est, tam moralis quam physica, et quævis alia ratio, quæ nihil deformitatis exprimit: quippe ad totum hoc materiale peccati concurret Deus ut causa physica, non solum concursu simultaneo, sed etiam prævio et efficaciter prædeterminativo voluntatis. Quod optime fieri posse sine eo quod aliquis Dei influxus ipsam malitiam aut deordinationem attingat, constat ex dictis disp. 6, dub. 4. Quod si aliquando Deus dicatur malitiam vel peccatum causare, solum quia permittit; non est intelligendum de causalitate vera et propria, sive morali sive physica; sed large et improprie: quatenus potens illud impedire, non impedit: sine ullo tamen influxu directo aut indirecto, formali aut interpretativo, etc.

Ad primam confirmationem constat ex dictis supra quæst. 79, art. 3; ibi enim ex litera D. Thomæ, et ex nostro commentario habetur, aggragationem, excæcationem, et indurationem non esse a Deo, neque habere rationem pœnæ, quatenus sunt peccatum et culpa; sed secundum aliam rationem valde distinctam, quæ in eis reperitur, et eisdem nominibus *aggragationis, excæcationis, et indurationis* nuncupatur: sicut etiam in reprobatione et obstinatione similes rationes distinximus supra disp. 11, n. 44.

Loca Augustini, Gregorii, et aliorum Patrum, qui in secunda confirmatione referuntur, eundem sensum habent, quem dedimus testimoniis Scripturæ, juxta cujus seriem ipsi Patres loquuntur. Et ideo intelligenda sunt non de peccato quantum ad malitiam vel entitatem actus voluntatis, sed quantum ad alia, quæ antecedunt, concomitantur, vel consequuntur.

48. Deinde arguitur: dolor et tristitia, quam habent damnati in inferno, est actus voluntatis peccaminosus: et tamen est illis maxima pœna. Vel ergo quantum ad deordinationem et malitiam? et sic contra nostram primam assertionem: vel quantum ad entitatem et substantiam? contra secundam. Minor probatur: tum quia damnati torquentur et cruciantur illo dolore, adeo ut nisi esset dolor, non cruciarentur. Tum etiam quia teste D. Gregorio Nysseno, quem refert D. Thomas supra quæst. 39, art. 1, omnis tristitia et dolor est malum naturæ: quod autem est malum naturæ, habet rationem pœnæ: sicut quod est malum morale, habet rationem culpæ.

Respondetur

Argumentum  
ex ratio  
ne.

D. Thom.

olutio. Respondetur, quod si sermo sit de dolore  
 stricte accepto, prout dividitur contra tristitiam, non negabimus illi rationem pœnæ : quia in ista acceptione non est actus voluntatis, sed passio appetitus sensitivi, ut declarat D. Thom. supra quæst. 35, art. 2. Hujusmodi tamen dolor utpote corporalis et sensibilis non habet locum in dæmonibus, neque in animabus separatis a corpore : neque est de genere voluntarii per se, sed per accidens; et sic nihil contra nos. Si vero sermo sit de dolore spirituali, qui est actus a voluntate elicited, et potius dicitur *tristitia* quam *dolor*, adhuc est distinguendum. Potest enim prædicta tristitia considerari præcise secundum se, ut dicit solum illum affectum, quo voluntas versatur circa objectum contristans, quod est malum præsens, et quo renititur et repugnat tali malo. Et hoc modo non habet rationem mali aut disconvenientis respectu voluntatis; sed potius rationem boni : quia supposito malo præsentis et contristanti, non est contra voluntatis naturam, sed potius juxta illam, reniti et repugnare tali malo : in quo renixu tristitia consistit : sicut est juxta eandem naturam gaudere de bono præsentis, et quiescere in illo. Unde dicit D. Thomas supra quæst. 39, art. 1 : *Supposito aliquo contristabili vel doloroso, ad bonitatem pertinet quod quis de malo præsentis tristetur vel doleat.* Et 1 p. quæst. 64, art. 4 ad 3 : *Dolere de malo pœnæ attestatur bonitati naturæ, cui malum opponitur.* Considerata ergo hoc modo prædicta tristitia, non habet per se rationem mali aut pœnæ; sed est affectus, quo voluntas malo pœnæ repugnat, supponens proinde ipsam pœnam : ut etiam diximus in tract. de Beatitud. disp. 1, num. 104, et tract. de Voluntar. disp. 1, num. 15. Potest etiam prædicta tristitia considerari ut associata malo contristante, de quo sumitur : et isto modo est pœna : quia ipsum malum contristans repugnat voluntati, habetque proinde rationem pœnæ. Si autem aliquando ipsa tristitia *pœna* appelletur, intelligendum est non *formaliter*, sed *præsuppositive*, aut *consequenter* : quia supponit pœnam, et ad illam consequitur.

Unde ad primam minoris probationem dicendum est, damnatos puniri et cruciari per inflictionem mali, de quo sumitur tristitia; non vero formaliter per ipsam tristitiam. Non enim ideo puniuntur aut torquentur, quia tristantur et dolent; sed econtra ideo dolent et tristantur, quia puniuntur et torquentur. Ad secundam res-

pondet D. Thom. in illo art. ubi citatur, in solut. ad 1, dicens, quod Nyssenens loquitur de tristitia non præcise secundum se, ut est recusatio mali; sed ratione objecti contristantis, quod est malum et nocivum. Sustinere enim hujusmodi nocivum disconvenit naturæ, repugnatque voluntatis inclinationi : semel vero illo præsupposito, tristari et recusare ipsum potius convenit naturæ, et attestatur ejus bonitati, ut loquitur D. Thomas loco cit. ex 1 part.

49. Neque obest, si urgeas, tum quod S. Doctor tribuit ipsi tristitiæ secundum se rationem mali : ait enim : *Aliquid esse bonum vel malum potest dici simpliciter et secundum se, et sic omnis tristitia est quoddam malum : hoc enim ipsum quod est appetitum hominis anxari de malo præsentis, rationem mali habet : impeditur enim per hoc quies appetitus in bono.* Tum etiam quia si tristitia secundum se non esset mala, non repugnaret beatis : solum enim negamus illis quæ habent rationem mali. Tum denique; nam quod est boni impedivum, habet eo ipso rationem mali, cum malum sit privari et impediri a bono : sed tristitia impedit gaudium voluntatis, quod est magnum ejus bonum : igitur habet rationem mali.

Respondetur ad primum cum Cajetano, sensum verborum D. Thomæ non esse quod ipsa tristitia cum præcisione sumpta sit mala per se, sed quod est talis conditionis, ut esse non possit sine malo : quia non est nisi de malo præsentis : et ita quamvis eo malo præsupposito, non sit pejus aut novum malum tristari de illo, imo pejus et novum malum esset non tristari ut probat illic D. Thomas; attamen per se et absolute loquendo dicitur mala omnis tristitia, quia per se importat mali suppositionem, et non nisi illo præsupposito locum habet. Secundo posset explicari D. Thomas per illa ultima verba : *Anxari de malo præsentis rationem mali habet : impeditur enim per hoc quies appetitus in bono.* Quibus satis insinuat, rationem mali in tristitia repertam non consistere in ipsa tristitia, sed in carentia gaudii, quod est majus voluntatis bonum, quodque simul cum tristitia esse nequit. Ex hoc autem non fit tristitiam esse malam per se, ac proinde per se habere rationem pœnæ; sed solum per accidens nimirum ratione effectus, qui est privatio vel absentia majoris boni : quo pacto non negabimus actibus voluntatis, et etiam ipsi malitiæ rationem pœnæ. Ad secundum respondetur, tristitiam duplici ratione non

habere locum in beatis. Tum quia supponit præsentiam mali contristantis a quo illi sunt omnino alieni. Tum etiam quia impediret aliqua ex parte summum illorum gaudium. Tertium solum probat, actum tristitiæ per accidens habere rationem pœnæ, nimirum propter exclusionem majoris boni.

Aliud  
argu-  
mentum.

50. Tertio arguitur. Culpa habitualis consistens in gratiæ privatione, habet simul rationem pœnæ : ergo idem dicendum est de culpa et peccato actuali. Consequentia liquet a paritate rationis. Antecedens vero ostensum est a nobis disp. præced. dub. 5.

Confirmatur hoc ipsum in peccato omissionis, quod est carentia actus debiti. Nam hujusmodi carentia potest esse mala et disconveniens voluntati ; sicut actus, quo privat, potest esse illi bonus et conveniens : et ideo in tract. de Voluntar. disp. 5, dub. 3, diximus, voluntatem posse pati violentiam in carentia seu cessatione, a suis actibus : ergo idem dicendum est de peccato commissionis.

Respondetur ad argumentum ex dictis disp. præced. a num. 131, in privatione gratiæ distinguendas esse duas rationes : aliam, quæ est aversio a Deo, ac proinde malum ipsius Dei ; aliam, quæ est carentia boni proprii, adeoque malum ipsius hominis : ex quibus illa prior est culpa, hæc vero posterior habet rationem pœnæ. Itaque non in ipsa formalitate, quæ est culpa, confundimus, aut distinguimus rationes culpæ et pœnæ : sed in privatione gratiæ adæquate accepta distinguimus duas formalitates quasi per accidens inter se connexas, quarum alia est culpa, et alia pœna : et illa quæ est culpa, nullo modo est pœna ; neque econtra. Cæterum in peccato actuali, prout de eo loquimur, non est nisi unica ratio, quæ tota est malitia : loquimur enim de prædicto peccato ut peccatum et malum morale est, atque adeo secundum illam rationem, qua constituitur in ratione peccati aut mali, quæ est ratio malitiæ sive positivæ, sive etiam privativæ, et his negamus rationem pœnæ. Cæteræ vero rationes in illo repertæ de materiali se habent : quibus proinde vel non negamus munus pœnæ ; vel non ideo id negamus, quia sint simul cum malitia ; sed quia ex alio capite illis repugnat : sicut repugnat entitati actus voluntatis, eo quod est de genere voluntarii per se, juxta dicta n. 41.

51. Sed urgebis : etiam privatio gratiæ habet esse voluntaria, alias non esset peccatum habituale : et nihilominus distinguimus in illa aliquam rationem, quæ possit esse pœna : cur ergo in actu voluntatis, aut in ejus malitia, non obstante quod sit voluntaria, non distinguemus similem rationem ? Et quicquid sit de malitia positiva, et de entitate actus, saltem privatio rectitudinis existens in illo, quæ est malitia privativa, non est cur non admittat prædictam distinctionem culpæ et pœnæ secundum aliam et aliam rationem, sicut admittit privatio gratiæ,

Respondetur, privationem gratiæ absolute loquendo non esse de genere voluntarii per se, quia non dependet essentialiter et secundum se totam a voluntate : imo potest dari quoad aliquid sui sine illius influxu : ut si Deus alicui dormienti vel invito gratiam auferret. Unde absolute loquendo est de genere voluntarii per accidens, quod explicuimus n. 40, ac proinde potest distinguï in illa aliqua ratio, quæ secundum se non sit a voluntate, sed potius naturali ejus inclinationi repugnet. Diximus *absolute loquendo* : quia si in prædicta privatione consideretur sola illa ratio, secundum quam est culpa, non negamus dependere per se et essentialiter a voluntate, adeoque posse quoad talem rationem collocari in genere voluntarii per se. Verum quia prædicta ratio non est ipsa substantia, ut sic dicamus illius privationis, sed aliquid ei accidens, sine quo potest talis privatio reperiri, ut in casu nuper posito, ideo loquendo de prædicta privatione absolute, seu quantum ad substantiam, debuimus collocare eam in genere voluntarii per accidens. Cæterum actus elicited voluntatis sive consideretur quantum ad entitatem, sive quantum ad malitiam, totus dependet essentialiter a voluntate, ac proinde simpliciter est in genere voluntarii per se : in quo non habet locum ratio pœnæ.

52. Per quod patet ad illud de privatione rectitudinis existente in actu : nam etiam hæc privatio essentialiter et secundum se totam dependet a voluntate : estque proinde in prædicto genere *voluntarii per se*. Est et aliud discrimen inter istam privationem et privationem gratiæ, quia privatio rectitudinis solum afficit actum, tollens ab eo debitam commensurationem cum lege : et ita solum est mala respectu ipsius actus : quod genus mali pertinet ad culpam, et non ad pœnam

pœnam, ut diximus n. 24. Privatio vero gratiæ afficit suppositum etiam in ordine ad seipsum, et tollit ab eo formam perficientem in ordine ad se; estque proinde malum etiam ipsius suppositi: quod genus mali pertinet ad pœnam, ut dictum est n. citato. Quod ut melius intelligatur, recolenda est doctrina, quam tradidimus disp. præced. a n. 130, ubi in gratia sanctificante duo munia distinximus: aliud referendi et subordinandi hominem ad Deum, ut sit totus ipsius Dei, et ab eo possideatur: et aliud trahendi Deum ad hominem media participatione divinæ naturæ, ut homo ipse per talem participationem in seipso perficiatur. Ex quibus illud prius pertinet ad bonum Dei, et hoc posterius ad bonum hominis, ut ibi explicuimus. Unde quia privatio gratiæ hæc duo munia aufert, consequenter duo mala includit: nempe et malum Dei, prout tollit subordinationem ipsi debitam; et hoc modo habet rationem culpæ: et malum hominis, quatenus ab eo aufert formam ipsum in ordine ad se perficientem; et hoc pacto habet rationem pœnæ. Hæc autem distinctio non habet locum in privatione rectitudinis, quæ est malitia actualis: quia talis rectitudo solum est perfectio actus in ordine ad legem, non vero est forma perficiens suppositum in ordine ad se: ac proinde non potest esse malum pœnæ secundum aliquid sui, sed tota debet spectare ad malum culpæ.

53. Ad confirmationem desumptam ex peccato omissionis respondetur, admitendo posse etiam in hujusmodi peccato ut dicit ipsam omissionem et carentiam actus, distinguere rationes culpæ et pœnæ, sicut in privatione gratiæ: quia etiam prædicta ommissio est de genere voluntarii per accidens: Non enim secundum se totam dependet a voluntate essentialiter, sed potest dari quantum ad substantiam carentiæ sine influxu illius: ut cum quis ex ignorantia vel impotentia omittit. Unde nihil obest quominus talis carentia secundum aliquid sui repugnet voluntati, habeatque proinde rationem pœnæ. Ob idque in tract. de Voluntar. disp. 5, dub. 3, diximus, voluntatem posse pati violentiam in cessatione a suis actibus: quia talis cessatio potest provenire illi ab extrinseco, et contra naturalem ejus inclinationem. Accedit, quod ommissio dicit carentiam non solum rectitudinis existentis in actu debito, sed totius actus, cujus entitas et substantia afficit suppositum, et per-

ficit illum in ordine ad se: est enim perfectio uniuscujusque suppositi quod sit operans in actu, et quod ejus potentiæ sint completæ per operationem; etiam præscindendo a rectitudine morali, et ab ordine ad legem. In quantum ergo ommissio tollit prædictam perfectionem, est malum proprium suppositi omittentis: quæ est præcipua conditio requisita ad pœnam: neque invenitur in aliis, quæ a ratione pœnæ exclusimus.

Diximus in peccato omissionis ut dicit ipsam omissionem, posse distinguere prædictas rationes culpæ et pœnæ: quia si tale peccatum sumatur non pro ipsa omissione, sed pro actu voluntatis, qui est causa omitendi, idem judicium ferendum est de illo ac de peccato commissionis, quod in actu consistit. Sicut etiam si in hoc aliquando interveniat aliqua ommissio vel carentia actus debiti, idem judicium de tali omissione ferendum est, ac de illa quæ constituit peccatum omissionis, de qua modo dicebamus.

54. Si vero objicias, quod D. Thom. de omnibus peccatis negat, posse habere per se rationem pœnæ; atque adeo contra ejus mentem a nobis admitti talem rationem in peccato omissionis, et in peccato habituali. Respondetur, neque etiam nos de aliquo peccato admittere, quod habeat per se rationem pœnæ: quia ly *per se*, quod D. Thom. adhibet, determinat rationem per se et formaliter se habentem in peccato, quatenus peccatum est, ac proinde ipsam deordinationem et malitiam. Hanc autem in nullo peccato admittimus posse habere rationem pœnæ. Sed dicimus, quod cum in omnibus peccatis ultra malitiam et deordinationem dentur aliæ rationes de materiali se habentes, ut in peccato commissionis et peccato habituali ratio carentiæ quantum ad illud munus, sub quo est malum hominis, et aliæ similes: hoc est discrimen inter illa, quod peccatum commissionis quantum ad actum voluntatis non solum per se et formaliter, scilicet quantum ad malitiam, sed etiam quoad alias rationes de materiali se habentes, excluditur a linea pœnæ propter voluntarium per se in illis imbitum. Peccatum vero habituale et omissionis licet quantum ad malitiam, atque adeo per se nequeant habere rationem pœnæ; secus tamen quoad alias rationes de materiali in illis importatas: quibus quia ratio voluntarii non est per se et essentialiter annexa, possunt repugnare voluntatis inclinationi: et ideo non est cur a ratione pœnæ excludantur.

Objectio  
et  
solutio.

## DUBIUM III.

*Utrum sufficienti ratione probetur, deberi peccato mortali pœnam æternam lege iustitiæ?*

Circa æternitatem pœnæ peccato mortali correspondentis plura habemus certi et indubitata : vel quia in sacra Scriptura, aut in diffinitionibus Ecclesiæ nobis traduntur : vel quia aliunde obtinuerunt, ut a Catholicis unanimiter recipiantur. Quæ omnia hic breviter et absque disceptatione supponemus, ut postmodum quæ dubia sunt facilius decidamus.

## § I.

*Nonnulla certa et indubitata supponuntur.*

55. In primis ut certum supponendum est, animas illorum qui in peccato mortali decedunt, statim (saltem juxta communem legem) ad infernum descendere, ut illic pœnas luant, et justo supplicio puniantur. Hæc veritas est de fide, et ut talis ab omnibus catholicis recepta. Nam præter quam quod sumitur ex variis locis Scripturæ, cujusmodi est illud Job. 21 ubi de malis dicitur : *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt*, id est, statim ac moriuntur, et vitam istam finiunt. Et Luc. 16, de divite epulone : *Mortuus est dives, et sepultus est in inferno*. Et alia hujusmodi : habetur definita in Extrav. Benedicti XII, quæ incipit *Benedictus Deus*, etc. ubi Pontifex ita inquit : *Definimus insuper, quod secundum Dei ordinationem communem animæ decedentium in actuali peccato mortali mox post mortem suam ad inferna descendunt, ubi pœnis infernalibus cruciantur, etc.* Dicit vero *actuali peccato mortali* : vel quia loquitur de iis qui proprio actu tale peccatum commiserunt ; nolens sub prædicta diffinitione comprehendere parvulos qui non ad infernum, ubi sunt tormenta et cruciatus pœnæ sensus, sed ad limbum descendunt, ubi solum habent pœnam damni. Vel nomine peccati *actualis* intelligit illud, quod actu imputatur, quia non est remissum ; quamvis operatio peccaminosa physice transierit.

Castro. Per quod excluditur error, quem (teste Castro verb. Beatitudo hæres. 6,) tenuerunt Græci, negantes animas damnatorum in inferno detrudi, aut pœnis gehennalibus torqueri ante diem judicii. Qui iidem ne-

gabant etiam animas justorum ante illum diem ad gloriam et visionem Dei assumi. Utrumque vero damnat Benedictus in illa Extrav. damnavitque postea Eugenius IV in Concil. Flor. in literis Sanctæ unionis, extendens prædictam diffinitionem etiam ad pueros decedentes cum solo peccato originali ; ibi : *Illorum autem animas* (supple definimus) *qui in actuali peccato mortali, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere ; pœnis tamen disparibus puniendas.* Diximus, saltem juxta communem legem ita contingere, ut etiam dixit Benedictus : quia an ex speciali Dei dispensatione aliqui decedentes in peccato mortali ad infernum non descenderint ; sed alibi fuerint reservati, et tandem ad beatitudinem pervenerint, non est ita exploratum : de quo infra aliquid dicemus.

56. Secundo ut æque certum supponendum est, pœnas damnatorum sive illorum, qui in limbo propter peccatum originale detruduntur, sive qui in inferno propter personalia cruciantur, futuras esse æternas, nullumque finem habituras, saltem de lege communi atque adeo omne peccatum mortale, quod in hac vita per Baptismum aut pœnitentiam non dimittitur, pœna æterna in futura esse plectendum. Hæc etiam veritas est de fide : habetur enim multis locis sacræ paginæ. Ut Isa. 66 : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur.* Quo loci sermonem esse de pœnis damnatorum, quæ nunquam deficient, constat Marc. 9, ubi Christus Dominus prædicto testimonio utitur ad illarum perpetuitatem declarandam, ibi : *Bonum est tibi debilem introire in vitam ; quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur, etc.* Idem habetur Judith 16, in ejus cantico : *Dabit ignem et vermes in carnes eorum, ut urantur et sentiant usque in sempiternum.* Ubi vox *in sempiternum* non significat solum longam durationem, ut aliquando contingit ; sed æternam et nunquam finiendam. Quo etiam sensu Job. 10, dicitur : *Ubi umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Pluraque alia habentur in veteri Testamento ad id denotandum. Neque pauciora aut minus clara reperies in novo. Nam Matth. 25, id aperissime ostendit Salvator increpatione et maledictione illa ad impios : *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* Et inferius : *Ibunt hi in supplicium æternum ; justi autem in vitam æternam*

æternam. Ubi par duratio assignatur pœnæ damnatorum, et gloriæ justorum : et utraque dicitur futura esse æterna. Apocal. 14 : *Fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum, neque habebunt requiem die ac nocte.* Et cap. 20 : *Cruciantur die ac nocte in sæcula sæculorum.* Hæc autem phrasia in sæcula sæculorum idem denotat, atque in perpetuum seu per omnes ætates et sæcula, per æternitatem futura. Ex quibus et aliis, quæ omittimus, evidenter concluditur æternitas pœnarum, quibus damnati addiuntur.

57. Sed et SS. Patres eam unanimiter tradunt, multique eloquentissime describunt : ut D. Cyprian. lib. de resurrect. Christi, et serm. de Ascensione Dom. ad finem, ubi sic inquit : *Immortales miseri vivent inter incendia et inconsumptibiles flammæ nudum corpus allambent. Ardebit purpuratus dives, neque erit qui æstuanti linguæ stillam aquæ infundat. In proprio adipe fixæ libidines bullient, et inter sartagine flammeas miserabilia corpora cremantur : et omni tormento atrocius desperatio condemnatos affliget. Non miserebitur ultra Deus, neque tunc audiet pœnitentes. Serva erit illa confessio : et cum clausa fuerit janua, frustra carentes oleo acclamabunt exclusi, nullum ibi refrigerium, nullum remedium. Semel Christus descendit ad inferos, ulterius nox descendet. Non ultra videbunt Deum in tenebris sigillati. Irregressibilis erit illa sententia, et immutabile judicium, et stabit damnationis hujus immobile constitutum.*

Non minus ad rem loquitur D. Greg. lib. 15. Moral. cap. 11, ad illud Job. 20 : *Luct quæ fecit omnia, nec tamen consumetur. Persolvit (inquit) impius in tormento ea, quæ hic illicita servavit desideria et flammis ultricibus, semper moritur, quia semper in morte servatur. Non enim in morte consumetur : quia si consumeretur vita morientis, cum vita etiam pœnæ finiretur. Sed ut sine fine crucietur, vivere sine fine in pœna compellitur ; ut cujus vita hic mortua fuit in culpa, illic ejus mors vivat in pœna. Luct quæ fecit omnia ; nec tamen consumetur : quia cruciatur, et non extinguitur : moritur, et vivit : deficit et subsistit : finitur semper, et sine fine est. Hæc solo auditu valde sunt terribilia, quanto magis passione ?* Audiamus etiam D. Bernard. serm. 2 de verbis Apostol. ad illud Ps. 48 : *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos. Quam bene (inquit) sicut oves : quia detracto vellere mundialium divi-*

*tiarum, dure, pressequè detonsi sempiternis nudi deputabuntur incendiis. Mors depascet eos, quia semper morientur ad vitam ; et semper vivent ad mortem.* Non enim mors eos eradicabit, vitam ex toto auferendo, sed depascet, conservando radicem vitæ, ut iterum pullulent, iterum et iterum atque in æternum depascendi. Reperies de hoc multa apud Tertullianum in Apologet. cap. 48, et lib. de pœnitent. c. 12. Augustin. super Psal. 48, ad illa verba : *Laborabit in æternum, et vivet adhuc in finem.* Et lib. 1 de Civit. Dei per multa capita. Cyrillum N. in orat. de exitu animæ. Chrysost. homil. 43, in Genes. et homil. 25 in Epist. ad Rom. et homil. 10 super epistol. 2, ad Corinth. D. Thomam lib. 3, contra gent. cap. 11.

58. Ex quo fit, hæresim esse manifestam errorem illum, cujus meminit D. Hieronym. dialog. 1, contra Pelag. Et Alphonsus de Castro lib. 3, adversus hæreses, verbo *Beatitudo*, hæres. 3, qui universaliter de omnibus damnatis tam hominibus quam dæmonibus asseruit, fore aliquando a pœnis eruendos, et ad beatitudinem evocandos. Numeratur autem hic error inter illos, qui Origeni tribuuntur (de quibus an vere ipsius Origenis errores, an potius scriptis ejus ab hæreticis fuerint assuti, magna extitit inter Ecclesiasticos DD. etiam ab antiquis temporibus controversia, et adhuc sub judice lis est.) Sub prædicta vero hæresi militat alia, quæ idem affirmat non de omnibus condemnatis, sed de iis qui fidem habuerunt. Nec desunt qui hunc errorem tribuere velint D. Hieron. loc. cit. n. 33, ubi ita habet : *Si Origenes omnes rationabiles creaturas dicit non esse perdendas, et diabolo tribuit pœnitentiam : quid ad nos qui et diabolum, et satellites ejus, omnesque prævaricatores dicimus perire perpetuo, et Christianos si in peccato præventi fuerint, salvandos esse post pœnas.* Similiaque habet super Isai. cap. 66.

Sed re vera Doctor maximus potest et debet exponi, quasi non loquatur ex propria mente asserendo ; sed ex aliorum sententia et quasi arguendo, ut aliqui volunt, ipseque D. Hieron. non semel fecisse testatur in epist. ad Aug. quæ incipit *Tres simul*, estque inter epistolas Augustini undecima : ubi ad objectionem ex quadam doctrina super Epist. ad Gal. sibi propositam respondet, se aliquoties non ex propria, sed ex aliorum sententia, quorum legerat volumina, in suis commentariis loquutum fuisse. *Itaque (in-*

Tertul.  
August.Cyrillus.  
Chrys.

D. Thom.

Antiquæ  
hæres.  
D. Hier.  
Castro.

D. Hier.

vindica-  
tur ab  
illis.

D. Hier.

Bernard.  
Psalm.  
48.

Idem quit) *ut simpliciter fatear, legi hæc omnia, et in mente mea plurima concervans, accito notario, vel mea vel aliena dictavi.* Et inferius: *Ex quo ostendi, me non ex definito id defendere, quod in Græcis legeram, sed ea expressisse quæ legerem, ut lectoris judicio derelinquerem, utrum probanda essent, an improbanda.* Ex quo desumi potest communis solutio pro aliis, si quæ in scriptis hujus S. Doctoris minus consone ad veritatem dicta reperiantur. Qua tamen solutione parce, et non nisi cum sufficienti fundamento utendum est, ne nimia circa hoc permissa licentia, Hieron. auctoritas ubique infringatur. Regula autem circa hoc observanda ea videtur, quam ipse tradit Aug. Epist. cit. his verbis: *Si quid igitur reprehensione dignum putaveras in explanatione nostra, eruditionis tuæ fuerat quærere, utrum ea quæ scripsimus, haberentur in Græcis: ut si illi non dixissent, tunc meam proprie sententiam condemnares.*

59. Sed quamvis hæc solutio sit probabilis, et necessaria pro aliis Hieron. locis; pro eo tamen, de quo agimus, ex dialog. adversus Pelag. magis placet illa, quam adhibet Marian. Victorius in scholiis ad illum locum n. 33, dicens: S. Doctorem loqui de Christianis, qui in gratia decedunt: dicuntur autem in peccato præventi, quia moriuntur post peccata commissa, et non dimissa quoad pœnam: quam quidem luent in purgatorio, et postea ad cœlum evolabunt.

Marian. Cæterum cujuscunque fuerint prædictæ hæreses, haud dubitandum est, eas fuisse a diabolo excogitatas, et peccatoribus suggestas, ut excluso timore æternitatis pœnæ, irrefræmate labantur. Quod recte explicuit D. Gregor. lib. 34 Moral. cap. 16, ad illa verba Job. 41: *Æstimabit abyssum quasi senescentem, etc. Leviathan itaque iste (inquit) æstimabit abyssum quasi senescentem, quia reproborum corda sic infatuat, ut suspicionem eis de venturo judicio, quod quasi finiatur, infundat. Abyssum namque senescere existimat, qui terminari quandoque in suppliciis supernam animadversionem putat. Itaque antiquus iste persuasor in mentibus iniquorum futuras pœnas quasi certo fine determinat, ut eorum culpas sine termino corruptionis extendat, et eo magis peccata non finiunt, quo existimant peccatorum supplicia finienda. Sunt enim qui idcirco peccatis suis ponere finem negligunt, quia habere quandoque finem futura super se judicia suspicantur.* Sufficiunt autem ad prædictos errores ever-

tendos testimonia Scripturæ, quæ adduximus, et præsertim locus Matth. 25. in quo omnes iniqui sive fidem habuerint, sive non, manifeste comprehenduntur: cum non ideo reprehendantur, quia non crediderunt, sed quia debita pietatis et misericordiæ opera non fecerunt: *Esurivi enim, et non dedistis, etc.* cum quorum supplicio dæmoniorum pœnas perpetuas futuras esse ostenditur, dum dicitur: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et Angelis ejus.*

60. Sed quia diximus, utranque præcedentem veritatem intelligi debere de lege communi, adeoque non opponi illis, quod Deus ex speciali privilegio cum aliquo vel aliquibus si voluerit in prædicta lege dispenset, ut vel mortui in peccato mortali non damnentur, vel damnati jam ab inferno eruantur: videndum est, an de facto aliquandò ita contigerit. Quod enim Deus de lege absoluta id facere possit, nec modo unum vel alterum, sed damnatos omnes ab obstinatione et pœnis extrahere, et gratia, pœnitentia, et charitate ornatos ad beatitudinem transferre, minime dubitandum est: cum ejus omnipotentia lege aliqua ligata non sit, in omnibus quæ contradictionem non implicant. Quod vero ad factum attinet, rejiciendus est in primis antiquus error asserens, Christum cum ad inferos in triduo mortis descendit, non modo Sanctorum animas in limbo existentes secum eduxisse, sed etiam damnatos omnes, aut saltem plures a pœnis et loco inferni extraxisse. Hunc errorem refert Castro lib. 8, verbo *infernus* hæres. 2, nec tamen ejus assignat auctorem, nisi quod N. Guido tribuit eum Armeniis. Sed nec D. Aug. mentionem illius faciens lib. de hæresib. hæres. 79, auctoris meminit. Nec meminerat D. Philastr. qui eundem errorem retulerat. Videtur autem illi adfavere Clem. Alexandrin. lib. 6 stromatum circa medium: et auctor historiæ, quam referunt Anast. Antiochen. et Nizetas in orat. 42 Nazianzeni: ubi narratur, Platonem credidisse Cristo ad inferos descendenti, indeque cum eo ad cœlum evolasse. Sed falsitatem prædicti erroris ostendit D. Th. 3. p. quæst. 52, art. 6 et 7, ubi contrariam veritatem demonstrat. Historia vero illa de Platone apocrypha et fabulosa est: cum omni fundamento careat: et neque ab auctoribus illam adducentibus probetur, sed solum referatur.

61. Adhuc tamen prædicto errore excluso,

Matth. 25.

Dubitatio.

Error rejiciendus.

Castro

D. Aug.

D. Phil. Clem. Alex.

Anast. Ant. Nizetas

D. Tho.



cluso, occurrunt aliunde non levia fundamenta ad affirmandum, Deum aliquando in supradicta lege cum aliquibus dispensasse. Fertur enim de Trajano Augusto, quod precibus B. Greg. quingentis fere annis post ejus obitum fuerit a pœnis et damnatione liberatus : quem utpote idololatram et Ecclesiæ persecutorem dubitandum non est fuisse in peccato mortali defunctum. Et quamvis hujusmodi casum aliqui negent ; sufficeret ad probabilitatem illi conciliandam testimonium D. Joan. Damasceni in orat. de fidelibus defunctis, ubi illum expresse affirmat his verbis : *Hic (scilicet D. Greg.) intensissimas pro peccatorum Trajani remissione preces ad animarum amantem et misericordem Dominum fudit : statimque vocem divinitus emissam audivit. Preces tuas audivi, ac Trajano ignosco : tu vero post hac caveo ne mihi pro impiis supplex sis. Quodque istud verum sit, atque ab omni calumnia alienum, Oriens totus atque Occidens testantur.* Admittunt etiam veritatem, aut saltem probabilitatem prædictæ historiæ D. Thom. in 1, dist. 43, quæst. 2, art. 2, quæst. 1 et apertius in 4, dist. 45, quæst. 2, art. 2, quæst. 1 ad 5 et quæst. 6 de Verit. art. 6 ad 4, Abulens. in 4 lib. Reg. c. 4, quæst. 57, Vincent. in speculo historial. lib. 22, cap. 22, Sixtus Senensis lib. 6 Biblioth. annotat. 47, Navarro in Enchirid. c. 22, Medina 3 p. quæst. 52, art. 6, Hieronym. de Zevallos in libello, cui titulus *Arte Real*, ubi refert August. de Ancona de potest. Eccles. quæst. 32, art. 3, Catanæum in Catalog. glor. mund. part. 5, considerat. 5, Illescam in vita S. Greg. Et idem tenent plures alii, quos refert Alphonsus Chacon. Ordinis Prædicatorum in libello sive Apologia de hac re conscripta, ubi veritatem hujus historiæ cum ex prædictis auctoribus, tum ex aliis fundamentis omnino sibi convincere videtur. Et saltem negari non potest, illa quæ ab hoc auctore et ab aliis afferuntur, simul collecta magnam huic sententiæ tribuere probabilitatem. Adeoque non sine temeritate Cæsar Baronius tom. 8 ad annum Christi 600, inter fabulosas et commentitias prædictam historiam rejicit dicens, *risu potius despicandam esse, quam disputatione seria confutandam.*

62. Sed re vera sive prædictæ historiæ astruatur fides, sive negetur ; asserendum est, optime componi cum iis, quæ ex fide et Theologia comperta habemus, quod Deus in lege de qua loquimur, aliquando et non

*Salmant. Cours. theolog., tom. VIII.*

semel dispensaverit. Quod ut intelligatur, animadvertendum est, dupliciter posse Deum habere se cum illo, qui ab hac vita in peccato mortali decedit. Vel ferendo statim super examinata ejus causa finalem sententiam, prout merita exigunt, qua illum reum pœnæ æternæ declaret, supplicioque luendo in inferno detrudat. Vel suspendendo quoad sibi placuerit, prædictam finalem sententiam, et recludendo illam animam in aliquo sibi noto loco, aut etiam in ipso inferno, ubi vel sub pœnis degat, vel nullam pœnam sustineat. Quodlibet enim istorum erit Deo possibile, cum nullam contradictionem involvat. Secundo nota, dupliciter posse intelligi, quod Deus animam illius defuncti ex quolibet prædictorum locorum liberaret et ad cælum perduceret : nimirum aut immediate sine reditu ad corpus, sed conferendo illi in sua separatione gratiam, et peccati statum auferendo, ut illinc ad cælum et Dei visionem immediate ascenderet. Vel mediante reditu ad proprium corpus per resurrectionem, qua huic vitæ restituatur, ut in ea et in corpore constituta, peccata defleat, et gratiam assequatur ; ac tandem e vita iterum excedendo ut cæteri justî præmium beatitudinis recipiat.

63. Loquendo ergo de illis in peccato defunctis, super quorum causa Deus finalem et diffinitivam sententiam tulit, atque ex hoc decreto inferni ignibus addixit, non credimus, aliquem fuisse postea inde liberatum, aut ad beatitudinem perductum, sive immediate, sive mediante reditu ad hanc vitam. Ratio vero est, quia quilibet in peccato mortali decedens, ex vi illius status meretur pœnam æternam ; et nulla non æterna est illi proportionata, ut infra ostendemus : unde vel Deus non debet tunc judicare de illo absolute et finaliter, prout merita exigunt ; vel debet eum decreto absoluto et efficaci pœnæ æternæ addicere : cum quo decreto utpote omnino immutabili stare nequit, quod ipsa pœna de facto et in executione æterna non sit : sicut nec decretum aliud absolutum et efficax ; quo aliter disponatur de tali peccatore.

Quod si dixeris, posse Deum judicare illum, et non juxta merita, sed mitius quam peccata mereantur, adeoque determinando illi pœnam temporalem in inferno damnatorum luendam, qua finita respiciat eum cum misericordia. Respondetur, eo ipso prædictum judicium non

fore finalem sententiam; siquidem dat locum alteri, quo aliter judicetur. Et licet non negemus, posse Deum prædicto modo determinare pœnam temporalem ut in inferno damnatorum luendam, post ejus durationem peccatorem illum ad vitam revocet: credimus tamen, rarissime aut nunquam a prædicto loco Deum aliquem extraxisse, aut alium aliquem præter finaliter condemnatos in eo reclusisse. Communis enim Scripturæ, Ecclesiæ, et Sanctorum vox est, quod in inferno nulla est redemptio: quia qui semel illuc descendit, nunquam inde exhibit. Et ideo pro nullo, quem certo ibi esse constet, licet Deum orare, ut vel eum ad vitam revocet, vel ad beatitudinem transferat. Quod tamen illicitum non esset, si sufficienti fundamento haberemus, consuevisse Deum cum aliquibus ibi existentibus in lege communi dispensare. Accedit, quod inter multos qui ad vitam revocati sunt, etiamsi constet eos in peccato mortali obiisse, neminem legimus testatum, quod fuerit in inferno damnatorum, illorumque pœnas et desperationem sustinuerit. Signum ergo est, nullum in eo loco collocatum, aut non nisi rarissimo inde postea evasisse.

64. Dicimus secundo, negari non posse, aliquos qui ex hac vita in peccato mortali migrarunt, tandem æternam beatitudinem fuisse consequutos: non quidem de numero illorum, qui ut finaliter damnati in inferno conclusi erant; sed aliorum quibuscum Deus dispensavit, ut non statim post mortem finaliter et absolute judicarentur, et damnarentur; sed ut finale super eorum causa judicium, quasi nondum plene perorata lite, et causa examinata, suspenderetur: servarenturque eorum animæ a corpore separatæ pro tempore illius dormitionis in aliquo alio loco, unde postea ad hanc vitam et ad propria corpora revocata in ipsis pœnitentiam agerent, et gratiam acciperent: in qua tandem iterato mortui cum cæteris justis beatitudinem consequerentur. Hæc positio, quæ est D. Thomæ locis statim referendis, non videtur posse negari. Nam ex tanta multitudine mortuorum, quos Christus Dominus, et Apostoli, apostolicique viri usque modo resuscitarunt, negari non potest plurimos in peccato mortali obiisse: præsertim cum non pauci fuerint idololatræ et infideles. Quis autem dicet, omnes istos in eodem vel alio peccato mortali iterum fuisse moruos; et non potius aliquos ex eis pœniten-

tiæ et meriti tempus et opportunitatem nactos, gratiam et beatitudinem comparasse? Sane juvenem illum scelestum et infidelem Præfecti Sophronii filium, quem precibus B. Agnetis legimus resuscitatum, satis constat in peccato mortali vitam finisse: cum vero postquam resuscitatus est, ad fidem conversum et idolorum cultum detestatum, refert D. Ambr. serm. 90. Si-  
 D. Ambr. serm. 90. Si-  
 D. Aug. lib. de origine anim. S. Joan. Damasc. ad Renatum c. 10 de quodam puero fratre S. Perpetuæ martyris, qui cum sine Baptismo, adeoque in peccato mortali decessisset, precibus sororis fuit ad vitam revocatus. Falconillam etiam defunctam in peccato mortali (erat enim gentilis et idolorum cultrix) narrat S. Joann. Damascen. orat. cit. precibus primæ martyris B. Teclæ fuisse resuscitatum, et salutem (utique animæ) consequutam. Possemusque hujus rei plurima exempla adducere, quibus historiæ Ecclesiasticæ superabundant: cum tamen nulla ratione probari possit, omnes ita resuscitados, in peccato mortali et non aliquos in gratia iterum obdormiisse.

65. Tertio dicimus, neminem ex prædictis fuisse immediate ab inferno vel eo loco, ubi per primam mortem detentus mansit, ad beatitudinem translatus: sed mediante resurrectione et reditu ad hanc vitam, ubi anima in corpore degens, per baptismum vel pœnitentiam statum peccati exuerit, et gratiam receperit: in qua tandem obdormiens, ad beatitudinem pervenerit. Etenim quamvis considerata potentia Dei absoluta, non repugnet translatio illa immediata: quia tamen nulla utilitas ex ea in vivos, utpote ipsis ignota, redundaret, neque ad eorum exemplum vel ædificationem, aut ad Dei laudem conduceret; alias etiam inter cælum ubi sunt beati, et ea loca ubi peccatores detruduntur, magnum Chaos firmatum sit, ut nullus vel inde huc transire, vel hinc illuc possit transmeare, ut dicitur Luc. 16, nulla prudens ratio suadet contra communes divinæ providentiæ leges prædictam translationem admittere. Eo præsertim quia anima, quæ in peccato mortali decessit, quandiu est separata a corpore, manet inflexibilis et obstinata in malo, adeoque incapax ex natura rei pœnitentiæ et dispositionis ad gratiam: non ergo expedit ut in tali statu Deus alicui gratiam infundat, et gloriam communicet. Accedit, quod in casibus ita miraculosis et supra omnes divinæ providentiæ leges nobis notas, temerarium et illicitum est aliquid asserere

serere, nisi aliqua speciali notitia aut successu innotescat. Cum ergo usque modo nulla ad nos notitia pervenerit, aut casus aliquis innotuerit, unde colligere possimus, prædictam immediatam translationem fuisse aliquando a Deo factam (quicumque enim ex historiis afferuntur, exponuntur sufficienter de translatione mediata) temere et irrationabiliter similem translationem adstrueremus.

**66.** Ex dictis vero habetur, quo sensu accipienda sit supradicta Trajani historia, ut probabili fide non careat. Non enim existimandum est, illum in suo primo obitu fuisse finaliter absolute condemnatum, et ut talem inferni ignibus traditum; sed finale ejus judicium mansisse suspensum: animam vero vel in ipso inferno damnatorum inter eorum flammis, vel (quod verosimilius credimus) in aliquo alio loco (quamvis neque ibi sine tormento et supplicio) toto illo tempore usque ad B. Greg. separatam a corpore mansisse: tunc vero precibus S. Doctoris ab eo loco et pœnis erutam, non tamen immediate ad cœlum translata, sed restitutam suo corpori per resurrectionem ad hanc vitam, in qua saltem brevi spatio in ipso corpore degens, baptismum, fidem, et gratiam susceperit, in eaque iterum obdormiens ad cœlum evolaverit. Quæ est doctrina D. Thom. in 4, dist. 43, quæst. 2, art. 2, quæst. 1, ubi sic ait: *Dicendum, quod de facto Trajani hoc modo potest probabiliter existimari, quod precibus B. Greg. ad vitam fuerit revocatus, et ibi gratiam consequutus sit, per quam remissionem peccatorum habuit, et per consequens immunitatem a pœna. Sicut etiam apparet in omnibus illis, qui fuerunt miraculose a morte suscitati, quorum plures constat idololatrias et damnatos fuisse. De omnibus enim dici oportet, quod non erant in inferno finaliter deputati, sed secundum præsentem justitiam priorum meritorum: secundum autem superiores causas, quibus prævidebantur ad vitam revocandi, erat de eis aliter disponendum. Idem dixerat in 1, dist. 43, quæst. 2, art. 2, quæst. 1 ad 5 ibi: *Dicendum, quod idem est de Trajano, qui forte post 400 annos suscitatus est, et de aliis qui post unum diem suscitati sunt. De omnibus enim dicendum est, quod non finaliter damnati erant: præsciebat enim Deus, Sanctorum precibus a pœnis liberandos, et vitæ restituendos, etc.* Videatur etiam quæst. 6 de Verit. art. 6 ad 4, ex objectis secundo loco. Refert autem*

Hieron. de Zevallos in libello supra citat. fol. 12, animam Trajani mansisse in ejus lingua, emortuo reliquo ejus corporis: temporeque D. Greg. lingua detecta, Baptismum postulasse, et recepisse. Huic tamen relationi modica est fides, parvique facienda est.

**67.** Tertio ut certum in hac materia supponi debet; pœnam æternam, qua Deus de facto punit peccatum mortale, debitam esse illi ex se et ex proprio demerito: ita ut nihil fiat ibi supra condignum; sed potius lex justitiæ in illa observetur. Quamvis enim Deus utpote supremus omnium Dominus posset absque inordinatione ulla torquere in perpetuum, quem vellet hominem vel Angelum, etiamsi nullum peccatum commisissent, ob hoc dumtaxat ut supremum ejus dominium manifestaretur, et divina voluntas in ea manifestatione adimpleretur: de fide tamen habemus, neminem de facto a Deo puniri vel torqueri sine demeritis, aut ultra ipsa demerita: præsertim pœna æterna, quæ ordinari nequit ad bonum illius qui punitur, sicut ordinatur sæpe pœna temporalis. Ob id namque Sap. I dicitur: *Deus mortem non fecit, neque latetur in perditione viventium.* Et c. 11: *Nihil odisti eorum, quæ fecisti: quia Deus ex se, et nisi peccatis provocetur, nulli creaturæ infert malum; sed omnes amat, et omnibus communicat bona.* Ob id etiam in tota Scriptura ostenditur maxime liberalis et pronus ad miserendum; tardus vero ad puniendum: quia ad illud movetur ex seipso, sua tantum liberalitate et misericordia actus; ad hoc vero non ita, sed peccatis et demeritis nostris provocatus, ac proinde non amplius quam peccata ipsa expostulant.

Neque obest, si objicias verba Glossæ Psal. 71. ordin. in illud Ps. 71: *Ex usuris et iniquitate, etc.* ubi inquit, usuras esse peccata, quæ nobis cum magno favore pœnas pariunt: *Deus enim plus exigit in pœnis, quam commissum sit in culpis.* Respondetur enim excessum istum pœnæ ad culpam solum attendi inter illas materialiter, videlicet quantum ad acerbicatem doloris qui sentitur in pœna, respectu delectationis vel utilitatis quam peperit culpa: sentiet enim damnatus acerbissimum et æternum dolorem pro delectatione vel utilitate modica et brevissima. Non autem vult, mensuram pœnæ, quam Deus infligit, quantumvis gravissima et longissima sit, excedere de-

Aliud  
omnin  
certum

Sap. I  
et II.

Psal. 71.  
Glossa.

Trajani  
iberatio  
uomodo  
intelli-  
genda.

Thom.

dem.

meritum culpæ, aut esse secundum justam appretiationem majorem, quam illa mereatur.

68. Denique ut certum supponimus, æternitatem per se solum correspondere peccato mortali : venialia vero per se loquendo nequaquam eam exigere, sed puniri sufficienter pœna temporali ; adeo ut si æterna per se plecterentur, id non esset ex condigno, neque ex justitia. Cujus rationem reddit D. Thom. in hac eadem quæst. art. 5, quia videlicet cum peccatum veniale non destruat gratiam, neque tollat ordinem ad ultimum finem, relinquit in anima illæsum principium hujus ordinis, quod est ipsa gratia : et ita non est per se malum irreparabile aut irremissibile ; sed potius reparabile et remissibile ; ipsaque gratia, quam in subjecto relinquit, postulat ut aliquando totaliter reparetur et remittatur : sicut postulat, ut subjectum in quo est, ad visionem Dei aliquando perveniat : esset enim contra naturam et inclinationem ipsius gratiæ, quæ est *aqua saliens in vitam æternam*, ut non ad eam aliquando perveniret. Quinimo eadem gratia per actus suarum virtutum operatur sufficienter peccatorum venialium remissionem, sicut sufficienter illorum inordinationem detestatur, conjungitque Deo animam et voluntatem. Diximus *per se loquendo etc.* quia an per accidens propter conjunctionem scilicet ad peccatum mortale peccata venialia fiant pariter irremissibilia, sicque eorum pœna interminabilis æterna reddatur, dicemus inferius n. 73. Quare si quid in præsentem ut nonnulli difficultati obnoxium examinandum occurrit, consistit penes efficaciam rationum, quibus prædictam pœnæ æternitatem, quam pro mortali culpa fides adstruit, conantur ostendere.

## § II.

### *Ratione D. Thomæ dubium expeditur.*

69. Dicendum est, sufficienti ratione ostendi, quod peccato mortali debeatur pœna æterna lege justitiæ. Probationem hujus conclusionis (quam omnes catholici unanimiter recipiunt) continet articulus tertius præsentis quæstionis : ejusque doctrina omnes expositores ad intentum utuntur. Ratio vero in illo contenta, consistit in hoc quod omne peccatum mortale tollit ab anima ordinem ad ultimum finem, qui est per gratiam et charitatem : secluso autem ab

homine prædicto ordine, nihil in eo remanet, per quod deordinatio peccati possit reparari : adeoque efficitur malum quantum est ex se irreparabile, et dignum ut nunquam remittatur, ac proinde ut semper et in æternum puniatur : manente enim causa, quæ est inordinatio culpæ, manere etiam debet effectus, qui est reatus et condignitas pœnæ. Quam rationem, licet minus expensam tradit A. Doctor lib. 3, contra gent. cap. 144, et in 2, dist. 42, quæst. 1, art. 5, et in 4, dist. 46, q. 1, art. 3.

Pro cujus intelligentia nota ex dictis num. 21, quod cum pœna ex divina justitia ordinetur ad reparandum ordinem rationis, quem culpa pervertit, tandiu necesse est, ut debitum pœnæ seu reatus ejus permaneat, quandiu manserit perversio facta per culpam. Si namque manente adhuc prædicta perversione ex parte culpæ, reatus pœnæ finiretur, minus pulchritudinis et decoris boni honesti posset divina justitia universo restituere, quam culpa pervertere. Cum enim hujusmodi restitutio non aliter quam per pœnam ex justitia fieri possit, deesset utique huic facultas ad illam faciendam, si ex parte culpæ non maneret condignitas pœnam sustinendi. Quin etiam malitia justitiam devicisset, si illa adhuc superstite, deesset huic jus insurgendi in eam, et in ejus perversionem animadvertendi. Debet igitur quandiu culpæ inordinatio duraverit, manere in divina justitia jus et facultas ad illam puniendam, ac proinde debitum et reatus in peccatore pœnam sustinendi. Deinde nota, per quodlibet mortale peccatum tolli ab anima gratiam et charitatem, et relinqui in illa aversionem voluntariam a Deo fine ultimo, quæ est ipsum peccatum habituale, estque perversio ordinis rationis, quo anima et voluntas habitualiter deberet esse Deo subjecta : quæ quidem perversio non aliter auferri potest quam per infusionem gratiæ, in cujus privatione consistit, juxta dicta disp. præced. dub. 5. Quandiu igitur ille qui mortaliter deliquit, manet gratia destitutus, tandiu ejus peccatum irremissum, imo in sensu composito irremissibile permanet : tandiuque illa perversio et malitia habitualis, in qua consistit, fundat insolubilem reatum et condignitatem ad pœnam. Tertio nota, privationem gratiæ, quantum est ex vi et meritis peccati, per quod inducitur, esse perpetuam et irreparabilem : quia tale peccatum nullum relinquit in peccatore principium, per quod gratia

gratia restitui possit, neque aliunde adest debitum, ut aliquando restituatur.

70. Ex his dignoscitur vis rationis D. Thomæ, quæ in eo consistit : quia cum peccatum mortale privet animam gratia habituali, et hæc privatio sit ipsa macula et inordinatio habitualis, quæ fundat reatum et condignitatem ad pœnam, tandiu manere debet hujusmodi reatus in peccatore, quandiu prædicta privatio in eo manserit : hæc autem ex se et ex meritis ipsius peccati est perpetua, quia nihil in subjecto relinquit, per quod possit auferri : ergo etiam prædictus reatus, quantum est ex meritis peccati, habet esse perpetuus, adeoque exigens ut pœna perpetuo et æternaliter infligatur.

Nec refert, quod per divinam misericordiam possit gratia restitui, et peccatum habituale auferri, quo ablato non manebit prædictus reatus. Non itaque hoc refert, tum quia hæc misericordia non est juxta merita peccati, sed omnino supra illa : unde non tollit, quominus attento eo quod peccatum ex seipso affert, inducat reatum pœnæ æternæ. Tum etiam quia adhuc ex divina misericordia restitutio gratiæ et peccati remissio non habent locum nisi respectu viatoris : semel namque anima a corpore in peccato separata, præcluditur remissioni locus : quia per ipsam separationem voluntas peccatoris obstinatur in malo, fitque inflexibilis et irrevocabilis ad bonum : unde etiam ejus peccata fiunt non solum ex se, sed absolute irremissibilia et perpetua, ac proinde condigna ut in perpetuum puniantur.

Confirmatio. Confirmatur : nam qui incurrit aliquod debitum, tandiu manet sub reatu, quandiu vel ipse non solvit, vel creditor non remittit : sed ille qui in peccato mortali discedit ab hac vita, neque unquam solvit debitum pœnæ, quod peccando incurrit, neque ei aliquando a Deo dimittitur : igitur manebit in perpetuum sub reatu talis pœnæ, ac proinde dignus ut ipsa pœna in æternum protrahatur. Major et consequentia constant. Minor vero probatur quoad primam partem : quia ut peccator prædictum debitum solveret, deberet offerre pœnam seu satisfactionem Deo acceptabilem : quandiu enim Deus satisfactionem alicujus non acceptat, ipse non solvit : Deus autem non acceptat opus aut pœnam ejus qui existit in peccato : quippe nihil extra gratiam passum vel factum habet esse Deo acceptabile ; sed omnia fiunt ei acceptabilia per ipsam

gratiam : et ideo dicitur Eccles. 34, quod *Dona iniquorum non probat altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum, neque in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis* : non igitur homo extra gratiam manens, solvit unquam prædictum debitum. Quoad secundam etiam constat, quia omnis remissio apud Deum est similiter effectus gratiæ et meritorum Christi, quæ per eam applicantur : unde qui omnino est extra gratiam, exors manet talis remissionis.

71. Sed objicies, quod ratio æternitatis pœnæ assignanda est ex parte peccati actualis, potius quam ex parte habitualis : nam pœna directe et per se primo correspondet demerito, et cum illo proportionatur : meremur autem, seu demeremur actibus potius quam habitibus : imo habitibus neque meremur, neque demeremur, ut est commune axioma : non ergo prædicta ratio fuit sufficienter assignata per solum respectum ad permanentiam peccati habitualis.

Respondetur, sufficienter assignari prædictam rationem etiam ex parte peccati actualis, assignata semel ex parte habitualis. Tum quia peccatum habituale non est aliud nisi quidam terminus ex actuali relictus, et pro eo substituens : utpote in quo ipsum peccatum actuale virtualiter conservatur et permanet : unde sicut unicum et idem demeritum est utriusque peccati, unius quidem ut causæ a qua provenit, alterius vero ut termini in quo conservatur : ita unica ratione utriusque peccato æternitas pœnæ correspondet, quatenus durante in perpetuum peccato habituali, conservatur in eo demeritum actualis. Tum quia licet peccatum actuale cum sua actuali inordinatione physice transierit, moraliter tamen et in Dei abominatione semper permanet, dum ab eo non remittitur, et a voluntate propria non retractatur : quod autem non retractetur, neque remittatur causa est ipsum peccatum habituale, cum quo non compatitur talis retractatio aut remissio. Sicut ergo eadem ratio quæ probat æternam durationem peccati habitualis, ostendit simul æqualem permanentiam moralem et virtuales peccati actualis non retractari : ita ipsamet ratio quæ respectu illius probat condignitatem pœnæ æternæ propter prædictam durationem, probat similiter respectu istius.

72. Objicies secundo, sequi ex prædicta ratione, quod etiam peccata venialia in damnatis punienda sint pœna æterna, non secus ac mortalia : hoc autem non videtur

Eccles. 34.

Diluitur.

Objectio alia

verum ; ergo, etc. Sequela ex eo liquet, quia dum homo pro peccatis venialibus non satisfacit, aut Deus illa non remittit, semper conservat reatum suæ pœnæ, ut per se notum : quæ autem in damnatis sunt, nunquam a Deo remittuntur, nec damnati ipsi pro illis satisfaciunt : quippe neque satisfactio neque remissio locum habent, ubi deest gratia : semper ergo manebit in eis reatus et condignitas, ut puniantur. Minor vero probatur, tum quia Deus nullum peccatum punit majori pœna, quam sit ejus demeritum ; imo semper punit mitiori : et ob id dicitur quod *punit circa condignum* : peccatum autem veniale non meretur nisi pœnam temporalem, majorem vel minorem juxta suam gravitatem : ergo in nullo casu debet pœna æterna puniri. Tum etiam quia ex eo quod peccatum veniale mortali jungatur, non trahitur extra suum genus venialis ; neque transit ad genus mortalis ; aut plus aliquid malitiæ accipit, quam haberet secundum se et solitarie sumptum : igitur non debet ob prædictam conjunctionem longiori pœna plecti, quam secundum se, et separatum manens plecteretur : quæ proculdubio esset pœna temporalis.

Confirmatur  
objectione.

Confirmatur : nam ex eadem ratione fieret, quod si peccator, cui dimissum fuit aliquod mortale quoad culpam, et non quoad totam temporalem pœnam, ante hanc plene solutam in aliud mortale relabatur, et sic decedat ; non solum pro hoc mortali in quo moritur, sed etiam pro illo dimisso vapulabit in perpetuum : quippe cujus nullam Deus solutionem aut passionem acceptet ; ac proinde nunquam solvat pœnam illam, quæ secundum se foret temporalis : hoc autem nimis duram videtur : ergo, etc.

Solutio  
objectionis.

73. Respondetur ad objectionem concedendo sequelam. Ita quidem ut peccato veniali in prædicto casu non per se, sed per accidens competat pœna æterna puniri : ex conjunctione scilicet cum peccato mortali, ex qua redditur irremissibile ; quæ conjunctio advenit illi per accidens. Quæ doctrina licet negetur ab Scoto in 4 dist. 21, et ejus sequacibus ; est tamen communis, et D. Th. non solum quatenus ex ejus ratione formata in hoc dub. legitime infertur, ut objectio probat : sed etiam quia ita expresse asserit art. 5 hujus quæst. in solut. ad 3, et quæst. 7 de Mal. artic. 10, ubi in corp. concludit : *Veniale peccatum non meretur pœnam æternam ex specie sua, neque ex parte inhærentiæ ad subjectum per se loquendo, quia non pri-*

Scotus.

*vat gratia : sed per accidens fit irremissibile* D. Thom. peccato mortali conjunctum, in quantum est in subjecto privato gratia : et sic per accidens punitur pœna æterna. Eodem modo loquitur in solut. argumentor. Et quæst. 5, etiam de Malo art. 2 ad 8, ibi : *Peccatum veniale in eo qui decedit cum mortali, quia nunquam remittitur, æterna pœna punitur, propter gratiæ carentiam : et simili modo esset, si quis decederet cum originali et veniali peccato.* In 4 vero dist. 21, quæst. 1, art. 2, quæstione. 3, id magis explicat his verbis : *Culpa non potest ordinari nisi per pœnam, quia Deus nihil inordinatum relinquit, ideo nunquam culpam sine pœna dimittit. In illis autem qui damnantur, non potest aliqua pœna dimitti, neque aliquis reatus tolli, cum careant charitate, per quam et culpa purgatur, et reatus tollitur : et ideo culpa venialis in eis semper manebit : vel reatus ejus, si etiam ante peccatum mortale veniale dimissum fuisset quantum ad culpam, manente reatu : et propter hoc æternaliter damnati de venialibus puniuntur.* Aliam rationem satis efficacem reperies in Compend. Theolog. cap. 182. S. Doctorem sequuntur communiter ejus expositores ad articul. 5 præsentis quæst. ubi Cajetan. et Medina, Alvarez, dis. 185, Greg. Martinez dub. unic. Curiel dub. 1, Zumel. disp. unic. conclus. 1, Montésin. disp. 17, quæst. 3, conclus. 1, Vasq. disp. 141, cap. 2, Durandus, citata dist. 21, quæst. 2, Capreol. in 4, dist. 16, q. 1, art. 3, ad primum arg. contra 3 concl. Et plures alii.

Idem.

Idem.  
Cajet.  
Medina.  
Alvar.  
Martin.  
Curiel.  
Zumel.  
Montes.  
Vasq.  
Durand.  
Capreol.

74. Quare ad primam probationem in contrarium majori concessa, respondetur ad minorem cum Cajetano, peccatum veniale secundum se postulare pœnam temporalem negative, quatenus secundum se non postulat ut ejus pœna sit æterna. Quod autem positive postulet ut finiatur, vel ut perpetuo duret, provenit illi ex conditione subjecti : quod si sit in gratia, sollicitat pro remissione culpæ venialis, et pro pœnæ ejus absolute ; si vero sit extra gratiam, utrique irremissibilitatem confert. Itaque peccatum veniale considerari potest tripliciter : vel ut connotat, subjectum esse acceptum Deo per gratiam : vel ut connotat, quod sit illi exosum et inimicum per peccatum mortale : vel solum secundum se, ut ab utraque connotatione præscindit. Primo modo determinate exigit pœnam temporalem et excludit æternam : quia ipsa gratia, cui coexistit, postulat, ut tale peccatum aliquando remittatur, et ejus pœna, vel in hac

hac vita vel in purgatorio soluta, finiatur : sicut postulat, ut suppositum in quo est, perveniat aliquando ad claram Dei visionem, quæ nec culpam aliquam, nec alicujus pœnæ reatum secum admittit. Secundo modo positive exigit pœnam æternam : quia ab statu subjecti Deo exosi fit tale peccatum irremissibile in sensu composito prædicti status : et dum non remittitur, semper fundat reatum pœnæ ; et licet ipsum peccatum veniale ex se non postulet permanentiam subjecti in eo statu, sufficit tamen quod eam postulet peccatum mortale, cui est conjunctum, ut talis permanentia etiam in ipsum peccatum veniale et ejus pœnam irremissibilitatem, adeoque perpetuam durationem refundat : quamvis totum hoc sit ei per accidens, sicut est prædicta conjunctio. Tertio modo peccatum veniale nullam ex prædictis durationibus suæ pœnæ determinat, sed habet se præcisive et indifferenter (saltem pro hoc statu naturæ lapsæ) quia neque excludit gratiam, quæ est remissionis principium, neque eam postulat : ac proinde neque fundat irremissibilitatem, neque inducit remissionem. Quo contra se habet peccatum mortale : quia cum per se excludat gratiam, per se etiam postulat non remitti, et per se inducit perpetuam sui irremissionem : dum constituit subjectum in tali statu, cui nunquam deberi possit remissio.

Diximus saltem pro hoc statu naturæ lapsæ, ubi subjectum venialis culpæ nequit non esse in peccato mortali, vel in gratia : quia si utroque careret, ut in natura pura, non ita negabimus, peccatum veniale si tunc forte ante mortale committeretur, determinate exigere pœnam temporalem : quamvis non tot ex capitibus sicut postulat, dum est cum gratia : nam tota ratio ob quam modo et exigit pœnam æternam, et non exigit temporalem, est conjunctio ad peccatum mortale : quæ in præsentī statu necessario concomitatur absentiam gratiæ.

Per quod patet ad secundam probationem : quod enim pœna peccati venialis ex conjunctione ad mortale reddatur æterna, non oritur ex aliqua additione aut incremento malitiæ, sed ex mutatione status, et ex conditione subjecti : ex quibus provenit, ut illa qualis qualis malitia quæ secundum se esse poterat cum principio remissionis, et remitti per illud, ob defectum talis principii nunquam remittatur.

75. Ad confirmationem potest similiter concedi sequela. Licet enim Scot. absolute

illam neget ; conceditur tamen ab aliis, et a D. Th. in eod. 4, dist. citata, ut constat ex verbis quæ nuper retulimus. Neque id nimis durum videatur : quia qui debet sive parum sive multum, et nunquam solvit, semper manet sub reatu et obligatione solvendi : damnatus autem nunquam solvit residuum illud pœnæ temporalis, quia nullam affert solutionem Deo acceptabilem et condignam : quid ergo mirum, si semper maneat sub obligatione sustinendi talem pœnam, semperque eam sustineat. Diximus posse negari sequelam quia adhuc in via D. Th. posset probabiliter concedi, ut indicat S. Doct. in 4, dist. 22, q. 1, art. 1 ad 5, ubi reddit disparitatem inter casum hujus confirmationis, et illum alium de peccato veniali non dimisso quoad culpam, his verbis : *Sed hoc non videtur simile: quia veniale ideo in inferno æternaliter punitur, quia semper manet, cum non sit ibi aliquid, quod culpam delere possit : sed pœna ex hoc ipso quod solvitur, expiatur. Et ideo alii dicunt quod pœna, cujus est aliquis debitor post culpam remissam, in inferno punitur temporaliter. Nec propter hoc sequitur quod sit in inferno redemptio, quia pœna quæ solvitur non redimitur.* Forte tamen D. Th. non hic loquitur asserendo ex propria sententia, sed dubitando ex aliorum opinione. Et ideo magis standum videtur primæ solutioni ex dist. 21, quæst. 1, art. 2, q. 3. Cujus verba nuper adduximus.

Sed urgebis, quid si puer non mundatus a peccato originali, antequam in aliquod mortale laberetur, committeret aliquod veniale, cum quo et cum solo originali moreretur ? Sane in hoc casu non videtur futura æterna pœna sensus illius peccati venialis, quia nullus assignabilis est locus, ubi puer perpetuo illam sustineat : neque enim in limbo puerorum, quia ibi nulla est pœna sensus, sed sola pœna damni : neque in purgatorio, quia hoc non est perpetuum, neque in eo puniuntur nisi fideles, qui in gratia et charitate decedunt, ut affirmat Concilium Florent. decret. de purgatorio : ergo, etc.

Respondetur ex D. Thoma loco cit. ex Quæstion. 5 de Mal. casum apud nos esse impossibilem de lege ordinaria : quoniam puer in peccato originali existens, perveniensque ad usum rationis, nequit prius peccare venialiter ; quam vel convertatur in Deum per actum dilectionis super omnia, eaque conversione ab originali mundetur ; vel in omissione talis conversionis morta-

Solutio  
confirmatio-  
nis.  
Durand.  
Scotus.  
D. Thom.

Conci-  
lium  
Floren-  
tin.

liter delinquat, ac proinde cum novo peccato mortali, et non cum solo originali moriatur: nisi prius utriusque remissionem accipiat, de quo infra disp. ult. Quod si absolutam Dei potentiam spectemus, juxta quam non ita repugnat prædictus casus (omissis variis solutionibus quas adducunt Alvar. Montes. et alii expositores D. Thom. hoc loco) responderetur, ad divinam providentiam pertinere designare locum aptum, in quo decedens cum solo peccato veniali et originali, pœnam sensus veniali correspondentem perpetuo sustineat, etiamsi ad id necesse sit novum situm a tribus numeratis diversum pro prædicto effectu instituire: sicut enim casus propositus esset extraordinarius et præter leges communes; sic etiam specialem et extraordinariam providentiam requireret. Esset autem divinare, velle nos determinare talem locum vel situm, cum ejus electio ex sola libera Dei voluntate dependeat, quæ circa prædictum casum nihil nobis manifestavit.

### § III.

#### *Examinantur alix rationes æternitatis pœnæ pro culpa mortali.*

76. Reduximus vim præcedentis rationis ad irremissibilitatem sive durationem culpæ mortalis, quatenus dum irremissa permanet, semper fundat pœnæ reatum. Quæ sane ratio non tam ostendere videtur gravitatem culpæ mortalis, quam ejus durationem: quippe etiam venialis si nunquam remittatur, prædictum reatum semper inducet. Quare ut etiam ipsa gravitas ex dignitate æterni supplicii reluceat, examinandum duximus, an ex ea sola oriri valeat condignitas pœnæ æternæ: adeo ut sufficientem hujus habeamus rationem pro qualibet culpa mortali, considerando dumtaxat gravitatem malitiæ, quæ invenitur in quolibet tali peccato, dum actu fit, sine respectu vel ad moralem ejus permanentiam, vel ad maculam quam post se in perpetuum duraturam relinquit.

Rationes pro parte negativa. D. Thom. Igitur non deduci sufficienter prædictæ pœnæ rationem ex sola gravitate culpæ mortalis sine recurso ad irremissionem et ad durationem maculæ, videtur probari. Tum ex D. Th. art. hujus qu. in solut. ad 3, ubi ait, durationem pœnæ respondere durationi culpæ, non quidem ex parte actus, sed ex parte maculæ, quæ quia per se irreparabilis est, ex se habet quod perpetuo

duret, et ideo debetur ei pœna æterna. Et art. 5 ad 3: *Æternitas pœnæ non respondet quantitati culpæ, sed irremissibilitati ipsius.* Tum etiam quia si ex gravitate culpæ haberetur sufficiens ratio æternitatis pœnæ, non siluisset D. Th. hanc rationem, nec recurreret ad solam durationem maculæ, et ad irremissibilitatem ejus art. 3 hujus qu. ubi ex professo rem agit. Præsertim cum ratio illa ex gravitate desumpta potissima videatur. Tum præterea nam ut pœna sit justa, debet esse culpæ proportionata et adæquata, ut dicitur Deut. 25: *Pro mensura peccati erit et plagarum modus.* Unde qui pro levissima culpa acerbissimam statueret pœnam, non justus, sed crudelis diceretur: atqui pœna æterna non est proportionata gravitati culpæ mortalis, cum hæc sit simpliciter finita, utpote in actu finito existens; illa vero simpliciter infinita, ut quæ nunquam finietur: ergo, etc. Denique si daretur pœna infinita secundum intensionem, duratione vero finita, non pluri haberetur, neque acerbior judicaretur, quam pœna intensive limitata, infinita autem secundum durationem, qualis est pœna æterna: imo plures illam primam eligerent, ut hanc secundam vitarent: sed gravitas culpæ mortalis non est tanta, quæ mereatur pœnam simpliciter infinitam quoad intensionem, ut ex D. Th. dub. seq. videbimus: igitur neque merebitur pœnam æternam, quæ est infinita secundum durationem. Unde huic parti subscribunt Scot. in 4 dist. ult. Conrad. in præsentem in comment. art. 4, nonnullique alii.

77. Contrarium vero suadere videntur tres rationes, quibus D. Th. utitur lib. 3 contra gent. c. 144, ubi sic ait: *Naturalis æquitas hoc habere videtur, quod unusquisque privetur bono, contra quod agit: ex hoc enim reddit se tali bono indignum: et inde est quod secundum civilem justitiam qui contra Rempubicam peccat, societate Reipublicæ privatur omnino vel per mortem, vel per exilium perpetuum: nec attenditur, quanta sit mora temporis in peccando; sed quid sit contra quod peccavit: eadem autem est comparatio totius vitæ præsentis ad Rempubicam terrenam, et totius æternitatis ad societatem Beatorum, qui ultimo fine æternaliter potiuntur: qui ergo contra ultimum finem peccat, et contra charitatem, per quam est societas Beatorum et tendentium in beatitudinem, in æternum debet puniri; quamvis aliqua brevi temporis mora peccaverit.*

Hæc



Hæc ratio, ut ex ea liquet, non innititur durationi aut irremissibilitati culpæ mortalis, sed ejus gravitati et actuali malitiæ: nam ratione istius independenter ab illis insurgit peccator contra finem ultimum, et contra bonum æternum, et agit contra charitatem, per quam est societas perpetua Beatorum: et ex hoc ipso reddit se indignum prædictis, seu dignum ut illis privetur sine spe ulla recuperationis: ac proinde privatione perpetua. Quod efficaciter confirmat exemplum ex humanis desumptum, ubi pro culpa momentanea contra bonum Reipublicæ commissa juste aliquis punitur morte, aut exilio, quo societate et bonis ipsius Reipublicæ privatur in perpetuum: nec solum cadit sub demerito prædictæ culpæ privari utcumque hujusmodi bonis; sed ita illis privari, ut nunquam ei, attenta ejus culpa, et non accedente nova gratia, restituantur. An vero hæc ratio cum sua confirmatione in nostro casu solum procedat de pœna damni, vel etiam de pœna sensus, constabit num. 84.

78. Secundam rationem ponit D. Thom. his verbis: *Apud divinum judicium voluntas pro facto computatur: quia sicut homines vident ea quæ exterius aguntur, ita Deus inspicit hominum corda: qui autem propter aliquod temporale bonum aversus est ab ultimo fine, qui in æternum possideretur, præposuit fruitionem temporalem illius boni temporalis æternæ fruitioni ultimi finis: unde patet, quod multo magis voluisset in æternum illo bono temporali frui: ergo secundum divinum judicium ita puniri debet, ac si æternaliter peccasset: nulli autem dubium est, quin pro æterno peccato æterna pœna debeatur: debetur igitur ei qui ab ultimo fine avertitur, pœna æterna.* Ad hanc rationem reducitur ea, quam ex D. Greg. lib. 4 Dialog. cap. 44, adducit A. Doctor in præsent. art. 8 ad 1, dicens: *Justum est secundum Gregor. quod qui in suo æterno peccavit contra Deum, in æterno Dei puniatur. Dicitur autem aliquis in suo æterno peccasse non secundum continuationem actus in tota hominis vita durantis, sed quia ex hoc ipso quod finem in peccato constituit, voluntatem habet in æternum peccandi.* Quæ etiam ratio satis ad intentum videtur: nam omnia illa quibus innititur, nempe præteritio et prælatio boni temporalis supra æternum, hujus contemptus et posthabitio, necnon voluntas et affectus perpetuo fruendi ipso temporali bono, perpetuoque in peccato manendi, conveniunt culpæ mortali

ratione suæ gravitatis actualis et independenter a majori vel minori ejus duratione.

79. Sed ingerit difficultatem illa prima propositio: *Apud divinum judicium voluntas pro facto computatur*: illatioque inde facta, videlicet quod *si pro peccato quod æternum esset, debita fuisset pœna æterna, etiam debetur pro affectu æternaliter peccandi.* Hæc igitur illatio cum suo antecedenti statum difficultatem afferunt: quia non semper affectus committendi aliquod peccatum est æqualis malitiæ aut demeriti cum peccato, quod voluntas committere affectat. Si quis enim per unicum instans eliciat propositum odio habendi tota vita proximum vel Deum, a quo proposito statim vel cito resipiscat; non est dicendum, hujusmodi propositum fuisse æqualis malitiæ, aut meruisse æqualem pœnam, atque esset, et mereretur ipsum odium tota vita exercitum. Imo illudmet propositum esset longe pejus, et graviore pœna dignum, si duraret per integrum diem, aut mensem; quam si solum daret per instans, vel per horam. Non ergo apud divinum judicem quilibet peccandi affectus ita judicandus aut puniendus est, sicut judicaretur et puniretur executioni mandatam opus peccaminosum, quod voluntas affectat. Atque adeo ex eo quod peccatum perpetuo durans æterna pœna esset puniendum, non inferitur, affectum perpetuo peccandi brevissime durantem, statimque finitum meritorium esse ejusdem pœnæ. Eo præsertim quia malitia illius peccati perpetuo durantis esset simpliciter infinita ratione infinite durationis; quæ vero reperitur in affectu momentaneo, etiamsi sit affectus peccandi in perpetuum, simpliciter est finita et limitata: non ergo apud æquum judicem æqualis pœnæ duratio utrique est decernenda.

80. Hæc tamen non enervant prædictam rationem, compellunt vero, ut vim ejus declarem, ne vel nimium probans, vel inefficax videatur. Pro quo nota ex Ferrara loco cit. propositionem D. Thomæ: *Apud divinum judicium voluntas pro facto computatur etc.* intelligi de voluntate absoluta et efficaci in eo, in quo est efficax: qui enim hoc modo habet voluntatem furandi aut occidendi, quamvis per accidens prohibitus ab aliquo, non occidat vel furetur, ita judicabitur apud Deum, eidemque pœnæ addicetur (saltem loquendo de pœna primaria et principali sive damni sive sensus) ac si de facto opera illa commisisset. Deinde nota, quod voluntas seu volitio inclusa in

Difficultas hujus rationis.

Secundam  
ratio.  
Thom.

em.

Greg.  
Thom.

Dilucidatur  
ratio.

Ferrara.

quolibet peccato mortali, quamvis non semper sit efficax et absoluta in ordine ad omnia quæ concernit : semper tamen est talis in ordine ad aliquid, scilicet in ordine ad hoc quod est avertere voluntatem a Deo, aversione quantum est ex se, perpetua, et convertere ad bonum creaturæ sicut ad finem ultimum, conversione similiter perpetua quantum est ex se : nam per quodlibet peccatum mortale sine recursum ad aliam causam relinquuntur in voluntate prædictæ conversio et aversio perpetuo duraturæ, quantum ex ipsis et nisi divina gratia supra omne debitum removeantur. Unde quantum ad istum effectum quodlibet peccatum mortale, etiam brevissime finitum, computatur apud Deum, ac si æternaliter duraret : quia non minus ex sua illa brevissima duratione causat prædictam aversionem et conversionem, datque illis vim, ut perpetuo permaneant, quam causaret aliud quod perpetuo maneret. Cum quo tamen stat in ordine ad alia, sicut est incrementum malitiæ actualis ex duratione desumptum, et augmentum demeriti prædicto incremento correspondens, peccatum parvo tempore durans non adæquetur illi quod diu permaneret, neque apud divinum iudicem pro eo computetur : quia voluntas ibi inclusa vel non concernit istum effectum, vel in ordine ad eum non est efficax et absoluta.

Hinc depromitur vis rationis D. Thom. nam pro peccato actuali perpetuo durante juste tribueretur pœna perpetua, non solum ratione actualis malitiæ, quæ tunc perpetua esset : sed etiam ratione conversionis et aversionis habitualis, quæ inde perpetuo orientur : cum ergo quantum ad hunc effectum quodlibet peccatum mortale importet voluntatem efficacem et absolutam, consequens est ut apud divinum iudicem omne tale peccatum pro æterno computetur, et non secus ac si æternum esset, in æternum puniatur. Illa vero quæ prædictam rationem impugnare videbantur, non obsunt : quia non procedunt de effectu quem diximus, sed de incremento malitiæ sumpto ex duratione et de augmento demeriti illi correspondente in ordine ad quæ voluntas inclusa in peccato mortali minoris durationis, non est efficax et absoluta, sed ad summum conditionalis et inefficax, et ita neque pro facto computanda.

81. Nec obest, si dicas, jam hic fieri recursum ad durationem perpetuam malitiæ habitualis consistentis in prædicta aversione et conversione ex se perpetuis : ergo hac via

non ostenditur demeritum pœnæ æternæ ex sola gravitate quasi intensiva culpæ mortalis, independenter a duratione : nec differt hæc ratio ab illa, quam § anteced. adduximus eidem durationi innixam.

Respondetur enim, nos hac via non recurrere ad malitiam habitualementem quasi ad rationem formalem, propter quam pœna æterna peccato mortali debeatur : sed dicimus, huiusmodi rationem esse ipsum peccatum actuale ob suam actualem malitiam, secundum id quod habet prout primo fit, quatenus pro tunc includit affectum perpetuo in peccato manendi absolutum et efficacem quoad effectum quem diximus : ratione enim huius efficaciam potest prædictus affectus dici æternus virtualiter et æquivalenter : reputaturque apud Deum pro æterno in ordine ad pœnæ designationem. Quia tamen prædicta efficacia et æquivalentia non intelligitur nisi per respectum ad aversionem et conversionem ex se perpetuas, quas infert, ideo ad hæc recurrimus tanquam ad signum et effectum talis efficaciam : non vero tanquam ad rationem fundantem demeritum æternitatis pœnæ : ut recurrit ratio, quam § præced. expendimus.

82. Tertia ratio ad idem sic proponitur a D. Thom. cit. cap. 144 : *Eadem iustitiæ ratione pœna peccatis redditur, et bonis actibus præmium : præmium autem virtutis est beatitudo, quæ quidem est æterna : ergo et pœna qua quis a beatitudine excluditur debet esse æterna.* Hæc autem ratio sumpta ex paritate inter pœnam et præmium, et inter meritum utriusque, satis efficax videtur : quia non minor proportio exigitur inter meritum et præmium, ut hoc ex condigno debeatur ; quam inter demeritum et supplicium, ut istud ex iustitia applicetur : si igitur actus charitatis, v. g. finitæ et limitatæ bonitatis, finitæque et sæpe momentaneæ durationis, habet sufficientem proportionem ad merendum de condigno præmium æternum ; nulloque omnino temporali, quantumvis alias magno adæquate remuneraretur : non est cur peccatum mortale quantumvis momentaneum, finitæque malitiæ sit, non habeat similem proportionem ad æternum supplicium promerendum, ita ut servata lege iustitiæ, possit illo puniri. Eo præsertim quia quod actui charitatis de condigno debeatur præmium æternum, provenit ex eo, quod per talem actum constituit voluntas in Deo finem ultimum, appretiat ipsum super omnia, et vult illi perpetuo adhærere : cum igitur totum id per oppositum habeat peccatum

peccatum mortale, dum voluntas per illud constituit finem ultimum in bono creaturæ, affectatque adhærere illi in perpetuum : consequens est, ut non minus juste et condigne pœna æterna puniatur.

Ratio alia ex eodem Thom. 83. Adde quartam rationem ex eodem D. Thom. in 4, dist. 46, quæst. 1, art. 3, quæ licet non ita directe, evidentius tamen quam præcedentes, assumptum persuadet. *Potest (inquit) et alia ratio assignari, quare pœna peccati mortalis sit æterna : quia per illud contra Deum qui est infinitus, peccatur : unde cum non possit esse pœna infinita per intensionem, quia creatura non est capax alicujus qualitatis infinitæ, requiritur ut sit saltem duratione infinita.* Itaque hæc ratio supponit, peccatum mortale quo pacto est contra Deum, esse malum quasi intensive infinitum, et ratione hujus infinitatis condignum esse pœna similiter infinita : unde quia pœnæ æternitas æquivalet infinitæ intensionem, juste pro ea commutatur, et ejus loco infligitur.

Sed dices : vel est sermo de peccato mortali quantum ad rationem divinæ offensæ, vel quantum ad rationem malitiæ moralis? Primo modo non respondet illi pœna, sed satisfactio, ut dicemus dub. seq. unde ex hoc capite, quantumvis sit infinitum, non habetur quod possit æterna pœna puniri, sed solum quod satisfactio exhibenda pro illo debeat esse infinita. Secundo autem modo non est infinitum simpliciter, neque debetur ei pœna infinita intensive, etiamsi hæc esset possibilis, ut ibi etiam dicemus : igitur neque ex isto capite potest ejus pœna in æternam commutari.

Respondetur, sermonem esse de peccato secundum primam rationem. Ad impugnationem vero dicendum est, quod quamvis pœna directe et per se non respondeat offensæ, quæ Deo irrogatur, sed malitiæ existenti in peccatore ; indirecte tamen potest illi applicari, et cum ea adæquari : quia potest persona offensa, dum ei alia satisfactio non exhibetur, pœnam æquivalentem loco satisfactionis exigere : et judex debitorem compellere, ut eam pœnam solvat, si alia via non satisfacit. Utsi quis debeat centum, nec sit solvendo, poterit creditor longo tempore illum incarceratum detinere, et satisfactionem in hanc pœnam commutare. Quod potissime locum habet in satisfactione, quæ reddenda est non pro accepta pecunia, sed pro injuriis et offensis irrogatis sive Deo sive hominibus : quippe harum satis-

factio per se postulat fieri per abjecta et pœnalia.

84. His quatuor rationibus sufficienter probari videtur condignitas pœnæ æternæ respectu peccati mortalis ex sola ejus gravitate, sine recursu ad durationem in se vel in sua macula. Non tamen omnes illas æque efficaces arbitramur. Nam prima quantum ad pœnam damni, et ultima quoad utramque pœnam damni et sensus, satis efficaciter intentum convincunt : adeo ut opus non sit ad alias recurrere. Secunda vero et tertia suadent idem de utraque pœna valde probabiliter : unde non oberit, quod probabiliter etiam solvi aut impugnari valeant : ut accidit in omnibus quæ solum probabiliter asseruntur. Neque enim D. Thom. solis demonstrativis rationibus semper usus fuit : sed aliquas probabiles aut verosimiles sæpe adhibuit. Præsertim in summa contra gent. ubi (ut observat Cajet. l p. q. 25, art. 1), omnibus viis utitur ad veritates fidei gentibus persuadendas : et ideo quandoque ex certis, quandoque autem ex probabilibus aut verosimilibus ; imo et aliquando ex falsis, ab ipsis tamen Philosophis gentilibus concessis, ad eos convincendos argumenta desumit. Quocirca manifeste esset contra S. Doctorem, omnes ejus rationes ut æque efficaces, vel ut demonstrative convincentes velle defensare. Iis vero quas adduximus, novam vim addet doctrina, quam trademus num. 87.

#### § IV.

*Diluuntur adducta in contrarium.*

85. Adduximus n. 76, aliqua contra id quod resolvimus. Ad quorum primum quod erat D. Thom. in præsent. art. 4 ad 3, respondetur, S. Doctorem in illa solutione propterea recurrisset ad maculam ex peccato actuali relictam, non vero ad ipsum peccatum actuale, quia nitentur reddere rationem æternitatis pœnæ, ex illo capite ubi evidentius apparet, uti est correspondentia ad æqualem durationem culpæ, quæ sane duratio non in actu peccati, sed in sola macula formaliter reperitur : per hoc tamen non negavit, posse etiam desumi sufficientem rationem prædictæ æternitatis ex ipsa gravitate actus, præciso adhuc ordine ad durationem et ad maculam.

Et eodem fere modo dicendum est ad secundum ex art. 5. Non enim ibi negat, quod

Judicium de prædictis rationibus.

Cajet.

Occurritur testimoniis. D. Thom.

in ipsa quantitate seu gravitate culpæ mortalis fundetur sufficienter demeritum pœnæ æternæ: sed intendit, quod latitudini extensivæ hujus pœnæ non correspondet in actu æqualis latitudo intensiva: nam hæc formaliter est finita, cum tamen illa sit formaliter infinita: atque adeo proportionem et adæquationem inter prædictam pœnam et culpam aliunde sumendam esse, quam ex prædicta correspondentia. Potest vero ex variis capitibus desumi: quorum primum et evidentius assignat ibi D. Thom. nempe irremissibilitatem et æternam durationem maculæ peccati. Alia vero quæ in illa solutione non tangit, assignat aliis locis a nobis adductis.

D. Thom. Ad tertium ex eodem D. Thoma dicas, etiam ex professo rem egisse lib. 3, contra gent. cap. 111, et in 4, dist. 46, ibique tradidisse cæteras rationes a nobis adductas. Propterea vero in hac quæst. in corpore art. 3, prælegit illam, quæ sumitur ex duratione maculæ, quia evidentius intentum demonstrat: cæteras vero majori difficultati obnoxias, summæ Theologiæ brevitati consulens, prætermisit. Quamvis non omnino tacuerit primam et secundam, quas § præced. adduximus, ut constat ex solutione ad primum.

Satisfit  
rationi-  
bus.

86. Ad quartum ex ratione, juxta eam quam expendimus ultimo loco, facilis est solutio quia cum peccatum mortale in ratione offensæ sit simpliciter infinitum, non excedit ejus proportionem pœna æterna: non enim in plus est æternum, quam infinitum. Per quod patet juxta eandem rationem etiam ultimum. Neque D. Thom. negat, aut nos negabimus, posse pro offensa loco satisfactionis pœnam infligi: dicemus tamen, illud cui directe et per se pœna correspondet, esse malitiam seu inordinationem peccati, et non offensam.

Alia  
solutio.

Sed ut alias rationes, quæ sine recurso ad infinitatem offensæ, ex ipsa gravitate culpæ mortalis in ratione malitiæ suadent condignitatem pœnæ æternæ, saltem ut valde probabiles tueamur, respondetur secundo, inter culpam et pœnam non requiri æqualitatem quoad omnia, et præsertim quoad formalem durationem: siquidem adhuc in humanis judiciis videmus, pro brevissimo delicto perpetuam vitæ privationem aut perpetuum exilium sæpe infligi: sufficit ergo quod in peccato mortali sit affectus perpetuo peccandi, aut manendi perpetuo in peccato, ut n. 80 esse diximus:

nam hujusmodi affectus virtualiter et æquivalenter potest dici æternus: computaturque apud æternum judicium, ac si esset æternus formaliter, ut supra expendimus.

87. Adde, quod etsi pœna æterna ex natura rei et antesententiam judicis non esset proportionata, sed superexcedens respectu culpæ mortalis, propter hujus brevitatem, et illius infinitam durationem: eo ipso tamen quod divinus judex talem pœnam pro prædicta culpa incurrendam statuatur, cadet tota sub ejus demerito. Pro quo nota, quantitatem alicujus pœnæ, ut justa sit, non semper attendi ex sola culpæ quantitate aut duratione: sed sæpe ex judicis sententia major vel minor pœna pro æquali culpa constituitur: qua constitutione semel facta, tota illa pœna, quamvis alias major quam culpa videatur, juste infligitur committenti ipsam culpam: ut juste infligitur pœna mortis pro facto commisso, quamvis hoc minus malum videatur: quia lege sancita est talis pœna pro furto. Etenim qui contra legem delinquit, voluntarie se exponit toti pœnæ, quam lex ipsa in transgressores determinavit eoque ipso tribuit jus legislatori aut judici exigendi ab eo totam illam pœnam, cui se exponit, sive æqualem sive longe majorem quam culpa: nihilque aliud est totam illam pœnam mereri, quam se illi voluntarie exponere.

Porro judex aut legislator in statuendo pœnas (ut per hoc quædam replica diluatur) non præcise attendit gravitatem aut deordinationem hujus vel illius particularis culpæ secundum se spectare; sed attendit etiam alia, quæ boni communis intersunt: ut quod homines metu pœnarum a peccatis cohibeantur, inducanturque ad virtutem: potissimum vero ut divinæ majestatis offensæ, quæ summum et infinitum malum continent, pro viribus caveantur. Unde totam eam pœnam juste statuere potest, quæ in ordine ad prædictos fines congrua et necessaria sibi videatur, sive finitæ durationis sive infinitæ: quippe etiam finis ad ita discernendum importat saltem ex parte violationis divinæ offensæ aliquid infinitum. Quia ergo ad id congrua non esset pœna minor quam æterna: nam homines facile contemnerent quamlibet pœnam futuram temporalem, ut præsentis voluptate fruenter, juste statuta est pro culpa mortali pœna æterna.

88. Dices, nos initio hujus secundæ solutionis decrevisse non recurrere in ea ad infinitatem

dilutor. infinitatem divinæ offensæ; modo vero ad hanc recurrimus: ergo inconsequenter procedimus. Respondetur, recursum hujus solutionis ad infinitatem divinæ offensæ, non esse ut ad rationem pro qua pœna infligatur, seu quæ fundet ejus reatum et demeritum: hanc enim rationem solum dicimus esse malitiam et deordinationem in actu peccati repertam: sed esse dumtaxat ut ad finem et motivum prohibendi ipsam malitiam et deordinationem sub tanta pœna. Semel namque facta hac prohibitione ex illo vel alio motivo per se ad id sufficiente; eadem malitia et deordinatio exigunt, ut prædicta pœna puniantur, independentes a punitione vel satisfactione exhibenda pro offensa.

plica. Dices secundo: sequitur ex doctrina tradita, quod etiam pro peccato veniali, attempta ejus gravitate, posset Deus statuere pœnam æternam, et quod ea semel statuta caderet sub demerito talis peccati. Hoc autem non videtur admittendum: quia cum peccatum veniale non excludat gratiam, et hæc postulet ad beatitudinem aliquando pervenire; fieri non potest, ut ex vi prædicti peccati juste aliquis privetur in perpetuum ipsa beatitudine: uti privandus esset, si æterna pœna puniretur. Respondetur negando sequelam, attempta præcise lege justitiæ. Quamvis enim Deus utendo supremo suo dominio, possit justum peccatum venialiter, imo et quemlibet innocentissimum destinare ad pœnam æternam, et de facto in illa detinere: nequaquam tamen id postulare lex justitiæ, aut hæc ibi splenderet: sed solum prædictum dominium, cui jure servitutis omnis creatura debet esse plenissime subjecta: essetque sufficiens motivum ad honestandam illam pœnam sive pœnalitatem manifestatio prædicti dominii, et adimpletio divinæ voluntatis.

noda-  
tur. 89. Ratio vero ob quam id non fieret ex lege justitiæ, facile reddi potest: quia prædicta lex postulat, ut iudex in statuendo pœnam, attendat vel quantitatem culpæ: statuatque proinde pœnam illi adæquatam: vel propria motiva, quæ iudex ut talis debet attendere: ut quod pœna illa necessaria est ad majora mala cavenda, et commune bonum conservandum: si vero totum hoc deficiat, nequibit iudex aut legislator majorem pœnam decernere, quam sit gravitas culpæ: proindeque si eam decernat, non ut iudex procedet, sed ut supremus dominus, si talis sit; vel inique aget. Neutro vero modo illa erit pœna proprie dicta: quia hæc non datur ubi non est demeritum et condignitas

secundum legem justitiæ. Porro ad statuendam pœnam æternam pro culpa tantum veniali, neque Deus moveri potest ex quantitate ipsius culpæ, ut est per se notum, neque ex amore conservationis boni communis; nam potius hoc bonum postulat, ut ea pœna non sit. Postulat enim ut ille, qui est in gratia, si eam non amittat (sicut amittere Joan. 4. nequit per solum veniale) aliquando ad beatitudinem perveniat: nunquam vero ad eam pervenire, sed manere semper sub pœna, esset violentum ipsi gratiæ: quæ cum sit fons aquæ salientis in vitam æternam, violenter et contra propriam inclinationem illa in perpetuum privaretur: non potest autem conservatio boni communis exigere aliquid, quod violentum semper sit in ordine gratiæ. Neque etiam potest esse sufficiens motivum ad statuendam illam pœnam vitatio aliorum peccatorum graviorum, scilicet mortalium: quia huic motivo sufficienter consultum erit, si pro ipsis mortalibus talis pœna decernatur: neque prudens legislator debet gravissimas aut prolixissimas pœnas pro levissimis culpis decernere, ob id solum ut graviores evitentur; ubi pro hoc alia superest via satis efficax, sicut est illa quam tetigimus: nimirum quod pro ipsis culpis gravioribus tales pœnæ assignentur. Adde, quod si Deus alicui interdiceret sub comminatione pœnæ æternæ, ea quæ nunc sunt peccata venialia, eo ipso mortalia redderentur, et qui illa deliberate committeret, mortaliter delinqueret: quia mortalis culpa esset non vereri tantum Dei supplicium, aut velle potius carere in perpetuum divina visione, et manere semper sub pœna quantumvis levissimæ intensionis; quam ab interdictis illis abstinere. Aliæ objectiones afferri possent ad suadendum, non deberi peccato mortali pœnam æternam: quas brevitatis causa omittimus, quia vel solutæ sunt a D. Thoma art. 3 hujus D. Thom. quæst. vel ex dictis facile diluentur.

#### DUBIUM IV.

*Utrum peccato mortali debeat pœna infinita secundum quantitatem?*

90. Hoc dubium quod directe respondet art. 4 hujus q. ex ejus doctrina decidendum est. Pro quo ut certum supponimus, pœnam, qua de facto punitur a Deo culpa mortalis, non esse simpliciter infinitam secundum quantitatem, seu intensive (quantitas enim hic pro intensione accipitur) quia nulla qualitas

Complut. aut res alia, quæ possit habere rationem pœnæ, capax est augmenti vel intensiõnis infinitæ, ut docent communiter Theologi et Philosophi, probantque N. Complutens. lib. 3 Physicor. disp. 18, q. 6. Ex quo etiam ut certum supponimus, quod neque Deus de facto eam pœnam pro peccato aliquo decreverit: quia certum est, pro nullo decrevisse pœnam impossibilem. Quare solum inquirimus, an tanta sit gravitas et malitia culpæ mortalis, ut quantum est ex se, possit fundare reatum pœnæ infinite intensæ, ita ut si hæc esset possibilis, ab illius demerito expostularetur, nullaque finitæ et limitatæ intensiõnis illud adæquaret. Dupliciter autem potest aliquid dici infinitum. Vel intrinsece et formaliter; et hoc est *infinitum simpliciter*, quia in seipso habet intensiõnem vel magnitudinem infinitam: sicut habent perfectiones divinæ et valor operum Christi Domini. Vel extrinsece et terminative: eo quod licet in se finitum sit, respicit tamen objectum vel terminum infinitum; sicut actus charitatis, et visio beatifica, quæ licet sint actus finitæ intensiõnis, habent pro objecto infinitam Dei perfectionem et bonitatem. Unde hoc solum dicitur *infinitum secundum quid*. De utroque autem dicemus, sicut etiam de pœna tam sensus quam damni.

## § I.

*Deciditur dubium ex mente Ang. Doctoris.*

91. Dicendum est, peccatum mortale etiam quantum est ex se, non postulare pœnam simpliciter infinitam sive damni sive sensus, sed adæquari sufficienter per pœnam finitam simpliciter. Hæc conclusio quæ fere est communis inter Theologos, statuitur in præsentia a D. Thoma, quem sequuntur ejus discipuli et expositores in commentar. art. 4, ubi Cajetan. et Medina, Curiel., dub. 3, Alvar. Alvar. disput. 183, Lorca disput. 53, Araujo dub. 2; Zumel dub. 3, Vasq. in annotat. circa art. Salas tract. 13, disp. 15, sect. 7 et alii.

Ratio pro conclusiõne. Probatur sequenti ratione. Quantitas pœnæ secundum intensiõnem debet proportionari peccato secundum quantitatem malitiæ: cum enim ratione istius fundet reatum ad illam, oportet ut inter utramque sit proportio, atque adeo quod non sit debita major seu intensior pœna, quam sit malitiæ quantitas: sed hæc simpliciter est

limitata et finita: ergo etiam illa debet esse finita simpliciter. Minor suadetur animadvertendo in peccato duplicem tantum malitiam reperiri: aliam privativam quæ importat aversionem a Deo et ab ejus lege: aliam vero positivam, quæ dicit conversionem ad bonum commutabile, propter quod voluntas Deum derelinquit, ut explicuimus supra disp. 6. Utranque autem finitam esse constat. Tum quia sunt in subjecto finito, scilicet in actu humano, vel in voluntate: quicquid autem in subjecto finito recipitur, limitatur et finitur per ipsum subjectum. Tum etiam quia utraque habet terminum et specificativum finitum: nam conversio specificatur a bono commutabili sicut a proprio objecto, quod apud omnes est aliquid finitum. Aversio vero prout a conversione distinguitur, dicit privationem rectitudinis et perfectionis debitæ inesse actui vel voluntati, ut per eam in Deum sicut in finem converteretur; unde ejus terminus et mensura est ipsa conversio qua privat, seu perfectio per quam debet fieri talis conversio: quam perfectionem et conversionem perspicuum est esse simpliciter finitam. Ex nullo ergo capite potest prædicta malitia in infinitum crescere.

92. Dices, etiamsi malitia sit finita, posse illi correspondere pœnam infinitam, non quidem ex natura rei, sed ex sententia judicis, qui non semper tenetur adæquare quantitatem pœnæ quantitate culpæ; sed potest ob alios fines pro minori culpa majorem pœnam decernere: eaque semel decreta, tota cadit sub demerito peccati, juxta dicta dub. præced. n. 87. Respondetur, doctrinam illam non habere locum in præsentia: quia certum est, Deum non statuisse pro peccato pœnam intensive infinitam, cum hæc sit impossibilis: unde si semea pœna caderet sub demerito peccati, nequaquam id haberet ratione divinæ sententiæ taxantis talem pœnam, sed ratione quantitatis malitiæ adæquantis illam. Et ideo semel ostenso non deberi peccato ex hoc capite pœnam infinitam, manet etiam probatum, ex nullo capite posse illi deberi.

Dices secundo, potius ex nostra ratione deduci, malitiam peccati ex parte privationis esse infinitam: quia talis privatio est aversio a Deo bono infinito, ac proinde ipsa est aversio infinita: habet ergo peccatum hac ex parte proportionem cum pœna infinita: quicquid sit de conversione et malitia positiva. Et sane discursus D. Thomæ et ejus

Evasio.

Præcluditur.

Evasio alia.

D. Thomæ et ejus

ejus verba in præsentia art. 4 hoc posterius videntur concludere: ait enim: *In peccato duo sunt, quorum unum est aversio ab incommutabili bono, quod est infinitum: unde ex hac parte peccatum est infinitum.* Et inferius: *Ex parte igitur aversionis respondet pœna damni quæ etiam est infinita.*

93. Sed hoc facile refellitur, quia aversio a Deo reperta in peccato, solum potest esse infinita ex parte termini a quo, quatenus est separatio et recessus a bono infinito: hoc autem genus infiniti solum est secundum quid, sicut actus charitatis dicitur hoc modo infinitus, quia est conversio et accessus ad ipsum Deum bonum infinitum. Et sane cum aversio a Deo privativa sit privatio debitæ conversionis in illum, nequit esse magis infinita, quam esset prædicta conversio: sicut nulla privatio potest esse major, forma, qua privat. Porro conversionem ad Deum non esse infinitam simpliciter et intrinsece, sed extrinsece et secundum quid, constat ex modo dictis: quia talis conversio non est nisi gratia vel charitas, qua voluntas diligit Deum super omnia: certum est autem, tam gratiam quam charitatem esse simpliciter finitas, licet possint dici infinitæ secundum quid modo explicato. Et hoc dumtaxat haberi potest ex discursu et verbis D. Thomæ. Nam in eodem sensu appellat *infinitam* aversionem in peccato repertam, in quo dicit esse infinitam pœnam damni illi correspondentem; ut constat ex illis verbis: *Ex parte igitur aversionis respondet pœna damni, quæ etiam est infinita, etc.* At vero pœnam damni non esse infinitam simpliciter, sed secundum quid, modo explicato, est per se notum: quia hæc pœna consistit in carentia beatificæ visionis, et ita non potest esse major quam ipsa visio, quam quidem nemo nescit esse simpliciter et intrinsece finitam; quamvis respiciat terminum infinitum. Itaque ex nullo capite tribuit D. Thomas peccato infinitatem simpliciter: sed ex parte aversionis concedit illi infinitatem secundum quid, propter terminum extrinsecum infinitum quem respicit: ex parte vero conversionis negat omnem infinitatem, quia conversio ut talis nihil respicit infinitum. Eodemque proportionali modo discurrebat in pœnis utrique malitiæ correspondentibus: pœnæ enim damni, quæ correspondet aversioni, tribuit infinitatem similiter secundum quid: pœnæ vero sensus correspondenti conversioni nullam infinitatem tribuit.

94. Sed inquires, an sit ita quod pœna

damni soli aversioni correspondeat, et pœna sensus soli conversioni; vel potius utraque malitia utraque ista pœna puniatur? Quamvis enim modus loquendi D. Thomæ videatur insinuare illud prius, dum absolute ait, quod ex parte aversionis correspondet peccato pœna damni, et ex parte inordinatæ conversionis pœna sensus: aliunde tamen dicendum videtur posterius. Quia juxta doctrinam ejusdem D. Thomæ, peccato ea ratione debetur pœna sensus; quia est voluntarium per propriam voluntatem: ob idque pueri decedentes cum originali solum puniuntur pœna damni, quia prædictum peccatum solum est illis voluntarium voluntate aliena: cum ergo in peccatis personalibus non sola conversio; sed etiam aversio sit voluntaria per propriam voluntatem, non est cur pœna sensus non etiam aversioni debeatur. Sicut etiam non est cur non debeatur conversioni etiam pœna damni: nam conversio in peccato mortali reperta non utcumque est conversio, sed conversio aversiva a Deo, et conversio indecens et secum trahens aversionem formalem: quod autem sic se habet, juste puniatur perpetua separatione a Deo, in qua pœna damni consistit. Tum etiam quia prædicta conversio postulat non minus quam aversio puniri pœna æterna: sicut non minus quam illa est irremissibilis: pœna autem æterna necessario involvit perpetuam privationem visionis beatificæ, quæ est pœna damni: debetur igitur hæc prædictæ conversioni.

95. Circa hanc dubitationem fere omnes expositores D. Thomæ concedunt, quod utrique malitiæ debeatur tam pœna damni quam pœna sensus, et quod peccator propter utranque illam utraque hæc pœna de facto puniatur. Id quod non negat D. Thomas et rationes nuper factæ sufficienter ostendunt. Dissident tamen non nihil in explicando doctrinam præsentis articuli, ubi pœna sensus tribuitur conversioni, et pœna damni aversioni. Nam Curiel, Lorca, et alii censent, D. Thom. distribuisse prædictas pœnas prædictis malitiis solum per quandam accommodationem: nam quia conversio est inordinata adhæsiō voluntatis ad bona creata, tribuitur illi pœna sensus, quæ infligitur mediis creaturis; aversioni vero tribuitur pœna damni, quia utraque consistit in recessu et separatione a Deo: cum tamen re vera unicuique ex prædictis malitiis una et altera pœna simul correspondeat. Sicut in divinis potentia tribuitur Patri, sapientia Filio, et amor Spiritui Sancto, quamvis

omnia sint communia omnibus personis.

Vera  
respon-  
sio.

Alii vero ultra hanc accommodationem, censent constituendum esse re ipsa aliquod discrimen inter prædictas malitias et pœnas, quod attendens D. Thomas illas prædicto modo distribuerit. Et ita est asserendum. Potestque non difficile discrimen illud explicari. Nam condignitas pœnæ sensus sumitur ex ratione voluntarii, quæ in peccato invenitur, juxta illud Apoc. 18 : *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum*: ratio vero pœnæ damni attenditur ex improportione ad visionem beatificam, sive (quod idem est) ex carentia et remotione principii, scilicet gratiæ ad illam eliciendam. Et ideo ubi invenitur hæc carentia et remotio sine proprio voluntario ut in pueris decedentibus cum originali, non debetur pœna sensus, sed tantum pœna damni : ubi vero esset voluntarium sine prædicta carentia et remotione, ut in peccatis venialibus quæ non excludunt gratiam, non debetur pœna damni, sed dumtaxat pœna sensus. Quamvis ergo tam aversio quam conversio in peccato mortali reperta, et sit voluntaria voluntate propria, et afferat prædictam improportionem sive remotionem; at tamen prima ratio voluntarii est conversio : aversio enim ideo est voluntaria, quia sequitur ex conversione : prima vero ratio prædictæ improportionis et remotionis est aversio, quia conversio non habet remove gratiam, nisi in quantum est inductiva aversionis et per ordinem ad illam. Propter hujusmodi ergo discrimen ex parte radicum jure D. Thomas prædictas pœnas prædictis malitiis modo illo distribuit.

Replica.

96. Nec refert, si urgeas : tum quod si daretur pura omissio peccaminosa, in quo casu nulla esset conversio, sed sola aversio, deberetur illi etiam pœna sensus : quemadmodum si daretur conversio mortaliter culpabilis sine aversione, deberetur illi etiam pœna damni : ergo unaquæque ex prædictis malitiis independenter ab alia habet in se radicem utriusque pœnæ. Tum etiam quod peccatis venialibus etiamsi sint cum gratia, adeoque sine aversione a Deo, correspondet aliqua pœna damni : ut patet, in animabus purgatorii, quæ ob prædicta peccata a visione divina retardantur, in qua retardatione non modicam pœnam damni patiuntur : ergo datur meritum hujus pœnæ sine recurso ad aversionem.

Enodatur.

Respondetur enim ad primum, utrunque casum, præsertim vero secundum impos-

sibilem : ex impossibili autem sequitur quodlibet : unde nihil contra nos, si inferatur in utroque deberi utranque pœnam, quia etiam inferatur non deberi. Sed admissa priori dicendum est, etiam tunc dari aliquam conversionem, scilicet interpretativam, quæ in sententia adstruentis omissionem puram est ratio voluntarii ipsius omissionis, sicut conversio formalis in nostra. In secundo casu, si argumenti gratia admitteretur, vel erit negandum, quod tunc deberetur pœna damni : quippe ubi non daretur in voluntate aversio a Deo, daretur conversio ad illum, ac proinde gratia, sine qua nequit esset talis conversio : et cum gratia sit principium beatificæ visionis, non posset deberi illi supposito perpetua hujus privatio, juxta dicta dub. præced. num. 89. Vel dicendum, quod illa conversio in nullo casu posset intelligi mortaliter peccaminosa, nisi per ordinem ad aversionem, cujus est illativa, sive de facto inferat illam, sive non inferat : et ita condignitas pœnæ damni quæ in illa reperiretur, ortum haberet ex aversione sicut ex radice et termino, quem conversio respiceret. Ad secundum dicas, nos hic cum D. Thoma loqui de pœna damni simpliciter dicta, quæ est privatio perpetua visionis beatificæ : illa autem quam justii in purgatorio ex dilatione prædictæ visionis patiuntur, solum est pœna damni secundum quid, ut dicemus disp. sequent. num. 6.

Illatio.

97. Ex dictis inferatur, peccato etiam mortali non modo non deberi per se pœnam actu et categorematicè infinitam, sed neque infinitam in potentia et syncategorematicè, ita ut quacunque finita designata, debeat alia major et alia major usque in infinitum : sed posse designari intra limites finitæ pœnæ ita intensam, ut adæquet totam condignitatem et demeritum peccati. Et ratio est perspicua : nam malitia quæ de facto in quolibet peccato reperitur, sive consideretur ex parte aversionis, sive ex parte conversionis, est finita et limitata, tanta scilicet et non major : ergo correspondet illi pœna eodem modo limitata, quæ sit etiam tanta et non major, atque adeo quæ neque sit infinita actu neque in potentia : sicut ipsa malitia neutro modo est infinita. Imo ut deberetur peccato pœna infinita in potentia, deberet ejus malitia esse infinita non solum in potentia, sed etiam actu : quia malitia cui sine ulteriori augmento deberi potest pœna major et major usque in infinitum, actu habet in se infinitam condignitatem,



condignitatem, ac proinde ipsa est eodem modo infinita : si namque finita esset secundum id quod habet de facto, et nihil superadderetur, ut supponimus non superaddi, aliquando per continuum pœnæ augmentum adæquaretur : sicut ipsa pœna aliquando per continuum sui augmentum ad illius quantitatem pertingeret.

## § III.

*Diluuntur aliquæ objectiones.*

98. Quamvis assertio nostra sit communis, non defuit tamen unus vel alter qui oppositum senserit : pro quo refertur Almainus tract. 3 moral. cap. 29. Qui hac via declarat commune Theologorum axioma, quod *Deus punit peccata citra condignum*, quia dat illis pœnam finitam secundum intensionem, cum infinitam mereantur. Prædictum tamen axioma ad sui verificationem nequaquam hoc postulat : cum intra limites finitæ possit assignari pœna longe intensior, quam quæ de facto a Deo tribuitur, per ordinem ad quam dicatur hæc *citra condignum*, etiam sine respectu ad pœnam infinitam. Verum aliunde occurrunt aliquæ objectiones, ex quarum enodatione veritas magis elucidabitur.

Objicies ergo primo : quod præter conversionem ac aversionem in peccato repertas, quas finitas esse diximus, datur alia ratio mali, nimirum ratio divinæ offensæ, quæ est infinitæ gravitatis : crescit enim gravitas offensæ secundum dignitatem personæ in quam committitur : et ita offensa commissa contra infinitam Dei bonitatem, nequit non esse simpliciter infinita : igitur peccatum ex hoc capite, quamvis non ex illis duobus, erit dignum pœna infinita simpliciter. Confirmatur : nullum opus valoris finiti adæquat gravitatem divinæ offensæ : et ideo solus Christus, cujus opera fuerunt valoris infiniti, potuit ad æqualitatem pro illa satisfacere, ut docet D. Th. 3 p. q. 1, art. 2 ; ergo per nullam pœnam simpliciter finitam poterit prædicta offensa adæquate puniri, sed exiget pœnam simpliciter infinitam.

Huic objectioni occurrunt aliqui negando divinæ offensæ infinitatem simpliciter : dicunt enim solum esse infinitam extrinsecè et secundum quid, sicut Div. Th. dixit de peccato ex parte aversionis. Imo qui ita loquuntur, non videntur distinguere inter

aversionem et offensam, sed utranque confundere. Quia (inquiunt) peccatum ea ratione est Dei offensa, quatenus habet esse contra illum, ea vero ratione est contra illum, quia ab ipso avertit : idem ergo erit in peccato offensa et aversio ; juxta quam solutionem cessare videtur objectio proposita negando antecedens, videlicet dari in peccato aliam rationem mali præter conversionem et aversionem, quarum neutram exigere pœnam simpliciter infinitam jam ostendimus. Non tamen cessat confirmatio objectionis, ubi dicitur offensam divinam exigere infinitam satisfactionem, neque per minorem adæquare : quomodo ergo non fundat reatum infinitæ pœnæ, quæ tribuit jus exigendi satisfactionem infinitam ? Ob hoc igitur (et quia nos prædictam doctrinam jam supra disp. 7, n. 24, rejecimus, alibique Deo dante latius impugnabimus ostendentes, offensam Dei formalem (loquimur de mortali) esse simpliciter infinitam, omninoque distingui ab aversione, et a qualibet alia malitia in peccato reperta, (utpote cum subjectum illius sit ipse Deus offensus, istius vero peccator et ejus actus) non debemus hac via objectionem effugere ; sed concessa antecedente, nimirum offensam formalem distingui a conversione et aversione in peccato repertis, et esse simpliciter infinitam, alio itinere veram quærere solutionem.

99. Quocirca N. Petrus Cornejo 3 p. disp. 2, dub. 2, in solut. ad 3 arg. et quidam alii D. Thomæ discipuli ita prædicta objectionem convincuntur, ut existiment concedendam esse consequentiam : si sensus illius sit, quod peccatum mortale, quantum est ex se, sufficientem condignitatem habet ad pœnam intensive infinitam, licet de facto non ita puniatur, quia non est possibilis talis pœna, aut saltem homo non est capax illius : ob idque ex Dei ordinatione commutata est in pœnam æternam, ut infinitas durationis æquivalet intensionem infinitæ. Nam pœna finite intensa sed infinite prolongata, non ut minus gravis habetur, quam haberetur pœna secundum intensionem infinita, finitæ tamen durationis. Videturque hæc solutio desumi ex D. Thoma opusc. 2, cap. 183, et in 4, dist. 46, quæst. 1, art. 3, ubi ad probandum deberi peccato mortali pœnam æternam, sic ait : *Potest et alia ratio assignari, quare pœna peccati mortalis sit æterna : quia per illud contra Deum qui est infinitus, peccatur : unde cum non*

Rejicitur.

Secunda solutio. Cornejo.

D. Thom.

*possit esse pœna infinita per intensionem, quia creatura non est capax alicujus qualitatis infinitæ, requiritur quod sit saltem duratione infinita.*

Nec per hoc quod auctores istius solutionis asserant, deberi peccato ex parte offensæ pœnam simpliciter infinitam, existimant derogari doctrinæ D. Thomæ in præsentis statuentis solum deberi illi pœnam infinitam secundum quid. Nam aliud est loqui de pœna quam peccatum in actu secundo meretur, seu quæ de facto illi ex divina lege correspondebit; aliud vero de pœna, ad quam ex vi suæ gravitatis habet proportionem, et quæ si esset possibilis, juste illi applicari posset. Prima quidem est simpliciter finita: quia peccatum eam duntaxat pœnam meretur in actu secundo, quam Deus pro illo statuit; cujus determinatio sicut non est ad aliquid impossibile, ita neque ad aliquid infinitum. Et de hac pœna intelligendus est D. Thom. in præsentis: loquitur enim de illa quæ potest peccato deberi debito reducibili ad actum. De secunda vero pœna non loquitur, quia non est debita debito ad actum reducibili: et ita non est contra doctrinam S. Doctoris, asserere quod tale debitum sit ad pœnam simpliciter infinitam.

Duplex  
replica.  
Vasq.

100. Si vero urgeas contra hanc solutionem, tum ex Vasq. quod non satis coherent, inesse peccato mortali secundum se condignitatem ad pœnam infinitam, et pœnam istam esse impossibilem: quia si pœna est impossibilis, etiam condignitas ad illam impossibilis erit: ex eo enim quod sit impossibilis terminus alicujus relationis, efficitur impossibilis ipsa relatio. Tum etiam quod ex prædicta solutione sequitur, non posse Deum per suam justitiam vindictivam punire peccatum mortale, quantum ipsum punibile est; seu quantum est dignum ut puniatur: si quidem illud est punibile pœna intensive infinita, et hanc Deus nequit per suam justitiam illi applicare. Hoc autem videtur imperfectionem arguere in ipso divina justitia: sicut argueret imperfectionem in omnipotentia, si esset aliquid factibile, quod ipsa facere non posset.

Diluitur  
Prima.

Respondetur ad primum quod sicut in operibus Christi Domini, quæ pro nobis exercuit, concedimus valorem, quantum est ex se, sufficientem et condignum ad merendam infinitam gratiam, quamvis hæc sit impossibilis, neque hujusmodi impossibilitas tollit prædictam condignitatem; sed effi-

cit duntaxat, quod non meruerit illam de facto in actu secundo: quia meritum in actu secundo supponit divinam ordinationem, quæ non est de præmio impossibili: ita nullum est inconveniens, si dixerimus, peccatum mortale qua ratione est Dei offensa, habere sufficientem condignitatem ad pœnam infinitam, quamvis hæc sit impossibilis: et quod hæc impossibilitas non obest prædictæ condignitati, sed efficit tantum, quod talis pœna non debeatur peccato de facto et in actu secundo, seu debito quod possit vel debeat ad executionem reduci. Illud vero de relatione non obstat: quia licet relatio prædicamentalis non sit nisi ad terminum possibilem, vel etiam existentem; relatio tamen transcendentalis (in quo genere est prædicta condignitas) potest terminari ad rem impossibilem: ut cum quis habet actum, quo vellet occidere infinitos homines, si essent, aut dare infinitas elemosynas, si haberet illas, qui sane actus important respectum transcendentalem ad objecta impossibilia.

101. Ad secundum respondetur, quod <sup>Diluitur secundum</sup> quamvis de facto offensa divina non possit puniri quantum ex se punibilis est, non tamen id oritur ex defectu vel imperfectione divinæ justitiæ, sed ex defectu pœnæ quæ non potest esse ita gravis, sicut ipsa offensa: sufficit autem ad infinitatem divinæ justitiæ, quod ipsa quantum est ex se, possit applicare quamlibet pœnam possibilem, et quod si possibilis esset pœna infinita, posset eam totam applicare, ut posset re vera: sola enim impossibilitas pœnæ facit eam applicationem impossibilem. Quod tamen aliter contingeret justitiæ creatæ: nam hæc ob suam limitationem non posset applicare pœnam infinitam, quamvis esset possibilis, et peccatum illam mereretur. Adde pro pleniori solutione utriusque replicæ, sufficienter explicari infinitam condignitatem offensæ, et infinitatem divinæ justitiæ, per hoc quod sit possibilis pœna infinita in potentia, id est, taliter ut data quacunque finita, possit dari alia major et alia major usque in infinitum syncategorematicæ, et quod tota hæc infinitas cadat sub prædicta condignitate, et sub activitate divinæ justitiæ: nam eo ipso ostenditur illas esse simpliciter infinitas, utpote quæ omnino invariata possunt amplius et amplius usque in infinitum extendi. Sicut infinitas divinæ omnipotentia sufficienter declaratur, per hoc quod immutata manens possit perfectiorem et perfectiorem effectum usque in infinitum syncategorematicæ

tegorematicè producere; quamvis nullum producere possit, qui sit actu infinitus.

102. Hic modus dicendi est valde probabilis: nam præterquam quod probabiliter sumitur ex adducto D. Thomæ testimonio, habet pro se inter alios optimum fidejussorem sapientissimum M. N. P. Cornejo, cujus auctoritas tanti semper fuit et erit apud nos, ut sufficiat ad prædictum dicendi modum probabilem reddendum. Et sane nihil occurret contra illum, quod non possit probabiliter enervari. Adhuc tamen non omnino placet: tum quia si ratio offensæ, de qua loquimur, fundaret per se condignitatem ad pœnam, et non qualencunque, sed infinitam, non siluisset eam D. Thom. hoc loco, ubi rationes et titulos condignitatis pœnæ ex professo examinat, præsertim cum nulla alia esset ita præcipua in ordine ad prædictum effectum. Tum etiam quia ipse D. Thom. in 4, ubi supr. in solut. ad 6, expresse dicit, quod *pœna proprie loquendo correspondet peccato secundum inordinationem seu malitiam, quæ in ipso peccato invenitur; non vero secundum dignitatem ejus in quem peccatur*: ac proinde neque secundum gravitatem offensæ, quæ attenditur secundum prædictam dignitatem. Sentit ergo, rationem offensæ non esse numerandam inter illas, pro quibus pœna peccato correspondet.

Vera solutio. 103. Respondetur ergo secundo ad propositam objectionem, negando consequentiam: quia non quælibet ratio mali fundat per se condignitatem ad pœnam; sed illa duntaxat, quæ est malitia moralis, quæque deordinat et deturpat actum humanum: ordinatur enim pœna contra turpitudinem et deordinationem malitiæ, ut per illam reformetur quod ista vitiavit. At vero ratio offensæ non est malitia moralis, neque deordinatio humani actus, cum non sit in ipso actu, sed in persona offensa. Unde solum est quoddam damnum et quædam læsio irrogata ipsi personæ offensæ in propriis bonis talis personæ: ad cujus reparationem et compensationem ordinatur non quidem pœna ut talis, sed satisfactio et restitutio. Itaque sicut malitia ad sui reparationem requirit pœnam, ita offensa ad sui compensationem satisfactionem exigit. Et sicut condignitas pœnæ crescit ex augmento malitiæ, et quo major est malitia, eo fundat majoris pœnæ reatum: ita ex quantitate offensæ attenditur jus et debitum ad exigendam satisfactionem: et ideo pro offensa Dei, quæ est infinita, si ad æqualitatem

componenda est, requiritur satisfactio infinita. Porro non esse idem formaliter pœnam et satisfactionem, quamvis materialiter sæpe coincident, ex eo constat, quia pœna infligitur peccatori a judice, ita ut judex eam tribuat, et peccator recipiat, satisfactio vero redditur a peccatore personæ offensæ. Potestque et sæpe contingit, ut offenso fiat satis sine ulla pœna satisfaciens, ut per pecuniam; et ut peccator sustineat pœnam, sine eo quod satisfaciatur. Differunt ergo formaliter pœna et satisfactio: differentque proinde rationes illæ, quibus unaquæque directe et per se correspondet,

104. Ob id igitur D. Thom. in præsentibus non meminit offensæ quam peccator Deo irrogat; meminit vero conversionis et aversionis, quæ in ipso peccatore vel in ejus actu reperiuntur: quia quærebat illas rationes, quibus per se pœna debetur, quæque per se exigunt per pœnam in quantum pœnam reparari: cujusmodi sunt prædicta aversio et conversio, in quibus deordinatio et malitia moralis consistit: non autem quærebat rationem offensæ formalis, cui per se solum debetur satisfactio: et de qua agit 3 p. q. 1, art. 2, ubi docet, peccatum quantum ad rationem offensæ infinitum esse, infinitamque exigere satisfactionem. Per quod patet tum ad objectionem, tum etiam ad confirmationem. Hæc enim solum probat, deberi peccato ex parte offensæ satisfactionem infinitam, quod libenter admittimus. Sed cum pœna ut talis neque sit formaliter satisfactio, neque correspondeat per se offensæ, sed duntaxat malitiæ morali quæ finita est, non inde infertur deberi per se peccato aliquo ex capite pœnam simpliciter infinitam.

Addidimus *ly per se*, dum diximus pœnam non correspondere offensæ, sed malitiæ morali, offensæ vero solum correspondere satisfactionem: quia non negamus, satisfieri multoties, imo et regulariter offensæ per pœnam: vel quia sæpissime in eadem re conjungitur, quod sit pœnalis, et quod sit satisfactoria: vel quia offensus reputat sufficienter sibi satisfactum iri, si quod ipse passus est, videat sustinere offendentem: vel quia debitore non valente alia via satisfacere, expostulat offensus pœnam loco satisfactionis. Hoc autem modo non negamus, peccatum mortale ex parte divinæ offensæ condignum esse pœna infinita, posseque Deum loco satisfactionis totam eam pœnam, si possibilis esset, exi-

gere. Sed ex hoc nihil contra nos : quia ut sæpe diximus, D. Th. in præsentī solum inquirīt de iis, quibus pœna ut talis per se correspondet. Per quod patet ad testimonium pro præcedenti solutione adductum ex Opusc. 2, et ex 4, dist. 46 ; solum enim vult S. Doctor, posse Deum vindicare suam offensam per pœnam æternam, aut si esset possibilis, per pœnam infinitam loco satisfactionis, et quasi per accidens : non vero quod ipsa pœna per se offensæ respondeat. Quamvis etiam dici possit, D. Thomam adduxisse ibi eam rationem non ut veram, sed solum ut probabilem et ex aliorum sententia : ob idque in præsentī ubi ex propriis tantum loquitur, illam omisit.

D. Thom.

Secunda  
objectio.

105. Secundo objicies : nulla pœna finita est ita grave malum, sicut quælibet culpa mortalis : ergo nulla talis pœna adæquat condignitatem prædictæ culpæ : erit igitur digna, quantum est ex se pœna infinita. Hæc secunda consequentia sequitur ex prima : et prima ex antecedente ; cum enim pœna non nisi in quantum est malum hominis, ordinetur ad punitionem culpæ, deberet utique, ut per eam culpa adæquate puniretur, esse æque mala atque ipsa culpa. Antecedens vero ex eo probatur, quia nemini licet eligere aliquam culpam ad vitandam quantumvis magnam pœnam : liceret autem, si pœna esset æque mala sicut culpa : quia inter duo mala, quando utrunque vitari non potest, licet eligere illud quod non est pejus sive magis malum. Hæc objectio si vim habet, probat, non tantum culpam mortalem, sed neque venialem levissimam puniri sufficienter per pœnam finitam quantumvis magnam, imo neque per pœnam infinitam. Quippe ob nullam pœnam vitandam licet eligere culpam quantumvis minimam et venialem : nam est implicatio in terminis quod sit culpa, et quod sit licitum eam eligere ; esset autem necdum licitum, sed valde laudabile eligere maximam pœnam, ubi necessaria esset ad vitandam etiam levissimam culpam. Unde objectio hæc solvenda est ab omnibus, qui nolint etiam peccato veniali tribuere condignitatem pœnæ infinitæ.

Solutio.

106. Respondetur ergo, quod licet genus culpæ longe pejus sit et peioris conditionis, quam genus pœnæ ; attamen loquendo de unaquaque in suo proprio genere, non quælibet culpa aut malitia etiam mortalis est major in ratione malitiæ, quam quælibet pœna adhuc finita in ratione talis ; sed potest dari pœna, quæ in ratione pœnæ adæ-

quet et superexcedat quantitatem malitiæ. Ad probationem vero dicendum est, ideo non esse licitum eligere aliquam culpam ad vitandam quantumvis magnam pœnam ; licere vero eligere pœnam quantumvis magnam ad vitandam culpam, quia nulla culpa sive magna sive parva est ordinabilis ad ultimum finem, neque ad aliquem finem honestum et ordinabilem in illum ; sed potius ex sua ratione dicit aversionem et inordinationem circa talem finem : atque adeo ob nullum finem est honestabilis : nequit autem licite eligi, quod non potest honestari. Pœna vero quantumvis magna sit, ex sua ratione ordinatur ad bonum finem, estque proinde per illum honestabilis, et consequenter licite et honeste eligibilis : et ita licite et laudabiliter eligitur ob vitandam culpam : sicut licite quis exercet actum bonum et fini ultimo consonum, ut vitet actum malum et repugnantem tali fini. Cum autem dicitur, quod propositis duobus malis licet eligere minus ad vitandum majus, intelligendum est, dummodo tale malum sit ordinabile ad bonum finem, ac proinde de genere honestabilium et eligibilium, sicut est malum pœnæ : si vero sit extra tale genus, sicut est omnis moralis malitia, ob nullum aliud malum etiam longe majus vitandum potest licite eligi. Ob idque nunquam licet eligere aut committere culpam venialem ad cavendam mortalem, neque culpam mortalem minorem ad cavendam majorem. Imo eo ipso quod aliqua ex illis posset licite eligi ob quencunque finem, non esset jam culpa, sicut neque illicita, ut est per se notum.

107. Ex hoc habes indubitatum solutionem cujusdam casus a viro sapientissimo nuper nobis propositi. Nimirum si Deus alicui certo revelaret, se habere decretum conditionatum permittendi illi gravissimam culpam mortalem, si non committat quandam venialem, puta leve mendacium ; secus vero si istud committat : num in casu ita urgente debetne, aut poterit prudenter operando, committere tale mendacium ob vitandam culpam mortalem, quam certo novit se aliter incursum ? Ex dictis igitur constat (quicquid sit de possibilitate prædicti decreti) respondendum esse negative huic casui : quia est implicatio in terminis, quod aliquid sit culpa quamvis minima, et quod licite vel prudenter possit eligi ob quodcunque malum vitandum, aut bonum assequendum. Prudentia enim (contra quam nihil licet) essentialiter supponit finem ultimum

timum honestum, et nihil dictat vel operatur nisi in ordine ad talem finem : unde cum culpa quantumvis minima, omnino sit ad illum inordinabilis (si enim esset ordinabilis, jam non esset culpa) manifeste repugnat, quod ejus electio ob quencunque finem a prudentia dictetur, et licita sit. Ille ergo cui Deus decretum de permissione culpæ mortalis sub prædicta conditione revelaret, adhuc teneretur vitare utranque culpam ; et quamlibet committeret peccaret, et imprudenter operaretur : quia libere eam committeret : atque adeo posset non committere, si vellet : non secus ac si prædictum decretum revelatum non fuisset, vel si revelaretur ut decretum absolutum et independens a commissione culpæ venialis.

Tertia  
objectio.

108. Tertio solet objici, quod si peccato mortali non debetur nisi pœna finita, poterit pœna quæ debetur venialibus ita augeri, ut adæquet illam : poterunt enim peccata venialia continuo multiplicari, et sic eorum pœna continuo augeri, ac per hoc continuum augmentum pervenire ad quancunque limitatam et finitam quæ assignetur culpæ mortali. Hoc autem videtur inconveniens, ut peccato mortali non debeat major pœna, quam posset deberi pro quibuslibet venialibus. Sed etiam objectio solvenda est ab omnibus : quia quicquid sit de pœna, quam peccatum mortale ex se mereri posset ; illa tamen qua de facto punitur, apud omnes est certum, quod sit intensive finita, in qua proinde militat prædicta objectio.

Diluitur.

Respondetur ergo negando antecedens : nam peccato mortali debetur pœna damni, quæ non debetur venialibus : et hæc adeo est gravissima, ut per nullam pœnam sensus, quæ sola venialibus debetur, possit adæquari : pœna enim damni est superioris generis ; ad quod non pertingit res inferioris generis, quantuncunque crescat. Sed et ob aliam rationem peccata venialia quantumvis multiplicentur, non exigent æqualem pœnam etiam sensus, atque unum mortale : quia huic in sua pœna debetur per se æternitas, quæ illis per se non debetur. Quod si objectio restringatur ad solam pœnam sensus, et ejus intensionem, præscindendo a duratione, nihil convincit improbabile, de quo dicemus disp. sequent. num. 86. Omittimus objectiones aliquas minoris momenti, quia ex dictis facillime diluentur.

## DISPUTATIO XVIII.

### *De pœnis damni et sensus in speciali.*

Post communem considerationem pœnæ, et reatus peccati ad illam, quam præcedens disputatio complexa est, quæque ad præsentem tractatum directe spectat, operæ pretium duximus, pro peculiaribus pœnis quibus peccata puniuntur, nimirum pœna damni et pœna sensus, brevem aliam disputationem instituere : ut aliqua quæ uniuscujusque sunt propria, non ignorentur. Quamvis enim exacta prædictarum pœnarum discussio alterius sit tractatus, illius nimirum ubi agitur de statu damnatorum, ad quem proinde jure remitti posset : aliquam tamen illarum notitiam nemo in præsentem superfluum vel intempestivam judicabit.

### DUBIUM I.

*Quæ dicatur pœna damni, et quæ pœna sensus : et an illa sit æqualis in omnibus ?*

Quamvis divisio pœnæ in pœnam damni et pœnam sensus adeo sit recepta, ut nullus de ejus bonitate vel adæquatione dubitaverit : quid tamen prædictis vocibus proprie significetur, et quæ mala unaquæque harum pœnarum sub se comprehendat, non ita est per se notum, ut aliquali examine non indigeat ; a quo utpote de re facili exordiemur.

### § I.

*Aperitur nomen et ratio utriusque pœnæ.*

I. Pœna damni, ut nomen ostendit, non aliunde dicta est quam a damno, detrimento, vel jactura, quæ per illam inferuntur patienti. Et quamvis in lata quadam acceptione quodlibet malum, supplicium, aut incommodum quo aliquis in persona vel in bonis afficitur, *damnum* dici possit, exindeque *damnari* dicatur quisquis alicui suppliciorum generi addicitur : attamen strictius loquendo *damnum* a *demendo* vel *diminuendo* sumptum est, proprieque denotat ablationem et diminutionem bonorum quæ aliquis possidet, vel quæ sibi, præsertim jure hæreditario possidenda, debentur. Alia vero supplicia quibus persona in seipsa torquetur, *pericula* vel *tormenta* dicuntur, potius quam *damna*. Ab hac igi-

tur damni significatione dicta est *pœna damni* amissio bonorum, quæ hominibus ex divina promissione debentur, etiam præscindendo a dolore qui ex tali amissione potest sentiri. Inter hæc autem bona potissimum est ultima beatitudo, quæ in divina visione consistit, quæque est nobilissima hæreditas et patrimonium filiorum Dei, ad quæ adoptantur per gratiam. Amissio ergo hujus divinæ visionis quasi per antonomasiam dicta est *pœna damni*. Pœna autem sensus vocatur, quæ inferendo aliquod disconveniens et nocivum sive animæ sive corpori, torquet et affligit. Quia enim nocumenta afflictiva potissimum sensibus percipiuntur, inde tota hæc pœna sive ad corpus sive ad animam spectet, dicta est ab afflictivo corporeo *pœna sensus*: re vera autem comprehendit etiam pœnam spiritualem, quæ infertur animæ per prædicta afflictiva ad causandum in ea spiritualem dolorem.

Illatio. 2. Ex quo fit, prædictas pœnas non ita inter se dividi, ut una solum damnum et non aliquem dolorem, alia vero solum dolorem et nullum damnum inferat; quin potius utrunque hoc per utramque potest inferri. Quia amissio bonorum, in qua consistit pœna damni, ex se est doloris illativa: non enim sine dolore amittitur, quod cum amore possidetur. Similiter tormentum ab extrinseco disconvenienti illatum secum affert amissionem alicujus boni, commodi, et delectabilis, cui non est locus cum tormento et doloribus. Attendenda est ergo prædicta pœnarum divisio penes illud, quod est præcipuum in unaquaque, quodque præciso respectu ad aliud, eam constitueret. Nam in pœna damni præcipua est ipsa bonorum amissio: et ideo in sola illa etiam sine ullo dolore salvatur ratio talis pœnæ: ut de pueris existentibus in limbo dicemus dub. 3, et constat in iis quibus ignorantibus bona et possessiones auferuntur. In pœna autem sensus præcipuum est illud nocivum seu disconveniens prave afficiens et dolorem inferens, ut ignis v. g. et ideo quamvis per hanc pœnam nulla bona auferrentur, salvaretur ejus ratio in afficientia prædicti nocivi apprehensi ut talis.

Illatio alia. 3. Fit deinde, quod quamvis pœna damni præcipue dicat privationem beatificæ visionis; sub eo tamen nomine continetur etiam privatio gratiæ habitualis, non solum quæ erit in damnatis, sed etiam quæ est in peccatoribus hujus vitæ: quia etiam

hæc privatio est amissio et ademptio boni maximi ex divina promissione debiti, juxta illud 2, Pet. 1: *Maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut efficiuntur divinæ consortes naturæ*. Unde privari aliquem gratia, etiamsi ipse vel propter ignorantiam, vel propter cordis duritiam non doleat, magnum damnum est et magna jactura patientis. Verum est tamen, privationem gratiæ non perpetuam, sed solum in hac vita ad tempus, non esse dicendam pœnam damni simpliciter, sed secundum quid: ut dicemus infra de dilatione ad tempus beatificæ visionis: quia quodcumque damnum temporale tantum est secundum quid respectu æterni. Idem dicendum est de subtractione et denegatione gratiæ actualis seu divinorum auxiliorum ad bene operandum et ad peccata vitanda. Quoties enim talium denegatio habet rationem pœnæ, reducit ad pœnam damni propter eandem rationem: et ideo potest etiam pati sine cognitione et sine dolore sustinentis. Diximus *Quoties talium denegatio habet rationem pœnæ*, etc. quia non semper ita contingit: sicut non semper supponitur aliquod peccatum commissum et non dimissum, cujus pœna esse possit. Sed erit tunc pura negatio beneficii indebiti, ut latius diximus in tract. de prædestin. disp. 8, dub. 2. Quo contra se habet amissio et privatio gratiæ habitualis: semper enim est pœna, quia semper supponit peccatum commissum et non dimissum, et non qualecunque, sed mortale.

Fit tertio, ad pœnam sensus pertinere omnia tormenta, quibus damnatorum corpora affliguntur: quia omnia illa proveniunt ex nocivis disconvenientibus, quæ sensibus percipiuntur, potius quam ex possessione amissa alicujus boni, cujus privatio et amissio independenter a perceptione et dolore debeat *damnum* nuncupari. Cæterum respectu animæ utraque pœna locum habet: cum et ad ipsam pertineat bonorum possessio, et amissio, quæ etiam sine dolore damnum sit; et possit quoque per intellectum percipere nociva et disconvenientia, quibus torqueatur. Quod qualiter contingat, videbimus dub. seq.

4. Modo vero circa utranque pœnam dubitari potest: ad quam pertineat dolor ille, quem damnati ob amissam beatitudinem patiuntur; quique ex tali amissione etiam sine respectu ad alia novicia in eis consurgit? Non enim desunt qui prædictum dolorem ad pœnam sensus reducant.

Tum quia pœna damni communis est omnibus condemnatis, iis etiam qui propter solum peccatum originale damnantur : sed in istis non invenitur talis dolor, ut dicemus dub. 3; ergo non pertinet ad pœnam damni. Tum etiam quia pœna sensus prout pertinet ad animam, est quædam afflictio passiva, qua illa angitur et torquetur : sed maxime torquetur per illum dolorem : ergo pertinet ad hujusmodi pœnam. Et ita sentiunt Vasq. 1 p. disp. 242, cap. 2, ubi etiam Arrubal disp. 181, c. 3. Alvar. in present. disp. 184, in solut. ad ult. argum. Lorca disp. 54 et Salas disp. 15, sect. 10. Nec dissentit Bannez 1 p. quæst. 64, art. 3, dub. 1. At vero Curiel in præsent. art. 4, dub. 1, Zumel. art. 4, dub. 2, conclus. 2 et Greg. Martinez eod. art. dub. 1. Suarez lib. 8 de Angel. cap. 5, et alii prædictum dolorem sub pœna damni comprehendunt. Cui dicendi modo magis adhæret Bannez loco nuper cit. ait enim talem dolorem posse reduci ad pœnam sensus; re vera tamen esse pœnam damni.

Sed dicendum est, hujusmodi dolorem proprie et per se neque esse pœnam damni, neque pœnam sensus; sed reductive duntaxat pertinere ad genus pœnæ ut aliquid consequutum : hoc autem modo non ad pœnam sensus, sed ad pœnam damni debere reduci. Et quidem prædictum dolorem non esse proprie et per se pœnam, constat ex dictis disp. præced. a n. 32. Tum quia cum sit actus a voluntate elicitus, nequit esse contra naturam et inclinationem ipsius voluntatis, sicut est de ratione pœnæ; imo juxta naturalem voluntatis inclinationem est, et ex ea sequitur, quod præsupposito malo, doleat et tristetur de illo; sicut quod gaudeat de bono. Tum etiam quia dolor supponit pœnam : dolet enim quis de malo et de pœna, quæ patitur : et ideo dolet, quia patitur illa; non vero ideo patitur, quia dolet : ergo non ipse dolor, sed malum de quo consurgit, habet rationem pœnæ. Dolor autem erit velut accidens consequens ad pœnam : sicut ad beatitudinem consequitur gaudium. Atque hinc fit, prædictum dolorem quamvis per se pœna non sit, reduci ad ejus genus; sicut gaudium reducitur ad beatitudinem, quamvis non sit ipsa beatitudo. Imo fit, reducendum esse ad pœnam damni : nam reduci debet ad illam pœnam, ex qua consurgit, et cujus est dolor : cum autem non consurgat ex aliquo nocivo pertinente ad pœnam sensus, sed ex carentia beatificæ

visionis; non ad illam, sed ad istam debet reduci.

5. Ad ea vero quæ in contrarium adduximus, facilis est solutio. Nam ad primum dici potest, pœnam damni quamvis sit communis omnibus damnatis, non tamen esse æqualem in omnibus, ut infra ostendemus : et propter hanc inæqualitatem potest afferre in illis qui propter peccata propria damnantur, prædictum dolorem reductive pertinentem ad eandem pœnam; et non afferre illum in aliis, qui damnantur propter solum originale. Ad secundum dicas, pœnam sensus consistere in passione illata ex aliquo disconvenienti et nocivo, v. g. ex igne : ad eamque reduci dolorem et tristitiam inde in voluntate consurgentem : dolor autem qui consurgit ex cognitione pœnæ damni, si qua ratione pœna dicendus est, debet esse talis per reductionem ad ipsam pœnam damni, quam consequitur : unde non est quo pacto ad pœnam sensus pertineat. Si quis vero contendat, prædictum dolorem posse aliquo titulo etiam ad pœnam sensus reduci, non est de hoc multum curandum, quia in ordine ad has reductiones facile est invenire aliqualem titulum, etiam in rebus quæ valde distant : et quæstiones circa hoc insurgentes majori ex parte ad voces et modum loquendi reducuntur.

Secundo dubitari potest : utrum animæ existentes in purgatorio patiantur pœnam damni in dilatione visionis beatificæ? Certum quippe est, prædictam dilationem esse illis maxime pœnosam; sed non est ita certum, an ea pœna dicenda sit sensus, vel damni. Alvarez enim cit. disp. 184, videtur negare hoc posterius : quia pœna damni (inquit) solum debetur peccato ratione aversionis, et ideo ubi non datur aversio, non habet locum talis pœna : in illis autem animabus non datur aliqua aversio : plurimæ enim solum commiserunt peccata venialia, quæ non avertunt a Deo : quæ autem mortalia commiserunt, omnino ea in hac vita saltem quoad aversionem retractarunt : ergo non debet illis applicari pœna damni.

6. Et ita est re vera, loquendo de pœna damni absolute et simpliciter. Hæc enim non est sola dilatio visionis beatificæ, sed ejus perpetua privatio : quæ quidem solum potest habere locum in illis, qui æternaliter manebunt a Deo aversi. In quo sensu loquitur Alvar. ubi supra, et procedit ejus ratio. Cæterum neque ipse negat, nec ne-

Vasq.  
Arrub.  
Alvar.  
Lorca.  
Bannez.  
Salas.  
Curiel.  
Zumel.  
Martin.  
Suarez.

Resolutio.

Dubitatio alia.

Alvarez.

Solutio.

Alvarez.

Suarez. gari potest, ut recte vidit Suar. lib. 8 de Angel. cap. 14, n. etiam 14, quod illa dilatio visionis beatificæ eo modo quo est pœna, non ad pœnam sensus, sed ad pœnam damni pertineat : ac proinde dici possit et debeat *pœna damni secundum quid*. Et ita appellatur a D. Thoma in 4, dist. 11, quæst. 1, art. 1, quæstiunc. 3, ibi : *Dicendum, quod in purgatorio erit duplex pœna : una damni, in quantum scilicet retardantur a divina visione : alia sensus, etc.* Intelligendus est autem de pœna damni secundum quid. Etenim sicut est damnum simpliciter privari in perpetuum possessione illius summi boni, ita est damnum secundum quid a tali possessione retardari, cum urget jam tempus illam accipiendi : sicut urget ex quo anima separatur a corpore. Ad hujusmodi vero pœnam damni *secundum quid* non est necessaria aversio a Deo ; sed sufficit quicumque obex potens retardare assequutionem gloriæ : sicut retardant peccata venialia, et reatus pœnæ temporalis relictus ex mortalibus quoad culpam dimissis. Quæ est ratio, ut animæ fidelium in Purgatorio detineantur, ne accipiant gloriam, quousque a prædictis omnino purgentur : quia ut dicitur Apocal. 21 : *Non intrabit in ea aliquod coinquinatum.*

Idem suo modo dicendum est de existentia SS. Patrum in limbo usque ad mortem Christi. Quamvis enim nullum ibi esset nocivum inferens eis pœnam sensus, afflictabantur tamen in dilatione visionis beatæ, quam summopere optabant : juxta illud Proverb. 13 : *Spes quæ differtur, affligit animam*. De quo videndus est D. Thomas 3, quæst. 53, art. 2 ad 2. Hæc autem beatificæ visionis dilatio, et dolor inde consurgens erat illis pœna damni secundum quid : minor tamen quam sit respectu animarum purgatorii : quia Patribus non differebatur prædicta visio ob propria demerita, sicut animabus differtur : sed quia non omnino eis debebatur aditus ad illam ante mortem Christi, sicut Principi non debetur adire regnum ante mortem patris.

## § II.

### *Deciditur secunda pars dubii.*

7. Secunda pars dubii inquit, an pœnæ damni condemnatorum sint inæquales ? Quod non quærimus de pœna sensus : quia hanc inæqualem esse juxta inæqualitatem

peccatorum, omnino est indubitatum. Dicendum igitur est, pœnam damni quam condemnati patiuntur, non esse æqualem in illis : sed majorem, vel minorem secundum peccatorum diversitatem. Ita sumitur ex D. Thoma in præsentī artic. 4, et quæst. præced. art. 1 ad 3, et quæst. 28 de Verit. art. 6, et in 2, distinct. 32, quæst. 1. art. 1 ad 2. Tenentque satis communiter Theologi, Scotus in 4, distinct. 16, quæst. 1, art. 1, et distinct. 50, quæst. unic. art. 4, ubi etiam Major quæst. 2, Gabriel dist. 44, quæst. 3, art. 1, conclus. 2, Abulensis super 25, cap. Matth. quæst. 640, Ledesma 1, par. 4, quæst. 29, art. 1, Suar. de pœnit. disp. 3, sect. 2, et lib. 8 de Ang. c. 5, Banez 2, 2, quæst. 24, artic. 2, dub. 2, in solut. ad 4, ex adductis ultimo loco. Et in præsentī Alvar. Curiel, Zumel et Gregorius Martinez quos nuper citavimus.

Probatur ratione desumpta ex D. Thoma locis citatis et ex iis quæ diximus supra disput. 16, a num. 150. Peccata mortalia damnatorum sunt inæqualia : ergo pœna damni ipsorum debet esse similiter inæqualis. Antecedens quod est per se satis notum, manet etiam probatum supra tota disput. 9. Consequentia vero suadetur : quoniam pœna ut sit justa, debet proportionari peccato, secundum illud Deuter. 25 : *Pro mensura peccati erit et plagarum modus* : ac proinde pro majori et graviori peccato tribuenda est major pœna : non ergo debet esse pœna æqualis, ubi peccata sunt inæqualia.

Confirmatur : nam Deus in infligendo pœnam damni, exercet suam justitiam punitivam, debetque ibi splendescere perfectio istius justitiæ : sed talis ordo postulat, ut quantitas pœnæ sit cum proportione ad quantitatem culpæ : atque adeo quod graviori culpæ major pœna, leviori vero minor tribuatur : debet igitur prædicta pœna esse similiter major vel minor, et non pro omnibus æqualis.

Confirmatur secundo : ita se habet pœna damni in ratione supplicii ad condemnatos, sicut visio beatifica in ratione præmii ad beatos : atqui hæc non est æqualis, sed major vel minor juxta diversitatem meritorum, ut omnes fatentur : ergo neque illa debet esse æqualis, sed major vel minor secundum inæqualitatem peccatorum.

8. Dices, sufficere ad ea quæ diximus quod pœnæ sensus damnatorum sint inæquales ; quamvis pœna damni inæqualitatem non admittat : poterit enim quod de ista

D.Thom.

Scotus. Major. Gabriel. Abulens. Ledesm. Suarez. Banez. Alvar. Curiel. Zumel. Martin.

Ratio asser-tionis.

Deuter.

Confir-matio

Evasio.



ista plus tribuendum erat graviori peccato, per augmentum illarum recompensari.

**Doctrina pro impugnatione**  
Sed hoc facile impugnatur animadvertendo, quod peccato mortali propterea debetur utraque pœna, videlicet damni et sensus, quia in eo datur duplex malitia, scilicet aversio et conversio: debeturque pœna damni primario ratione aversionis, et pœna sensus ratione conversionis. Unde neque conversio primario respicit pœnam damni, aut per eam puniri postulat; neque aversio primario exigit pœnam sensus, aut per eam solam quantumvis magnam sufficienter punitur: quia inæqualitas et inordinatio in aversione a Deo reperta, ejus est conditionis, ut solum per perpetuam ipsius Dei privationem possit sufficienter ad æqualitatem reduci. Secundo nota, peccata mortalia non solum esse inæqualia ratione conversionis, sed etiam ratione aversionis: sive sermo sit de aversione *in fieri*, quæ est in peccato actuali; sive de aversione *in facto esse*, quæ est privatio gratiæ constituens peccatum habituale. De hac enim posteriori, quomodo sit inæqualis per ordinem ad suam causam, sufficienter diximus disput. 16, num. 150. De illa vero priori id apertius constat: quia esto sit privatio, non semper est totalis et *in facto esse*, atque ejusdem formæ: sed est privatio *in fieri*, quæ suscipit magis et minus: et in diversis specie peccatis potest esse privatio formarum vel rectitudinum inæqualium secundum speciem: per ordinem ad quas ipsa privatio potest esse inæqualis.

**Formatur impugnatione.**  
Hinc impugnatur evasio data: quia proportio pœnæ ad peccatum secundum eam rationem fieri debet, secundum quam primario sibi correspondent: sed peccato ex parte aversionis primario correspondet pœna damni, et non pœna sensus: ergo illa, et non tantum hæc debet esse adæquata seu proportionata prædictæ aversioni: cum ergo aversio in diversis peccatis inæqualis sit, plane sequitur pœnam damni illis correspondentem debere esse inæqualem: æqualis enim pœna non est proportionata peccatis inæqualibus.

9. Confirmatur: inæqualitas supplicii pro peccatis inæqualibus non debet præcipue attendi secundum pœnam quasi accidentalem et secundariam, sed secundum præcipuam et essentialem: sicut inæqualitas peccati præcipue attenditur secundum malitiam sibi essentialem, et inæqualitas præmii secundum essentialem beatitudinem, quæ est visio beatifica: quicquid sit de aliis acci-

dentaliter se habentibus: sed facta collatione inter pœnam damni et pœnam sensus, illa est præcipua et essentialis; hæc vero quasi accidentalis et secundaria: ergo in illa, et non tantum in ista debet constitui prædicta inæqualitas.

Confirmatur secundo: nam inconueniens videtur, quod pueri decedentes cum solo originali, ita sint miseri quantum ad essentialem miseriam, sicut adulti qui propter multa peccata personalia damnantur: cum ergo miseria essentialis in omnibus sit pœna damni, dicendum est, hanc esse in eis inæqualem, saltem ob vitandum prædictum inconueniens.

Confirmatur tertio: nam datis duobus adultis, quorum unus cum unico tantum peccato mortali personali, alter vero cum eodem mortali personali, et insuper cum originali decedat (cæteris paribus ex parte venialium) isti procul dubio sunt inæquales in culpa, siquidem primus habet tantum unicum peccatum scilicet personale; secundus vero habet duo, idem scilicet personale, et aliud originale: consequenter ergo debent esse inæquales in pœna, ut æquitas et justitia divina resplendeat: sed hæc inæqualitas in prædicto casu non potest attendi quantum ad pœnam sensus: igitur attendenda est secundum pœnam damni. Cætera constant: minor autem subsumpta probatur: quia habenti peccatum personale cum originali non tribuitur major pœna sensus; quam si personale dumtaxat habuisset: non enim propter peccatum originale aliqua pœna sensus tribuitur, ut dicemus dub. 3, atque adeo ex accessu illius ad peccatum personale nec crescit, nec fit inæqualis prædicta pœna: aut ergo inæqualitas ponenda est in ipsa pœna damni, aut nulla erit in casu quo loquimur.

### § III.

*Unde sumenda sit inæqualitas pœnæ damni?*

10. Inter authores qui nobiscum tenent, pœnas damni futuras esse inæquales juxta inæqualitatem peccatorum, non omnino constat, quæ sit ratio hujus inæqualitatis, aut in quo constituenda sit. Cum enim quasi axioma receptum habeatur, privationes *in facto esse* seu totales non recipere magis et minus, juxta dicta supra disp. 9, dub. 1, alias vero carentia beatificæ visionis inter privationes totales numerari de-

beat, ut quæ nihil prædictæ visionis in damnato relinquit; difficile semper visum est, inæqualitatem quam quærimus, perspicue assignare: eaque difficultas in varios dicendi modos auctores divisit: quorum unum vel alterum referemus et impugnabimus; ut postmodum verum et proprium secure statuamus.

Primus dicendi modus.

Primo ergo dicunt nonnulli, inæqualitatem pœnæ damni desumendam esse ex majori vel minori quantitate gloriæ unicuique debitæ aut præparatæ ratione meritorum vel gratiæ, a qua damnati ceciderunt, et ad quam pervenirent, si non peccassent, vel si non damnarentur. Ita Gabriel in 4, dist. 44, quæst. 3, art. 1, favetque Abulensis super 25 cap. Matth. quæst. 639, quatenus referens prædictam sententiam, non eam impugnat. Videtur autem posse aliquo modo suaderi: quia carentia visionis beatificæ in tantum habet rationem pœnæ, in quantum ipsa visio est bonum debitum: carentia enim boni non debiti sicut non est privatio aut mala, ita nec pœna: eo igitur erit major prædicta carentia in ratione privationis et pœnæ, quo majorem beatitudinem debitam aufert: seu quo major beatitudo quam aufert, erat debita. Cum ergo beatitudo sit debita ratione gratiæ et meritorum, crescet utique juxta horum augmentum pœna et privatio.

Gabriel. Abulensis.

Rejicitur.

11. Hic tamen dicendi modus communiter a Theologis rejicitur. Et merito: nam ex illo sequitur, eum qui post intensissimam gratiam et egregia merita plurimis virtutum operibus comparata, cum unico peccato mortali decederet, habiturum majorem pœnam damni, quam alius qui cum vel nullum vel exiguum meritum habuisset, ob innumera, eaque gravissima peccata damnaretur: quandoquidem major illi fuerat debita quantitas gloriæ ratione gratiæ et meritorum, quam isti. Hoc autem manifeste est absurdum: sicut esset asserere, quod divina justitia pro pluribus et gravioribus peccatis mitiorem pœnam, pro paucioribus vero et levioribus graviorem infligat: ergo, etc.

Ex quo etiam manet impugnatus alius modus dicendi, seu potius hic idem alia via expositus: videlicet metiendam esse gravitatem pœnæ damni cum quantitate gloriæ, ad quam ille qui damnatur, juxta decreta Dei conditionata destinatus erat, perveniretque de facto, nisi damnaretur. Nam ex hoc etiam sequitur prædictum absurdum: cum nullo fundamento affirmari possit om-

nes illos qui ob plura et graviora peccata damnantur, destinatos fuisse per decreta Dei conditionalia, seu sub ea conditione si non damnarentur, ad majorem gloriam, quam omnes illi qui ob pauciora et leviora peccata damnationem incurrunt. Imo potius sic de omnibus discurrere, et non de aliquibus contrario modo, irrationabile est et fictitium. Militat ergo illud inconveniens contra prædictum dicendi modum, etiam hac via explicatum: cum etiam sequatur, majori pœna puniendos fore aliquos, qui minus peccaverunt.

12. Ad illud quod in favorem Gabrielis assumitur, dicendum est, carentiam visionis beatificæ in ratione pœnæ et privationis non respicere visionem beatificam secundum latitudinem ejus gradualem, seu ut est vel esse deberet sub tanta vel tanta intensione: sed præcise secundum suam essentiam, nulla certa intensione connotata, prout ex divina promissione erat debita omnibus: respectu vero talis vel talis gradus intensiōis sive debiti sive non debiti, sicut et respectu omnium possibilium non datur ibi privatio, sed nuda carentia. Et ita quantum est ex hoc capite, et nisi aliunde diversificarentur, in omnibus esset æqualis tam in ratione pœnæ quam in ratione privationis. Quemadmodum carentia gratiæ, in qua peccatum habituale consistit, quamvis sit carentia illius quoad omnes suos gradus possibiles, siquidem nullum relinquit in subjecto; in ratione tamen privationis et peccati solum respicit ipsam gratiam absolute et secundum essentiam, et hujus tantum est privatio, non vero prædictorum graduum: estque omnino de materiali et per accidens ad hanc privationem et ejus augmentum, sicut ad majorem gravitatem peccati, simpliciter loquendo, quod gratia quæ expellitur, sit intensa vel remissa. Alias enim si prædicta privatio cresceret respective ad intensiōem gratiæ qua privat, sequeretur, fore majus peccatum habituale peccatum moderati furti ex infirmitate commissum ab habente gratiam intensam, quam peccatum gravissimi sacrilegii commissum ex certa malitia ab habente remissam: siquidem primum privaret majori gratia, et sic esset major privatio et majus malum, quam secundum.

Tollitur ratio dubitandi.

Quinimo si privatio gratiæ aut gloriæ respiceret certam intensiōem, ita ut non tantum esset privatio respectu essentiæ, sed etiam respectu talis intensiōis, utrobique sequeretur, non auferri totaliter privationem

vationem posita gratia aut gloria quantum ad essentiam nisi etiam poneretur prædicta intensio : quandoquidem nulla privatio aufertur totaliter, ni ponatur totum illud quo privat. Constat autem, privationem gratiæ totaliter auferri, posita ejus essentia sive intensa sive remissa : sicut totaliter aufertur peccatum habituale : et similiter tolleretur omnis privatio visionis beatificæ per quamlibet vel minimam visionem, sicut tolleretur per illam omnis pœna damni : igitur hujusmodi privationes in ratione privationum, aut in ratione mali sive culpæ sive pœnæ, non respiciunt intensionem gratiæ aut gloriæ, vel earum gradus, neque cum istis adæquantur et commensurantur, sed dumtaxat cum essentia quam immediate auferunt, et per quam totaliter expelluntur independenter ab intensione.

13. Ad hæc : quia carentia gloriæ (idem est de carentia gratiæ) in ratione puræ carentiæ non tantum respicit illius essentiam; sed etiam intensionem, estque vera carentia utriusque; idcirco in ratione talis carentiæ non omnino tollitur posita essentia, nisi etiam ponatur intensio : et ideo de quolibet habente gloriam remissam verificatur, quod habeat carentiam intensionis : ergo cum in ratione privationis omnino auferatur per solam essentiam independenter ab intensione, ita ut nullus habens visionem beatificam quantumvis remissam, possit dici vere *privatus*, plane sequitur, prædictam privationem in ratione talis non respicere intensionem, sed dumtaxat essentiam. Ex eo igitur quod ille qui damnatur, si non damnaretur, habiturus esset majorem gloriam, aut hæc illi debita vel præparata esset, non sequitur, habiturum majorem gloriæ privationem, aut majorem pœnam damni simpliciter et intrinsece, quam si minor gloria illi debita vel præparata fuisset. Diximus *simpliciter et intrinsece*, etc. quia non negamus, illum qui ob majora merita ad sublimiorem gloriæ gradum erat provehendus, habiturum ex isto capite, si damnetur, majus aliquid tristitiæ et doloris : sicut illi qui facilius beatitudinem comparare potuerunt, et non compararunt, ex hoc ipso dolebunt et tristabuntur præ aliis, quibus similis opportunitas defuit. Hæc autem tristitia non spectat ad pœnam damni intrinsecam et essentialem, neque auget simpliciter illam pœnam; sed habet se sicut gaudium accidentale beatorum : quod in aliquibus erit majus, quamvis minori gloria essentiali potiantur.

14. Secundus dicendi modus fuit Scoti et Abulensis locis cit. quos sequitur in præsententi M. Curiel. Dicunt autem pœnam damni non solum continere carentiam divinæ visionis, sed etiam nolitionem prædictæ carentiæ, et tristitiam ex ea consequentem : et ratione hujus nolitionis et tristitiæ posse suscipere *magis et minus*; quamvis in ratione carentiæ et privationis sit æqualis in omnibus. Adduntque, privationem ipsam posse aliquo modo dici inæqualem in ratione pœnæ : quia habet rationem pœnæ, quatenus quantum est ex se, est causa displicentiæ et tristitiæ in voluntate : et ita ut sit inæqualis in ratione pœnæ, satis est quod sit causa inæqualis tristitiæ.

Sed neque hic modus dicendi omnino placet. Tum quia non salvat inæqualitatem pœnæ damni in sua propria et essentiali ratione, quam salvare intendimus. Nam major illa tristitia, nolitio, aut renixus voluntatis, ad quæ prædicti auctores recurrunt, non sunt essentialiter ipsa pœna damni, aut aliquid ad eam pertinens sive ut pars sive ut complementum intrinsecum; sed solum reducuntur ad eam tanquam quid inde sequutum, alterius tamen lineæ : ad eum modum (aut forte minus proprie) quo gaudium in beatis reducitur ad beatitudinem tanquam quid alterius lineæ. Unde sicut beatitudo essentialis in ratione talis non variaretur, neque augetur per solum augmentum prædicti gaudii, nisi ipsa beatitudo unde gaudium oritur, secundum se augetur : ita neque pœna damni essentialiter augebitur per solum augmentum tristitiæ et doloris, nisi augeatur privatio beatitudinis, ex qua oriuntur. Non ergo hac via defenditur inæqualitas quam intendimus, in essentiali et propria ratione pœnæ damni, sed ad summum in aliquibus ejus accidentibus. Tum etiam quia inæqualitas tristitiæ et nolitionis de pœna damni non aliunde oriri potest in eo qui non decipitur, nisi ex inæqualitate ipsius pœnæ secundum se : ergo prius assignari debet aliqua inæqualitas in ipsa pœna secundum se, quæ sit causa tristitiæ inæqualitatis, quam concipiamus inæqualitatem in ipsa tristitia.

15. Quod vero dicitur, pœnam illam esse inæqualem in ratione pœnæ ex eo solum quia est causa majoris tristitiæ, manifeste est petitio principii : nam hoc est quod inquirimus, quid nimirum habeat pœna damni unius condemnati, ratione cujus sit causa majoris tristitiæ, quam pœna alte-

Secundus modus dicendi. Scotus. Abulensis. Curiel.

Non placet.

rius : si enim illa antecedenter ad tristitiam nihil plus habeat, non est cur, seclusa deceptione, causet in eo majorem tristitiam. Diximus *seclusa deceptione* : quia non negamus, posse per errorem minorem pœnam ut majorem apprehendi, et media hac apprehensione causare majorem tristitiam in voluntate, cujus objectum non movet nisi ut apprehensum. Hoc tamen non habet locum in præsentī : quia non est dicendum, damnatos decipi in apprehensione suæ pœnæ, apprehendendo illam majorem quam revera sit. Præsertim cum non sit ratio, quare unus prædicto modo decipiatur, et alter non ; sicque ille magis doleat, quam iste. Seclusa vero deceptione, inintelligibile est quod pœna unius majorem tristitiam causet, nisi ipsa sit majus malum, adeoque objectum ex se magis contristans.

Evasio. Dices, majorem istum dolorem oriri ex eo, quod unus videat applicari sibi illam pœnam propter plura aut graviora peccata, quam sint illa, propter quæ applicatur aliis. Sed contra : nam vel ex hoc capite crescit ipsa pœna damni intra propriam lineam pœnæ, hacque ratione est objectum et causa majoris doloris? vel non crescit ; sed tota ratio ut ille dolor sit major, est quia peccata, propter quæ prædicta pœna incursa est, fuerunt plura et graviora? Primum non admittunt auctores istiusmodi dicendi ; imo id impugnant, non satis capientes, quo pacto ex solo ordine ad plura vel majora peccata, pœna damni quæ est carentia beatificæ visionis, in seipsa augeatur, etiam antecedenter ad tristitiam quam causat. Quod si hoc concederent, nec nos illos impugnaremus, nec ipsi opus haberent recurrere ad prædictam tristitiam pro assignanda inæqualitate de qua loquimur, ut intuenti constabit. Secundum autem dici non potest : quia damnati non dolent de peccatis commissis propter ipsa peccata : hic enim dolor qui laudabilis esset et honestus, longe est ab illis, qui semper manent obstinati in amore ipsorum peccatorum. Sed præcise dolent de illis ob pœnam, quam eorum causa patiuntur. Unde sicut de nullo peccato quantumvis gravissimo dolerent, nisi viderent se propter illud pœnam incurrere : ita non ob aliud magis dolent de pluribus et gravioribus, nisi quia vident graviolem pœnam propter illa incurrisse. Debemus ergo pro assignanda inæqualitate doloris, ad inæqualitatem prædictæ pœnæ prius recurrere.

16. Quare rejecto etiam hoc dicendi

modo, tertius et communis inter Thomistas, inæqualitatem pœnæ damni assignat per ordinem ad suam causam, scilicet peccata quæ damnatus commisit : adeo ut in illo qui plura vel graviora commisit, ex ordine ad illa augeatur prædicta pœna, et fiat major intra propriam lineam pœnæ : ita quod non modo verum sit, damnatum illum puniri propter graviora peccata, sed etiam puniri pœna intrinsece et in se graviore. Quod adhuc potest dupliciter intelligi. Primo ita ut licet privatio beatificæ visionis non augeatur, neque varietur in ratione privationis, neque illi in esse rei accrescat aliquid, per quod fiat absolute majus malum vel magis nociva patienti ; eo ipso tamen quod propter graviora peccata infligatur, augetur in esse termini demeriti ipsorum peccatorum, ac proinde quoad munus et denominationem pœnæ : quasi hoc ipsum quod est *propter graviora peccata infligi* in qualibet pœna, nullo alio intellectu, eam graviolem constituat : seu quasi formalissime idem sit *pœnam infligi propter graviora peccata*, atque *esse pœnam graviolem*. Pro qua intelligentia facere videtur, quod pœna non habet rationem talis, nisi inferatur propter culpam : et ideo idem malum quod illatum ob culpam est pœna, secluso ordine ad illam, rationem pœnæ amittit : si ergo in quolibet malo hoc quod est *infligi propter culpam* est pœna, erit utique major pœna infligi propter majorem culpam : nam ita se habet *magis ad magis sicut simpliciter ad simpliciter*.

17. Hæc tamen intelligentia (licet aliquibus non displiceat) nequaquam sustinenda est, utpote ex qua manifesta absurda sequuntur. Si enim pœna universaliter loquendo crescit in ratione talis ex eo solum, quod inferatur propter culpam, sequitur, quamlibet culpam etiam gravissimam puniri sufficienter per quamlibet pœnam etiam secundum se et alias levissimam : quippe ex sola applicatione ad talem culpam cresceret juxta gravitatem, et sic fieret gravissima ipsa pœna : atque adeo unicum flagellum aut quælibet multatio esset sufficiens pœna pro homicidio vel furto gravissimo, et sic de aliis. Unde etiam sequeretur, frustra iudices et legislatores sollicitari erga diversitatem et inæqualitatem pœnarum pro inæqualibus culpis puniendis : siquidem quamlibet pœnam pro quacunque culpa imponent, maneret hæc ad æqualitatem punita : cum (ut supponitur) quælibet pœna crescat et fiat gravior juxta gravitatem culpæ

Verus dicendi modus.

Sinistra intelligentia refellitur.

culpæ per solam applicationem ad ipsam culpam. Quæ et alia, quæ ex prædicta intelligentia sequuntur, plane sunt absurda.

Illud autem quo juvari intenditur, facile corrui. Nam quod idem malum, quod illatum propter culpam est pœna, illa seclusa rationem pœnæ amittat, non arguit, ipsum *applicari propter culpam* esse rationem formalem constitutivam pœnæ, ad cuius proinde augmentum augeatur; sed esse conditionem, sine qua non exerceret munus pœnæ, nec talis diceretur. Sicut beatitudo non exercet munus præmii, nisi daretur propter merita: et sicut pecunia quæ datur mulieri ad ineundum matrimonium non diceretur *dos*, si ob alium finem largiretur. Ratio autem formalis in istis omnibus, ad cuius augmentum augeri debent, non est ille titulus propter quem dantur, sed ipsa eorum quantitas realis et absoluta: puta, majus præmium in beatitudine est intensior Dei visio, sive concipiamus eam dari propter majora merita, sive propter minora, dummodo detur propter aliqua: et major *dos* dicitur copiosior pecunia data in matrimonium, sive nobilior sive minus nobile. Similiter ergo major pœna erit, quæ secundum se importat majus malum et majorem disconvenientiam respectu patientis, sive inferetur propter majus peccatum, sive propter minus. Axioma verò *sicut simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis* tenet in rationibus formalibus, non vero in aliis conditionibus: ut constat in exemplis adductis: formalis autem ratio pœnæ ut diximus, non est ipse titulus conferendi propter peccatum, sed malum et disconvenientia ibi reperta: quamvis ut hæc exercent munus pœnæ, adesse debeat ut conditio talis titulus.

18. Secundo potest intelligi pœnam damni augeri per ordinem ad suam causam, scilicet peccata, quia hoc est peculiare in hac pœna, ut ex eo quod plura vel graviora peccata præcesserint, privatio beatificæ visionis, in qua consistit, fiat in seipsa deterior et majus malum, quam esset, si pauciora vel leviora præcessissent. Itaque non dicimus, rationem formalem augmenti prædictæ pœnæ esse ipsum augmentum malitiæ peccatorum, neque esse formalissime illum titulum, scilicet quod tribuatur propter majora peccata: sed dicimus augmentum malitiæ, prædictumque titulum habere se de connotato, ut ipsa carentia visionis beatificæ consurgat propria et intrinseca ratio sui augmenti. Et hic modus di-

cendi ita explicatus est verus, statuiturque a nobis pro conclusione.

Oportet autem explicare, quo pacto ex connotatione majorum peccatorum carentia visionis beatificæ in seipsa crescat, et fiat deterior: et quomodo ad hoc non obstat quod sit privatio *in facto esse*, nihil relinquens formæ oppositæ. Pro quo nota, eum qui caret aliqua forma, per ipsam carentiam fieri formaliter distantem et elongatum a tali forma: atque adeo eo erit major talis carentia, quo majorem constituat distantiam et elongationem: hæc autem eo crescit et fit major, quo ipsa forma reddita est difficilius, seu quo plura adsunt impedimenta et obices, per quæ assecutio illius impediatur: verificatur enim, longius abesse formam a subjecto, quando verum est, subjectum esse magis impeditum et prohibutum ab assecutione talis formæ. Cum igitur impedimenta et obices, per quæ damnatus prohibetur et impeditur ab assecutione visionis beatificæ, sint ejus peccata, fit ut juxta multitudinem vel gravitatem istorum crescat in eo elongatio et distantia a prædicta visione, et per consequens ejus carentia et privatio.

Potestque hoc instari in aliis pœnis et malis quæ in privatione consistunt: v. g. in exilio, per quod quis excluditur a regno vel civitate, et ejus habitatione privatur. Quamvis enim per quodcumque exilium tota habitatione privetur, magis tamen exulare dicitur, dum mittitur in longinquius: quia magis elongatur, et magis distat ab habitatione qua privatur, manetque sibi difficilius reditus ad illam. Similiter licet quælibet cæcitas sit privatio visus *in facto esse*, major tamen et pejor censetur ea, quæ majus illi impedimentum apponit. Et ideo (verba sunt D. Thomæ in 2, dist. 42, quæst. 2, art. 5) : *D. Thom. magis cæcus dicitur, cui ex toto erutus est oculus, quam qui ex aliquo humore ad pupillam concurrente visum amittit: quamvis uterque cæcus sit. Et per hunc modum (prosequitur) etiam inæqualitas dicitur secundum magis et minus: quia distantia ab inæqualitate quæ æqualitatem tollit, potest esse major vel minor. En qualiter ex majori causa privationis, privatio ipsa licet sit in facto esse, suscipit incrementum, et fit deterior magisque disconveniens subjecto: quia ponit in illo majorem distantiam et elongationem a forma qua privat. Hac ergo ratione est majus malum et gravior pœna damni, privari beatitudine ob plura vel graviora peccata: quia sic privatus magis elon-*

gatus manet, magisque distans et alienus ab ipsa beatitudine, quam si privaretur ob pauca leviora.

Replica. 19. Sed dices cum Lorca, hinc solum haberi quod poena damni in majore peccatore sit majus malum propter praedictam majorem distantiam et elongationem a beatitudine; non vero quod ipsa carentia beatitudinis fiat major in ratione carentiae et privationis: quia privatio non fit major, nisi privet majori bono, quod in praesenti non contingit.

Enodatur. Respondetur, parum hoc referre ad praesens: forte erit quaestio de modo loquendi: dummodo habeamus, poenam damni quae est carentia visionis beatificae, intrinsece augeri, et reddi deteriore, magisque nocivam et disconvenientem damnato habenti plura vel graviora peccata: hoc enim sufficet ad verificanda illa quae in hac materia Doctores tradunt, et quae § praeced. verificanda diximus, ut intuenti constabit: sive dicamus, praedictam poenam crescere solum in ratione mali, sive formalissime in ratione carentiae et privationis. Porro dicendum esse hoc posterius, ut dicunt communiter Thomistae, probatur facile. Nam sicut forma positiva v. g. scientia non solum crescit et perficitur per hoc quod extendatur ad plures conclusiones, sed etiam per hoc quod circa eandem conclusionem firmiter inhæreat subjecto, et radicetur magis in illo; diciturque hoc augmentum intensivum, illud vero extensivum: ita possumus intelligere, aliquam privationem dupliciter crescere in propria ratione privationis et carentiae: vel quasi extensive, quia plus boni auferat; vel quasi intensive, quia auferendo idemmet bonum, magis quasi radicatur et firmatur in subjecto, securiusque illud possidet. Ut ergo poena damni non utcumque in ratione mali, sed in ratione privationis visionis beatificae dicatur intrinsece major, sufficet quod ex connotatione plurium vel graviorum peccatorum magis subjecto adhæreat, et magis et eo confirmetur; atque ut ita dicamus, securior de perpetua exclusione ipsius beatitudinis ob majora impedimenta, firmiter sub se illud teneat et possideat.

Adde ob aliam rationem dici posse praedictam poenam crescere formaliter in ratione privationis non solum intensive, sed etiam extensive. Quia nimirum peccata, propter quae infligitur, non modo excludunt gratiam et visionem beatificam a subjecto,

sed etiam diminuunt hujus habilitatem ad illas, non per ablationem entitatis, sed per appositionem impedimenti, juxta ea quae explicuimus supra in commentar. art. 2, quaest. 85, unde quia plura vel graviora peccata plus diminuunt praedictam habilitatem, consequenter causant majorem privationem; non solum intensive, firmando illam magis in subjecto, sed etiam extensive, plus auferendo de ratione boni, scilicet praedictae habilitatis. Vide supra art. cit. et disput. 16, n. 154. Ad hunc tamen modum augmenti et inaequalitatis privationis beatitudinis et poenae damni non est necessarium recurrere, supposito illo quem modo explicuimus.

#### § IV.

*Diluuntur nonnulla contra nostram sententiam et modum dicendi.*

20. Nostrae sententiae opponuntur Vasq. in praesent. disp. 100, cap. 5, Granad. tract. 9, sect. 2, Salas disput. 15, sect. 10, Azor. tom. 1, lib. 4, c. 24, quaest. 3, et alii ex junioribus, qui et referunt Alensem, Durand. Paludan. et alios antiquos. Asserunt itaque praedicti authores, poenam damni in omnibus condemnatis aequalem esse, etiamsi propter inaequalia peccata illam incurrerint. Ex iis vero qui in praedicta poena inaequalitatem constituunt, refragantur nostro modo dicendi Gabriel, Scot. Abulens. et Curiel supra citati. Arguitur ergo contra nostram assertionem. Nam D. Thomas quaest. 2 de Mal. art. 9 ad 3, inquit, quod in supplicio damnatorum est aliquid commune omnibus, respondens contemptui Dei, qui fuit in peccato, nempe carentia visionis divinae, et aeternitas poenae: sentit ergo, omnes illos aequales esse in gravitate praedictae poenae, sicut sunt in duratione. Et 3 par. quaest. 71, art. 3 ad 1, expresse dicit, carentiam visionis divinae non suscipere magis et minus: erit igitur in omnibus aequalis.

Respondetur, D. Thomam in primo loco solum intendere, quod omnes damnati conveniant in poena damni considerata ex parte objecti et formae qua privat, quia omnes carent eadem beatifica visione: non autem vult excludere inaequalitatem ex parte causae, quam explicuimus. Quemadmodum contemptus Dei in omnibus peccatis mortalibus repertus solum est aequalis ex parte termini, scilicet ipsius Dei a quo recedunt: aliunde

aliunde enim certum est, majorem Dei contemptum reperiri in uno peccato, quam in alio. In secundo testimonio, ut ex contextu apparet, loquitur de carentia visionis beatificæ prout reperitur in pueris decedentibus cum solo originali : in his autem ex nullo capite ponimus inæqualitatem in prædicta carentia : quia respectu omnium habet causam æqualem, scilicet Adami peccatum.

Secundo arguitur communi objectione : quia privatio totalis et *in facto esse* non suscipit magis vel minus, juxta doctrinam ejusdem D. Thomæ citato artic. 9, quæstionis 2 de Mal. et supra quæst. 73, artic. 1, sed pœna damni est privatio beatificæ visionis totalis et *in facto esse*, cum quælibet talis pœna totam eam visionem auferat : ergo, etc.

Respondetur etiam communi Thomistarum solutione, majorem esse veram loquendo de prædicta privatione ex parte formæ qua privat, ac proinde de augmento ejus extensivo de quo intelligitur doctrina D. Thomæ, et quam nos tradidimus supra disp. 9, dub. 1. Secus autem si loquamur de augmento ex parte causæ sive intensivo, ut explicuimus num. præced. Quæ solutio evacuat etiam quæcunque alia argumenta ab authoribus contrariis ex capite privationis desumuntur.

21. Neque obest, si urgeas tum quod privatio gratiæ et gloriæ assimilatur privationi corporalis vitæ, quatenus sicut hæc constituit mortem corporis, sic illa mortem animæ : sed privatio vitæ corporalis non suscipit magis vel minus etiam ex parte causæ : non enim potest dici magis mortuus, qui plura vel majora vulnera suscepit, quam qui pauciora vel minora, si uterque vere mortuus sit : ergo neque in privatione gratiæ aut gloriæ debet adhuc ex parte causæ *magis* et *minus* admitti. Tum etiam quod aliæ pœnæ ad sensum pertinentes non crescunt aut diminuuntur propter augmentum vel diminutionem suæ causæ : non enim flagella duriora fiunt, quia propter majora crimina inferantur ; nec minus sentiuntur, quia inferantur propter minora : ergo idem a paritate dicendum est de pœna damni.

Respondetur, utrobique esse disparem rationem : nam in primo casu propria et immediata causa privationis vitæ, cui ipsa privatio innititur et cui commensurari debet, non sunt vulnera illativa mortis, sed forma cadaveris, cujus generatio est corruptio formæ viventis : prædicta autem forma cum sit substantialis, ex nullo capite

suscipit magis vel minus : at vero respectu privationis gloriæ causa proxima et immediata sunt peccata commissa, et ita non mirum quod talis privatio eorum inæqualitatem sequatur. In secundo vero casu (præterquam quod antecedens non est universaliter verum, nam etiam aliquæ aliæ pœnæ ut infamia et ignominia augentur ex relatione ad suam causam ; tantoque fiunt majores, quanto constat majora fuisse peccata, propter quæ peccator illas incurrit) est etiam dispar ratio : quia non in omnibus pœnis militat ea quam tradidimus circa pœnam damni : scilicet quod dum connotat plura peccata, plus elongat subjectum a beatitudine, plusque in ipso subjecto confirmatur et securius illud possidet : totumque hoc cedit in majus damnum et detrimentum patientis. Quæ ratio cum non militet in flagellis et similibus torturis, non potest sumi ab eis argumentum.

Tertio arguitur : nam ex nostra sententia sequitur, pœnam damni puerorum existentium in limbo majorem esse, quam pœnam alicujus adulti, qui ob proprium et personale peccatum damnaretur : sed hoc non est admittendum : ergo, etc. Major probatur : nam pœna illa puerorum respicit ut causam peccatum actuale Adami, propter quod illam incurruno : non autem deerit inter adultos damnatos aliquis cujus pœna solum respiciat unum peccatum personale minus grave, quam quod Adamus commisit : ergo habebit ex hac parte minorem pœnam.

Respondetur negando majorem seu sequentem : et ad probationem dicendum est, peccatum Adami non esse pueris causam pœnæ damni, nisi quatenus fuit peccatum eorundem puerorum, et quatenus fuit illis voluntarium : in his autem rationibus illud peccatum fuit omnium minimum : nam et minimum habuit de ratione voluntarii simpliciter, et valde parum ad eos pertinuit : cum solum fuerit voluntarium voluntate sui capitis, solumque eos attigerit ex parte naturæ absque ullo consensu vel voluntate personali.

Secundum argumentum. D. Thom.

Solutio.

eplica.

servatur.

Tertium argumentum.

Responsio.

## DUBIUM II.

*Qualiter substantiis incorporeis inferri valeat pœna sensus : in quo hæc pœna consistat?*

22. Circa pœnas sensus, quibus damnatorum corpora in inferno cruciabuntur, aut aliqua jam de facto cruciantur, nulla est specialis difficultas, pro qua dubium excitemus : cum in illis non minus quam in nobis vigeant corporales sensus, qui sensibiles et nocivas qualitates ab igne vel ab aliis agentibus immixtas percipiant, earumque excessibus et dissonantiis torqueantur : ut viatorum sensus et corpora similibus qualitatibus sæpe torquentur. Licet cum excessu incomparabili, propter inenarrabilem vim et efficaciam illius ignis, et aliorum, quæ divina justitia ad prædictum effectum assumit. Et etiam cum magno discrimine penes hoc, quod in corporibus damnatorum non habebit locum corruptio et interitus, quæ viatoribus ex longe minoribus tormentis et passionibus inferuntur. Quod simul proveniet ex speciali Dei providentia conservantis perpetuo illa corpora ad ostensionem suæ justitiæ : et ex cessatione motus cœli, quo quiescente cessabit omnis passio et alteratio corruptiva. Remanebit tamen locus passioni intentionali, qua sensus, recipiendo ab igne vel aliis afflictivis intentionales species secundum improportionem et excessum, ac proinde cum dissonantia ad harmoniam, in qua illi consistunt, sensationem elicient doloriferam, et dolorem in appetitu excitabunt. De quo videndus est D. Thomas in 4, dist. 44, quæst. 3, art. 1, et Opusc. 2, cap. 177, et Cajetan. tom. 3 opusculor. orat. 5, ubi rem optime declarant.

D. Thom.  
Cajet.

Cæterum quo pacto substantiis incorporeis ut dæmonibus et animabus separatis, quæ omni sensu carent, prædicta pœna inferri valeat, adeo est intellectu difficile, ut ejus perfecta cognitio superet humanum discursum, solaque Dei revelatione (quam nondum perfecte accepimus) possit plene innotescere. Adeoque graves authores post rem diu meditatam, satius judicarunt propriam ignorantiam fateri, quam serio aliquid definire. Illos vero qui præsentem disputationem aggressi sunt, ita ejus difficultas in diversa placita divisit, ut tot fere quot capita, sint sententiæ : indeque unusquisque assertionem suam potissimum confirmet, quia quæ ab aliis dicta sunt, vel fal-

sitatis, vel impossibilitatis, vel insufficientiæ convinci sibi videantur. Unde et nos justo ducti timore non majoris profectus, libenter supersederemus huic dubio, et pro ejus resolutione lectorem alio remmitteremus : nisi aliquorum desiderium, quibus amore et observantia obstricti sumus, sensum nostrum, quem ex D. Thom. depromere valuimus, in lucem proferre expostularet. Consulentes autem brevitati, omitemus non pauca, quæ alii admiscent ; tantumque illa inferemus, quæ ad percipiendam difficultatem et veritatem declarandam necessaria videbuntur.

Tractant illam Scholastici cum Magistro in 4, dist. 44, ubi D. Bonavent. 2, p. distinctionis, art. 3, q. 2, Scotus quæst. 2, Richard. de secundo princ. quæst. 9, Durand. q. 11, Capreol. q. 4. Hispalens. quæst. etiam 4, Sotus dist. 50, quæst. unic. art. 2. Expositores D. Thom. 1, p. q. 64. art. 4, ubi Bannez dub. 2, et 3, Nazarius controvers. unic. Valentia disp. 4, q. 15, puncto 3, Vasq. disput. 244, Zumel q. sua 3, Balthas. Navarrette controvers. 87, et Joan. a S. Thom. disputat. 24, art. 3. Cajet. tom. 3, opusc. orat. 5, Ferrara lib. 4, contra gent. cap. 90, Bellarm. lib. 2, de purgatorio cap. 12, Suar. tom. 4, in 3 par. disp. 44, sect. 2 et lib. 8 de Angel. cap. 12, et duobus seqq. Et alii quos videre non licuit. Dum vero hos quos consulimus, in discursu dubii absque loci designatione relatos videris, ad loca nominata recurre : ne ubique in eorum citationibus immoremur. At vero D. Thomas cujus vestigiis inhærendum est, diversis in locis de hoc disseruit : ut in 4, dist. 44, q. 3, art. 3, quæstiunc. 3, lib. 4, contra gent. cap. 90. Quæstione de Anim. art. 21. Quæst. 25 de Veritat. art. 1, Quodlib. 2, art. 13, Quodlib. 3, art. 25, et in Compendio Theologiæ cap. 180, alibique, quamvis non ita ex professo rem tangit. Ut autem facilius ad veritatem accedamus, videamus primo loco quæ certa sint, et in quo difficultas consistat.

Magist.  
D. Bona.  
Scotus.  
Richard.  
Durand.  
Capreol.  
Hispal.  
Sotus.  
Banez.  
Nazar.  
Valent.  
Vasq.  
Zumel.  
Navar.  
Joan. a  
S. Thom.  
Cajet.  
Ferrara  
Bellarm.  
Suarcz.  
D. Thom.

## § I.

*Quæ sint certa : et in quo sit difficultas.*

23. Primo ergo in hac difficultate ut certum supponendum est, in dæmonibus et animabus damnatis ultra pœnam damni consistentem in privatione divinæ visionis, dari illam aliam, quam n. 1, ubi pœnæ divisionem

Duo pr.  
supposi  
ta.



visionem tradidimus; diximus *pœnam sensus*: non quia corporeis sensibus ab eis percipiatur; sed quia est aliquid nocivum et disconveniens, atque ex propria ratione afflictivum, quod apprehensum per intellectum, causat in voluntate dolorem seu tristitiam. Hoc præsuppositum omnino esse certum, suadet communis Theologorum consensus pro prædicta divisione: quam nullus hactenus ausus fuit rejicere.

Secundo est supponendum, hujusmodi pœnam sensus inferri spiritibus et animabus damnatis mediante igne gehennali, quo infernus abundat: prædictumque ignem esse verum et corporeum, et non aliquid spirituale dumtaxat, quod metaphorice *ignis* dicatur: ut aliqui hæretici somniarunt, pro eodem accipientes *ignem* quem Scriptura minatur, ac *vermem conscientiarum*, quem non est dubium futurum esse spiritualem. (An vero ignis ille sit elementalis, vel mixtus, ejusdem, aut diversæ speciei atomæ, tradit D. Th. dist. et q. citatis artic. 2). Tribuimus autem munus hoc torquendi damnatos specialiter igni, quia de eo dicitur hoc peculiariter et frequentius in sacra Scriptura: non tamen excludimus, quin etiam ad cruciandos illos alia elementa et afflictiva concurrant, de quo infra. Hoc etiam præsuppositum certum esse, et communi sensu Scholasticorum, imo et totius Ecclesiæ receptum tradit Suar. ubi sup. cap. 12. Constatque manifestis Scripturæ testimoniis: nam Matth. 7, dicitur de reprobis: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur*: et cap. 25: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus*. Marc. 9: *In ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur*. Apocal. 20: *Missus est diabolus in stagnum ignis et sulphuris, ubi et bestia et Pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte*. Isai. 33: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante?* et cap. 66: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur*. Tam expressa autem testimonia, adeoque asseveranter prolata, et tam crebro repetita, non est verosimile, continere solam metaphoram, et non id quod verba sonant. Præsertim quia juxta communem regulam intelligendi scripturam ab Augustino et aliis traditam, omnia quæ in illa dicuntur, accipienda sunt in sensu proprio; nisi ex tali sensu sequatur aliquod absurdum, aut ex ipsamet Scriptura oppositum constet: quorum neutrum militat in præsentia. Accedit communis consen-

sus SS. Patrum, qui prædicta testimonia, quod attinet ad pœnam ignis, in sensu proprio accipiunt: de quo legendus est Suar. cit. cap. 12, ubi eorum verba adducit: et satisfacit iis quæ in contrarium objici possunt.

24. Duos vero errores, qui huic veritati opponuntur, refert et impugnat D. Th. q. 26 de Verit. art. 1, his verbis: *Quidam attendentes, passionem in anima proprie esse non posse, dixerunt, omnia quæ dicuntur in Scripturis de pœnis corporalibus damnatorum, intelligenda esse metaphorice, ut scilicet per hujusmodi corporales pœnas apud nos notas significarentur afflictiones spirituales, quibus damnati puniuntur. Et hujusmodi opinionis videtur fuisse Origenes et Algazel. Sed quia resurrectionem credentes, non solum credimus futuram esse pœnam spirituum, sed corporum; corpora vero non possunt puniri nisi corporali pœna, eadem autem pœna hominibus post resurrectionem et spiritibus debetur, ut patet Matth. 25, ubi dicitur: *Ite maledicti in ignem æternum, etc.* ideo oportet dicere, ut Aug. probat 21 de Civit. Dei, ipsos spiritus pœnis corporalibus aequaliter affici. Et ideo alii dixerunt quod anima separata afficietur quidem aliquibus pœnis quamvis non corporalibus, tamen corporalibus similibus: quibus similes sunt illæ pœnæ per quas affliguntur dormientes, etc. Sed hoc esse non potest: nam hujusmodi similitudines corporum non possunt esse intelligibiles: quia illæ sunt universales, ex quarum consideratione afflictio animæ non infertur, sed magis jucunditas ex consideratione veritatis: unde oportet, quod intelligatur de similitudinibus imaginariis: quæ quidem esse non possunt nisi in organo corporali: quod animæ separatae et spiritibus dæmonum deest, etc.*

25. Ex quo etiam supponendum est tertio contra Durand. prædictam pœnam sensus non ita dividi contra pœnam damni, ut hæc dicat privationem divinæ visionis, illa vero solum illum dolorem seu tristitiam, quæ in dæmonibus et animabus ex tali privatione consurgit. Tum quia, ut ostendimus n. 4, prædicta tristitia non habet per se rationem pœnæ, sed dicitur talis solum reductive, quatenus consequitur ad illam privationem, quæ est ipsa pœna: cum qua proinde non ponit in numero, neque aliam pœnam ab ea constituit: unde nisi aliud aliquid pro pœna sensus assignetur, non datur locus prædictæ divisioni. Tum etiam quia hæc via non salvatur illud quod omnino certum esse diximus, videlicet dæmones

Refellitur duplex error. D. Thom.

Tertium præsuppositum.

torqueri igne vero et corporeo : nam tormentum ab hoc acceptum longe alterius rationis esse debet a tristitia de prædicta privatione. Obidque Durand. consequenter ad suum modum dicendi negat, dæmones pati ab igne vere et realiter : sed dicuntur (inquit) torqueri ab illo per quandam similitudinem et adaptationem : quia cum inter sensibiles pœnas ea quæ provenit ab igne, sit vehementissima, aptior est, ut maxima dæmonum tristitia ex amissione beatitudinis per similitudinem ad illam explicetur. Sic Durandus, licet cum aliqua formidine. Sed quam hoc falsum sit et in fide periculosum, constat ex dictis.

26. Quarto supponi debet, neque constituendam esse prædictam pœnam in aliquo alio dolore, qui sit in voluntate dæmonis, ita ut ipse dolor primario talem pœnam constituat. Nam dolor voluntatis, sicut et quicumque alius ejus actus essentialiter supponit objectum, de quo consurgit : et cum objectum doloris sit malum et disconveniens apprehensum, neque in præsentia aliud esse possit quam malum pœnæ, prius necessario assignandum est, quid sit hoc malum seu pœna quam dæmones apprehendunt, et de qua apprehensa dolent ; quam possimus prædictum dolorem in eis intelligere. Non ergo dolor seu tristitia voluntatis quæcumque sit, potest esse primario constituens pœnam. Quocirca frustra laborant nonnulli, qui non curantes de aliquo quod dæmones antecedenter ad suum dolorem, ut malum et disconveniens adeoque ut objectum talis doloris apprehendant ; de solo ipso dolore et de causa ejus efficiente curam agunt : sufficienterque huic difficultati satisfacisse putant dicendo, ignem ut instrumentum divina virtute elevatum applicare effective dæmonis voluntatem ad maximum dolorem in ea producendum : vel ipsum doloris actum sine concursu ejusdem voluntatis immediate efficere. Nam præterquam quod omnis actus in voluntate existens debet esse voluntarius et vitalis, proindeque non a principio extrinseco, sed ab ipsa voluntate immediate ortum ducens : aliunde etiam prædictus discursus est extra rem : quia cum neque dolor per se sit pœna, sed ad eam consequens, nec dari queat nisi de aliquo objecto apprehenso sub ratione mali et disconvenientis ; semel vero hujusmodi objecto apprehenso et proposito voluntati sponte hæc suapteque natura in dolorem prorumpat, sicut prorumpit in amorem, proposito objecto sub ratione convenientis :

frustra est cura de sola causa effectiva et elicitive ; cum totus labor impendendus esset in assignando objecto prædicti doloris. Itaque cum pœna, de qua loquimur, debeat esse aliquid a dæmonibus et animabus ut malum et disconveniens apprehensum, quod ut objectum ad actum doctoris supponatur, et de quo ipse dolor consurgat ; alias vero talis pœna ab igne corporeo inferenda sit, id potissimum requirit præsens difficultas, ut scilicet declaretur, quo pacto prædictus ignis possit esse illis disconveniens et nocivus, aut quid in eis ponat vel producat, quod ipsi ut malum et disconveniens apprehendant. Nam præterquam quod difficile capitur, quomodo res corporea agat in spiritum ; difficilius adhuc percipitur quid in eo possit agere, quod illi adversetur.

27. Cui difficultati succumbentes nonnulli dixerunt, ignem non torquere dæmones aut animas vere et realiter, seu per aliquam actionem vel affectionem qua illis re ipsa noceat, sed per solam apprehensionem : quatenus apprehendunt illum ut sibi nocivum, cum talis non sit. Contra quem errorem, qui manifeste talis est, militant verba illa D. Greg. lib. 9 Moral. cap. 38, ad illud Job. 10 : *Vadam et non revertar, ad terram tenebrosam, etc. Recte (inquit) inferni claustra tenebrosa terra nominantur : quia quos puniendos accipiunt, nequaquam pœna transitoria vel phantastica imaginatione cruciant, sed ultione solida perpetuæ damnationi servant.* Et præterea impugnatur a D. Th. cit. loc. de Veritat. ibi : *Neque potest esse quod quidam dicunt, quod quamvis ignis ille corporeus non possit esse spiritui nocivus, potest tamen apprehendi ut nocivus. Non enim est probabile, quod dæmones qui acumine sensus vigent, multo melius suam naturam et ignis corporalis non cognoscant, quam nos, ut falso credant, ignem corporeum sibi posse nocere. Unde dicendum, quod vere et non solum secundum apparentiam ab igne corporeo affliguntur : et hoc est quod Gregor. dicit in 4 Dialog. Colligere ex dictis evangelicis possumus, quod incendium anima non solum videndo, sed etiam experiendo patiat. Quam etiam impugnationem habet Quæst. de Anim. artic. 21, et eam latius prosequitur in 4, dist. 44, q. 3, art. 3. Ut videas, quam sine fundamento Hugo Cabel. in Scholiis ad Scot. dist. cit. q. 2, num. 4, adscribat D. Thomæ prædictum dicendi modum, quem S. Doctor toties reprehendit.*

Ad explicandum ergo quo pacto ignis vere, et non tantum secundum apparentiam vel

Durand.

Quartum.

Error impugnatus.

D. Greg.

D. Th.

Idem

Hugo Cabel.

vel falsam apprehensionem spiritibus illis nocivus sit, possitque ab eis vero iudicio ut talis apprehendi, varii excogitati sunt dicendi modi: qui omnes adhuc supponunt, id non posse igni competere præcise per suam virtutem naturalem: quia res corporea suæ virtuti relicta, non potest agere in spiritum. Quia tamen non repugnat elevari ad hoc virtute divina, idcirco omnes qui in hac materia probabiliter opinati sunt, supponunt, necessariam esse in igne hujusmodi elevationem ad prædictum effectum.

Ultimum præsuppositum.

28. Denique possumus tanquam certum vel fere certum supponere, dæmones et animas torqueri ab igne per alligationem ad ipsum vel aliud corpus, in quo tanquam in tetro carcere inviti detineantur: ita ut neque se inde liberare possint, neque suas actiones ubi et quomodo voluerint, exercere. Hanc sententiam (quæ est D. Th. omnibus locis supra cit.) merito ut communem et fere certam supponimus: quia non tantum Capreol. Hispal. Cajet. Ferrara, Bannez, Soto, Nazar. et alii S. Doctoris discipuli, quorum nullus ab ea recedit, sed etiam Bonav. Scot. Richard. Vasq. Valent. Bellarm. Suar. et cæteri Theologi communiter illi subscribunt, prædictamque alligationem et incarcerationem non parum pœnalem dæmonibus fatentur. Si enim (ait bene Suar. c. 14) ignobile animal non habens intellectum neque libertatem, sed solum sensum et appetitum, interdum vehementer affligitur, si catena ligatus teneatur: et inter homines diuturnus carcer pro magna habetur pœna, estque objectum non modicæ afflictionis: quanto magis in Angelo nobilissima creatura erit doloris objectum, infimis corporibus alligatum detineri, et sua libertate privari? Neque possent aliter plura loca Scripturæ salva consistere, ubi dæmonum pœna per prædictam alligationem et incarcerationem significatur: ut in Epist. Canon. Judæ: *Angelos qui non servaverunt suum principatum, vinculis æternis sub caligine reservavit.* Et 2 Petr. cap. 2: *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Apoc. 20: *Apprehendit draconem, et alligavit eum per annos mille, et misit eum in abyssum, et clausit.* Isa. 24: *Congregabuntur congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere, etc.* atque alibi sæpe.

Epist. Canon. Judæ.

2. Pet. c. 2.

apoc 20

Isai. 24.

Esse vero possibilem, et dæmonum atque animarum afflictivam hujusmodi alligationem, ostendit D. Thom. q. de Anim. art. 21,

ubi cum distinxisset duplicem modum passionis, scilicet per alterationem et corruptionem, vel per impedimentum contra naturalem inclinationem, excludit ab eis primum, et ponit secundum his verbis: *Secundum igitur primum modum passionis anima non potest pati pœnam ab igne corporeo: non enim possibile est, quod ab eo alteretur et corrumpatur. Potest autem pati secundo modo passionis: in quantum per hujusmodi ignem impeditur a sua inclinatione vel voluntate, quod sic patet: anima enim et qualibet spiritualis substantia, quantum est de sua natura, non est alligata alicui loco, sed transcendit totum ordinem corporalium: quod ergo alligetur alicui, et determinetur ad aliquem locum per quandam necessitatem, est contra ejus naturam, et contrarium appetitui naturali: et hoc dico, nisi in quantum conjungitur corpori, cujus est forma naturalis, in quo aliquam perfectionem consequitur. Quod autem aliqua spiritualis substantia alicui corpori obligetur, non est ex virtute corporis potentis substantiam incorpoream detinere, sed ex virtute alicujus superioris substantiæ alligantis spirituales substantiam tali corpori: sicut etiam per artes magicas permissione divina, virtute superiorum dæmonum aliqui spiritus rebus aliquibus alligantur, vel anulis, vel imaginibus, vel hujusmodi rebus. Et per hunc modum animæ et dæmones alligantur virtute divina in sui pœnam corporeo igni. Unde Aug. dicit 21, de Civit. Dei: *Cur non dicamus, quamvis miris modis, etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi, si spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei, et nunc possunt includi corporalibus membris, et tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? Adhærebunt ergo spiritus licet incorporei corporalibus ignibus cruciandi: accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam. Et sic verum est, quod ignis ille in quantum virtute divina detinet animam alligatam, agit in animam ut instrumentum divinæ justitiæ. Et in quantum anima apprehendit illum ignem ut sic sibi nocivum, interiori tristitia affligitur. Quæ quidem maxima est, cum considerat, se infimis rebus subdi, quæ nata fuit Deo per fruitionem uniri. Maxima ergo afflictio damnatorum erit ex eo, quod a Deo separabuntur: secunda vero ex eo, quod rebus corporalibus subdentur, et infimo et abjectissimo loco.**

D. Thom.

29. Ubi observandum venit, quod cum ignis verus et corporeus ad torquendos dæmones et animas (juxta dicta n. 23) proin-

Animæ versio.

deque ad eorum alligationem concurrat, dupliciter potest intelligi quod fiat hic concursus. Vel objective dumtaxat seu terminative: quatenus ignis est locus et terminus, cui dæmon manet ita alligatus, ut inde non recedat: sine eo tamen quod ipse ignis exerceat aliquam actionem, aut præstet aliquem influxum effectivum in prædictam alligationem, sed solus Deus sit causa ejus effectiva. Vel ita ut etiam ipse ignis ad eam effective concurrat, non quidem ut causa principalis, seu virtute propria, sed ut instrumentum divinæ virtutis ab ea elevatum. Quamvis autem olim non defuerint, qui alligationem prædictam illo primo modo intellexerint; falluntur tamen, et contra mentem D. Thomæ gradiuntur. Tum quia S. Doctor ubique repetit, ignem agere in dæmones et animas, torquereque illos in quantum est instrumentum divinæ justitiæ: ut videre est in 4 dist. cit. et Quæst. 26 de

D. Thom. Verit. art. 1 ibi: *Ignis ille corporeus agens ut instrumentum divinæ justitiæ, facit aliquid supra virtutem naturæ, scilicet animam detinere vel alligare, etc.* Et in solut. ad 1: *Ignis in quantum agit in animam ut instrumentum divinæ justitiæ, est anima præstantior.* Et Quæst. de Anim. art. 21 in corp.: *Ignis agit in animam ut instrumentum divinæ justitiæ.* Et ad 8 quod erat hujusmodi: *Agens est nobilior patiente: sed ignis non est nobilior anima: ergo non potest agere in illam.* Respondet: *Dicendum, quod instrumentum non agit virtute sua, sed virtute principalis agentis: et ideo cum ignis agat in animam ut instrumentum divinæ justitiæ, non est attendenda dignitas ignis, sed divinæ justitiæ.* Cum ergo hæc omnia dicant effectivam causalitatem, ipsumque instrumentum sit genus causæ effectivæ, manifeste est contra D. Thom. reducere concursum ignis erga prædictam alligationem ad solam terminationem vel causalitatem objectivam: quamvis neque hæc sit illi deneganda.

Tum etiam quia ut recte vidit Suar. si ignis solum se habet per modum objecti et termini in prædicta alligatione, non modo verum non erit, dæmones proprie torqueri ab illo (quæ locutio absolute sonat causalitatem effectivam) prout Scriptura et Patres clamant: sed neque verum erit, ignem, ut talem, et ut distinctum ab ipso loco et spatio inferni, ubi existit, addere aliquid ad illorum pœnam in quocunque genere causæ: aut ipsos dæmones plus torqueri ex eo quod ignis illic sit, quam si ibi non esset; sed solum ipsum inferni spatium esset ter-

minus prædictæ alligationis. Quippe si ignis solum effective concurrat, tota ratio pœnæ in eo consistet, quod dæmones detineantur in quodam infimo loco, neque inde egredi possint: quod vero talis locus vel quod illum replet, sit ignis, aqua, aut aer, vel aliud spatium in eadem distantia situm, sicut non auget disconvenientiam respectu dæmonis ibi manentis, ita neque ejus pœnam ullo modo auget. Ut ergo verificetur dæmones non solum cruciari, quia manent in illo spatio, ubi gehennalis ignis est: sed etiam quia ab ipso igne ut talis affliguntur et torquentur, necesse est, ut non solum terminando illorum alligationem et præsentiam, sed etiam efficiendo concurrat.

30. His sine controversia stabilitis, supersunt duosatis illi obnoxia. Primum est, quid importet, aut quid ponat in dæmonibus et animabus hæc alligatio, per quam torquentur: an scilicet ponat aliquam formam realem et intrinsecam, et cujus prædicamentum sit hæc forma: necnon an sit ejus subjectum immediatum ipsa substantia dæmonis, vel ejus potentia, vel utraque simul: in quo non pauca difficilia involvuntur. Secundum est, an prædicta alligatio sit sufficiens pœna dæmonum in ratione pœnæ sensus, vel quærendum sit aliud tormenti genus, quo acerbius puniantur? Quod enim non sit sufficiens, tenent omnes extra scholam D. Thomæ quibus assentiunt Sot. et Zum. Quamvis in assignando illud aliud tormenti genus ita inter se dividantur, ut vix duos unius sensus reperias. In eo autem conveniunt quod adeo ingens pœna et diri cruciatus, sicut Scriptura et S. Doctores clamant dæmones et animas pati a gehennali igne, pluraque exempla et apparitiones contestantur, gravius et acerbius tormentum importare debent, quam quod in sola alligatione seu incarceratione videtur posse consistere. At vero discipuli D. Thomæ præsertim graviore aliud tormenti genus pro pœna sensus non agnoscunt: et quotquot ab aliis adinventum sunt, facile impossibilitatis vel falsitatis convincunt. Et quoniam si prædicta alligatio, et totum quod sub ea clauditur plene innotesceret, haud difficile intelligeretur, nullum cruciatum pro pœna sensus excogitari posse graviorem; nemoque non videret, sufficienter per illam verificari omnia, quæ de animarum et dæmonum tormentis a fidelibus creduntur: ex quo etiam nullo negotio ruerent argumenta et objectiones, quæ in Thomisticam sententiam adversarii congerunt: necessarium duximus

duximus elucidandæ utrique huic parti aliquid curæ et laboris impendere. Primam vero enucleabimus aliquibus assertis.

## § II.

*Asserta pro enucleanda sententia Ang.  
Doctoris.*

Prima  
assertio.

Nazar.  
Navar.  
Joan. a  
S. Thom.

Prima  
evasio.

Rejici-  
tur.

31. Dicendum est primo, ignem torquentem dæmones (idem est de animabus) causare in illis aliquem modum vel formam realem per quam eidem igni vel aliis corporibus alligantur. Hæc conclusio est satis communis inter Theologos : qui fere omnes illam supponentes, vacillant non parum in assignanda et explicanda natura prædictæ formæ. Ex Thomistis vero tenent hoc expresse Nazar., Navarr., Joan. a S. Th. et alii. Potestque probari ex nuper dictis. Nam quod ignis ille vere et realiter agat in dæmones, exerceatque in eos aliquam operationem, qua liget et detineat illos, asseritur a D. Thoma pluribus in locis, ut vidimus n. 29 fereque ob omnibus Theologis conceditur : sed hæc actio ignis non potest non habere in subiecto, circa quod versatur, aliquem terminum realem per seipsam productum, qui necessario erit aliquis modus realis vel aliqua forma : igitur concedendus est hujusmodi modus vel forma producta in dæmonibus pro prædicta alligatione. Major et consequentia constant. Minor ex eo probatur : quia actio transiens, sicut est omnis quæ potest elici ab igne, essentialiter est productio alicujus termini ; nec potest intelligi, quod vere sit actio et productio, nisi aliquid producat : quicquid autem produxerit, erit forma et terminus de quo loquimur.

32. Dices cum aliquibus, terminum illius actionis esse ipsam detentionem dæmonis in loco cui alligatur, seu ipsum *alligatum* esse tali loco ; non vero aliquam formam in dæmone productam. Sed contra : nam illa detentio et illud esse loco alligatum ut possit esse terminus actionis realis, aliquid debet esse reale, atque adeo per aliquam formam constitutum : quæ forma ibi necessario debet esse, ubi est effectus constitutus per illam, prædicta scilicet detentio et alligatio. Neque enim talis effectus potest esse sola denominatio extrinseca, aut ens rationis : quia neque ista possunt esse terminus immediatus alicujus actionis realis ; nec torquere vere et realiter dæmonem ; nec detinere illum, aut impedire transitum ejus ad alium locum : nullum enim horum fit

per solam denominationem extrinsecam, aut per solum ens rationis, quæ nihil ponunt in re denominata. Igitur necessario concedenda est aliqua ratio extrinseca et realis tribuens prædictos effectus : quam et nihil aliud nos vocamus modum vel *formam realem*.

Dices secundo, ipsam actionem elicitam ab igne, et receptam in dæmone per modum passionis, reddere eum alligatum sine recurso ad aliam formam. Sed hæc evasio non enervat rationem factam. Tum quia jam admittit aliquid reale in dæmone ab igne receptum, scilicet ipsam actionem vel passionem sufficeretque hoc ad veritatem conclusionis propositæ : in qua indeterminate tantum asserimus modum vel formam realem ; ejus vero genus aut distinctionem nondum disquirimus. Tum etiam quia actio transiens non utcumque debet habere terminum productum, sed qui sit distinctus ab ipsa actione etiam prout in passo recepta. Hoc enim est discrimen inter actionem transeuntem et immanentem, quod ista eo quod est actus perfectus, potest esse simul actio et terminus suiipsius, atque adeo consistere aliquando sine alio termino per eam productum : illa vero ob oppositam rationem omnino indiget termino a se realiter distincto : quia cum non sit qualitas aut actus perfectus, sed motus et actus imperfectus, nequit esse simul terminus et actio, aut soliipsius productio, sed alterius propter quod producendum instituta sit. Et eadem ratio convincit de passione prædicamentali : quia hæc etiam est actus imperfectus, et intenditur essentialiter ob subjiendum passum agenti, ut ab eo recipiat, et ob recipiendum effectum per ejus actionem productum : post cujus receptionem cessat passio, quamvis effectus permaneat. Unde manifeste repugnat dari veram passionem prædicamentalem, nisi effectus ab ea distinctus recipiendus sit. Tum etiam quia forma de qua loquimur, tribuit diversum effectum formalem ab iis, quos tribuunt actio et passio : harum enim effectus formales tantum sunt, quod agens agat, et quod passum recipiat : effectus vero illius est, quod dæmon sit præsens et alligatus igni vel alii corpori, possetque hic effectus manere et conservari a Deo transactis actione et passione. Igitur debet assignari forma ab eis distincta pro tribuendo prædicto effectu.

33. Forte dices tertio, sufficienter fieri hanc alligationem per subtractionem divini concursus, seu per hoc Deus non concurrat

Evasio  
alia.

Refel-  
litur.

Tertia  
evasio.

cum dæmone ; ut moveat se ab eo loco, ubi primo collocatur, etiam sine ullo intrinseco recepto : quemadmodum sine illius receptione superiores dæmones alligant inferiores certis locis et corporibus ; unde sine illorum permissu nequeunt discedere. Hoc autem ad alligationem sufficiente, frustra asserimus prædictum intrinsecum : nam frustra fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora.

Verum neque ista evasio alicujus momenti est. Nam præterquam quod exemplum cui innititur alligationis unius dæmonis ab alio, non ei favet, ut infra ostendemus : urget modo contra illam, quod non salvat id quod omnino verificandum esse n. 29 diximus : videlicet ignem effective concurrere ad prædictam alligationem. Huic enim principio innititur ratio a nobis facta : quia neque efficientia ignis potest intelligi sine aliqua ejus actione transeunte : neque talis actio sine aliquo termino producto in subjecto circa quod versatur : qui terminus non potest non esse aliqua forma vel modus realis : qui autem recurrens ad solam negationem divini concursus, hujusmodi terminum et consequenter actionem illius productivam ab igne removet, manifeste destruit tale principium : cum nulla alia via salvari possit influxus effectivus ignis in prædictam alligationem. Unde non est nobis necesse examinare, an Deus non utendo igne vel alio instrumento, neque ipse immediate aliquid intrinsecum in dæmone efficiendo, sed per solam concursus subtractionem possit illum alligare, et alligatum detinere in aliquo loco, alligatione et detentione sufficiente ad pœnam ? (in quo pars negativa satis probabiliter defendi posset : tum ex eo quod detentio alicujus in aliquo loco necessario supponit, vel secum affert positivam ejus præsentiam in tali loco : quæ sane præsentia consistere nequit in sola negatione concursus ; sed debet esse aliquid productum per aliquam actionem : tum etiam quia suspendente Deo concursus, nulloque alio dæmones a motu impediente, non ita bene capitur, quo pacto illa detentio et carentia motus sit violenta : uti esse debet ad hoc ut habeat pœnæ rationem). Hoc igitur non est nobis necesse examinare : quia supponimus prædictum principium ut omnino sustinendum, sicut sustinetur communiter a Theologis, maxime a Thomistis : videlicet Deum de facto uti igne tanquam instrumento ad dæmones torquendos et alligandos : atque adeo non per solam con-

cursum subtractionem, sed positive cum ipso igne ad prædictam alligationem concurrere.

34. Dicendum est secundo, formam illam per quam dæmones alligati redduntur, esse de genere qualitatis, et non alterius prædicamenti. Hæc etiam conclusio habetur apud Thomistas pro præcedenti citatos. Et probatur a sufficiente enumeratione. Et quidem non esse *substantiam, quantitatem, situm, habitum, aut quando*, ab omnibus supponitur : non enim potest esse *substantia*, cum adveniat enti completo et existenti in actu : non *quantitas*, cum sit in subjecto spirituali et inextenso : non *situs vel habitus*, quia isti supponunt quantitatem : non etiam *quando*, quia hoc sequitur naturam durationis, ex qua resultat : et ita sicut duratio non est alicui nociva, nisi supposita disconvenientia ejus cujus est duratio ; ita de habitudine, quæ est constitutiva prædicamenti *quando*, dicendum est. Idem constat de actione et passione, per ea quæ nuper diximus. Atque adeo supersunt tantum duo prædicamenta, de quibus possit esse difficultas, *relatio scilicet et ubi*. Porro non esse relationem, facile probatur. Tum quia relatio nequit esse terminus immediatus alicujus actionis, sed semper supponit aliud ex quo resultat : quovis autem ab æterno præsupposito, supervacaneus est recursus ad consequentem relationem. Tum etiam quia relatio secundum se non habet afficere subjectum bene vel male ; sed totum ejus esse est in ordine ad terminum : si quam vero dicat convenientiam vel disconvenientiam, tantum est ratione fundamenti ; unde cum alligatio de qua loquimur, sit maxime disconveniens subjecto, quod per illam cruciatur, plane fit non posse esse puram relationem.

Probabilis possit opinari, quod pertineat ad prædicamentum *ubi*. Tum quia alligatio dæmonis ad ignem vel alium locum nihil aliud esse videtur, nisi firma quædam præsentia et ubicatio in tali loco. Tum etiam quia idcirco nos in tr. de Angel. disp. 2, dub. 5, præsentiam eorum localem a prædicamento *ubi* exclusimus, et ad genus qualitatis reduximus, quia loquebamur de loco connaturali, in quo Angelus voluntarie seipsum collocat : nam cum ratio existendi hoc modo in loco sit ipsa operatio Angeli, quæ est qualitas, consequenter ubicatio in tali loco, quæ forte ab operatione non differt, debet etiam ad qualitatem pertinere. Hæc autem ratio non militat in præsentia, ubi

Secunda assertio.

Probabilis modus dicendi.

Impugnatur.

ubi sermo est de loco violento, in quo dæmon non ipse se collocat, sed collocatur a Deo et ab igne contra ejus voluntatem. Sicut ergo ratio existendi hoc modo in loco non est operatio vel qualitas, sed potentia passiva dæmonis, et passio actualis per quam ligatur et detinetur, ut in prædicto tractat. dub. 4, ita non videtur, cur prædicta alligatio reducat ad qualitatem et non potius in prædicamento *ubi* contineatur.

35. Sed licet hoc sit probabile præsertim pro ea parte qua prædicta alligatio tangit immediate substantiam dæmonis: oppositum tamen probabilius arbitramur. Quia probabilius nobis est, prædicamentum *ubi* solum continere præsentias locales circumscriptivas, seu quæ fundantur in quantitate. Nam juxta doctrinam Aristot. et D. Th. res spirituales, quibus non est quantitas dimensiva, quovis modo sint in loco, non dicuntur esse in illo nisi æquivoce et improprie: si autem earum localis præsentia esset *ubi* prædicamentale, proprie et univoce in illo esse dicerentur, sicut corpora esse dicuntur. Juxta hanc ergo doctrinam, quam loc. cit. dub. 1 et 5 sufficienter confirmavimus, proindeque nunc supponimus, probabilius nobis est alligationem dæmonis ad quodcumque corpus vel locum non esse *ubi* proprium et univocum cum *ubi* quantitativo, ac proinde neque in ejus prædicamento collocandum: non enim in eodem prædicamento esse possunt, quæ in supremo saltem prædicato univoce non conveniunt.

Accedit, quod alligatio de qua loquimur, adhuc ex ea parte qua tangit immediate substantiam dæmonis, licet inferat vel importet præsentiam ejus ad ignem vel aliud corpus; non tamen potissima ejus ratio consistit in sola hac præsentia, sed in quadam subjectione et depressione, qua dæmon redditur ipso igne inferior, et ei quasi potentiori subjicitur: ob quam depressionem, potius quam ob nudam præsentiam apprehendit ignem ut sibi nocivum et pœnalem. At vero prædicamentum *ubi* præcise dicit præsentiam rei locatæ ad locum, proindeque ejus differentia sunt secundum differentias ipsius loci *sursum, deorsum, ante, retro,* etc. quod vero res locata a loco veluti inferior supprimatur et detineatur, in quo prædicta alligatio consistit, omnino est extra rationem hujus prædicamenti. Quærendum igitur est aliud ad quod pertineat: cumque cætera exclusa sint, a sufficienti enumeratione convincitur, constituendam esse in genere qualitatis.

36. Confirmatur: nam ad hoc prædicamentum pertinet quicquid habet afficere aut disponere subjectum bene vel male: hacque ratione in prima ejus specie ponuntur non solum habitus vitiosi et virtuosus, sed etiam sanitas, ægrotudo, pulchritudo, deformitas, et similia, quæ aliquid convenientiæ vel disconvenientiæ important: sed alligatio dæmonis ad ignem male ipsum afficit, siquidem torquet et cruciat illum: debet igitur collocari in hoc prædicamento.

Si autem inquiras, an prædicta qualitas sit naturalis vel supernaturalis, spiritualis vel corporea, et in qua specie collocanda sit? Respondetur non esse supernaturalem: quia neque respicit objectum aut specificativum supernaturale, neque est participatio alicujus existentis in Deo prout in illo existit: nec qualitas supernaturalis potest esse alicui subjecto nociva; sed potius in quocumque sit, est ejus perfectiva. Non est etiam corporea, cum sit in subjecto spirituali et inextenso. Unde est quædam qualitas spiritualis et naturalis ordinis. Videtur autem collocanda in prima specie, ubi sunt habitus et dispositiones: quia hujus speciei proprium est afficere subjectum *bene* vel *male*. Quantum vero hæc nostra qualitas differat ab ea, quam adstruit Suar. a Thomistis communiter rejectus, appellatque *doloriferam et deformativam substantiæ dæmonis*, constabit infra num. 52 et 75.

37. Dicendum est tertio, immediatum subjectum prædictæ qualitatis esse tum ipsam substantiam dæmonis, tum etiam ejus potentias operativas: adeoque non esse unicam et simplicem formam, sed multiplicem. Hæc ultima pars conclusionis, suppositis prioribus, est per se nota: quia una simplex forma nequit esse immediate in pluribus subjectis realiter distinctis. Secunda vero quæ assignat illi pro subjecto potentiam operativam, asseritur a discipulis D. Th. Cajet. Ban. Nazar. Navarr. et Joan. a S. Th. locis ubi sup. nec dissentiunt alii Thomistæ. Et ratio est perspicua: nam magna pœna infertur dæmoni per hoc, quod ejus potentia obligetur et comprimatur, tum ne operetur, quicquid ex se operari vellet; tum etiam ut operetur, quod ex se operari non vellet: sed hæc obligatio et compressio fieri debet per aliquid receptum in ipsa potentia, quo ab una operatione removeatur, et ad aliam determinetur: neque hoc quod in tali potentia recipitur, potest esse aliud, nisi qualitas de qua loquimur: ergo ponenda est in illa talis qualitas. Eo præser-

Deseri-  
tur.Occur-  
ritur  
interro-  
gationi.Assertio  
ultima.Cajet.  
Bannez.  
Nazar.  
Navar.  
Probatur  
quoad  
secun-  
dam  
partem.

tim quia quod potentia operativa dæmonis ejusmodi qualitate immediate afficiatur, et per eam ad operandum vel non operandum contra suam voluntatem determinetur, ex nullo capite repugnantiam involvit: affertque non leve tormentum ipsi dæmoni privari hoc modo sua libertate: ergo ita est asserendum.

38. Si autem inquiras, an prædicta qualitas afficiat omnes potentias dæmonis, vel tantum aliquam seu aliquas, et quæ sint istæ? Respondetur animadvertendo, in substantiis spiritualibus tantum esse tres potentias, scilicet intellectum, voluntatem, et loco motivam seu executivam: nec satis compertum est, an hæc tertia potentia distinguatur realiter ab aliis duabus, vel identificetur cum ipso intellectu. Hoc posterius ut magis receptum in schola D. Th. sequuti sumus in tr. de Scient. Dei disput. 5, dub. 3, et modo etiam probabilius judicamus. Sed sive teneamus, prædictas potentias realiter distingui sive solum virtualiter, dicendum est, formam alligantem de qua loquimur, afficere utramque istam potentiam, intellectum scilicet et executivam secundum suas proprias rationes. Nam dæmones et compelluntur per prædictam alligationem ad intelligenda aliqua, quæ nollent intelligere; et impediuntur ab intelligentia multorum, quæ intelligere velent: similiter etiam coguntur operari ad extra aliqua, quæ operari nollent; et a multis quæ velent operari, prohibentur. Neque in hujusmodi potentiis adest aliqua ratio, ut sive in operando sive in cessando ab operatione non possint violentari (eo scilicet violentiæ genere, quo in tr. de volunt. disp. 5, n. 26 et 27 diximus, dæmones etiam a Deo posse violentiam pati: nam juxta ibi dicta et non aliter accipiendum est, quoties ipsos violentari deinceps asseruerimus). Cæterum in voluntate ut voluntas est, non ita videtur habere locum prædicta alligatio: quia hæc potentia adeo est libera et independens, ut pro nullo actu eliciendo possit violentiam pati, ut ostendimus disp. cit. n. 30. Et quamvis in cessatione ab omnibus aliquam pateretur, ut ibid. n. 35 diximus, hæc tamen cessatio neque fieret per aliquam formam alligantem, sed per solam subtractionem concursus: neque esset ita gravis pœna respectu dæmonum, sicut est, quod multa volentes et appetentes in nullius executione voluntatem ex toto adimpleant. Diximus *in voluntate ut voluntas est*, etc., quia si assentiremus dicentibus, potentiam

executivam Angeli identificari cum voluntate, sicut nos dicimus identificari cum intellectu, ponenda etiam esset in illa prædicta alligatio: non ut cogeret ad aliquid simpliciter volendum vel nolendum, sed ut volitorum executionem impediret, et ad executionem nolitorum compelleret. Majorem notitiam hujus alligationis, prout ad potentias pertinet, dabimus, § seq. num. 55 et § 4, num. 66.

39. Veniamus ad primam partem assertionis, ubi statuimus, non totum negotium alligationis dæmonum agi immediate penes eorum potentias, sed aliquid etiam penes ipsam substantiam ut a potentiis distinctam, præcisoque ordine ad operationem. Hæc autem pars quamvis expresse non habeat tot patronos, sicut præcedens (quia nec tot ita in particulari subjectum prædictæ alligationis inquirunt): habetur ex D. Th. et ex Capreol. et Hispal. loc. cit. eamque necessariam esse credimus ad Thomisticam sententiam declarandam. Pro quo nota, quod cum Ang. Doctor negat substantiis spiritualibus alium modum existendi in loco quam per potentiam et operationem, loquitur dumtaxat de loco connaturali et naturaliter petito ab illis, seu quo ipsæ in loco se collocant, ut explicuimus in tr. de Angel. disp. 2, dub. 4, proindeque non excludit, quin modus existendi in loco violento et præternaturali, vel in quo ab alio collocantur, sit alterius rationis: et talis ut possit eisdem substantiis in seipsis independentem a potentiis et operationibus competere. Quod recte observavit Hispal. in 2, dist. 2, q. 1, art. 3, notab. 1, et in 4, dist. 44, q. 4, dub. 5, ubi cum explicuisset prædictum modum essendi in loco per operationem, et quædam ad illum pertinentia, subdit: *Sed ea sunt intelligenda loquendo de existentia substantiæ spiritualis in loco secundum viam et ordinem naturæ, quem Deus illi indidit: quoniam supernaturaliter et virtute divina non solum dicto modo convenit ei esse in loco, sed modis aliis, prout divina providentia disposuerit. Unde circa propositum nostræ secundæ conclusionis dicimus viam sequentes S. Doctoris, quod post hanc vitam animæ damnatorum sunt sicut in loco in inferno et in ipso infernali igne, et ibi æternaliter detinentur; etiamsi nullam operationem habeant circa locum inferni aut ignis, nec circa corporea in eis existentia, etc.*

Potuit vero observationem hanc desumere ex D. Thom. tum Quæst. 26 de Verit. art. 1, ubi modum quo prædicta substantia

non

Prima  
asser-  
tionis  
pars un-  
de pro-  
betur.

D. Thom.  
Capreol.  
Hispal.



D. Thom. (non jam ut forma) potest corpori uniri, explicat per hanc disjunctivam : *Ut motorem mobili, vel locatum loco per aliquam operationem, sive per aliquam habitudinem.* Qua etiam disjunctione utitur in 4, ubi supra : *Sicut movens mobili, vel sicut locatum loco, eo modo quo incorporalia sunt in loco.* Aperte innuens utrobique, superesse aliud genus habitudinis et unionis substantiæ ad corpora præter illum qui est per potentiam et operationem, quique per habitudinem motoris ad mobile explicatur. Tum etiam quæst. de Anim. art. 21 ad 15, ibi : *Anima non unitur igni punienti ut forma, sed unitur ei eo modo quo Spiritus uniuntur locis corporeis per contactum virtutis, quamvis etiam non sint ipsorum motores.* Cum autem spiritum corpori uniri per potentiam et operationem sit uniri ut motorem, liquet agnovisse D. Thomam alium modum unionis et præsentia localis, quæ ab operatione non dependeat, adeoque immediate afficientem substantiam.

Quid supponendum. 40. Ut vero hoc etiam ratione probemus, libet unum supponere, quod nemo inficiabitur. Videlicet liberum nobis esse etiam inhærendo vestigiis D. Th. extendere alligationem de qua agimus, ad totum id, quod ad acerbius torquendos dæmones conducat; dummodo nullo ex capite repugnet; possitque alligationis nomine significari. Nam neque Angel. Doctor eo nomine nimis stricte ad præsens usus fuit: nec dubium est, dæmonum tormenta tam intensive quam extensive excedere quicquid intra limites possibilium potest a nobis ratione investigari. Ob idque quamvis multæ sententiæ in hac quæstione ut falsæ rejiciantur; nulla tamen ex eo quod prædicta tormenta nimis efferat, aut exaggeret: sed vel quia diminute potius in hoc procedunt; vel quia ut illa satis commendent, impossibilia asserunt. Quicquid ergo ad magis cruciandos dæmones expediens visum fuerit, dummodo non impossibile appareat, est ab omnibus asserendum. Ex hoc principio (deinceps peculiariter observando) formatur sequens ratio.

Non repugnat, dæmonum substantiam affici immediate a qualitate alligante illos, conducitque hoc non parum ad eorum tormentum; igitur asserendum est de facto ita contingere. Consequentia ex nunc præsupposito videtur perspicua. Et etiam secunda pars antecedentis: cum dubitari nequeat, alligationem quæ ex se pœnæ habet rationem, eo reddi magis pœnalem, quo

arctius ligat subjectum in quo est, pluresque ejus partes constringit: ut constringit re vera, quæ non tantum potentias, sed etiam substantiam immediate afficit et ligat. Cum enim non solum dæmonis potentia, sed etiam substantia natura sua sit absolutissima, omninoque a corpore et a loco independens; major illi infertur violentia, et majori malo afficitur, cum ex utroque capite corpori et loco alligatur, amittens per hujusmodi alligationem omnem suam exemptionem et independentiam; quam si ex uno tantum capite id contingeret. Eo præsertim quia cum dæmones superbissimi sint, et nihil ita ambient, sicut eminentiam et independentiam proprii esse, quæ est potissimum superbiæ objectum; consequenter nihil magis refugiunt, aut magis pœnale arbitrantur, quam quod ipsa eorum substantia et esse infimis rebus subjiciantur, et ab eis deprimantur: uti subjiciuntur et deprimuntur per alligationem ad ignem vel alia corpora.

Ad probandam vero primam antecedentis partem sufficit, quod nullus hactenus eam repugnantiam ostenderit, aut ratione ostendi possit. In iis enim quæ nec nobis aperte revelata sunt, nec nostro discursu sufficienter investigari possunt, ut non repugnare judicemus, satis est si quæ assequimur de illis, nullo ex capite repugnantiam ostendant: quamvis positive, et a priori eorum possibilitatem demonstrare non possimus.

41. Dices, substantiam Angeli non esse Evasio. capacem recipiendi aliqua accidentia, nisi vel ordinentur ad dandum novum esse, sicut ordinatur sola gratia sanctificans: vel ordinentur ad operationem, atque adeo recipiantur mediis potentiis operativis, sicut recipiuntur habitus et species intentionales. Sed contra, nam præterquam quod ex hoc capite non convincitur sufficienter prædicta repugnantia, cum semper occultum maneat, an substantia Angeli secundum potentiam obedientialem capax sit alicujus alterius accidentis: impugnari adhuc poterit hæc evasio. Quia ævum et duratio Angeli est verum accidens, et afficit immediate ejus substantiam independentem ab operationibus: sicut independentem ab istis substantia illa est æviterna, et durat sine fine. Quin etiam valde probabile est, prædictam substantiam independentem a suis potentiis affici quodam alio accidente pertinente ad prædicamentum *quando*, quod ex mensuratione primi ævi in ea resultat: sicut ex tempore primi mobilis resultat in rebus tem-

Refellitur.

poralibus simile accidens spectans ad illud prædicamentum : de quo videri possunt  
 Complut. N. Complutens. in Log. disp. 16, num. 28. Quod si hæc naturaliter fiunt, cur negabimus possibilitatem et existentiam alicujus alterius accidentis afficientis immediate substantiam Angeli in ordine ad locum, quod non naturæ viribus, sed divina potentia operandum sit.

Alia probatio. 42. Secundo probatur animadvertendo, operationem quæ potest esse ratio essendi in loco, non debere esse pure immanentem, sed aliquo modo transeuntem : ut idem sit hoc modo esse in loco atque operari aliquid in illo, ut ait D. Thomas in 1, dist. 37, quæst. 3, art. 1, ibi : *Dico, quod Angelus et quælibet substantia incorporea non potest esse in corpore vel in loco nisi per operationem, qua effectum aliquem in eo causat.* De quo latius diximus in tract. de Angel. disp. 2, dub. 3. Hinc sic arguitur. Independentem a prædicta operatione debemus ponere in substantiis spiritualibus aliquam alligationem, per quam in locis detineantur : sed talis alligatio vel non potest afficere immediate potentias ; vel potest eodem modo afficere substantiam : ergo non tantum illæ, sed etiam ista est capax recipiendi immediate prædictam alligationem. Major constat : nam neque in animabus damnatorum existentibus in inferno, neque in animabus puerorum existentibus in limbo, neque in illis quæ sunt in purgatorio, est assignabilis actio transiens, per quam in illis locis aliquem effectum operentur : et tamen non est dubium manere illic divina virtute ligatas et detentas. Minor vero probatur. Tum quia potentia operativa non aliter potest uniri loco, aut illum respicere, nisi vel ratione substantiæ cujus est potentia : eo quod ipsa substantia sit in loco : vel ratione operationis quam elicit, quatenus talis operatio afficit et tangit ipsum locum. Sicut enim totum quod in prædicta potentia possumus intelligere, vel est ejus esse, quod convenit illi ex parte substantiæ cui inhæret ; vel facultas et vis ad agendum, quæ est quidam ordo ad operationem : ita quælibet ejus habitudo et respectus sive ad locum sive ad quodcumque aliud debet illi competere ratione unius ex prædictis : atque adeo seclusa operatione, vel nullo modo locum respiciet, vel id habebit mediante substantia in qua est, quæ illum immediate respiciat. Tum etiam quia secluso a potentia operativa spirituali quod actu operetur, et per operationem tangat locum, ex nullo capite potest in

ea excogitari major capacitas vel aptitudo ad essendum in loco, quam in ipsa substantia cujus est potentia ; neque in ista major repugnantia aut incapacitas ad prædictum effectum, quam in illa : ergo vel potentiæ non debet talis capacitas concedi, vel non debet substantiæ negari.

43. Dices cum aliquibus, quod ut potentiæ dæmonis sint in loco violento et præternaturali, non requiritur, quod ibi operentur ; sed sufficit quod a corpore, ubi sunt tanquam in loco, a suis operationibus impediantur : nam eo ipso tanguntur et gravantur a tali corpore ; et hic contactus passivus fundat ubicationem in tali loco. Sed hoc facile refellitur. Tum quia non est negandum, posse Deum detinere dæmonem alligatum in aliquo loco, sine eo quod ejus potentiæ violenter prohibeantur ab aliqua operatione circa illum locum ; circa alia vero solum prohibeantur operari, quia ibi non sunt, eo quod in primo detinentur. In quo casu non apparet, quo pacto talis alligatio afficiat immediate potentias. Sicut etiam si Deus produceret substantiam Angeli sine ullis potentiis, non videtur illi negandum, posse talem substantiam alicubi constituere et detinere per contactum passivum ipsius substantiæ. Tum etiam quia ut infra dicemus, ignis inferni potest alligare dæmones alteri loco valde distante, puta huic aeri, in quo neque ipsi aliquid agant, neque ignis illorum operationes impediatur : ergo talis alligatio non consistit in eo quod dicitur in evasione. Manet ergo sufficienter probatum, quod in conclusione asseruimus, videlicet alligationem dæmonum et animarum, proindeque qualitatem, et formam alligantem afficere immediate illorum substantiam, et non tantum potentias. Sed ut doctrina tradita majorem lucem recipiat, proponemus et diluemus aliquas objectiones, quæ ex dictis emergunt.

### § III.

*Objectiones contra præcedentem doctrinam : et earum enodationes.*

44. Objicies ergo primo, falsum esse quod pro stabiliendis assertionibus num. 29 sup-  
 posuimus, videlicet ignem concurrere effective ut instrumentum Dei ad alligationem, de qua loquimur. Tum quia id negare videtur D. Thomas in 4, dist. 44, quæst. 3, art. 3, D. Thom.  
 quæstion. 3, nam cum retulisset modum dicendi aliquorum, qui ita asserebant, reji-  
 cit

cit illum his verbis : *Sed istud etiam non videtur sufficere : quia omne instrumentum in id circa quod instrumentaliter operatur, habet propriam actionem sibi connaturalem, et non solum actionem secundum quam agit in virtute principalis agentis, etc.* Et sane sicut difficile est assignare actionem connaturalem igni, quam erga dæmones exercent : ita non videtur illi concedenda ratio instrumenti in ordine ad eos alligandos et torquendos. Tum etiam quia omne instrumentum debet elevari ad agendum per aliquam virtutem in se receptam : alias sicut ex se est impotens ad attingendum effectum principalis agentis ; ita si nihil recipiat, propter quod elevetur, semper impotens remanebit : ignis autem non videtur posse talem virtutem recipere : quia vel hæc erit spiritualis, et consequenter non poterit recipi in subjecto corporeo : vel si sit corporea eo quod recipitur in illo, non poterit attingere effectum spirituales qualis est prædicta alligatio.

solvitur. Respondetur negando antecedens. Et ad primam probationem dicendum est, D. Thomam non rejecisse illum modum dicendi, quia contineret aliquid falsum ; sed solum reputasse illum insufficientem, dum non assignatur ex parte ignis aliqua actio vel quasi actio prævia et dispositiva ad actionem instrumentalem, et circa idem subjectum exercito. Quamvis enim in instrumentis divinæ virtutis non sit indispensabile, quod utraque actio circa idem subjectum versetur ; quia tamen in instrumentis agentium creatorum ita contingit, et Deus causis creatis, etiam cum eas ut instrumenta assumit, proprium et connaturalem modum agendi, quoad fieri possit, conservat : non putavit D. Thomas satisfactum iri huic difficultati, donec quæretur actio vel quasi actio igni connaturalis, quæ aliquo modo versetur circa dæmones et animas, circa quos versatur actio instrumentalis. Nec quæsitivam actionem propriam et rigorosam, sed aliquid actioni simile, uti est quædam capacitas et aptitudo quæ inest corporibus, ut spirituales substantiæ sibi uniantur, et semel unitæ, ab ipsis corporibus diffiniantur et limitentur, ut nequeant simul in pluribus existere. Ratione igitur hujusmodi aptitudinis ad diffiniendam loco spirituales substantiam, invenit D. Thomas ignem magis aptum, ut assumeretur et elevetur instrumentaliter ad alligandos et detinendos dæmones et animas, quam juxta alium modum dicendi, qui nihil assignat ex parte ignis ad

prædictum effectum conducens. Et quod hæc fuerit mens Angelici Doctoris, non vero negare igni rationem instrumenti et causalitatem effectivam, constabit legenti illum in loco allegato, ubi habet totam hanc doctrinam : et tandem concludit : *Oportet ergo omnes prædictos modos in unum colligere, ut perfecte videatur, quomodo anima ab igne corporeo patiatur : ut scilicet dicamus, quod ignis secundum naturam habet, quod spiritus incorporeus ei conjungi possit ut loco locatum : sed in quantum est instrumentum divinæ justitiæ, habet ut ipsum quodammodo retineat alligatum : et in hoc veraciter ignis ille est spiritui nocivus.* D.Thom.

45. Si vero urgeas, quod actio prævia Replica. requisita ex parte instrumenti debet esse vera actio, aut saltem vera passio vel motus ; et non quælibet capacitas vel aptitudo, ut probant N. Complut. lib. 2 Physic. Complut. disp. 12, dub. 2. Respondetur, ignem una Enodatur. cum aptitudine et virtute diffinitiva, quam diximus, habere calefactionem vel aliam actionem connaturalem, quam D. Thomas non excludit ab effectu et munere de quo loquimur : sed intendit, hanc actionem non nisi ut associatam et involutam prædicta aptitudine et virtute diffinitiva assumi ad exercendam actionem instrumentalem effectivam alligationis dæmonum : quia non nisi ut ita associata habet versari circa illos.

Secunda probatio non continet specialem difficultatem : nam commune est multis instrumentis divinæ virtutis, etiamsi corporea sint, elevari per aliquid in se receptum ad producendam formam spirituales : ut contingit in Sacramentis. Neque est inconveniens ut virtus spiritualis recipiatur in subjecto corporeo, quando non recipitur per modum permanentis et constituentis in aliquo esse, sed per modum motionis deferentis illud ad aliquid spirituale attingendum : ut docet D. Thomas 3 par. q. 72, D.Thom. art. 4 ad 1, ibi : *Virtus spiritualis non potest esse in re corporea per modum virtutis permanentis et completa : nihil tamen prohibet, in corpore esse virtutem spirituales, in quantum corpus moveri potest ab aliqua substantia spirituali ad aliquem effectum spirituales inducendum, etc.* De quo etiam videri possunt N. Complut. disp. cit. a num. 22. Complut. Quod si aliquis contendat, virtutem illam communicatam igni ad agendum in dæmones esse formaliter corpoream propter dependentiam a corporeo subjecto : adhuc non sequitur, quod non possit producere in illis

qualitatem spiritualem : quia non est necesse ut instrumentum etiam elevatum sit æqualis perfectionis cum effectu producendo, sicut requiritur in causis principalibus.

Secunda  
objectio.

46. Secundo objicies contra primam conclusionem : quia videtur repugnare Divo Thomæ in 4, dist. 44 cit. quæstiunc. 3 ad 4, ubi sic ait : *Dicendum, quod ignis non agit in animam per modum influentis, sed per modum detinentis.* Sentit ergo non ponere in ea aliquam formam intrinsecam : nam si hanc poneret, vere influeret, et non tantum detineret. Potestque objectio confirmari ex eo, quod neque ipse D. Thomas, neque ejus antiquiores discipuli affirmant expresse, quod ignis producat in animabus, et in dæmonibus formam vel qualitatem intrinsecam, per quam torqueantur : sed totam illius efficientiam et istorum tormentum ad alligationem et detentionem reducunt.

Diluitur.  
Joan. a  
S. Thom.

Respondetur cum Joan. a S. Thoma ubi supra, Ang. Doctorem non omnino negare igni influxum in animam : siquidem dicit, quod agit in illam per modum detinentis : *agere* autem quovis modo sit, importat influxum. Solum ergo intendit, quod illud quod ignis agit, tantum deservit ad alligandum et detinendum : atque adeo quod quamvis sit aliqua forma et terminus alicujus influxus : non tamen habet modum formæ informantis subjectum, aut modum termini sistentis in illo ; sed modum viæ et unionis ad locum extrinsecum, cui anima unitur et ligatur per talem formam. Hoc autem sufficit ut dixerit D. Thom. ignem non agere per modum influentis, sed per modum detinentis : quia influere absolute sonat efficientiam alicujus, non tantum quod re ipsa sit forma et terminus, sed quod habeat modum formæ et termini, ut explicatum est. Et ob eandem rationem prædicta forma non appellatur a D. Thoma, neque a multis Thomistis nomine *formæ* aut nomine *qualitatis* (quamvis a multis etiam sic appelletur) quia his nominibus denotari videtur aliquid efficiens subjectum absolute in ordine ad se : sed utuntur communiter nomine *detentionis*, *alligationis*, et similibus, quæ licet involvant, non tamen exprimunt rationem formæ, sed habitudinem et respectum ad locum, ubi fit detentio et alligatio.

Objectio  
tertia.

47. Tertio contra eandem conclusionem objicies, quod dæmones superiores alligant inferiores aliquibus locis et corporibus, et detinent illos, ne inde moveantur : et tamen pro hujusmodi alligatione non est necessaria aliqua forma vel realitas in iis qui

alligantur : ergo poterunt alligari ab igne agente in virtute Dei sine impressione talis formæ. Major ab omnibus conceditur : et minor videtur haberi ex doctrina a nobis tradita in tract. de Angelis disp. 14, dub. 2, ubi probavimus, unum Angelum non posse virtute propria operari physice in alio, aut producere aliquid in illo : si autem dæmon alligans alium, produceret in eo aliquid, id efficeret virtute propria, et non ut instrumentum Dei, ut ex se constare videtur. Consequentia vero probatur non modo a paritate rationis, sed etiam a fortiori : quia si virtus unius dæmonis ad alligandum alium nulla indiget forma in alligato producta ; multo minus ea indigebit virtus divina, quæ sive per se sive per instrumentum operetur, potentior est ad quemlibet effectum præstandum.

Dices, alligationem unius dæmonis ab alio convenire illis ex sua propria natura, ex qua institutum est, ut inferior pareat superiori. Vel provenire ex ordinatione divina constituyente inter ipsos dæmones ejusmodi subordinationem, ratione cujus inferiores nequeant superiorum jussis reluctari. Vel proveniet talis subordinatio ex voluntate ipsorum dæmonum, qua omnes conveniunt et conspirant in procurando hominibus malum, ad quod eorum alligatio tendit. Vel denique dici poterit prædictam alligationem oriri ex negatione divini concursus : quia eo ipso quod Deus non concurrat cum inferiori dæmone ad motum, manebit fixus et immobilis in loco a superiori designato, adeoque ligatus et detentus. Quæ rationes cum in casu nostro non procedant, recurrendum est ad aliquam formam per ignem productam.

48. Sed omnes istæ solutiones insufficientes sunt, ut ex earum impugnatione constabit. Pro qua nota, dæmonem alligatum ab alio non omnino libere sustinere illam alligationem, quasi possit pro libito eam effugere : alias superior dæmon cui alligare incumbit, non consequeretur infallibiliter effectum ; sed eo conante inferiorem alligare, sæpe iste id non pateretur. Ut ergo prædicta alligatio infallibilem habeat effectum, oportet ut vel absolute vel ex aliqua suppositione necessitatem inducat : ac proinde quod fundetur in aliquo, quod violare aut effugere non jam sit in potestate dæmonis alligati. Secundo nota, prædictam alligationem sive ut factam vel imperatam a superiori dæmone, sive ut ab inferiori perpressam : vel (ut aliter dicamus

Varie  
solu-  
tiones.

Refel-  
luntur

mus) tam imperium superioris alligantis, quam inferioris alligati obedientia, semper esse in ordine ad malum finem, ac proinde peccaminosam, quia semper ordinatur ad nocendum hominibus : et ita qui non potuerit ad peccatum concurrere, consequenter non poterit ad talem alligationem vel obedientiam dæmonem determinare. Tertio observa, ad occurrendum propositæ objectioni non sufficere assignare qualemcunque causam et radicem prædictæ alligationis ; sed debet assignari ratio proxima et completa, quæ illam infallibiliter secum trahat : quia de hac ratione procedit difficultas.

Hinc sic impugnatur prima solutio. Nam licet ex ipsa dæmonum natura et perfectione desumi possit aliqualis ratio subordinationis eorum, et quod inferiores superioribus parere teneantur, quatenus congruit naturis rerum, ut in quolibet genere inferiora subdantur superioribus (quo sensu D. Thomas I p. quæst. 109, art. 2, prælationem inter dæmones repertam ad naturalem eorum ordinem et institutionem reducit) non tamen hæc potest esse ratio proxima et completa illius necessariæ obedientiæ seu alligationis, de qua loquimur. Tum quia natura et quicquid naturale est, non potest determinare seu necessitare ad aliquid peccaminosum, uti prædictam obedientiam esse diximus. Tum etiam quia cum naturalia omnia tam in bonis, quam in malis Angelis integra permanserint, si obedientia illa, et subordinatio esset immediate ex ipsa natura, non solum inferiores dæmones, sed etiam plures ex bonis Angelis dæmonibus superioribus obedire tenerentur : siquidem dubitari non potest aliquos illorum inferiores esse aliquibus istorum quantum ad perfectionem naturæ.

49. Ex quo etiam impugnata manet secunda solutio : nam si natura dæmonum eo quod ex Deo est, non potest illos determinare ad malum, sicut est prædicta alligatio ; multo minus Deus ipse poterit talem alligationem vel obedientiam inter eos constituere, aut ipsos sua immediata ordinatione ad illam determinare. Adde contra utramque solutionem, quod si inferiores dæmones eo quod inferiores sunt, ex propria natura, vel ex Dei ordinatione essent omnino determinati ad parendum superioribus ; potiori jure ex prædictis capitibus essent omnes determinati ad obediendum Deo, qui prædictam naturam et ordinem instituit, estque omnium supremus Domi-

mus, et cui ab omnibus obedientia præstari debetur. Cum igitur ex illis capitibus hæc obedientia in dæmonibus respectu Dei non oriatur, sed ubique ejus præcepta frangant ; non est cur credamus oriri ex illis talem obedientiam respectu ipsorum dæmonum.

Tertia solutio est insufficientis : quia ut dæmones inferiores superioribus necessario obediant, non sufficit communis conspiratio ad nocendum hominibus : quia etiamsi omnes illi hoc intenderent, possent nihilominus inter se dissidere circa modum et viam nocendi, et unusquisque independentem ab alio id procurare.

Ultima solutio de negatione divini concursus facilius rejicitur. Quia Deus non negat agentibus creatis suum generalem concursum, nisi ita exigente rerum natura : et ideo quandiu ex parte dæmonis inferioris non assignatur aliqua ratio ob quam postulet talem negationem, sine fundamento fit recursus ad illam. Neque ad talem negationem conducere potest voluntas, aut conatus, aut præceptum superioris dæmonis nitentis inferiorem alligare : quia Deus nulla ratione tenetur operari juxta talem voluntatem, conatum, aut præceptum, quando res ipsæ id ex aliis capitibus non postulant. Adde, negationem divini concursus solum efficere, ut ille cui negatur, non moveatur a loco in locum : quod vero positive sit præsens huic vel illi loco, detineaturque in illo (quod clauditur in alligatione) est effectus positivus, ac proinde nequit ex sola negatione concursus provenire. Adde etiam, quod si prædicta alligatio reducenda esset in talem negationem, non dæmon superior, sed solus Deus diceretur inferiorem alligare : quippe ipse solus, nullo interveniente physico vel morali dæmonis influxu, concursum suum suspendit.

50. Vera ergo objectionis solutio petenda est ex illis, quia circa dæmonum obstinationem, et circa primum eorum peccatum tradunt Theologi in materia de Angelis, nosque ibidem disp. 13, dub. 1 explicuimus : nimirum eam esse dæmonum conditionem et naturam, ut sicut ex parte intellectus apprehendunt immobiliter, ita ex parte voluntatis inflexibiliter eligunt : ita ut quod semel absolute et cum omnimoda libertate elegerint in iis præsertim, quæ ad rationem finis ultimi spectant, nunquam valeant revocare. Quod quia cit. loco satis probatum reliquimus, modo supponimus. Sicut etiam supponimus aliud sa-

Doctrina  
pro solu-  
tione.

tis receptum : videlicet quod sicut omnes dæmones per suum primum peccatum aversi sunt a Deo supremo Domino, nolentes eum regnare supra se, aut mandatis ejus obedire : ita omnes inferiores per illudmet peccatum adhæserunt Lucifero, qui eos ad peccandum induxit, seque illi tanquam Principi Tyranno tradiderunt, eligentes ex tunc in omnibus illi obtemperare ; sicut boni Angeli adhærentes Deo elegerunt ex tunc in omnibus ei obedire. Sicut ergo isti manent immobiles et indefectibiles in sua prima electione, et per illam sunt intrinsece determinati ad obediendum Deo in omnibus quæ præceperit : ita illi permanent inflexibiles et obstinati in electione sua prava, ac per eam ab intrinseco determinati ad obsequendum Lucifero, et aliis ab eo præpositis, in omnibus quæ facultate ab illo accepta atque in ipsius nomine præceperint. Pertinuit enim ad rationem finis ultimi ipsorum dæmonum electio illa Luciferi in Principem, et obedientia ibi inclusa (quam electionem ab illis factam fuisse, satis colligitur ex sacra Scriptura). Nam ita omnes illi propriam excellentiam per modum finis ultimi appetierunt, sicut Lucifer suggestit, quando tertiam partem

Apoc. 12.

stellarum cauda trahebat, ut dicitur Apocal. 12; suggestit autem eis appetere talem excellentiam ut subordinatam sibi ipsi, volens illis tyrannice dominari : et ideo hæc subjectio habuit se ut modus sub quo, et non aliter appetierunt prædictum finem ultimum : debetque proinde sicut ipse finis ad omnes illorum actiones extendi.

Vera solutio.

51. Ex his ad objectionem respondetur, alligationem unius dæmonis ab alio non fieri sine aliqua forma, quæ alligatum intrinsece afficiat : fit enim per prædictam electionem, qua seipsum Lucifero ejusque obedientiæ seu potius tyrannidi tradiderunt : cum qua electione oppositus dissensus conjungi nequit : et cum sit invariabilis, seipsa connotando præceptum Luciferi vel alterius ejus nomine præcipientis ligat dæmonem in quo est, et facit infallibiliter assistere mediante aliqua operatione in illo loco, ubi jubetur permanere. At vero in nostro casu cum alligatio non sit effectus alicujus electionis dæmonis alligandi, sed potius sit omnino contra ejus voluntatem, necesse est recurrere ad aliam formam in eo productam, quæ reddat illum alligatum. Quocirca aliter concurrat ignis, et aliter dæmon superior ad effectum alligationis :

nam ignis concurrat efficiendo physice instrumentaliter formam alligantem, quia ante ejus efficientiam non supponitur talis forma : at vero dæmon solum concurrat moraliter imperando alligationem, quæ facienda est per electionem supra dictam : et ita cum hæc electio supponatur, non est necesse ut a superiori dæmone aliquid producat ; sed ut manifestet inferiori suum imperium, ad cujus manifestationem ipse inferior dæmon per suam electionem manet ligatus et detentus : quia non jam subest inferioris voluntati revocare suam electionem, nec proinde superioris imperio contradicere.

Si vero urgeas, quod etiam a SS. Angelis alligantur sæpe dæmones, et compelluntur manere in aliquibus locis : et tamen hoc non fit per electionem ipsorum dæmonum, sed potius contra illam : ergo, etc. Respondetur, dæmones tunc ligari virtute Dei per qualitatem in eis productam, sicut cum ligantur ab igne : sive talis qualitas fiat instrumentaliter ab ipsis Angelis, sicut ab igni fit ; sive fiat immediate a Deo adimplente verba et preces ipsorum Angelorum. Et si hoc posteriori modo fiat, dicetur Angelus alligare dæmonem solum moraliter ; si autem primo, dicetur alligare illum etiam physice.

52. Quarto contra secundam conclusionem objicies, non satis nos recedere a sententia Francisci Suar. quam Thomistæ communiter impugnant. Asserit enim prædicta sententia, dæmones torqueri ab igne per impressionem ejusdem qualitatis doloriferæ et afflictivæ ipsorum dæmonum : nihil autem minus habere videtur qualitas quam nos ponimus in secunda conclusione : ergo, etc.

Respondetur, non ideo rejici a discipulis D. Thomæ prædictam sententiam, quia ponat in dæmonibus formam de genere qualitatis ad torquendos illos per modum alligationis, ut ponit nostra conclusio : nam eandem formam etiam sub nomine qualitatis concedunt expresse Nazar. Navar. et Jo. a S. Thoma locis ubi supra : sed ideo illam rejiciunt, quia præter hujusmodi formam et præter totum effectum alligationis ponit aliam qualitatem deformantem dæmones absolute et in ordine ad se : quasi ipsa qualitas secundum se sit ita deformis et disconveniens dæmonum naturæ, ut independentem ab alligatione et subjectione ad aliquem locum vel corpus, dolorem et cruciatum

cruciatum eis inferat. Quem modum dicendi nos etiam impugnabimus infra num. 75.

Quinta. 53. Quinto objicies contra primam partem tertiæ assertionis, quod non videatur cohærere doctrinæ supra traditæ disp. 16, dub. 3, ubi ex eo probavimus, peccatum habituale non esse aliquid positivum, sed gratiæ privationem, quia debet subjectari immediate in substantia animæ, in qua nullum accidens potest immediate recipi præter ipsam gratiam : ergo inconsequenter modo asserimus, formam alligantem et torquentem dæmones, et animas esse qualitatem in eorum substantia immediate receptam.

Diluitur. Respondetur, ibi esse sermonem de accidentibus, quæ per modum formæ afficiunt et disponunt subjectum absolute in seipso : sicut afficit gratia, et deberet afficere peccatum habituale, quod opponitur immediate ipsi gratiæ. Unde non præclusimus locum alligationi, de qua nunc agimus, quæ solum afficit per modum subjectionis et unionis ad locum vel corpus extrinsecum. Sicut etiam non exclusimus, quod in ipsa substantia recipiatur immediate aliqua relatio ad causam efficientem, sicut est relatio filii ad patrem vel matrem, et relatio creaturæ ad Deum : quia hujusmodi accidentia non afficiunt substantiam absolute in ordine ad se, sed ut referant et ordinent ad aliquid extrinsecum.

Ultima objectio. 54. Denique objicies contra secundam partem ejusdem tertiæ conclusionis, quod in potentiis operativis v. g. in intellectu non videtur habere locum forma de qua agimus : nam quicquid est in illo præter ejus entitatem, vel est habitus facilitans et expediens potentiam ad agendum ; vel est dispositio idem præstans, quamvis imperfectiori modo, quæ proinde ad habitum reducitur ; vel sunt species intelligibiles, quibus objecta redduntur intelligibilia vel intellecta : præter hæc enim et ipsos actus intellectus, nihil aliud videtur posse in eo excogitari : sed nullum prædictorum conducit ad alligandos et torquendos dæmones aut animas, sed potius ad illos perficiendos : omnia quippe ex sua propria ratione habent juvare et complere intellectum juxta modum et exigentiam ipsius ad eliciendos proprios actus, quibus ornatur et perficitur : ergo etc. Accedit, quod habitus existens in intellectu (idem est de dispositione) vel est virtus intellectualis : et hæc proculdubio est magna illius perfectio, nihil habens de ratione pœnæ : vel est habitus erroris : et

iste non potest causari a Deo, a quo causari debet alligatio de qua loquimur. Species vero intelligibiles non possunt causari ab igne in intellectu dæmonum : quia ipsi dæmones sicut omnes Angeli ab initio suæ creationis habent sibi congenitas omnium rerum species, ita ut ad nihil saltem naturale intelligendum novis speciebus indigeant ; aut eas possint recipere : ergo si quid ignis in illis producit, neque erit habitus, neque dispositio, neque species.

55. Semper hæc objectio visa fuit difficilis in hac quæstione. Ob eamque fortasse <sup>Prima solutio.</sup> aliqui etiam ex authoribus nostræ sententiæ noluerunt in particulari exponere, quid sit, aut ad quam speciem pertineat forma hæc de qua loquimur : sed dicunt in communi, esse quandam qualitatem contrariam naturali inclinationi potentiarum, ligantem illas et impediendam a suis operationibus, non tamen aliquid corruptentem : sicut remora impedit cursum navis sine destructione virtutis deferentis : et torpedo injicit stuporem manui piscatoris sine destructione virtutis motivæ, sed impediendo operationes, ne exeant. Ad hunc ergo modum potest Deus mediante igne injicere potentiis dæmonum qualitatem, quæ nihil de earum virtute corrumpat, et tamen impediat operationes, ne exeant juxta libitum voluntatis. Nec quærenda est (inquiunt) major de hac qualitate speculatio : quia neque in rebus corporeis qualitates omnes explicamus nisi per suos effectus, ut in exemplis adductis. Quæ solutio eo securior est, quo nihil errori expositum de prædicta qualitate determinat.

Alii vero dicunt, forma alligantem intellectum esse ipsam intellectionem, per quam <sup>Solutio alia.</sup> objecto unitur et adhæret : neque aliud aliquid ab igne produci. Sed hæc solutio displicet. Tum quia intellectio utpote actio vitalis et immanens non potest produci immediate ab alio, quam ab ipsomet intellectu, ubi remanet : atque adeo vel ignis nihil producet, vel hoc debet esse aliquid ab intellectione distinctum. Tum etiam quia intellectio non unitur necessario aut contra libitum voluntatis intellectum objecto, nisi ipse intellectus necessario et independentem a voluntate uniatur intellectioni : id autem per quod sic necessario unitur, non potest esse sola ipsa intellectio, quæ secundum se indifferens est ad unionem necessariam et liberam ; sed debet esse aliquid prævium determinans et necessitans intellectum ad

Rejicitur.

eliciendam ipsam intellectionem ; et hoc est quod inquirimus.

Tertia  
solutio.

56. Unde melius alii dixerunt, præter intellectionem et illa omnia quæ in objectione referuntur, superesse duo alia, per quæ fiat alligatio de qua loquimur. Primum est applicatio passiva, per quam intellectus dæmonis cogitur ad agendum vel intelligendum illa, quæ nollet agere, et intelligere ; ab iis vero quæ vellet agere vel intelligere, prohibetur. Secundum est quædam ordinatio et modificatio ex parte specierum intelligibilium, ratione cujus ipsæ species excitant necessario intellectum ad utendum illis sub prædicta modificatione, et non aliter : ac proinde ad intelligendum cum alligatione ad quædam intelligibilia, et exclusionem ab aliis. Hoc posterius dictum (quod est Balthasaris Navarrete ubi supra) nullam videtur importare repugnantiam, præsertim in ordine ad divinam potentiam. Prædicta vero modificatio si concedatur, non potest aliter fieri quam per aliquem modum de genere qualitatis superadditum ipsis speciebus. Sic autem facta, consonat nostris assertionibus, et non parum conducit ad ligandum et necessitandum intellectum in modo intelligendi : eritque proinde dissona et repugnans libertati voluntatis. Quapropter, et quia juxta dicta num. 40, concedendum est in hac materia quidquid ex non repugnantibus ad augescendam pœnam dæmonum potest conducere, valde probabilem censemus istum modum dicendi : non tamen in eo immoramur, quia majori expensione non indiget.

Doctrina  
pro hac  
solutio-  
ne  
Bannez.

57. Primum autem de applicatione passiva tetigit Bannez loco cit. ex 1 p. in illoque plenam objectionis solutionem contineri arbitramur : si tamen non nihil explicetur et enucleetur. Pro quo nota, quod inter actus voluntatis ultimus in ordine ad executionem est quem vocamus *usum* : et est ille per quem voluntas intellectum et cæteras potentias sibi subditas applicat ad agendum : dividitur autem hic usus in activum et passivum : activus est ipse actus immanens voluntatis : a quo effective oritur, ut intellectus v. g. applicetur ad eliciendum suum actum, puta intellectionem : passivus vero dicitur quædam motio, quæ eidem intellectui imprimitur ab usu activo, per quam in genere causæ formalis redditur motus et applicatus ad exercendam intellectionem. Si enim voluntas per suum usum activum nihil imprimeret intellectui, non esset aliquid per quod ipse intellectus red-

deretur intrinsece et formaliter motus et applicatus ad exercitium intelligendi. Et quamvis usus passivus sæpe appelletur illa operatio, quam intellectus elicit ex motione voluntatis, recte etiam sub prædicto nomine comprehenditur prædicta motio intellectui impressa : cum sit ipsa applicatio et determinatio ad talem operationem. Reducitur autem hæc motio ad prædicamentum qualitatis, ubi est intellectio ad quam applicat, velut quid in eo genere incompletum : sicut motiones quibus elevantur sacramenta, et plures aliæ ad tale prædicamentum reducuntur. Habemus ergo aditum apertum ad ponendum in intellectu aliquid aliud de genere qualitatis præter illa quæ in objectione referuntur. Quod etiam convincitur alio exemplo prædeterminationis physicæ, per quam Deus applicat ad agendum omnes causas secundas. Nam etiam hæc prædeterminatio debet poni in intellectu, et in omnibus potentiis, ut actu operentur : alias Deus non præmoveret omnes illas ad suas actiones, sicut est de ratione causæ universalissimæ. Pertinetque hæc prædeterminatio ad genus qualitatis, ut docent communiter Thomistæ.

58. Deinde nota, quod sicut voluntas per impressionem illius motionis seu usus passivi applicat intellectum ad agendum, sic Deus etiam sine concursu ipsius voluntatis potest illum applicare, imprimendo similem motionem et applicationem. Et ita contingit in omnibus intellectionibus necessariis, ad quas voluntas non concurrat : non enim intellectus tunc ipse se applicat, quia applicatio quoad exercitium est extra ejus lineam : sed applicatur specialiter a Deo impediente et supplente concursum propriæ voluntatis per impressionem motionis non minus efficacis, atque esset illa quam voluntas imprimeret. Cum hac tamen differentia, quod motio impressa a propria voluntate applicaret intellectum cum respectu et subordinatione ad principium intrinsecum liberum, quod est ipsa voluntas, ac proinde applicaret libere : impressa vero a Deo, applicat sine tali respectu, proindeque necessario. Imo poterit applicare violenter et contra voluntatem : quia quantumcunque hæc reluctetur, non impedit efficaciam quam ex Deo sortitur talis motio. Sicut autem Deus potest motionem hanc imprimere agendo immediate per seipsum, potest etiam agendo per ignem vel aliud instrumentum : et sicut potest eam imprimere pro una intellectione vel operatione, potest pro multis

et



et pro omnibus: quia in nullo istorum adest repugnantia.

Tertio nota, quod sicut Deus per prædictam motionem potest necessitare intellectum ad intellectiones quas voluerit, renitente etiam dæmonis voluntate; sic per eandem motionem vel aliam similem qualitatem poterit illum cohibere et impedire a qualibet intellectione vel operatione, quantumcunque prædicta voluntas reluctetur. Non enim repugnat, ut talis motio ita applicet et determinet conatum et virtutem intellectus ad operationem pro qua exhibetur, ut totaliter eum liget circa illam, et non sinat applicari aut diverti ad aliam. Eo præsertim quia ejusdem virtutis solet esse remove potentiam ab uno, cujus est ad alium applicare.

59. Ex his ad objectionem dicimus qualitatem productam ab igne in intellectu dæmonis ad eum ligandum, neque esse speciem intelligibilem, neque habitum intellectivum, neque etiam dispositionem de numero illarum, quæ ad habitus reducuntur cum sola differentia penes *facile vel difficile mobile* (quamvis sit in prima specie qualitatis, prout talis species ad alia dispositionum genera se extendit) sed esse quandam motionem correspondentem usui passivo, per quam intellectus ad agendum applicatur, vel ab agendo removetur, etiam renitente voluntate, ut explicatum est.

Si vero dicas, hanc motionem a nobis expositam non distingui a prædeterminatione physica: siquidem hæc nihil aliud præstat quam applicare potentiam ad agendum. Non autem videtur ita consonum modo loquendi Thomistarum, alligationem de qua agimus, cum prædicta determinatione confundere. Responderi posset primo, ex prædicto modo loquendi non satis convinci distinctionem inter prædictas motiones: quia nec Thomistæ agentes de prædeterminatione physica, negant illi vim ad applicandum et determinandum intellectum per modum causæ necessariæ ad certam operationem etiam cum voluntatis resistentia: nec sub alligatione de qua agimus, aliud intelligunt, quam quod præstat talem determinationem, et quod in ea importatur: nec denique repugnat, ut sicut Deus utitur instrumentis creatis in ordine ad alios effectus, utatur igne ad effectum prædeterminandi.

60. Sed respondetur secundo et melius, ultra qualitatem quam communiter prædeterminationem physicam vocamus, ponentem

*Salmant. Curs. theolog., tom. VIII.*

dam esse aliam motionem vel ejusdem aliam formalitatem, quæ antecederet natura ad munus prædeterminandi, determinet intellectum dæmonis ad certam operationem, et constituat illum in ratione causæ necessariæ non respicientis voluntatem propriam: quo fiat, ut talis intellectus hoc jam modo determinatus et a linea causæ liberæ exclusus exigit prædeterminationem, quæ propria est causæ necessariæ, et distinctam ab ea quæ datur causæ liberæ. Physica enim prædeterminatio talis est conditionis, ut non mutet, sed sequatur naturam et modum causæ, cui præbetur, et illi se accomodet. Unde sicut quæ datur causæ necessariæ, non reddit eam liberam, sed necessitatem ejus conservat, et sub tali necessitate ad agendum applicat: ita quæ datur causæ liberæ, non necessitat illam, sed conservat illæsam libertatem, et sub ipsa libertate applicat ad operationem. Quare ut intelligamus, prædeterminationem collatam intellectui applicare illum ad agendum necessario et sine respectu ad libertatem voluntatis, debemus prius ipsum intelligere modificatum et constitutum in ratione causæ necessariæ, ac proinde determinatum per aliquid extrahens et excludens a linea causæ liberæ: et hoc præstat motio et alligatio supra dicta: atque adeo non est omnino idem cum physica prædeterminatione. Quamvis non repugnet, ut in una realitate identificentur: sicut identificantur aliquæ formalitates, juxta dicta supra disp. 5, num. 37.

61. Si vero urgeas, quod semel posita in intellectu illa priori motione alligativa, necessario et inimpedibiliter sequitur ipsa operatio, ad quam ligat et determinat: atque adeo superfluum esse novam applicationem per prædeterminationem physicam. Respondetur, quod quemadmodum posita in eodem intellectu motione propriæ voluntatis, quam diximus *usum passivum*, sequitur infallibiliter ejus operatio: et in agentibus naturalibus, approximata materia, sequitur eorum actio, ut ligno approximato igni, sequitur necessario combustio: et tamen non idcirco censetur superflua nova prædeterminatio physica, per quam omnia hæc ad agendum applicentur: ita dicendum est in nostro casu. Et ratio est, quia tota illa determinatio, quæ prædeterminationem physicam præcedit, non ideo infert necessario et infallibiliter actionem, quasi ipsa per se sit sufficiens et adæquata applicatio ad illam ex omni capite; sed quia est talis conditionis, ut necessario exigit et secum trahat ipsam

Alia  
replica.

Diluitur.

prædeterminationem quæ talem applicationem complet et adæquat. Ad quamlibet enim operationem creatam requiritur duplex determinatio: alia ex parte causæ particularis, cui correspondent particulares rationes in actione vel effectu, quæcunque sit hæc causa: et alia ex parte causæ universalis, cui correspondet communis ratio entis in quolibet effectu et actione reperta. Et illa prior determinatio veluti præcedit et exigit hanc posteriorem: eo quod causa universalis ut talis non aliter applicat, nisi juxta exigentiam particularium. Prædeterminatio ergo physica est illa applicatio, quæ correspondet Deo ut causæ universali: alia vero determinatio et motio, per quam dicimus alligari intellectum dæmonis, correspondet causæ particulari, nempe ipsi intellectui, vel Deo, aut igni ut causis particularibus talis alligationis: ob idque nulla superfluit.

## § IV.

*Major elucidatio sententiæ Angelici Doctoris.*

62. Cuncta fere quæ hactenus tradidimus, communia esse debent non solum Thomistis, sed etiam multis aliis qui cum Ang. Doctore fatentur, ignem ut instrumentum divinæ virtutis alligare dæmones, eosque hujusmodi alligatione utcunque torquere: omnia enim supra dicta pro stabi- lienda hac veritate deserviunt, ut intuenti constabit. Sed quia plures a nobis discriminantur, quod putent, prædictam alligationem non esse sufficiens illorum tormentum, ac proinde quærendum esse aliud acerbius et atrocius quo puniantur, ut observavimus num. 30, ultra progrediendum est et ostendendum, neque in substantiis spiritualibus assignari posse aliud tormenti genus ad pœnam sensus pertinens: neque prædictæ alligationi ad rationem acerbissimi cruciatus aliquid deficere. Pro quo necesse non erit ad nova principia recurrere, sed ex præjactis munia et effectus talis alligationis expendere.

Tollitur  
tacita  
objectio.

Est autem sermo de effectibus prædictæ alligationis in genere causæ formalis: quia qualitas quam ignis producit in dæmonibus, non ligat illos effective, producendo scilicet in eis alligationem; sed ut forma quæ est ipsa alligatio et unio ad corpora vel loca, quibus ligari dicuntur. Ex quo fit, prædictam qualitatem ita fortiter ligare et unire

illos prædictis locis et corporibus, ut ipsa manente, nulla vi nullaque potentia possint se inde liberare, aut a ligamine expedire: quia dum manet aliqua forma, nequit deficere effectus ejus formalis, saltem primarius, sicut est iste de quo loquimur. Unde quod aliqui objicere solent, videlicet prædictam qualitatem esse limitatæ virtutis, ac proinde posse ita crescere vim resistitivam dæmonis, ut rumpatur et deficiat: procedit in causis efficientibus, quæ possunt separari a suis effectibus, separanturque de facto, et omittunt illos, quoties ex parte passi adest major resistentia, quam sit activitas efficientis. Non tamen habet locum in causis formalibus: nam cum istæ seipsis constituent suos effectus, sufficit ad permanentiam talium effectuum, quod formæ ipsæ quantumvis finitæ et limitatæ sint, permanent, et a suis agentibus conserventur. Unde quamvis unio hypostatica ex parte naturæ humanæ sit modus finitus; quia tamen est formaliter ipsa unio ad divinam personam, ita fortiter ligat hanc prædictæ naturæ, ut manente tali unione, neque per potentiam Dei infinitam possint separari. Quia est implicatio in terminis, ut manente forma quæ essentialiter est unio, effectus ejus, qui est *unire*, non maneat. Porro ut in dæmone permaneat, et non deficiat illa qualitas per quam ligatur, sufficit, ut virtus divina a qua ut a causa principali produci- tur et conservatur, sit infinita, adeoque insuperabilis a quacunque resistentia et virtute creata.

63. Hujus ergo qualitatis et alligationis plures sunt effectus: nam illa quæ afficit dæmonem secundum substantiam, facit illum præsentem igni vel loco cui alligatur, diffinito et coarctato ejus esse ad brevissimum spatium, impeditoque accessu ad omnia alia loca, quibus vellet accedere. Insuperque tenet ipsum subordinatum et subjectum igni, non tantum sicut passum agentis, a quo recipit et dependet; sed etiam sicut inferius superiori et eminentiori, a quo deprimitur et humiliatur: ac velut miserrimum et vile mancipium sub ejus ditione tenetur. Illa vero quæ afficit potentias, primo ligat intellectum: tum ut non intelligat quamplura quæ intelligere vellet, nisi ex permissione ipsius ignis, ac veluti emendicata ab eo licentia intelligendi: tum etiam ut velit, nolit, cognoscat et intelligat omnia illa ad quæ ignis applicat, neque ab iis cogitatum divertat. Applicat autem, ut intelligat omnia quæ ad propriam

Effect  
qualit  
tis al  
gant

priam miseriam pertinent, et quæ sibi afferunt tormentum et dolorem : neque sine respectu ad illa aliud aliquid cogitare permittit. Secundo ligat potentiam executricem, ne operetur ea quæ voluntas vellet, aut non eo modo quo vellet, vel ubi et quando vellet : atque etiam ligat et compellit, ut exequatur multa quæ voluntas nullatenus vellet. Adeoque sive in operando, sive in non operando, semper illiditur et arctatur ejus libertas, omnisque ejus impetus comprimitur : atque in cunctis quæ facit, vel omittit, admiscetur aliquid contrarium et repugnans ejus naturæ et voluntati.

Gravitas  
hujus  
pœnæ.

Quantum vero pœnæ et tormenti ex his capitibus dæmoni accedat, et quam ingens dolor et cruciatus ex eorum continua meditatione in illo generetur, is solus non viderit, qui sensibus ductus, non altius de spiritualibus judicat, quam sensibilia ipsa offerunt. Qui autem supra ista elevatus eminentiam, magnitudinem, et latitudinem illorum perpenderit, facile convincitur, prædictas pœnas et cruciatus incomparabiliter superare quæcunque alia, quæ in corporibus, sive in hac vita sive in futura poterunt reperiri : tantumque ab iis discriminari, quantum realia a pietis et somniata a veris, ut SS. Patres communiter loquuntur.

64. Pro quo observandum est, dolorem quencunque oriri ex cognitione vel apprehensione alicujus disconvenientis : ita ut quo major fuerit disconvenientia quæ cognoscitur, et quo perfectius cognoscitur, eo major dolor in voluntate vel appetitu generetur. Hoc est adeo perspicuum, ut superflua videatur ejus probatio. Nam cum objectum doloris sit malum cognitum, malum autem sit quod disconvenit alicui, oportet ut quantitas et excessus doloris, supposita perfecta cognitione, ex quantitate et gradu disconvenientiæ omnino attendatur. Quod instatur in ipsis doloribus sensibilibus apud nos notioribus, uti sunt qui tactu percipiuntur. Quod enim ignis, v. g. tactui applicatus causet in eo dolorem ita intensum, sicut experimur, non aliunde provenit, nisi quia ponit in illo calorem valde intensum, proindeque improporcionatum et disconvenientem. Nam cum tactus in quadam harmonia et mediocritate consistat, qualitates tangibiles proportionatæ illi harmoniæ, conveniunt ipsi tactui : et hæc convenientia causat delectationem in concupiscibili : qualitates vero superexcedentes disconve-

Decla-  
ratur  
doctrina  
et exem-  
plis.

niunt illi, quia improporcionatæ sunt prædictæ harmoniæ : et talis disconvenientia causat dolorem in eodem appetitu : et quia quo calor fuerit intensior, eo est magis improporcionatus et magis disconvenientis, idcirco eo causat majorem dolorem. Similiter quod scissio alicujus partis corporis et separatio ab aliis causet dolorem ita vehementem, ex eo provenit quia talis scissio et separatio valde desconvenit ipsis, partibus ; sicut opposita unio et copulatio est illis consona et conveniens. Hinc ad spiritualia ascendendo, venanda est in eis quantitas et magnitudo doloris ex quantitate et magnitudine disconvenientiæ, qua afficiuntur, sive secundum substantiam sive secundum potentias : et ita inde orietur dolor omnium maximus, unde maxima disconvenientia consurrexerit.

Hoc prænotato, rationis statera pendamus, in quo magnitudinis gradu ex prædictis capitibus disconvenientia dæmonibus accedat per alligationem quam explicuimus ; videbimusque acerbitatem pœnæ et doloris inde suborti. In primis ergo quæ major disconvenientia excogitari potest respectu altissimæ et nobilissimæ substantiæ, cui corporalia omnia jure naturæ subduntur, ab eaque dependere postulant, cum ipsa ab omni loco et corpore independens et absolutissima sit ; quam quod versa vice in contrarium, abjecta et vilipensa sub infimis degat corporibus, ab ipsisque vilissime supeditata et conculcata deprimatur et humilietur ? et velut miserrimum mancipium sub eorum ditione teneatur ? Sane sicut distantia et improporcionatio inter hæc extrema superat omnem excogitabilem distantiam et improporcionem unius creaturæ ad aliam ; ita disconvenientia inde suborta incomparabiliter major est quæcunque alia disconvenientia, quæ ex respectu ad creaturas potest excogitari. Et si in corporalibus disconvenientia et improporcionatio quam dicit calor ignis ad organum tactus, propter excessum penes quatuor vel quinque gradus majoris intensionis, ita torquet et cruciat, ut vix possit sufferri : quem dolorem excitabit in dæmone improporcionatio et disconvenientia innumerabilium ferme graduum distantia et excessus, quæ in subjectione ejus ad ignem necessario intercedit ? Diximus *ex respectu ad creaturas* propter disconvenientiam pœnæ damni, quæ est omnium maxima, cum sit in ordine ad bonum increatum et infinitum.

65. Quod si attenda dumtaxat celsitudine

Major expensio hujus pœnae. naturæ dæmonum, tam magna est disconvenientia orta ex isto capite, longe adhuc major est, considerata eorum superbia : qua ita appetunt præesse et eminere omnibus, et ita alicui subjici refugiunt, ut neque ipsi Deo voluerint humiliari, neque ejus supra se dominium et principatum recognoscere. Respectu igitur naturæ ex se præstantissimæ et alias superbissimæ quæ major excogitabitur disconvenientia, quam si infra rebus omnium vilissimis et abjectissimis, uti sunt elementalia corpora, ab eis in perpetuum deprimenda et suppeditanda constituantur ?

Exemplum.

Cogitet qui spiritualia hæc non capit, si inter homines rex potentissimus et æque superbus, aptus natus pluribus dominari, atque ab omnibus in summo honore et æstimatione habitus, ad eum miseriam statum deveniret, ut in captivitate ductus bonis omnibus spoliaretur, atque in vilissimo et abjectissimo includeretur loco, ibique omni humano consortio et familiaritate destitutus, ferissimi et ignobilissimi bruti dominio traditus, cum eo jugum semper ducere compelleretur, atque bruto ipso deterior et despicibilior factus, maneret illi quoad omnia subjectus, ita ut nulla sibi actio, nullusve motus sive internus sive externus absque ipsius bruti dispensatione liceret. Quis hujus infelicissimi hominis calamitatem et miseriam satis admirari posset ? quæve pœna ex sensibilibus malo ejus adæquaretur, aut non minoris haberetur ? Præsertim si homo ille, alias rex, voluntatem adhuc superbam retineret, et honoris ambitione æstualet : insuperque proprium dedecus, infamiam, et opprobrium, omnesque prædictas circumstantias ita ad vivum intellectus acumine apprehenderet, et sibi semper repræsentaret, et neque cogitatum inde avertere posset ; neque aliquod solatium afferens, vel dolorem mitigans intelligere ? Et tamen totum hoc exceditur incomparabiliter a pœna et disconvenientia, quam dæmones sua illa alligatione patiuntur : sicut incomparabiliter exceditur natura et superbia cujuslibet hominis in carne degentis a natura dæmonis, et ab ejus superbia.

Alligatio potentiarum quantum torqueat.

66. Nec minor causa doloris subest dæmoni ex parte alligationis potentiarum. Nam quo major est activitas alicujus causæ, et quo vehementius ad sibi connaturalia inclinat, eo majorem patitur violentiam, proindeque majorem disconvenientiam et malum, dum contra talem inclinationem

vel agere prohibetur, vel ad agendum necessitatur. Sicut ergo inclinatio et activitas potentiarum dæmonis incomparabiliter excedit activitatem et inclinationem cujusunque naturæ corporeæ (quanto enim natura aliqua habet esse immaterialior et subtilior, tanto ejus potentiæ majorem activitatem sortiuntur) ita violentia et disconvenientia quam patitur, sive dum contra propriam voluntatem agere compellitur, sive dum contra illam prohibetur ab operatione, longe superat quamlibet violentiam et disconvenientiam, quæ in rebus corporalibus potest reperiri.

Cogitemus ergo violentiam quam patetur magna pars ignis in strictissimo terræ vel æris globo inclusi, et ita ibi coarctati, ut neque in propriam extensionem dilatari permetteretur, neque actionem ullam vel motum secundum proprium impetum posset exercere : tanta sane esset hæc violentia, ut æris fortitudinem vinceret, et contra omnem virtutem naturæ creatæ tandem carcerem illum dirumperet, ut inde egrederetur, et propriam inclinationem sequeretur : et si haberet sensum et appetitum, vehementissimum et acerrimum dolorem, ut puta juxta gradum illius violentiæ pateretur. Porro totum hoc exiguum valde esse respective ad violentiam et dolorem, quæ dæmones in prædicta alligatione patiuntur, cuilibet intuenti constabit. Tum quia activitas potentiarum dæmonis, et impetus inclinationum earum incomparabiliter superat impetum et activitatem ignis propter incomparabilem excessum immaterialitatis et activitatis : æque autem debet illum excedere in prædicta violentia et disconvenientia. Tum etiam quia ignis paucissimæ sunt operationes pro quibus possit violentiam pati : respectu vero dæmonis pene innumeræ sunt intellectiones et actiones, quæ vel ab eo exercentur, vel omittuntur : et fere in omnibus patitur prædictam violentiam, cum omnes fere illas exerceat vel omittat coactus imperio ignis, et non juxta placitum propriæ voluntatis, ut diximus num. 63.

67. Præterea non utcunque ignis movet violenter dæmonis potentias ; sed applicando ad eas operationes, quæ ex parte objecti habent esse magis afflictivæ ; et cohibendo ab illis quæ vel ex isto capite aliquod genus gaudii possent afferre : ut non tantum ob prædictam violentiam ex parte principii, sed etiam ob objecti disconvenientiam in omnibus torqueantur. Applicat enim intellectum, ut semper et immobiliter cogitet suam

Aliud caput hujus pœnae ex parte intellectus.

suam miseriam et omnes ejus causas : cujusmodi sunt amissio summi boni, ad cujus fruitionem erat elevatus : rigor divinæ justitiæ proprias offensas vindicantis animadversione et periculo ipsius dæmonis : odium quo Deus illum perpetuo prosequitur et abominatur, perpetuusque ejus hostis et inimicus existit : probrum et despectus quo ab omnibus habetur, præsertim ab ipso Deo et Beatis : aliaque id genus, quæ superbissimæ illi naturæ confusionem et dolorem incutiunt : præsertim dum omnium perpetuam et interminabilem videt durationem. Insuper etiam applicat illum, ut semper cogitet ipsam alligationem, depressionem, et subjectionem ad ignem, per quem tanta patitur : et quam turpiter et ignominiose ab illo dejiciatur et pessundet. Et quamvis alia etiam cogitare faciat, nihil tamen sine respectu ad hæc quæ diximus, ut in nullo suum non semper tormentum videat, et videns crucietur. Sed in iis quæ contra Deum vel contra homines machinari permittitur, unde ob suam depravatam voluntatem gaudium aliquod reportaret, semper admiscetur aliquid propriæ disconvenientiæ tale gaudium deturbans et in amaritudinem convertens : dum cernit, ex omnibus tandem propriam ignominiam augeri ; et Dei, ac prædestinatorum gloriam exaltari.

68. Similiter se habet ex parte potentiæ executivæ : plurima enim dæmones compelluntur facere, quæ valde horrent ; nihil vero agere permittuntur, quod ignominia et dedecore mixtum non sit, aut quod omnino sit expers tristitiæ et doloris. Augetur etiam valde eorum pœnalitas ex nobilitate et immaterialitate ipsarum potentiarum. Nam et inter animalia, illa quæ minus materiæ immersa sunt, delicatiora sunt, et pœnalitatum magis perceptiva, exindeque ad majorem dolorem commoventur. Cum ergo intellectus dæmonis præstantissimus et immaterialissimus sit, oportet, ut ea quæ sibi nocent, altissime apprehendat : eademque ratione voluntas ad vehementissimum dolorem concitetur. Auget etiam istum inordinatio ipsius voluntatis per obstinationem in malo, et per renitentiam ad voluntatem divinam, necnon per odium et invidiam erga Deum et homines. Inde enim oritur, ut iis quæ jussu Dei patitur, magis adversetur, et ea violentius sustineat, feratque gravius et intolerabilius, videns quod in suis pœnis divina justitia et Sanctorum gloria exaltetur. Omittimus majorem horum expansionem, quia neque a nobis omnino ut

sunt, concipi possunt ; neque ut concipiuntur, verbis satis declarari.

69. Addenda vero duximus quæ habet Card. Cajetan. tom. 3 Opuscul. orat. 5, cit. quia compendiosius non pauca ex iis quæ diximus, complectuntur, et alia superaddunt. Sic ergo ait : *Definitus igitur non natura, sed vi detentus in loco spiritus naturalem libertatem ac dignitatem, qua nulli subjicitur corpori, qua omne corpus evincit, qua omni corpori præeminet præsidetque, infelicissimus perdidit, et se perdidisse miserime mæret, atque mærendo ineffabiliter cruciatur. Afflictaur intellectus, quando suæ captivationis ærumnam non recogitare subinde non potest. Cumque simul multa meditari nequeat, ab aliorum omnium quæ levamen afferre possent, consideratione prohibetur. Et quanquam meditatio pænæ pœna non sit, cum liber quis meditatur solum nihil adversi sentiens aut metuens, attamen ubi præsens est doloris objectum, ubi suam vim exercet in meditantem, ubi denique meditatio ipsa coacta est, nihil acerbius animum quam ejusmodi consideratio afficere potest. Afflictaur voluntas, quippe ab omni delectabili depulsa, id ferre compellitur quod dedignatur, respuit, abhorret : quam maxime odit Dei justitiam, cui præcipue invidet, divinam celsitudinem magnificari in propria et ea abjectissima pœna, dolet, gemit, corroditur. Afflicantur denique activæ potentiæ, siquidem diro igni addictæ, nulla aut certe modica possessione sese subjectis admovere rebus. Quod eo intolerabilius est, quo tanta eis vis inest, ut commovere nutu singula possent. Accedit ad hæc, quod jugis perennisque est eis definitus carcer et dolor, ita ut nulla valeat minuere aut mollire adventans conditio, sed semper uti ab initio acerbissime mærore opus est, neque enim detrusi spiritus oblivione mederi, meditationi vacare, affectum deponere, sese adhortari, facere (ut aiunt) de necessitate virtutem usquequaque valent. Nulla eis clementiæ aut varietatis spes, nulla in prætereuntis temporis eventu expectatio : sed quas luunt pœnas, nunquam terminandas aut minuendas certissime sciunt ; imo invitati ad mæroris culmen clara luce vident. Hæc paucissima de spirituum pœnis tetigerimus. Hæc omnia et alia quæ diximus, clauduntur in alligatione quam adstruunt D. Thomas et ejus discipuli. Videamus, an alii authores, quibus levia videntur ad dæmones et animas torquendas, majus aliquid ad prædictum effectum conducens sua meditatione detexerint.*

## § V.

*Referuntur et refelluntur alii modi dicendi.*

70. Præter aliqua circa pœnam dæmonum et animarum erronee excogitata, a quibus § 1 præsentem difficultatem expedivimus, extant diversæ Theologorum opiniones cum antiquorum tum juniorum, eo tendentes, ut suadeant quærendum esse aliud tormenti genus præter alligationem: quas idcirco referre et impugnare operæ pretium duximus, ut illarum insufficientia nostram doctrinam confirmet. Utrunque autem succincte et breviter persolvemus. Prima opinio (quæ tribui solet Henrico quodlib. 8, quæst. 34,) asserit, ignem torquere dæmones per suam naturalem virtutem, imprimendo illis suum calorem: quem ut dæmones possint recipere, disponuntur per quamdam aliam qualitatem divina virtute sibi impressam.

Prima opinio Henrici.

Rejicitur.

Hic tamen dicendi modus communiter rejicitur. Tum quia calor utpote accidens corporeum nequit recipi in substantia spirituali: præsertim modo extenso et divisibili: sicut necesse erat, ut alicubi causaret dolorem. Illa vero qualitas per quam dæmones disponi dicuntur ad calorem recipiendum, si sit extensa et corporea, eadem ratione non poterit recipi in illis. Si vero sit spiritualis et inextensa, erit æque improportionata ad susceptionem caloris, atque ipsa substantia spiritualis. Tum etiam quia esto calor mediate vel immediate posset recipi in prædicta substantia, non ideo esset illi causa doloris: quia nec læderet aut corrumpere aliquam ejus dispositionem, sicut corrumpit vel lædit in corpore, quod resolvit et urit (absurdum namque esset ponere in spirituali substantia hujusmodi effectus). Neque aliunde esset tali substantiæ disconveniens sustinere aliquod accidens corporeum dispartate ad ipsam se habens: sicut in hoc quod est movere aut sustentare sua virtute aliquod accidens, nulla est disconvenientia: hac autem seclusa nihil potest ut objectum doloris apprehendi. Videatur Suar. loco cit. de Angel. cap. 14, num. 26, ubi hujus opinionis impugnationem late prosequitur.

Suarez.

Secunda opinio.

71. Secunda opinio ait ignem torquere dæmones non per impressionem caloris, sed per immissionem speciei intelligibilis repræsentativæ ipsius ignis, aut etiam causando immediate in eis ipsam intellectionem. Pro hac refert Vasquez Ægidium

quodlib. 2, quæst. 9, Scotum in 4, disp. 44, quæst. 2, Richard. Gabrielem, et alios.

Vasq. Ægid. Scotus. Richard. Gabriel. Impugnatur.

Sed impugnatur facile. Tum quia quod attinet ad speciem intelligibilem, nulla potest immitti ab igne, quam ipse dæmon ab initio suæ conditionis non habeat impressam ab authore naturæ, a quo omnium rerum universi accepit tunc species: et ita omnino superfluit nova impressio specierum pro qualibet cognitione naturali. Quod vero attinet ad intellectionem, falsum est quod fiat immediate ab igne: quia cum omnis intellectio sit actio vitalis et immanens, essentialiter postulat procedere immediate ab ipso intellectu, in quo recipitur, et non ab aliquo extrinseco agente. Tum etiam impugnatur: quia neque species intelligibilis, neque intellectio cujuscunque objecti sit, habet esse secundum se disconveniens respectu intellectus dæmonis; imo utraque est perfectio illius, sicut est ejus perfectio intelligere quæcunque intelligibilia: ergo neutra præcise secundum se potest illi esse causa doloris.

Dices, ex triplici capite posse prædictam speciem vel intellectionem esse disconvenientem. Vel quia superexcedit proportionem intellectus, et hac ratione lædit illum: sicut species excellentis sensibilis lædit sensum, quia excedit ejus proportionem. Vel quia ligat et necessitat ipsum dæmonem ut, velit, nolit, intelligat per illam. Vel denique quia repræsentat vel proponit ignem ut objectum horribile et dissonum, cujus proinde cognitione dæmon cruciatur.

Evasiones.

72. Sed omnia hæc facile refelluntur. Primum: quia falsum est aliquam speciem intelligibilem aut aliquam intellectionem, quantumvis excellens sit, esse disconvenientem aut læsivam intellectus; imo quo excellentior est, eo magis illum perficit, ut constat in visione beatifica et in ejus specie, quibus nulla potest dari excellentior. Nec refert exemplum de specie sensibili: nam hæc ideo lædit sensum, cum est excellens, quia sensus ipse consistit in certa quadam harmonia et proportionem sub certo temperamento contrariarum qualitatum: et ideo quicquid excedit eam proportionem, dissonat prædictæ harmoniæ, et est læsivum illius. Quæ ratio non habet locum in intellectu præsertim separato, cum sit potentia spiritualis a quovis temperamento independens. Secundum quod dicitur in evasione, si verum esset, reduceretur ad alligationem quam nos ponimus: quia illa necessitas et determinatio ad intelligendum effectus est prædictæ

Præcluduntur.

prædictæ alligationis. Diximus *si verum esset*: quia sola species intelligibilis aut intellectio non est sufficiens ratio prædictæ necessitatis: nisi vel ex parte speciei addatur modificatio quam diximus num. 56, vel ex parte principii motio quam explicuimus a num. 57. Tertium est petitio principii: quia ut species vel cognitio illa repræsentet dæmoni ignem ut objectum horribile et dissonum, necesse est, ut ipse ignis prius revera id habeat; alias repræsentatio falsa erit: ac proinde non vera pœna ab igne recepta, sed falsa existimatio dæmonem cruciabit: contra id quod num. 27, ut certum supposuimus. Dum ergo non explicatur quo pacto ignis antecedenter ad suam repræsentationem noceat dæmoni, et sit illi dissonus, petitio est principii recursus ad speciem, quæ illum dissonum et horribilem repræsentet.

Opinio  
tertia.  
Sotus.

73. Tertia opinio est M. Soti in 4, dist. 50, art. 2, ubi ait: quod quemadmodum in hac vita dum exuritur corpus, anima quæ illum vivificat, peculiarem inde afflictionem et tristitiam patitur: ita in inferno eandem tristitiam et afflictionem sentit, quam passura est post diem iudicii, dum corpus quod resumpserit, dolorem sensitivum patietur. *Hanc (inquit) vim habet ille ignis tanquam instrumentum divinæ justitiæ in dæmones atque animas, quod afflictionem quam in anima mediante dolore corporis resumpti effecturus est; faciat absque illo dolore.*

Verum  
non at-  
tingit.

Sed neque ista opinio verum attingit; quia repugnat, ignem causare in dæmone vel anima separata dolorem ejusdem rationis cum illo, quem ipsa anima dum est in corpore, ex ejus adustione patitur. Ideo enim ignis urens, dum anima est in corpore, causat dolorem non modo sensibilem in appetitu corporeo, sed etiam spirituales in voluntate, quia cum ista sit appetitus totius suppositi, habet pro objecto bonum et malum ejusdem totius, sive ad animam sive ad corpus spectet, et de utroque sumit dolorem vel gaudium: adeoque satis est ad dolorem in voluntate causandum ab igne, quod is sit disconveniens et nocivus corpori. Hoc autem secluso, sicut cessat omnino prædicta disconvenientia, nullumque jam manet doloris objectum ab igne causatum, debet etiam cessare prædictus dolor. Et quicquid sit de animabus, saltem respectu dæmonum evidens est, nullum dari objectum vel idem vel ejusdem generis aut rationis cum objecto, de quo dolet anima cor-

pori unita, propter adustionem vel læsionem ipsius corporis: igitur nec poterit dari in illis dolor ejusdem generis aut rationis: siquidem dolor et quilibet actus appetitus omnino sequi debet genus et conditionem objecti.

Quarta.

74. Quarta opinio constituit pœnam dæmonum et animarum in quadam qualitate deformativa et dolorifera ab igne illis impressa: non quæ afficiat per ordinem ad corpus vel locum extrinsecum, aut per ordinem ad operationes: sicut afficit qualitas quam nos posuimus ad eos alligandos: sed quæ illis in seipsis absolute disconveniat et noceat: sitque effectus talis qualitatis reddere ipsam substantiam dæmonis vel animæ fœdatam et deformem, sine eo quod aliquid ejus destruat vel corrumpat: sicut gratia reddit illam pulchram et ornatam. Ita Suar. ubi supra, præsertim loco cit. de Ang. cap. 14. Qui addit, posse opinari quod prædicta qualitas sit aliquid repugnans gratiæ et impossibile cum illa: ut ex hac repugnantia deformitatem illius notificet. Movetur vero ad ita existimandum, tum ex insufficientia aut impossibilitate cæterarum opinionum: tum etiam quia juxta hanc facilius explicatur pœna de qua loquimur: cum posita prædicta qualitate et deformatione ab ea causata, statim appareat objectum satis disconveniens et doloriferum, de quo dæmones et animæ tristari possint.

75. Sed neque ista opinio aliis Doctoribus probatur: tametsi primo aspectu majorem apparentiam et plausibilitatem præ se ferat. De qua proinde Vasq. cit. disput. 143, cap. 5, sic ait: *Hæc sententia eo plausibilior in Scholis visa est, quo magis sensum sequuta videtur, etc. Si tamen in hac re spirituali deseramus sensum, et sola ratione ducti, ut oportet, philosophemur, prædictam opinionem non minus quam alias, difficilem judicabimus.* Quod haud difficile erit probare. In primis vero prædictam qualitatem non posse esse aliquid contrarium gratiæ vel cum ea impossibile, perspicuum debet esse etiam apud Suar. Tum quia ponit illam non tantum in dæmonibus et animabus damnatis, sed etiam in iis quæ existunt in purgatorio ornata gratia et amicitia Dei. Ex eo enim quod in istis non videtur sibi sufficiens pœna alligatio quam nos posuimus, probat quasi a fortiori non esse sufficientem in illis, recurrendumque esse ad prædictam qualitatem deformativam. Tum etiam quia sola culpa mortalis, quæ opponitur Deo,

Refelli-  
tur.

Vasq.

habet repugnantium cum gratia, per quam ordinatur in illum : prædicta autem qualitas nihil habet de ratione culpæ, cum sit tota a Deo ut ab authore particulari : ergo non est quo pacto gratiæ repugnet.

Ex quo etiam habetur, effectum illius qualitatis esse non posse fœdare aut deforme reddere subjectum in quo est. Tum quia substantia spiritualis, cujus pulchritudo in refulgentia divini luminis consistit, per nihil aliud fœdari aut deformari potest nisi per culpam : sicut per nihil aliud potest reddi maculata et Deo invisâ. Tum etiam quia id solum fœdat et deformat aliquod subjectum, quod tollit ab eo aliquid pulchritudinis : prædicta autem qualitas nihil omnino tollit, ut etiam ejus authores fatentur : ergo, etc.

Alia  
impugnatio.

76. Sed aliunde etiam possumus impugnare hanc opinionem animadvertendo, ex duplici tantum capite posse aliquam formam disconvenire alicui subjecto : vel quia tollit ab eo aliquid consonum et conveniens : vel quia impedit, comprimit, aut retardat aliquam ejus inclinationem : sive talis inclinatio sit in ordine ad operandum vel non operandum, ut quæ fundatur in potentiis ; sive in ordine ad eminendum et excellendum, ut quæ tangit immediate substantiam et personam. Non enim videtur excogitabilis alius modus disconvenientiæ respectu cujuscumque creaturæ. Hinc vero formatur impugnatio. Nam qualitas quam asserit hæc opinio, non est disconveniens dæmoni priori modo : nihil enim ab eo tollit vel corrumpit, ut opinio ipsa fatetur : neque etiam posteriori, impediendo scilicet, comprimendo, aut retardando aliquam ejus inclinationem : quippe hæc retardatio aut compressio tota est effectus alligationis assertæ a D. Thom. ut § preced. vidimus : atque adeo non erit effectus prædictæ qualitatis, quæ a suis authoribus ponitur ut omnino ab alligatione distincta : nullo igitur modo potest esse illi nociva et disconveniens. Vide quæ diximus supra disp. 16, dub. 3, § 2, directe enim impugnant hujusmodi qualitatem immediate afficientem substantiam animæ vel dæmonis absolute, et non per modum unionis ad aliquid extrinsecum.

Effugium.

Occurrit Suar. his et similibus non satis ostendi repugnantiam suæ qualitatis : sed quod nos non possimus eam comprehendere, vel prout est in se, cognoscere : Unde (inquit) *omnia solvi possent vel illo verbo Augustini, quod ignis cruciat spiritus veris licet miris modis : vel illo Epist. 3. Demus, ali-*

*quid Deum facere posse, quod nos fateamur investigare non posse. Quibus similia sunt quæ dixit Hugo de S. Vict. lib. 2 de Sacramen. par. 16, cap. 3. Quomodo, inquirunt, animæ sine corporibus a rebus corporalibus pati possunt? Ecce dicamus, nescimus quomodo hoc fieri possit. Nunquid ideo verum non est, quia nescimus quomodo est? etc.*

77. Sed cum iste author initio illius cap. 14, minus probet doctrinam Gabrielis Vasq. qui innixus eisdem Augustini verbis dixerat, modum quo dæmones ab igne torquentur, esse nobis occultum et investigabilem ; non debuisset tam cito pro opinione noviter a se excogitata et majori fundamento destituta, ad fidei asylum confugere, et difficultatum solutiones intellectus captivitati committere. Eo præsertim quia si pro tuenda qualitate, quam neque possibilem minus vero aptam ad dæmones torquendos ratio ulla ostendit, neque Scholasticorum communis vel major consensus, sed unus (gravissimus licet), particularis Doctor introduxit, exigitur a nobis recursus ad arcana divinæ potentiæ, quæ credimus et non capimus, et huic committitur potissimum quod quærimus, dum nihil fere de natura et effectu prædictæ qualitatis alia via innotescit ; potiori jure licitus erit nobis talis recursus pro tuenda sententia D. Thomæ rejiciente hujusmodi qualitatem, reduceteque totam pœnam dæmonum ad alligationem explicatam, de qua non pauca distincte assequimur et tradimus : siquidem eam esse possibilem, imo et existere de facto Scholastici omnes fatentur : esse vero valde pœnalem, rationibus et exemplis § præced. adductis convincitur, et non parum declaratur. Potiori ergo jure pro aliquibus quæ circa hanc alligationem non ita animum quietant, concedendus erit nobis ille recursus, ut dicamus, eam non satis comprehendi pro hoc statu : longèque majus tormentum in illa contineri, quam concipere et enarrare sufficimus, et quam Suarez de sua qualitate concipere potuit : hacque ratione verum esse dictum Augustini, quod ignis cruciat spiritus veris, et miris seu occultis modis : et quod plus Deus ibi facit, quam nos possumus intelligere.

Refellitur.

78. Demum quinta sententia, quæ est Gabrielis Vasquez cit. disput. 143, cap. 6, ait, nulla alia via ex hactenus excogitatis posse dæmones torqueri ab igne, nisi ratione alligationis : concedendum nihilominus esse aliud genus pœnæ nobis omnino ignotum alligationi superadditum, ratione cujus verificetur

Ultima opinio Vasq.

rificetur

Suarez.



rificetur pœnam illam fieri miris et occultis modis juxta Augustini sententiam : circa quod tormenti genus (ait) satius erit nostram fateri ignorantiam, quam absque sufficienti fundamento aliquid affirmare. Circa animas vero dicit, hoc genus pœnæ superadditum alligationi esse manifestum : consistit vero in apprehensione, quod post corporum resurrectionem in ipsis corporibus ex eorum sensibili adustione dolorem patientur : jam enim pro nunc causat in eis non modicam tristitiam, quod videant se obnoxias ad sustinendum pro tunc prædictum dolorem : sicut qui videt se ad mortem vel triremes damnatum, tristatur ex quo lata est sententia, etiam ante pœnæ executionem. Ita Vasq.

Cujus sententia, quod attinet ad dæmones, ea solum ratione repugnationi obnoxia est, quod positive affirmet dari aliud tormenti genus nobis omnino occultum. Si enim hujusmodi tormenti neque in communi neque in particulari, confuse vel distincte aliqua extat notitia, unde illud positive affirmare possumus ? Aut unde scire possumus, omne genus tormenti cujus dæmones sunt capaces, non contineri sub alligatione explicata ; dum neque extra illam aliquid aliud apparet, neque eam, et totum quod claudit, comprehendimus ? Aliud esset neque negare neque affirmare hujusmodi tormentum distinctum ab alligatione, sed judicium circa illud suspendere. Hoc enim docibilitatis et prudentiæ esse posset. Tum quia intellectus ita se habens nulli errori exponitur : cum abstractantium non sit mendacium, ut Philosophus ait. Tum etiam quia rationes quæ totum negotium prædictæ pœnæ ad alligationem reducendum persuadent, non convincunt, nihil circa hoc nobis abscondi, aut soli Deo reservari. Sufficit autem ad securitatem et prælationem nostræ sententiæ, ut in iis quæ positive asserit, verum attingat, cæterarumque opinionum quæ hactenus excogitatae sunt, falsitatem ostendat, et objectionibus in contrarium adducendis occurrat ; quin ad incerta et occulta divinæ sapientiæ et potentiæ funiculum tetenderit.

79. Quod vero attinet ad animas, concedimus tristari ex apprehensione mali futuri, quod in corporibus patientur. Hoc tamen genus pœnæ quandiu illud malum solum ut absens respicitur, longe minus est pœna alligationis : et quicquid ex isto capite superadditur animabus, multoque plus potest dæmonibus accrescere sine recursum ad illum modum tormenti omnino

ignotum, per hoc quod eorum alligatio strictior sit, aut in ordine ad plura ut num. 85 magis declarabitur. Qui ergo pro animabus sufficiens tormentum judicat alligationem simul cum apprehensione illa futuri mali, necesse non habet, aliud omnino ignotum pro dæmonibus asserere : vel si hoc pro istis necessarium judicat, inconsequenter negat esse etiam pro illis asserendum : præsertim cum, ut dicemus infra, aliquæ sint animæ majori pœnæ obnoxia, quam aliqui dæmones. Manet ergo, sententiam nostram vel ex hoc non parum confirmari, quia quæcunque aliæ hactenus excogitatae sunt, aut impossibilia aut penitus ignota asserunt : et adhuc in ita assertis nihil alligatione majus aut horribilius pro dæmonum et animarum pœna detegunt.

## § VI.

*Proponuntur et diluuntur duæ præcipuæ objectiones.*

80. Superest ut occurramus objectionibus, quibus suaderi posset ultra alligationis pœnam quærendam esse aliam pro animabus et dæmonibus torquendis. Plures efformat Suarez, quarum aliquæ solutæ sunt in discursu hujus dubii : aliæ vero ex nostris principiis facile solvi possunt. Adducemus tamen præcipuas, quas urgere et amplius confirmare curabimus : quia ex earum satisfactione magis declarabitur sententia nostra, et quædam minutiora argumenta sine labore superabuntur. Objicies ergo primo, quod in sacra Scriptura assignatur aliud genus pœnæ respectu animarum proveniens ab igne præter hoc quod est teneri et esse in ipso igne, ut constat ex illo Luc. 16 : *Quia crucior in hac flamma.* Non dixit, quia sum in hac flamma, sed quia crucior in illa : ut ostenderet, potissimum cruciatum non consistere in detentione vel alligatione ad illum locum, sed in alio quod ibi existentibus et ligatis ex flamma ignis superadditur. Pro qua objectionem sunt alia Scripturæ testimonia, et etiam SS. Patrum, quæ Suar. adducit, et eandem vim continent.

Potest vero ratione confirmari. Tum in animabus puerorum in limbo existentibus : quæ manent, manebuntque semper detentæ et alligatæ in illo loco ; et tamen nihil inde tormenti aut pœnæ sensus accipiunt. Tum etiam in illis quæ existunt in purgatorio :

ensura  
hujus  
opinio-  
nis.

Prima  
objectio.

Conflr-  
matio.

quæ ultra pœnam damni et dolorem ex ea proveniente, torquentur vehementissima pœna sensus : et tamen si hæc pœna in sola alligatione consisteret, nihil fere pœnæ damni superadderet. Nam eo ipso quod prædictæ animæ manent prohibitæ pro tempore sui purgatorii a visione Dei, manent quoque pro eodem tempore exclusæ a loco cœli, adeoque destinatæ ad commorandum in aliquo alio infra cœlum : quod autem hic locus sit terra, aqua, ignis, vel aer, si nihil aliud quam detentionem pro prædicto tempore ibi recipiunt, parvam vel nullam pœnam superaddere videtur : cum tota ratio hujus pœnæ in eo consistere possit, quod detentæ in tali loco, a loco cœli prohibentur. Alia igitur via quærenda est illarum pœna sensus, ut sit adeo gravis sicut docemur, et distinguatur a pœna damni.

*Confirmatio secunda.* Confirmatur secundo : quia inferiores dæmones ligantur multoties a superioribus certis corporibus et locis, eorumque imperio ibi detinentur, ut supra diximus : et tamen non credimus, pati in ea alligatione (esto sit eis pœnalis) ita acerbum cruciatum, sicut in inferno ab igne patiuntur : non ergo patiuntur ab isto per solam alligationem.

*Confirmatio tertia.* Confirmatur tandem : nam si dæmones per solam alligationem ad ignem paterentur, in multis nulla esset pœna sensus ante diem iudicii : quandoquidem multi nondum sunt, neque erunt usque ad diem illam inferni ignibus alligati, aut ibi detenti ; sed manent apud nos, et discurrunt per istum aerem et alia loca, ut Theologi communiter admittunt. Quin etiam in aliquibus ex illic jam inclusis cessaret prædicta pœna, quoties ad tempus inde egredi permittuntur. Utrunque autem est inconueniens : ergo, etc.

*Diluitur objectio.* 81. Respondetur objectionem hanc et alias similis formæ procedere ex defectu intelligentiæ sententiæ D. Thomæ ; quasi alligatio ab eo posita præcise dicat simplicem quandam præsentiam ad ignem tanquam ad locum, vel simplicem et nudam permanentiam in illo. Sic enim loquendo de prædicta alligatione, satis convincitur non esse totam, imo neque præcipuam pœnam sensus, quam dæmones et animæ patiuntur. Cæterum si consideremus, præsentiam et permanentiam illam non esse ita nudam et simplicem, ut adversarii autumant ; sed cum magna depressione et subjectione ipsorum dæmonum ad ignem alligantem, magnoque cum dominio et imperio hujus supra illos : et

attendamus, qualiter per prædictam alligationem eorum impetus et inclinationes comprimantur et coerceantur, cæteraque id genus disconuenientia quæ § 4 explicuimus, cessat objectio. Siquidem hæc omnia gravissimum addunt cruciatum supra præsentiam et detentionem in igne præcise ut in loco, ac nude sumptam : et ratione hujusmodi superadditi verificantur testimonia Scripturæ et Patrum distinguendum inter hoc quod est esse in igne vel in inferno, et cruciari ibi ab ipso igne.

Ad primam confirmationem quantum ad animas in limbo existentes, dicemus dub. seq. num. 106, cur detentio in illo loco non sit eis pœnalis. Quod vero attinet ad illas quæ sunt in purgatorio, constat ex modo dictis, pœnam earum non consistere in eo præcise quod circa hunc vel illum locum extra cœlum commorentur ; sed in subjectione, depressione, et violentia explicatis, quæ non minus habent locum in illis, quam in dæmonibus et damnatis animabus : constituuntque magnum tormentum distinctum a tota pœna damni.

Per quod patet etiam ad secundam confirmationem : quia alligatio inferiorum dæmonum a superioribus non fit per subjectionem et depressionem ad loca vel corpora quibus alligantur : non enim hæc agunt tunc in ipsos dæmones, aut eos sibi subjiunt, sed magis contra : alligantur vero per electionem propriæ voluntatis simul cum aliqua operatione quam ibi exerceant, ut explicuimus num. 51, et ita non est cur talis alligatio sit eis multum pœnalis.

82. Ad tertiam ut occurramus, observa, *Doctrinam pro diluenda tertia confirmatione.* ignem inferni dupliciter posse concurrere ad alligandos dæmones : vel active et terminative simul, quia eos sibi ipsi alligat, seu quia efficit in illis alligationem, et simul est locus vel terminus cui immediate alligantur, et in quo alligati detinentur. Vel solum active, efficiendo nimirum qualitatem, per quam alligantur et fiunt præsentibus aliis locis ubi detinentur, aut per quæ ligati ducuntur.

Secundo nota, potissimum pœnæ quam dæmones ab igne patiuntur, non consurgere ex terminatione alligationis, sed ex ejus efficientia et inflictione : quia ex hac oritur subiectio et depressio illius cui infligitur : non enim terminus præcise ut talis, sed agens subjiunt sibi passum : in qua subjectione prout infert vel includit applicationem definitivam dæmonis ad locum limitatum

Ad primam confirmationem.

Ad secundam.

Doctrinam pro diluenda tertia confirmatione.

mitatum et determinatum, quicumque ille sit, et ad determinatas operationes, et prohibitionem ab aliis, pœna et violentia principaliter consistit. Ex quo fit, quod dum ignis active alligat dæmonem, sive alliget sibi, sive alteri loco, eodem modo cruciat illum : differentia enim loci de materiali se habet ad effectum et pœnalitatem prædictæ alligationis.

Denique observa, quod cum instrumenta divinæ virtutis possint agere in distans etiam non agendo in propinquum, ut constat in Sacramentis, Deusque specialiter ignem inferni assumpserit ut instrumentum ad torquendos dæmones ; nihil prohibet quod prædictus ignis illic manens causet in dæmonibus extra infernum existentibus qualitatem alligantem et torquentem illos : sive loquamur de alligatione quæ est in ordine ad operationes et afficit potentias ; sive de illa quæ est ad locum, et afficit ipsam substantiam. Nam licet ille ignis dæmones a se distantes non alliget sibi ipsi ut termino cui fiunt præsentés, alligat tamen aliis locis, ubi detinentur, vel per quæ moventur et discurrunt, quantuncumque ab eo distantibus : quatenus sive detineantur in illis, sive per ea discurrant, totum fit ex impulsu et virtute illius qualitatis alligativæ, quam ab igne recipiunt. Hac enim tenentur aliquando immobiles in uno loco, ut inde non possint discedere ; aliquando vero ab uno in alium semper ligati etiam velocissime trahuntur : operante id totum igne per prædictam qualitatem. Habet enim se ista qualitas et alligatio quasi frænum et catena, quæ ignis dæmonibus injicit, et quibus regit et circumfert illos per quæcumque spatia discurrunt : vel etiam cogit, ut sistant et ab uno in alium non transeant ; imo et ad tartarum dum fuerit tempus, recludet. Veluti cum feræ funibus alligatæ per circum vel oppidum agitantur, et discurrere permittuntur, semper incedunt subjectæ rectori funem tenenti, et per illum quoquo vult, dirigenti, et cum vult, recludenti : nunquamque ab ejus alligatione et subjectione expediuntur.

83. Ex his ad prædictam confirmationem dicimus, negata sequela, dæmones ubicumque sint vel quacumque discurrant, pati æqualiter ab igne gehennali per alligationem : quia ubicumque sint, et quacumque discurrant, sunt ibi et discurrunt constricti et ligati per qualitatem a prædicto igne impressam ; et nunquam ab hac alligatione, proindeque ab igne alligante se expediunt.

Et propterea dixit Glos. ex Beda ad illud Jacob. 3 : *Inflammata a gehenna. Sicut gehenna semper ardet, sic diabolus ubicumque sit vel in aere, vel sub terra, secum fert tormenta suarum flammaram.* Dicitur vero ferre secum flammaram tormenta, quia ubicumque sit, et quocumque tendat, fertur illuc, teneturque ibi ex vi motionis et alligationis impressæ ab igne : et hoc est ferre secum ignem, non in se, sed in suo effectu. Quod autem locus cui dæmones alligantur et fiunt præsentés, sit ipsemet ignis alligans, seu spatium inferni ubi existit, vel sit iste aer, aut quodcumque aliud corpus, de materiali se habet ad prædictam pœnam, et nihil vel parum eam auget vel minuit. Sicut etiam parum ad id refert, quod maneant immoti in uno loco, vel quod per plura discurrant : quia cum tam permanentia quam discursus sit effectus illius alligationis (adhuc enim dum moventur et discurrunt, ligati incedunt, et ex vi alligationis) in omnibus importatur illa suppressio et subjectio ad ignem, simul cum alligatione potentiarum circa operationes (quam nullibi etiam amittunt) in quibus alligationibus sita est principalis pœna et violentia quam dæmones patiuntur. Aliam solutionem invenies apud D. Thom. 1 par. qu. 64, art. 4 ad 3, quam Suar. impugnat : ab ejus tamen impugnationibus potest facile vindicari adjuncta ista doctrina : quod brevitatis causa omittimus.

84. Secundo objicies, sequi ex nostra sententia, pœnam sensus tam dæmonum quam animarum esse æqualem in omnibus, saltem quoad præcipuum in quo consistit : consequens manifeste est falsum : siquidem prædicta pœna debet esse adæquata vel proportionata demerito et peccatis uniuscujusque, quæ inæqualia sunt : ergo etc. Sequelam vero probat ita Suar. : *Quia pœna illa alligationis vel detentionis non recipit magis aut minus : quia positiva præsentia in loco est indivisibilis et totalis in singulis tam in suo esse quam in ratione commodi vel incommodi respectu uniuscujusque personæ. Quamvis enim cogitari possit quasdam partes illius carceris esse viliores aliis vel quia sunt situ inferiores, vel quia vilioribus et putridioribus corporibus sunt plenæ, ut sulphure, excrementis, stercore, vel similibus : nihilominus respectu spirituum hæc varietas fere nullius momenti est ad augendam pœnam sensus propriam, si omnia illa corpora nullo alio modo affligunt spiritum, nisi detinendo illum in tali loco : quia loci*

Gloss.  
ordin.

D.Thom.

Secunda  
objectio.

Suarez.

*qualitas corporalis nihil spiritui nocet.* Hæc ille.

Confir-  
matio.

Et confirmari potest hæc obiectio : nam etiam sequeretur, animas in purgatorio existentes pati æqualem pœnam sensus saltem intensive, atque illæ quæ in inferno sunt : siquidem etiam talis pœna consistit in alligatione, quæ non suscipit magis vel minus : ergo etc.

Solutio.

85. Respondetur, hanc etiam objectionem procedere ex defectu intelligentiæ doctrinæ D. Thom. quasi nomine *alligationis*, in qua constituit prædictam pœnam, solum intelligatur nuda quædam præsentia ad illum locum vel corpus, cui dæmones et animæ alligari dicuntur. Quamvis enim adhuc sic discurrendo possit (saltem quod attinet ad dæmones tam inter se quam respective ad animas) non difficile assignari inæqualitas in prædicta pœna : quia juxta inæqualitatem suppositorum quibus applicatur, esset magis vel minus violenta et pœnalis existentia et detentio in illo loco : sicut idem carcer et eadem vincula reputantur major pœna respectu viri nobilis, quam respectu plebei, licet in neutro ponant aliud quam detentionem : at juxta doctrinam D. Thom. ut a nobis expositam facilius evanescit obiectio, cum multo melius ex hoc et ex aliis capitibus assignari possit inæqualitas valde substantialis in prædicta alligatione. Cum enim hæc sit pœnalis propter violentiam quam infert cohibendo naturalem inclinationem, et retundendo voluntatis impetus sive ad intelligendum sive ad operandum, oportet, ut sicut naturæ et inclinationes singulorum dæmonum inæquales sunt, sic prædicta violentia et pœna quantum est ex istis capitibus, sit in singulis inæqualis : in superiori major, et in inferiori minor proportionate ad excessum quem ipsi in natura servant. Et similiter oportet, ut quantum est ex isto capite, in quolibet dæmone sit major, quam in anima rationali, propter prædictum excessum in natura.

Deinde etiam respectu ejusdem animæ vel dæmonis potest prædicta alligatio crescere. Tum extensive : sive quia ligat in pluribus operationibus, et in paucioribus libertatem relinquit : sive quia patientem subjicit pluribus agentibus et ligantibus : ut si non tantum ab igne, sed etiam ab aqua, terra, sulphure, et aliis corporibus alligatio fiat : nam quo hæc plura fuerint, eo ex isto capite major erit subjectio et depressio patientis, utpote cui plura dominantur, a pluribusque suppeditatur et deprimitur.

Tum etiam potest crescere intensive : quia adhuc respectu ejusdem operationis potest esse arctior necessitas quæ imprimitur potentia, et circa objectum magis contristans : sicut etiam respectu ejusdem agentis seu alligantis potest dari major subjectio et major depressio per hoc quod tale agens majori virtute supra passum extollitur, strictiusque illud sibi devincit, ac magis sub se comprimit : et etiam augeri potest ex intensiori apprehensione omnium quæ diximus num. 67, et majori eorum perpensione, sine qua non contristarent. Denique ut alia omittamus, ex majori obstinatione et depravatione voluntatis patientis crescent non parum hæc omnia propter majorem resistentiam qua divinæ justitiæ ordinanti illa supplicia reluctatur. Ex his omnibus et aliis capitibus recipit augmentum prædicta alligatio et ejus pœna : adeoque falsum est eam in indivisibili consistere, aut non suscipere *magis et minus*, ut ait Suar. Cujus proinde probationes, quia ex falsa hujus suppositione procedunt, solutione non indigent. Et sane cum prædicta alligatio sit qualitas primæ speciei, juxta dicta num. 36, sine fundamento negaretur ei latitudo intensiva, quæ cæteris qualitatibus illius speciei communiter conceditur.

86. Per quod patet ad confirmationem : Solutio confirmatio- nis. nam cum prædicta alligatio et pœna ex tot capitibus augmentum et diminutionem recipiat, non est necesse ut in animabus purgatorii ad eum gradum sive intensionis sive extensionis pertingat, quem damnatæ animæ in inferno patiuntur. Per quod non negamus posse prædictam pœnam ex aliquibus capitibus augeri in purgatorio supra id quod eisdem ex capitibus habet in animabus damnatorum : non enim est cur hujusmodi augmentum de potentia absoluta repugnet.

An vero de facto aut secundum communem legem possit ita contingere, ut aliquis Difficultas. justus majorem pœnam sustineat in purgatorio, quantum est ex illis capitibus, quam aliquis damnatus patiat in inferno, non omnino constat inter Theologos. Nam Medina in præsentī art. 4, Alvar. Disputat. Medina. Alvar. 183, parti subscribunt negativæ, existimantes, pœnas inferni esse alterius ordinis et rationis ab iis quæ in purgatorio sunt, et ideo quantuncumque istæ crescant, non posse ad illarum gravitatem pertingere. At vero Curiel dub. 2, Montes. disp. 18, num. 39, affirmativam partem tuentur : quæ etiam est Durandi in 4, dist. 21, quæst. 2

ad

Capreol. ad 1, et videtur Capreoli in 2, dist. 5, art. 3 ad 7, et Cajet. hac prima secundæ quæst. 88, artic. 4. Et quia huic parti favet ibi D. Thomas, quatenus loquens de pœnis peccato mortali et veniali correspondentibus, dicit: *Fortè quantum ad pœnam ignis non sunt improportionabilis pœnæ.* Et exponit Cajet. ly *Fortè*, quod non est dubitantis, sed non determinantis, idcirco veram eam arbitramur. Adeoque non reputamus inconveniens, quod aliquis justus ab hac vita decedat cum tanta multitudine peccatorum venialium, aut cum tanto onere solvendi pro mortalibus dimissis quoad culpam et non quoad pœnam temporalem, ut acerbiorē pœnam sensus (loquimur de acerbitate proveniente solum ex aliquibus capitibus) tempore sui purgatorii sustineat, quam aliqui damnati pro uno vel altero peccato mortali æternaliter sustinebunt.

Diximus loqui de acerbitate proveniente ex aliquibus capitibus: quia pensatis omnibus, ex quibus augetur pœna sensus, uti sunt renitentia voluntatis, vermis conscientia, apprehensio æternitatis pœnæ, et similia, quæ in animabus purgatorii locum non habent, nulla earum pœna ex iis quæ ad pœnam sensus pertinent, adæquare potest illam quam animæ damnatæ pro quovis peccato mortali patiuntur. Quia alligatio ignis inferni ut associata omnibus prædictis, fit malum superioris rationis ab eo quod potest esse in animabus justis quantuncumque peccatis venialibus oneratis. Et in hoc sensu forte loquuti sunt Alvar. et Medina, dum negant, pœnam sensus debitam pro peccatis venialibus, quantuncumque crescat, posse adæquare illam, quæ debetur pro quolibet mortali.

### § VII.

*Aliæ objectiones proponuntur, et enervantur.*

87. Tertia objectio per oppositum præcedentis insurgit ex ejus solutione: quia ex illa et ex tota nostra doctrina videtur sequi, pœnam sensus animarum non posse ita crescere etiam de potentia absoluta, ut adæquet pœnam dæmoniorum, quantuncumque hæc minuatur: hoc autem absolute est falsum: ergo etc. Falsitas consequentis in comperto est. Tum quia non est negandum divinæ potentia, quod possit augere pœnam animarum amplius et amplius in infinitum syncategorematicè, seu quod data quacumque possit aliam majorem infligere; sicut

ex parte ipsarum animarum, datis quibuscumque peccatis et demeritis, possunt dari majora et majora sine termino aut fine: cum autem pœna dæmonum sit limitata et finita, oportet ut per augmentum majoris et majoris pœnæ animarum tandem adæquetur et superetur. Tum etiam quia sicut de facto concedimus aliquibus hominibus beatis majora merita, quam aliquibus Angelis, quibus proinde concedenda est major gloria; ita non est negandum, quod aliqui reprobi discedant ab hac vita cum majori demerito, quam fuit demeritum aliquorum dæmonum: quare ut æquitas divinæ justitiæ in eorum punitione servetur, oportet, ut ejusmodi homines severius quam illi dæmones torqueantur. Sequela vero probari potest, primo, quia sicut natura animæ rationalis non adæquat celsitudinem et eminentiam naturæ cujuscumque dæmonis, ita non est capax tantæ depressionis: nec potest esse ita violentum illi hoc quod est *subjici et humiliari*, sicut isti. Deinde non potest esse ita vehemens inclinatio animæ sive ex parte naturæ sive ex parte potentiarum, sicut est inclinatio dæmonis ex utroque capite: sicut neque illa est ita immaterialis et activa, sicut iste: ergo neque illi potest esse ita violenta et disconveniens cohibitio et refrænatio prædictarum inclinationum, quæ fit per alligationem explicatam, et in qua prædicta pœna consistit.

Confirmatur: nam valde probabile est animam rationalem a corpore separatam non habere potentiam ad se movendum, neque ad aliquid ad extra exequendum: nosque id admisimus in tract. de Angel. disput. 2, num. 89, ergo non est capax illius violentiæ et disconvenientiæ, quam dæmones patiuntur ex parte potentia executivæ ad extra, et ex parte inclinationis ad movendum seipsos in quencumque locum.

88. Huic objectioni posset aliquis respondere, pœnas dæmonum et animarum ex alligatione provenientes esse diversi ordinis, propter diversitatem naturarum quibus insunt; et ita etiamsi pœna dæmonis sit limitata, non posse adæquare per pœnam animæ, quantuncumque hæc in suo ordine crescat: sicut nulla pœna corporalis quantuncumque crescat, adæquabit pœnam alligationis animæ eo quod sunt diversi ordinis. Ad hoc autem ut æquitas divinæ justitiæ resplendeat in punitione hominis, qui plura aut graviora peccata quam aliquis dæmon commisisset, satis est, si proportionate ad

excessum peccatorum inferatur ei pœna : ita ut crescente amplius demerito, pœna etiam amplius crescat : et si illud crescat in infinitum syncategorematicè, eodem quoque modo crescat ista : quamvis totum hoc augmentum non adæquet pœnam datam dæmoni pro quolibet peccato. Sicut species vel individua ordinis inferioris, v. g. animalis etiamsi multiplicentur in infinitum, non omnino adæquabunt unam speciem ordinis superioris, puta Angeli. Quam solutionem neque approbamus, neque reprobamus, sed lectoris iudicio relinquimus.

Vera solutio objectio- nis.

89. Respondemus vero negando non falsitatem consequentis, sed illationem. Quamvis enim dæmones saltem majori ex parte severiori pœna quam homines puniantur, sicut major saltem pars gravius deliquerunt : negandum tamen non est posse Deum severius punire animas, quam illos : imo et quod in aliquibus de facto ita contingat. Ad utranque autem probationem concedendum est pœnam dæmonum ex illis capitibus, adeoque cæteris paribus majorem esse pœna cujuscumque animæ : quia vero totus hic excessus finitus et determinatus est, nihil obest quo minus adæquari et superari possit ex aliis capitibus, ex quibus pœna animarum potest in infinitum syncategorematicè augeri. Hæc autem capita saltem erunt duo, quæ explicuimus num. 85. Videlicet intensio alligationis, seu qualitatis per quam fit : nulla est enim ratio cur illa qualitas non suscipiat majorem et majorem intensionem ultra quencunque certum gradum : sicut suscipiunt cæteræ qualitates primæ speciei. Quanto autem fuerit intensior, tanto strictiorem causabit alligationem, subjectionem, et depressionem in supposito alligato, proindeque tanto majorem pœnam. Aliud caput est extensio hujus subjectionis et depressionis respectu plurium agentium alligantium : nam hæc etiam possunt multiplicari ultra quencunque numerum : et quo fuerint plura, erit subjectio pœnaliior. Poterit ergo pœna animarum ex istis capitibus amplius et amplius in infinitum syncategorematicè crescere, et sic crescens pervenire ad quantitatem pœnæ dæmonum, quantuncumque ex aliis capitibus magna sit, siquidem tota hæc quantitas est determinata et finita : et nullum est finitum determinatæ quantitatis, quod non possit adæquari et superari per augmentum continuuum alterius finiti.

Solvitur confirmatio.

90. Ad confirmationem dici posset, quod sicut anima separata a corpore non habet

ex se species intelligibiles proprias illius status ; debentur tamen illi connaturaliter connaturalitate illius status, et de facto a Deo tribuuntur : ita quamvis ex seipsa non habeat virtutem activam ad se et alia movenda (quod et nihil aliud docet D. Thomas loco cit.) debetur tamen illi connaturaliter, connaturalitate illius status, et de facto tribuitur talis virtus, ut explicuimus in tract. de Ang. disput. 2, num. 89. Quod si negetur deberi illi prædictam virtutem qua se moveat ; saltem negandum non est inesse ei potentiam passivam naturaliter exigentem, quod moveatur ab alio : sicut cœlum naturaliter exigit moveri ab intelligentia. Unde sicut ratione hujus exigentiæ esset cœlo violentum non moveri ; ita ratione illius potest esse violentum animæ non moveri, aut saltem esse ligatam, ut nunquam juxta placitum suum moveatur.

Deinde respondetur etiam a motu locali et ab operationibus ad extra, inesse animæ separatæ naturales inclinationes, in quarum alligatione possit violentiam pati : uti est inclinatio qua exigit non subjici corpori neque ut agenti neque ut loco : quoad hoc enim sequitur conditionem naturæ angelicæ, quamvis in inferiori gradu. Et inclinatio ad exercendam potentiam intellectivam juxta placitum voluntatis. Et quia utriusque istius inclinationis alligatio potest ex duobus capitibus nuper expositis crescere in infinitum syncategorematicè, consequenter pœna inde suborta ; eodem modo crescens potest quancumque aliam limitatam et finitam supercedere. Adde, superesse aliud caput, unde pœna animæ posset in infinitum syncategorematicè augeri : nimirum ex pœna futura corporis, quæ potest continuum recipere augmentum : ex prævisione enim hujusmodi pœnæ dolet ipsa anima, antequam corpori reunia- tur ; dolebitque incomparabiliter magis, dum fuerit reunita.

91. Quarto sic objicit Suarez. Nam sequitur, homines in corpore et anima damnatos pati graviorem pœnam ignis, quam patiuntur dæmones et etiam animæ ipsorum hominum a corporibus separatæ : consequens non videtur admittendum : ergo, etc. Sequelam probat : quia dæmones et animæ separatæ nihil mali patiuntur ab igne præter incarcerationem et alligationem : at vero post diem iudicii animæ unitæ corporibus sustinebunt eandem pœnam, et quodammodo majorem, quatenus etiam corpora erunt eidem carceri perpetuo addicta :  
et

Quarta  
objectio  
Suarez

et præterea cruciabuntur animæ speciali pœna ignis mediis corporibus : sicut modo quicquid corpus patitur, ab anima ipsa percipitur et causat in voluntate dolorem.

Hoc tamen argumentum militat eodem modo contra suum auctorem, ut ipse etiam prævidit : nam cum ponat, dæmones et animas separatas cruciari per impressionem illius qualitatis deformativæ quam diximus nu. 74 et hæc pœna non cesset in anima adveniente corpore ; addatur vero illa, quam ex corporis incarceratione et adustione patitur, eodem modo juxta ejus sententiam sequitur, animarum pœnam futuram esse majorem post corporum reunionem, quam modo sit. Quare non est nobis necessarium alia solutione uti, nisi quam adhibet prædictus auctor paulo inferius, ut propriam doctrinam a proposita objectionem tueretur.

Suarez. his verbis : *Respondeo, non esse inconveniens, quod post judicium universale pœna animarum extensive crescat, vel mutetur aliquo modo, novam pœnam ignis sustinendo, et antiquam simul retinendo. Nam hæc est quasi essentialis in suo ordine, utique pœnæ sensus, et debetur animæ quatenus spiritualis mens est, et in superiori parte mentis suæ peccatum consummat. Illa vero quæ mediante corpore additur, est accidentalis, et ideo denuo advenire potest. Quia licet illam meruerit, quatenus per corpus peccavit, antea seu in statu separationis non erat capax illius pœnæ; quamvis loco illius afflictionem magnam ex cogitatione et apprehensione illius pœnæ futuræ et addendæ post diem judicii jam sentiat. Sicut in animabus beatis post resurrectionem crescat gloria et gaudium beatificum extensive quoad corporis participationem, et animæ quatenus per corpus sentit et delectatur, quia illud præmium etiam meruit bene per corpus operando, vel in illo propter Christum patiando : non potuit autem illud ante resurrectionem recipere, quia illius non erat capax; licet loco illius aliud genus gaudii ex certa expectatione futuræ claritatis gloriosæ prius acceperit. Unde ad comparisonem quæ cum dæmonibus, concedo in hominibus et eorum animabus posse esse plures modos pœnarum, quam sint in dæmonibus, sicut sunt plures modi cognitionum, et operationum, ac delectationum. Hoc ergo sequitur ex diversitate naturarum, et potest optime consistere cum æquitate justitiæ. Nam sicut unum peccatum dæmonis potest multis peccatis hominis æquivalere, ita una pœna sensus in dæmone potest plures humanæ animæ pœnas excedere. Hæc Suar. et bene pro omnibus.*

92. Objicies quinto, quod in damnatis sunt multiplices pœnæ sensus juxta diversa eorum peccata : nam ut communiter dici solet, et tradunt non semel SS. Patres, aliter cruciabuntur ibi superbi et ambitiosi, aliter avari, aliter luxuriosi etc. sed in alligatione a nobis tradita nequeunt tot pœnarum genera distingui : ergo etc.

Ad hanc objectionem (quæ eandem vel majorem vim habet contra sententiam Suar. et alias quas § præced. rejecimus, ut intuenti constabit) respondetur, prædictam locutionem de multiplicitate pœnarum juxta diversitatem peccatorum sufficienter verificari tum ratione pœnarum corporalium, quas damnati a die judicii in multiplici diversitate sustinebunt, ex quarum apprehensione ipsæ etiam animæ ex nunc non leviter cruciantur, ut tetigimus num. 90. Tum etiam ratione alligationis a nobis explicatæ : quatenus per eam fit, ut anima non possit intellectum divertere a cogitatione illorum peccatorum, propter quæ punitur : quæ sane cogitatio erit ei valde pœnalis, dum semper illi præsentem reddit causam suæ damnationis : et pro diversitate talis causæ erit suo modo diversus cruciatus ex prædicta cogitatione proveniens : sicut in hac vita dum impius peccat, pro diversitate objectorum delectabilium circa quæ peccat, diversam capit delectationem : eadem enim quæ modo ut delectabilia cogitata delectant ; tunc apprehensa ut causa perpetuæ damnationis diversum inferent cruciatum.

93. Denique objicies, quod alligatio a nobis explicata eodem modo posset fieri a terra, aqua, vel aere, sicut fit ab igne : ergo si ab hoc nulla alia suboritur pœna in animabus et dæmonibus, non est cur ipse potius quam cætera elementa ad prædictum effectum assumatur.

Hæc objectio solvenda est fere ab omnibus : nam vix est qui asserat, ignem efficere aliquid in spiritibus damnatis, quod facere non possent cætera elementa, vel quodcumque aliud corpus, si ad id munus divina virtute elevarentur, sicut elevatur ignis. Quare hujus prælectio non necessitatis fuit, sed solius divinæ voluntatis. Aliquas tamen congruentias assignat D. Thomas Quæst. de Anim. articul. 21, ad 18, ubi solvit propositam objectionem his verbis : *Dicendum, quod pœna gehennæ non solum est animarum, sed etiam corporum : propter hoc ponitur ignis maxime pœna gehennalis, quia est maxime corporum afflictivus. Nihil-*

Objectio  
ultima.

Solutio.  
D. Thom.

*minus tamen et alia erunt afflictiva, secundum illud Psal. 10 : Ignis, sulphur, etc. Competit amori inordinato, qui est peccandi principium, ut sicut cælum empyreum correspondet igni charitatis, ita ignis inferni respondeat inordinatæ cupiditati.*

Bannez, Addit Bannez ubi supra, conveniens esse ut sicut ignis est maxime activus, terra vero maxime passiva et resistiva; ita ille assummeretur ut instrumentum ad agendum in damnatos, ista vero ut carcer et locus in quo detinerentur et paterentur. *Itaque (inquit) duo elementa concurrunt quasi vice totius naturæ corporeæ ad puniendos damnatos : et infimum, scilicet terra, et supremum, nempe ignis : quorum primum passive tantum se habet, tanquam locus in quo dæmones detinentur : secundum vero habet se active detinendo. Et in hoc servatur debita proportio elementorum : terra enim aptior est ad patiendum et sustinendum; ignis vero quia maximæ est activitatis, aptissimus est ad agendum.* Omittimus alia argumenta minoris difficultatis, quia ex dictis facile solvi possunt.

### DUBIUM III.

*Utrum pueri decedentes cum solo peccato originali puniantur pœna sensus : aut ex pœna damni tristitiam patiantur?*

Supponimus, quia de fide est, prædictos pueros subituros in perpetuum pœnam damni, quæ est carentia visionis beatificæ : sicut enim ablata radice arboris, sequitur necessario carentia fructus : ita amissionem gratiæ necessario consequitur carentia beatificæ visionis : atque adeo debita est pro quolibet peccato gratiam auferente : sicut aufert originale et quodcumque mortale. Atque eodem modo supponimus, adultos qui ob propria peccata damnantur, utraque pœna, tam sensus scilicet quam damni fore puniendos : quod æque certum et de fide esse satis constat ex dictis in hac disputatione et disputatione præcedenti præsertim dubio 3. Quare circa subjectum pœnæ, seu circa supposita quibus tribuenda est, id solum examinandum occurrit, quod de prædictis pueris inquirimus : an scilicet correspondeat illis in alia vita sive in statu separationis animæ a corpore, sive post corporum resurrectionem aliqua pœna sensus : aut saltem an ipsa pœna damni quam patientur, sit illis causa alicujus mœstitiæ, tristitiæ aut doloris?

### § I.

*Deciditur prima pars dubii.*

94. Dicendum est primo, pueris decedentibus cum solo originali nullam esse pœnam sensus, sed dumtaxat pœnam damni. Hæc assertio est communis inter Theologos, paucissimis exceptis, quos infra referemus. Probat illam ex professo D. Thomas in 2, dist. 33, quæst. 2, art. 1 et ad Hannibald. ibidem art. 4, et Quæst. 5 de Mal. art. 2. Ex quo duas depromemus rationes. Primam sic proponit : *Pœna proportionatur culpæ : et ideo peccato actuali mortali, in quo invenitur aversio ab incommutabili bono, et conversio ad bonum commutabile, debetur et pœna damni, scilicet carentia visionis divinæ respondens aversioni, et pœna sensus respondens conversioni. Sed in peccato originali non est conversio, sed sola aversio, vel aliquid aversioni respondens, scilicet destitutio animæ a justitia originali. Et ideo peccato originali non debetur pœna sensus, sed solum pœna damni, scilicet carentia visionis divinæ.*

Neque obest, si objicias : tum quod voluntas illorum puerorum non potest esse habitualiter aversa a Deo, nisi sit ad alium finem habitualiter conversa : ergo falso supponitur nullam dari in originali peccato conversionem. Eo præsertim quia concupiscentia, quam nos disput. 16, dub. 4, ad peccatum originale pertinere diximus, importat inclinationem ad bona sensibilia adeoque conversionem ad illa : jam ergo est ibi aliqua conversio. Tum etiam si objicias, quod pueri illi puniuntur non solum propter peccatum originale quod in se contrahunt, sed etiam pro actuali quod in Adamo commiserunt : nam etiam istud fuit vere eorum peccatum et demeritum : in prædicto autem peccato actuali non fuit sola aversio, sed etiam conversio ad bonum vetitum vel ad propriam excellentiam : ergo etc. Tum denique quod juxta dicta disp. præced. num. 95, pœna sensus non debetur soli conversioni, sed etiam aversioni : ergo etiam si hæc sola detur in prædictis pueris, erit illis debita pœna sensus.

95. Respondetur enim ad primum, quod etiam si admitteremus in illis pueris aliquam conversionem habitualement vel ratione concupiscentiæ, vel aliunde, seclusa tamen actuali, non ideo deberetur eis pœna sensus : quia hæc non correspondet habituali conversioni

D.Thom.

Prima ratio.

Objectiones.

Diluitur.



conversioni secundum se præcise sumptæ : sed correspondet conversioni actuali, vel habituali ut eidem actuali associatæ et moraliter conjunctæ. Quæ solutio est D. Thomæ loco citat. de Mal. ubi sic ait : *Pœna sensus nunquam debetur habituali dispositioni : non enim aliquis punitur ex hoc quod est habilis ad furandum, sed ex hoc quod actu furatur. Sed habituali privationi absque omni actu debetur aliquod damnum, puta qui non habet scientiam literarum, ex hoc ipso indignus est promotione ad episcopalem dignitatem. In peccato autem originali invenitur quidem concupiscentia per modum habitualis dispositionis, quæ parvulum facit habitilem ad concupiscendum, ut August. dicit, adultum autem actu concupiscentem : et ideo parvulo defuncto cum originali non debetur pœna sensus, sed solum pœna damni: quia scilicet non est idoneus perducere ad visionem divinam propter privationem originalis justitiæ.*

Deinde respondetur, conversionem habitualem in pueris repertam sive ratione concupiscentiæ sive ratione inclinationis ad bonum proprium, non esse formaliter malam, neque pertinere ad peccatum originale pro formali, sed solum pro materiali: pœna autem non debetur peccato ratione ejus quod de materiali tantum importat; sed ratione malitiæ et inordinationis quam dicit de formali. Unde quando D. Thom. ait pœnam sensus deberi conversioni, intelligendus est de conversione importante prædictam malitiam, et non omnino de materiali se habente.

96. Ad secundum respondetur, peccatum actuale Adami fuisse quidem peccatum et demeritum posteriorum, non tamen adæquate sumptum, aut secundum totum id quod in illo habuit : sed inadæquate, quoad id præcise ratione cujus fuit causa amissionis justitiæ originalis, et inductionis originalis culpæ : unde quia hoc munus causæ sufficienter exercuit, ut erat aversio, præscindendoque a ratione conversionis : idcirco solum fuit peccatum puerorum quoad ipsam aversionem, et quoad munus separandi a Deo : ac proinde solum meruerunt per illud pœnam damni, quæ tali aversioni et separationi correspondet. Vel dicas, quod sicut de malitia et culpa illius peccati Adami nihil transiit ad posteros pertinens ad conversionem, sed sola privatio originalis justitiæ quæ ad aversionem pertinet, ita de ratione pœnæ illud solum transire debuit, quod correspondet aversioni : uti

*Salmant. Curs. theolog., tom. VIII.*

est pœna damni : non autem quod correspondet conversioni, scilicet pœna sensus. Quamvis enim non solus Adamus, sed etiam posterius per illud peccatum demeruerint, hujusmodi tamen demeritam ita fuit modificatum et attemperatum, ut in nullo supposito plus inferat de ratione pœnæ, quam de ratione culpæ eidem supposito intulit. Quare respectu personæ Adami, ubi fuit culpa adæquate tam secundum aversionem quam secundum conversionem, demeritum exigebat utranque pœnam damni et sensus : respectu vero posteriorum, ad quos nihil de conversione, sed sola aversio transivit, solum exigit pœnam damni.

Ad tertium respondetur, aversionem repertam in peccato personali non esse puram aversionem, sed semper habere aliquid conversionis saltem interpretativæ : quia est voluntaria per actum propriæ voluntatis : et quod ita est voluntarium, quamvis sit aversio, participat et retinet aliquid conversionis et ratione hujus participii debetur illi pœna sensus. Aversio autem in pueris reperta, cum non fuerit inducta per actum propriæ voluntatis, nihil habet de ratione conversionis, quod sit formaliter malitia. Non enim peccatum Adami transmisit in eos totum, quod in se habuit, aut totum id, sine quo in Adamo esse non potuit ; sed illud præcise quod ad aversionem pertinet.

97. Secunda ratio D. Thomæ habetur in 2, ad Hannibald. distinct. 33, artic. 4. Pro cujus intelligentia nota, hoc esse discrimen inter peccatum originale, et personalia, quod hæc, eo quod per proprium actum commissa sunt, prius pertinent ad personam, cujus est ille actus, quam ad naturam : et quamvis istam etiam inficiant, solum inficiunt ratione personæ. Illud vero, quia non voluntate propria, sed voluntate capitis naturæ commissum est, prius pertinet ad ipsam naturam, quam ad personam (non loquitur de persona Adami, sed de ejus posteris) : neque aliter personam tangeret, aut eam inficeret, nisi quia ad ipsam transit natura prædicto peccato tacta et infecta. Unde quia pœna sequitur conditionem culpæ, sicut pœna peccato personali correspondens est passio et afflictio propria ipsius personæ, quamvis e persona redundet etiam in naturam : ita pœna correspondens peccato originali debet esse illa, quæ per se consequitur naturam infectam, seu quæ ex naturæ infectione potest ad personam descendere, et in eam refundi.

Secunda ratio ex D. Thom.

D. Thom. Hinc sumit rationem D. Thomas, quam sic proponit: *In his qui ex Adam nascuntur, infectio originalis peccati pertinet ad personam ex infectione naturæ: unde et personæ pro tali peccato pœna non debetur, nisi talis quæ pertinet ad conditionem naturæ sibi relictæ. Pertinet autem ad naturam relictam sibi, ut divina visione careat, ad quam consequendam deficit omnis facultas naturæ creatæ. Pertinet etiam ad naturam humanam sibi relictam mors et pœnalitates vitæ præsentis, quæ ex principiis naturæ proveniunt. Sed pœna sensibilis in anima separata non pertinet ad conditionem naturæ: unde tali pœna pueri sine baptismo decedentes non puniuntur, sed sola carentia visionis divinæ.*

Nec refert, si dicas, quod visio beatifica directius pertinet ad personam, quam ad naturam: ergo idem dicendum est de ejus privatione. Respondetur negando consequentiam: nam actiones directe sunt suppositorum, et ideo visio beatifica cum sit actio, directe debet pertinere ad personam. At vero ejus privatio solum est quidam defectus, qui sufficienter inducitur ex defectu gratiæ, etiam sine aliqua operatione: et ideo ad illud principium directe pertinere debet, ratione cujus defuit ipsa gratia: hæc autem in pueris habentibus peccatum originale, non deficit privative ratione naturæ, quam ex Adamo accipiunt, quamque nisi acciperent, non illa privati nascerentur. Aliam objectionem, quæ contra hanc secundam rationem militare videtur, proponemus, et diluemus § 3.

## § II.

### *Posterior dubii pars expeditur.*

98. Dicendum est secundo, pueros cum originali decedentes nulla affici tristitia ob carentiam beatificæ visionis: ac proinde neque ex isto capite fore dolore aliquo puniendos. Hanc conclusionem dicit Vasq. disp. 134, cap. 3, esse communem Scholasticorum. Et refert pro ea Magistrum in 2, dist. 33, Bonaventur. Richard Scot. Durand. Gabriel, Marsil et alios. Eamque saltem ut probabiliorē tuentur fere omnes expositores D. Thomæ hac 1, 2, ubi Curiel, Zumel, Greg. Mart. Lorca, Montes. Salas, Granad. et plures alii. Est autem expressa sententia D. Thomæ in 2, ubi supra, et quæst. 5 de Mal. art. 3, unde duas desumemus rationes: et prima proponi potest sub hac forma. Pueri decedentes in peccato ori-

ginali non cognoscunt se esse privatos beatifica visione; sicut neque cognoscunt, hujusmodi visionem aliquando sibi fuisse debitam: ergo non dolebunt de tali privatione. Consequentia est perspicua: nullus enim dolet de malo sibi ignoto, sicut neque lætari potest de bono, quod ignorat. Antecedens vero probatur: nam pueri illi non habebunt cognitionem, quæ ultra naturalia se extendat, aut ad ea quæ sunt fidei, uti est prædicta visio et ejus debitum, investiganda pertingat: siquidem neque in hac vita similem cognitionem, aut lumen ad illam acceperunt, neque in futura hujusmodi lumen aut aliquid præter naturalia accipient: carebunt igitur prædicta cognitione.

Dices, sufficere ad habendam notitiam illius veritatis naturale lumen aliquibus signis et eventibus excitatum: sicut dæmones et hæretici etiamsi fide et quolibet supernaturali lumine careant, naturali cognitione per prædicta signa assequuntur multa de iis quæ alias ad fidem pertinent: ut quod Christus sit filius Dei, quod venerit ad redimendos homines, quod mortuus fuerit, et resurrexerit, etc. Porro prædictis pueris non defutura signa, per quæ in notitiam illius veritatis deveniant, ex eo constat, quia assistent cum cæteris iudicio universali, audientque ibi, Christum esse hominum Redemptorem, et pro omnibus mortuum fuisse, ut a peccatis tam originali quam personalibus solverentur, et vitam æternam in Dei visione consistentem consequerentur: atque etiam videbunt, multos de facto ad ejus fruitionem assumi; plures vero una cum ipsis pueris inde relegari. Quia et alia ibi futura sufficienter excitabunt ipsorum puerorum cognitionem, ut deducant, se esse de numero illorum, qui in Adamo peccaverunt, et qui ob tale peccatum beatitudinem amiserunt.

99. Respondetur, nullum horum signorum, prout a pueris visum erit, excitaturum sufficienter eorum intellectum, ut deveniant in notitiam suæ pœnæ damni. Quia ut docet D. Thomas in 4, dist. 47, quæst. 1, art. 3, quæstiunc. 1 ad primum, non assistent in iudicio, ut de suo peccato judicentur, sed ut videant gloriam iudicis: et ita ex hoc capite non habetur, eos cognoscituros suum peccatum, aut suam damnationem. Neque ex eo quod audiant, Christum venisse ad salvandos homines qui peccaverunt, satis colligent, se esse de tali numero: quia neque tunc neque antea id

Vasq.  
Magi.  
Bona.  
Richard.  
Scot.  
Durand.  
Gabriel.  
Marsil.  
Curiel.  
Zumel.  
Greg.  
Mart.  
Lorca.  
Montes.  
Salas.  
Granad.  
D. Thom.

Prin  
ratic

Eva

Præ  
dit

D. T.

id

id eis aliquis manifestabit, aut indicabit. Neque id cognoscent ex eo, quod videant, aliquos ad beatitudinem assumi ; se vero cum aliis extra relinqui : quia non discernent, an sibi negetur ut beneficium indebitum, et nullibi promissum ; vel tanquam aliquando promissum et debitum : et consequenter an illa exclusio a beatitudine sit privatio et pœna, vel solum negatio non habens rationem mali. Et quamvis admitteremus, prædicta signa sufficientia esse ad excitandam in intellectu illorum puerorum aliquam notitiam suæ pœnæ damni ; non tamen illa esset certa, et probabilis, sed ad summum sub dubio vel suspitione : quia in viris cordatis, uti erunt parvuli illi, non sufficit ad movendam voluntatem neque ad gaudium neque ad tristitiam : præsertim si admittendus sit recursus ad specialem Dei providentiam, juxta id quod dicemus num. 102.

Neque est simile de hæreticis : nam isti audierunt illa mysteria a viris fide dignis : et ita quamvis abjecerint fidem divinam, possunt tamen illa credere fide humana, moverique ex hac credulitate ad aliquid agendum vel omittendum. Dæmones etiam ex multis capitibus notitiam prædictorum mysteriorum assequuti sunt : nam sciunt, ea inter homines vulgari ut vera et a Deo revelata : videntque multa signa pro eorum confirmatione a Deo patrari : quorum evidentia coguntur vel inviti credere ita esse, ut fideles sponte credunt, et loquuntur. Quæ omnia locum non habent in pueris illis, qui nihil de sua damnatione aut de ejus causa ab aliquo audierunt.

100. Hæc prima ratio facile assertionem persuadet : videbitur tamen minus probanda discipulis D. Thomæ : quia ipse A. Doctor in 2 cit., dist. 33, quæst. 2, art. 2, adducit illam, et impugnat his verbis : *Quidam dicunt, quod pueri nullum dolorem sustinebunt, quia in eis adeo ratio obtenebrata erit, ut non cognoscant, se amisisse quod amiserunt. Quod probabile non videtur, ut anima ab onere corporis absoluta ea non cognoscat, quæ saltem ratione investigari possint, et etiam multo plura.*

Sed quamvis D. Thomas hoc in loco ita senserit de prædicta ratione, postea tamen quæst. 5 de Mal. art. 3, amplectitur illam magis explicatam : ita ut nec negetur pueris illis naturalis cognitio, quæ animæ separatæ debetur, ut quidam negabant, nec concedatur alia major pertinens ad fidem, aut ad ea quæ sunt fidei, uti est visio beati-

fica et ejus privatio, se extendens. Unde sic ait : *Possumus tamen utrunque conjungentes, Idem. mediam viam tenere, ut dicamus, quod animæ puerorum naturali quidem cognitione non carent, qualis debetur animæ rationali separatæ secundum suam naturam ; sed carent supernaturali cognitione, quæ hic in nobis per fidem plantatur : eo quod nec hic fidem habuerunt in actu, nec sacramentum fidei susceperunt. Pertinet autem ad naturalem cognitionem, quod anima sciat, se propter beatitudinem creatam, et quod beatitudo consistit in adeptione perfecti boni : sed quod illud bonum perfectum, ad quod homo factus est, sit illa gloria quam Sancti possident, est supra cognitionem naturalem. Unde Apost. dicit prima ad Corinth. secundo, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se. Et postea subdit : Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum. Quæ quidem revelatio ad fidem pertinet. Et ideo se privari tali bono animæ puerorum non cognoscunt. Et propter hoc non dolent ; sed hoc quod per naturam habent, absque dolore possident. Juxta hunc ergo locum D. Thomæ, qui sine dubio posterior est, quilibet ejus discipulus potest secure prædictam rationem tueri.*

101. Secunda ratio habetur dist. cit. ubi <sup>Secunda ratio D. Thomæ.</sup> concessa adhuc parvulis illis suæ pœnæ cognitione, probat D. Thomas non propterea debere de illa contristari. *Sciendum ergo (inquit) quod ex hoc quod caret aliquis eo, quod suam proportionem excedit, non affligitur, si sit rectæ rationis : sed tantum ex hoc quod caret eo, ad quod, aliquo modo proportionatus fuit : sicut nullus sapiens homo affligitur de hoc, quod non possit volare sicut avis, vel quia non est Rex vel Imperator, cum sibi non sit debitum. Affligitur autem, si privetur eo ad quod habendum aliquo modo aptitudinem habuit. Dico ergo, quod omnis homo usum liberi arbitrii habens, proportionatus est ad vitam æternam consequendam, quia potest se ad gratiam præparare, per quam vitam æternam merebitur : et ideo si ab hoc deficient, maximus erit dolor eis ; quia amittunt illud quod suum esse possibile fuit. Pueri autem nunquam fuerunt proportionati ad hoc, quod vitam æternam haberent, quia neque eis debebatur ex principiis naturæ, cum omnem facultatem naturæ excedat, nec actus proprios habere potuerunt, quibus tantum bonum consequerentur : et ideo nihil omnino dolebunt de carentia visionis divinæ : imo magis gaudebunt*

de hoc, quod participabunt multum de divina bonitate et perfectionibus naturalibus. Nec potest dici, quod fuerunt proportionati ad vitam æternam consequendam, quamvis non per actionem suam; tamen per actionem aliorum circa eos, quia potuerunt ab aliis baptizari: sicut et multi pueri ejusdem conditionis baptizati vitam æternam consequuti sunt. Hoc enim est superexcedentis gratiæ, ut aliquis sine actu proprio præmiatur: unde defectus talis gratiæ non magis tristitiam causat in pueris decedentibus non baptizatis, quam in sapientibus, hoc quod eis multæ gratiæ non fiunt, quæ in aliis similibus factæ sunt.

Replica. 102. Nec refert, si dicas, prædictos pueros habuisse in Adamo proportionem ad beatitudinem, dum in eo promissa eis fuit originalis justitia: ergo saltem dolebunt quod justitiam illam et proportionem amisserint.

Enervatur. Respondetur enim, sapientes qui a passionibus non moventur, sed sola ratione ducuntur, ejusmodi erunt pueri illi, non dolere de amissione vel non adeptione honorum, quæ sibi gratis promissa sunt, quando per ipsos non stat, quo minus ea recipiant: reputant enim illa, ac si promissa sibi non fuissent. Et quia hoc pacto considerant prædicti parvuli proportionem illam vel justitiam originalem, quæ ipsis in Adamo promissa fuit, non magis eam non accepisse dolent, quam si promissa non fuisset. Adde ex D. Thom. eodem loco ex dist. 33 in secundo argumento. Sed contra, ubi sic ait: *Recta ratio non patitur, ut aliquis perturbetur de eo, quod in ipso non fuit ut vitaretur: propter quod Seneca probat, quod perturbatio in sapientem non cadit: sed in pueris est ratio recta nullo actuali peccato obliquata: ergo non turbabuntur de hoc, quod talem pœnam sustinent, quam vitare nullo modo potuerunt.* Addunt vero et aliqui (ut facilius objectionibus ex hac secunda ratione emergentibus aditum præcludant) prædictam rationem non esse accipiendam omnino nude, sed cum recursu ad aliquam specialem Dei providentiam ut dicamus, notitiam beatitudinis amissæ in illis pueris saltem non habere magnam vim ad excitandum dolorem in voluntate propter eorum improportionem et alia, quæ tangit prædicta ratio. Si quæ vero vel modica vis prædictæ notitiæ remaneat, quæ quantum est ex se, aliquem dolorem excitare posset, temperabitur et impediatur, ne de facto in illum pro-

rumpat, a divina providentia ita disponente de illis parvulis: ut quia propria et personali voluntate nihil deliquerunt, nihil doloris ejusdem voluntatis sustineant. Præsertim cum talis dolor neque illis fructuosus esse possit, neque ad ostensionem vel reparationem justitiæ necessarius videatur.

### § III.

*Duplex sententia opposita: et argumenta utriusque.*

103. Contra primam assertionem negantem illis pueris pœnam sensus tenuisse videntur Gregorius in 2, dist. 30 et 31, Driedo lib. 1 de grat. et lib. arbit. tract. 3, cap. 2, et alii quos refert Greg. Mart. ubi supra dub. 1. Probatur: nam parvuli cum originali decedentes, assistent in universali judicio, et collocabuntur non quidem a dextris judicis, cum non sint de numero salvandorum, sed a sinistris: atque adeo comprehendet eos illa sententia Matth. 25: *Tum dicet et his qui a sinistris erunt: Descendite a me maledicti in ignem æternum, etc.*, sed pœna ignis est pœna sensus: ergo cruciabuntur hac pœna.

Confirmatur: nam SS. Patres multoties asserunt, parvulos illos puniendos fore æterno supplicio, gehenna, tormento, cruciatu et hujusmodi: sed hæc pertinent ad pœnam sensus: ergo, etc.

Respondetur, illam sententiam universalis iudicii non esse dirigendam ad omnes, qui a sinistris judicis, sed solum ad adultos: non enim ad parvulos spectare potest causa, quæ ibi redditur: *Esurivi, et non dedistis mihi manducare: sitivi, et non dedistis mihi potum, etc.*

Ad confirmationem respondet D. Thomas quæst. 5 de Mal. art. 2, ad primum: *Dicendum, quod nomen tormenti, gehennæ, supplicii et cruciatu, vel si quid simile in dictis Sanctorum inveniatur, est large accipiendum pro pœna, ut ponatur species pro genere. Ideo autem tali modo loquendi usi sunt, ut detestabilem redderent errorem Pelagianorum, qui asserebant, in parvulis nullum peccatum esse, nec eis aliquam pœnam deberi.*

104. Secundo probatur: nam peccato originali in hac vita correspondent multæ pœnæ sensus: mors enim, infirmitas, et cæteri corporales defectus omnia sunt pœnæ prædicti peccati, juxta doctrinam D. Thomæ supra quæst. 85, art. 5, ergo etiam in futura vita punientur simili pœna: quandoquidem

quidem non mitius ibi peccata punientur, ubi non erit remissioni locus, quam puniuntur in præsenti, ubi est locus misericordiæ. Et confirmatur: nam corpora illorum puerorum non erunt impassibilia, cum non habeant dotem impassibilitatis: sicut erunt corpora gloriosa propter prædictam dotem: ergo patientur sicut modo a corporalibus.

dem. Respondet D. Thomas in 2, dist. 33, cit. q. 2, art. 1 ad 3: *Dicendum, quod non est eadem ratio de pœna sensibili ante mortem, et post mortem, quia ante mortem pœna sensibilis consequitur virtutem naturæ agentis, sive sit pœna sensibilis interior, ut febris, et aliquid hujusmodi, sive etiam sensibilis pœna exterior, ut ustio et aliquid hujusmodi: sed post mortem nihil aget virtute naturæ: sed secundum justitiæ divinæ ordinem tantum, sive in animam separatam, in quam constat, quod ignis naturaliter agere non potest, sive etiam in corpus post resurrectionem, quia tunc omnis actio naturalis cessabit cessante motu primi mobilis, qui est causa omnis motus et alterationis corporalis.*

dem. 105. Secundo respondetur, vel magis eadem solutio explicatur ex eodem D. Thom. quæst. 5 de Mal. art. 4, ubi observat, quod duplex est pœna: alia, quam iudex pro peccato determinat: et hanc appellat Ang. Doctor *pœnam taxatam*: alia vero, quæ ad hanc pœnam ex natura rei consequitur: et hanc vocat *pœnam concomitantem*: ut si iudex determinet, quod alicui in pœnam sui peccati eruantur oculi, cæcitas est pœna taxata, paupertas vero et aliæ calamitates quæ in cæco consequuntur, pertinent ad pœnam concomitantem. Hujusmodi autem pœna concomitans tunc solum habet locum, quando ex ipsa pœna taxata ex natura rei sequitur: quando vero suapte natura ex ea non sequitur, locum non habet. Pro peccato ergo originali pœna taxata in hac vita solum est privatio justitiæ originalis; mors vero et alii corporales defectus tantum habent rationem pœnæ concomitantis in hoc statu, ubi ex conditione naturæ humanæ destitutæ originali justitia, sibi que relictæ consequuntur; in futuro autem non consequuntur ex vi ejusdem naturæ; et ita cessabunt: ut magis ostendent verba D. Thomæ, quæ jam subjungimus.

dem. Ad confirmationem respondet S. Doctor loco cit. ex 2 sent. in solut. ad 5, his verbis: *Dicendum, quod corpora puerorum non erunt impassibilia ex defectu potentix ad patiendum in ipsis; sed ex defectu exterioris agentis in ipsa, quia post resurrectionem nul-*

*lum corpus erit agens in alterum, præcipue ad corruptionem inducendam per actionem naturæ, sed erit actio tantum ad puniendum ex ordine divinæ justitiæ; unde illa corpora pœnam non patientur, quibus pœna sensibilis ex divina justitia non debetur. Corpora autem Sanctorum erunt impassibilia, quia deficiet in eis potentia ad patiendum, et ideo impassibilitas erit in eis dos, non autem in pueris.*

106. Tertio arguitur: quia animæ illorum puerorum manebunt detentæ et ligatæ in limbo, ut nunquam inde exeant: sed talis alligatio est pœna sensus, juxta dicta dub. præcedent. ergo, etc.

Confirmatur, nam saltem post corporum resurrectionem nequibit non esse valde pœnalis commoratio in illo loco subterraneo et obscuro, ubi nihil videre poterunt: constat autem, totum hoc ad pœnam sensus pertinere; ergo saltem post diem iudicii non omnino effugient istam pœnam.

Respondetur ad argumentum, animas illas non detineri in limbo quasi ligatas; quia non sunt subjectæ alicui corpori vel ab eo depressæ, neque violenter ad aliquid necessitatæ: sed constituentur ibi per solam præsentiam et assistentiam, quam Deus illis communicat, ut expectent illic sua corpora: in quo nulla adest aut disconvenientia ex parte loci, aut ex parte earum repugnantia. Nam neque tales animæ alibi esse appetunt: neque a loco illo ubi sunt, aliquam depressionem vel subjectionem patiuntur: neque ab aliqua operatione aut intellectione eis debita, aut ab ipsis volita impediuntur; sicut neque ad aliquid nolum applicantur. Atque ita nihil in eis sit contra earum inclinationem neque ex parte substantiæ, neque ex parte potentiarum. Unde quia pœna sensus respectu substantiæ spiritualis non est nuda præsentia in loco, sed ut associata depressione, subjectione, et violentia, quas diximus: ut magis explicuimus num. 82, non sequitur, dari ex isto capite in prædictis animabus talem pœnam.

107. Ad confirmationem respondetur, non esse omnino certum an pueri illi post corporum resurrectionem mansuri sint in eodem limbi loco, vel ad alium nobiliorem transituri: non enim desunt qui putent, habituros super faciem terræ in hoc externo orbe: sed quia nec modum istum dicendi (qui tribuitur Catharino et aliquibus aliis) etiam ut satis probabilem admittere audeamus: nec præsentis loci est rem

Argumentum  
tertium.

Confirmatio.

Solutio  
argumenti.

Solutio  
confirmatio-  
nis

hanc examinare : admissio prædictos pueros in loco illo sub tenebris mansuros, dicendum est, non hoc fore illis pœnale, quia non debetur eis nobilior locus, neque attentata dispositione universi, et ordine quem ex tunc elementa servabunt, cooperiente aqua universam superficiem terræ, erit naturaliter possibilis. Quo supposito, et quod in illo loco nulla lux sit, non appetent videre aliquid, sicut neque appetent gustare aut olfacere : quia naturaliter non erunt ibi objecta horum sensuum, aut saltem non erunt in dispositione, ut possint ab eis percipi : et ita non erit eis pœnale carere operationibus prædictorum sensuum : quia eorum voluntas naturali rerum ordini in omnibus conformabitur.

Secunda sententia opposita secundæ assertioni tenet, prædictos pueros habituros aliquam tristitiam de amissione suæ beatitudinis : quæ tristitia pertinet ad ipsam pœnam damni. Ita Abulens. super cap. 25 Matth. quæst. 666, et quæst. 671. Soto lib. 1 de nat. et grat. cap. 14, quod etiam probabile reputant Curiel, et alii ex his, quos pro nostra sententia adduximus. Argumenta autem, quibus hæc fulciri posset, soluta manent ex utraque ratione D. Thomæ, quam § præced. adduximus.

#### ARTICULUS VI.

*Utrum reatus pœnæ remaneat post peccatum?*

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod reatus pœnæ non remaneat post peccatum. Remota enim causa, removetur effectus : sed peccatum est causa reatus pœnæ : ergo remoto peccato cessat reatus pœnæ.

2. Præter. Peccatum removetur per hoc quod homo ad virtutem redit : sed virtuoso non debetur pœna, sed magis præmium : ergo remoto peccato, non remanet reatus pœnæ. 3. Præter. Pœnæ sunt medicina, ut dicitur in 2 Ethic. sed postquam aliquis jam est ab infirmitate curatus, non adhibetur sibi medicina : ergo remoto peccato, non remanet debitum pœnæ.

Sed contra est, quod dicitur 2 Reg. 12, quod David dixit ad Nathan : Peccavi Domino : dixitque Nathan ad David : Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris. Veruntamen quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, filius qui natus est tibi, morte morietur. Punitur ergo aliquis a Deo, etiam postquam ei peccatum dimittitur, et sic reatus pœnæ remanet peccato remoto.

Respon. Dicendum, quod in peccato duo possunt considerari, scilicet actus culpæ, et macula sequens. Planum est autem, quod cessante actu peccati, remanet reatus in omnibus peccatis actualibus. Actus enim peccati facit hominem reum pœnæ, in quantum transgreditur ordinem divinæ justitiæ, ad quem non redit nisi per quandam recompensationem pœnæ, quæ ad æqualitatem justitiæ reducit, ut scilicet qui plus voluntati suæ indulsit, quam debuit, contra mandatum Dei agens, secundum ordinem divinæ justitiæ aliquid contra illud quod vellet, spontaneus, vel invitatus patiatur : quod etiam in injuriis hominibus factis observatur, ut per recompensationem pœnæ reintegretur æqualitas justitiæ : unde patet, quod cessante actu peccati, vel injuriæ illatæ, adhuc remanet debitum pœnæ. Sed si loquamur de ablatione peccati, quantum ad maculam, sic

manifestum est, quod macula peccati ab anima auferri non potest, nisi per hoc quod anima Deo conjungitur, per cujus distantiam detrimentum proprii nitoris incurrebat, quod est macula, ut supra dictum est. Conjungitur autem Deo homo per voluntatem. Unde macula peccati ab homine tolli non potest, nisi voluntas hominis ordinem divinæ justitiæ acceptet, ut scilicet, vel ipse sibi pœnam spontaneus assumat in recompensationem culpæ præteritæ, vel etiam a Deo illatam patienter sustineat : utroque enim modo pœna rationem satisfactoriam habet. Pœna autem satisfactoria dimittit aliquid de ratione pœnæ : est enim de ratione pœnæ quod sit contra voluntatem. Pœna autem satisfactoria etsi secundum absolutam considerationem sit contra voluntatem, non tamen ut nunc, et per hoc est voluntaria ; unde simpliciter est voluntaria, secundum quid autem involuntaria : sicut patet ex his quæ supra de voluntario et involuntario dicta sunt. Dicendum est ergo, quod remota macula culpæ, potest quidem remanere reatus non pœnæ simpliciter, sed satisfactoriæ.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut cessante actu peccati remanet macula, ut supra dictum est, etiam potest remanere reatus : cessante vero macula, non remanet reatus secundum eandem rationem, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod virtuoso non debetur pœna simpliciter, potest tamen sibi deberi pœna, ut satisfactoria, quia hoc ipsum ad virtutem pertinet, ut satisfaciatur pro his, in quibus offendit vel Deum, vel hominem.

Ad tertium dicendum, quod remota macula sanatum est vulnus peccati quantum ad voluntatem. Requiritur autem adhuc pœna ad sanationem aliarum virtutum animæ, quæ per peccatum præcedens deordinatæ fuerunt, ut scilicet per contraria curentur. Requiritur etiam ad restituendum æqualitatem justitiæ ; et ad amovendum scandalum aliorum, ut ædificentur in pœna, qui sunt scandalizati culpa, ut patet exemplo de David inducto.

*Conclusio : Remota culpa, potest remanere reatus, non pœnæ simpliciter, sed satisfactoriæ.*

Appellat D. Thomas pœnam satisfactoriam illam, quæ manet post culpam remissam, eo quod libere et ex charitate assumitur, vel saltem acceptatur a pœnitente : nam hinc habet, ut Deus acceptet illam in satisfactionem ut opus sibi gratum et acceptabile. E contra vero pœnæ quas damnati et peccatores patiuntur, sicut Deo gratæ non sunt : *Opera enim iniquorum non probat Altissimus* : ita neque ab eo acceptantur, neque apud illum habent vim satisfaciendi.

Condistinguit vero D. Thomas pœnam satisfactoriam a pœna simpliciter dicta, quasi illa non sit pœna simpliciter : cum tamen ex alia parte non videatur negandum, quod pœnæ satisfactoriæ sint simpliciter tales. Illæ enim, quas animæ in purgatorio patiuntur, vere sunt satisfactoriæ ; et tamen nemo dubitat appellare illas simpliciter pœnas. Respondetur, ex duplici capite posse distingui pœnam satisfactoriam a pœna non satisfactoria seu simpliciter dicta. Primo ita ut *ly satisfactoria* non sit additum diminuens pœnam, sed potius elevans ad aliquid præstantius, quod est satisfacere : *ly vero simpliciter* restrin-

gat ad rationem pœnæ tantum : ut sit sensus, quod pœnæ non satisfactoriæ nihil habent ultra rationem pœnæ, seu præter id quod nomen pœnæ exprimit : ob idque dicuntur *pœnæ simpliciter*, quia sunt pœnæ dumtaxat : satisfactoriæ vero non sistunt in ratione pœnæ, sed ultra hoc important munus satisfaciendi, quod est quædam pœnæ excellentia. Juxta quam intelligentiam nihil prohibet, quod ipsa pœna satisfactoria in communi usu loquendi dicatur *pœna simpliciter* : quia adverbium hoc *simpliciter* juxta communem usum non tam denotat aliquid restringens, quam exclusionem additi diminuentis. Quemadmodum cum inter sacerdotes, qui præcise habent munus sacerdotale, et alios qui ultra hoc habent etiam munus episcopale vel confessoriorum, distinguere volumus, illos priores vocamus *sacerdotes simplices*, seu simpliciter sacerdotes, nullo alio superaddito; posterioribus vero addimus aliquid denotans eorum præstantiam et excellentiam.

Secundo potest accipi prædicta distantia, ita ut *ly satisfactoria* sit additum diminuens : quasi pœna satisfactoria minus habeat de ratione pœnæ, quam non satisfactoria. Et hic sensus magis congruit literæ articuli, ubi dicitur, quod pœna satisfactoria eo quod est voluntaria diminuit aliquid de ratione pœnæ. Cum enim pœna ex se, et ex eo quod est malum patientis, postulet esse contra voluntatem, juxta dicta disp. 17, num. 25, eo minus habebit de ratione mali et pœnæ, quo voluntas minus ei resistit : minus autem resistit pœnæ satisfactoriæ, cui non resistit actu, sed tantum in potentia; actu vero acceptat illam; quam pœnæ non satisfactoriæ, quam nullo modo acceptat. Minus ergo illa, quam hæc habet de ratione mali et de ratione pœnæ. Atque adeo quoties inter eas fit collatio, non prima, sed secunda dicenda est pœna simpliciter et absque addito. Diximus *dum inter eas fit collatio*, etc. quia dum pœna satisfactoria per se accipitur, non facta comparatione ad aliam, absolute et sine addito, adeoque simpliciter dicenda est pœna. Et ita accipimus illas, quas justi in purgatorio vel in hac vita patiuntur, cum eis simpliciter nomen pœnæ tribuimus : sicut et multa, quæ in comparatione ad alia præstantiora non dicuntur talia simpliciter et sine addito, vocantur ita, cum per se et absolute sumuntur.

Ex solutione ad secundum hujus articuli

habes pro iis, quæ disp. 17, dub. 1, dicta sunt, aliud caput, unde ille cui remissa est mortalis culpa, possit denominari intrinsece reus *pœnæ temporalis* : nimirum ipsa virtus justitiæ seu pœnitentiæ, quæ infunditur cum gratia, et obligat ad solvendam talem pœnam. Hujusmodi vero reatus non ad demeritum, sed ad justitiam pertinet, juxta dicta ibidem num. 10.

## ARTICULUS VII.

*Utrum omnis pœna sit propter aliquam culpam ?*

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod non omnis pœna sit propter aliquam culpam. Dicitur enim Joan. 9, de cæco nato : Neque hic peccavit, neque parentes ejus, ut nasceretur cæcus. Et similiter videmus, quod multi pueri, etiam baptizati graves pœnas patiuntur, ut puta febres, demonum oppressiones, et multa hujusmodi, cum tamen in eis non sit peccatum, postquam sunt baptizati : et antequam sint baptizati, non est in eis plus de peccato, quam in aliis pueris, qui hæc non patiuntur : non ergo omnis pœna pro peccato est.

2. Præter. Ejusdem rationis esse videtur, quod peccatores prosperentur, et quod aliqui innocentes puniantur : utrumque autem in rebus humanis frequenter invenimus. Dicitur enim de iniquis in Psal. 72. In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur. Et Job. 21. Impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis. Et Abacuc. 1, dicitur. Quare respicis contemptores, et taces conculeante impio justioresem se ? non ergo omnis pœna infligitur pro culpa.

3. Præter. De Christo dicitur 1 Pet. 2, quod peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus : et tamen ibidem dicitur, quod passus est pro nobis : ergo non semper pœna a Deo dispensatur pro culpa.

Sed contra est, quod dicitur Job. 4. Quis unquam innocens perit, aut quando recti deleti sunt ? Quin potius vidi eos qui operantur iniquitatem, flante Deo, periisse. Et August. dicit in 1 Retractationum, quod omnis pœna justa est, et pro peccato aliquo impenditur.

Respon. Dicendum, quod sicut jam dictum est, pœna potest dupliciter considerari, simpliciter, et in quantum satisfactoria. Pœna quidem satisfactoria est quodammodo voluntaria : et quia contingit eos, qui differunt in reatu pœnæ, esse unum secundum voluntatem unione amoris, inde est quod interdum aliquis qui non peccavit, pœnam voluntarius pro alio portat : sicut etiam in rebus humanis videmus, quod aliquis in se transfert alterius debitum. Si vero loquamur de pœna simpliciter, secundum quod habet rationem pœnæ, sic semper habet ordinem ad culpam propriam : sed quandoque quidem ad culpam actualem, puta, quando aliquis vel a Deo, vel ab homine pro peccato commisso punitur, quandoque vero ad culpam originalem, et hoc quidem vel principaliter vel consequenter. Principaliter quidem pœna originalis peccati est, quod natura humana sibi relinquitur destituta auxilio originalis justitiæ : sed ad hoc consequuntur omnes penalitates, quæ ex defectu naturæ hominibus contingunt.

Sciendum tamen est, quod quandoque aliquid videtur esse pœnale, quod tamen non habet simpliciter rationem pœnæ. Pœna enim est species mali, ut in 1 dictum est : malum autem est privatio boni. Cum autem sint plura hominis bona scilicet animæ, corporis, et exteriorum rerum, contingit interdum quod homo patiatur detrimentum in minori bono, ut augeatur in majori : sicut cum patitur detrimentum pecunie propter sanitatem corporis, vel in utroque horum propter salutem animæ, et propter gloriam Dei, et tunc tale detrimentum non est simpliciter malum hominis, sed secundum quid : unde non habet simpliciter rationem pœnæ, sed medicinæ. Nam et medici amaras potiones propinant infirmis, ut conferant sanitatem. Et quia hujusmodi non habent proprie rationem pœnæ, non reducuntur ad culpam sicut ad causam, nisi pro tanto : quia hoc ipsum quod oportet nature humane medicinas penales exhibere, est ex corruptione naturæ, quæ est pœna originalis peccati. In statu enim innocentie non oportuisset aliquem ad profectum virtutis

inducere per pœnalia exercitia : unde hoc ipsum quod est pœnale in talibus, reducitur ad originalem culpam sicut ad causam.

Ad primum ergo dicendum, quod hujusmodi defectus eorum qui nascuntur, vel etiam puerorum, sunt effectus et pœnæ originalis peccati, ut dictum est, et manent etiam post baptismum propter causam superius dictam : et quod non sint æqualiter in omnibus, contingit propter naturæ diversitatem, quæ sibi relinquuntur, ut supra dictum est. Ordinantur tamen hujusmodi defectus secundum divinam providentiam ad salutem hominum, vel eorum qui patiuntur, vel aliorum qui pœnis admonentur, et etiam ad gloriam Dei.

Ad secundum dicendum, quod bona temporalia, et corporalia sunt quidem aliqua bona hominis, sed parva : bona vero spiritualia sunt magna hominis bona. Pertinet igitur ad divinam justitiam, ut virtuosos det spiritualia bona : et de temporalibus bonis, vel malis tantum det eis, quantum sufficit ad virtutem. Ut enim Dio. dicit 8, c. de div. no. Divinæ justitiæ est non emolire optimorum fortitudinem, materialium donationibus. Aliis vero hoc ipsum, quod temporalia dantur, in malum spiritualium cedit : unde in Psalm 72, concluditur : Ideo tenuit eos superbia.

Ad tertium dicendum, quod Christus pœnam sustinuit satisfactoriam, non pro suis, sed pro nostris peccatis.

Prima Conclusio : *Pœna satisfactoria potest assumi ab eo, qui non peccavit.*

Secunda Conclusio : *Pœna simpliciter secundum quod habet rationem pœnæ, semper habet ordinem ad culpam vel personalem, vel originalem ejus, qui punitur.*

Tertia conclusio : *Pœnæ tantum medicinales non habent ordinem ad culpam, nisi in quantum ex culpa originali est, quod natura humana pœnalibus medicinis indigeat.*

#### Commentarius.

Non negat D. Thomas, quod pœna satisfactoria respiciat culpam : nam de ratione pœnæ proprie dictæ semper est ordo ad aliquam culpam : satisfactio enim, quæ Deo exhibetur, non habet locum, nisi culpa præcesserit, ex qua dumtaxat consurgere potest onus satisfaciendi ipsi Deo. Sed intendit S. Doctor, necessarium non esse, ut is qui satisfacit, solvat pro culpa propria : nam potest solvere pro aliena : sicut Christus pro nobis solvit. Et in hoc differt hæc pœna ab ea quæ non est satisfactoria, sed sistit in ratione pœnæ : nam ista non infligitur nisi ipsimet qui peccavit : neque potest pro eo ab alio assumi. Et ratio est, quia pœna, quæ non deservit ad satisfaciendum vel solvendum debitum ex culpa relictum, solum potest deservire ad vindicandam divinam justitiam in punitione ipsius culpæ, et depressione peccatoris quem culpa extulit : hoc autem non fit, nisi puniatur ipse qui deliquit : quantuncunque enim alius pœna afficiatur, dum tamen peccator ipse, ubi culpa est, non punitur et deprimatur, non insurgit sufficienter justitia adver-

sus culpam, neque de illa vindictam et victoriam reportat.

Tertia conclusio non habet locum in pœnis spiritualibus : uti sunt amissio gratiæ et virtutum, aut privatio auxiliorum, quibus peccata sunt cavenda : quia hujusmodi pœnæ non sunt tantum medicinales, neque ex se conducunt ad majus bonum animæ. Sicut conducere possunt pœnæ dumtaxat corporales : proinde possunt habere rationem solius medicinæ. Adeoque non est necesse ut inferantur immediate propter culpam ; sed possunt inferri præcise ob sanandam naturam, et ad bonum provehendam.

Atque hinc petenda est solutio cujusdam difficultatis, quam disp. 17, num. 22, in hunc locum remisimus : nimirum quo pacto habeant rationem pœnæ, illæ quæ imponuntur transgressoribus aliquarum humanarum legum non obligantium sub culpa etiam veniali. Dicendum enim est, non esse proprie pœnas, sed dumtaxat medicinas, quibus natura humana indiget, ut promoveatur ad perfectionis bonum ; sicut indiget pœnis, ut retrahatur a malo. Ex culpa namque originali mansit natura ægra et infirma : tum ex parte propensionis ad malum, quam originalis justitia compescebat, eaque amissa, vires sumpsit : tum etiam ex parte inclinationis ad bonum, quam prædicta justitia roborabat. Sicut ergo ad reprimendam priorem illam propensionem ne in actum prorumpat, constitutæ sunt pœnæ proprie dictæ, quæ retrahunt a peccato ? ita ad promovendam et stimulandam posteriorem inclinationem instituta sunt quædam pœnalia, quæ metu sui incitant ad bene agendum, etiam in iis quæ possent sine peccato omitti. Incumbit enim humanis Legislatoribus, iis præsertim qui religionis Ordinibus leges tradunt, non ea tantum media præscribere, quibus peccata caventur : sed etiam alia, quibus prædictorum Ordinum professores ad perfectionis statum inducantur, omittendo minus perfecta, et assumendo perfectiora, etiam in iis quæ sine ulla culpa possent facere, vel omittere. Et quia inter hæc media non parum efficacia sunt quædam pœnalia et laboriosa per leges injuncta, *pœnæ medicinales* vocantur. Pœnæ quidem, quia pœnalia sunt ; medicinales vero, quia tendunt ad sanandam et juvandam naturæ infirmitatem. Non tamen proprie et in rigore *pœnæ* dicendæ sunt : quia non respiciunt directe aliquam culpam. Et ideo ly *medicinales*



nales est additum non tantum diminuens, sed etiam tollens veram rationem pœnæ. Nisi forte talis ratio in illis conservetur per ordinem ad peccatum originale : eo modo quo D. Thomas in fine corp. declarat.

## ARTICULUS VIII.

*Utrum aliquis puniatur pro peccato alterius?*

Ad octavum sic proceditur. Videtur quod aliquis puniatur pro peccato alterius. Dicitur enim Exod. 20 : Ego sum Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem his qui oderunt me. Et Matth. 23, dicitur : Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram.

2. Præterea : Justitia humana derivatur a justitia divina : sed secundum justitiam humanam aliquando filii puniuntur pro parentibus, sicut patet in crimine læsæ majestatis : ergo etiam secundum divinam justitiam unus puniatur pro peccato alterius.

3. Præterea : Si dicatur filius non puniri pro peccato patris, sed pro peccato proprio, in quantum imitatur malitiam paternam, non magis hoc diceretur de filiis, quam de extraneis, qui simili pœna puniuntur his, quorum peccata imitantur : non ergo videtur, quod filii pro peccatis propriis puniantur, sed pro peccatis parentum.

Sed contra est, quod dicitur Ezech. 18 : Filius non portabit iniquitatem patris.

Respondeo dicendum, quod si loquamur de pœna satisfactoria, quæ voluntarie assumitur, contingit, quod unus portet pœnam alterius, in quantum sunt quodammodo unum, sicut jam dictum est. Si autem loquamur de pœna pro peccato inflictâ, in quantum habet rationem pœnæ, si solum unaque quisque pro peccato suo puniatur : quia actus peccati aliquid personale est. Si autem loquamur de pœna, quæ habet rationem medicinæ, contingit quod unus puniatur pro peccato alterius. Dicitur enim, quod detrimenta corporalium rerum, vel etiam ipsius corporis, sunt quædam pœnales medicinæ ordinatæ ad salutem animæ : unde nihil prohibet talibus pœnis aliquem puniri pro peccato alterius, vel a Deo, vel ab homine, utpote filios pro patribus, et subditos pro dominis, in quantum sunt quædam res eorum : ita tamen quod si filius vel subditus est particeps culpæ, hujusmodi pœnalis defectus habet rationem pœnæ quantum ad utrumque, scilicet eum, qui puniatur, et eum pro quo puniatur. Si vero non sit particeps culpæ, habet rationem pœnæ quantum ad eum pro quo puniatur : quantum vero ad eum, qui puniatur, rationem medicinæ tantum, nisi per accidens in quantum peccato alterius consentit : ordinatur enim ei ad bonum animæ, si patienter sustineat. Pœnæ vero spirituales non sunt medicinales tantum : quia bonum animæ non ordinatur ad aliud melius bonum : unde in bonis animæ nullus patitur detrimentum sine culpa propria, propter hoc etiam talibus pœnis, ut dicit Hieron. in epist. ad Avitum, unus non puniatur pro alio : quia quantum ad animam filius non est res patris : unde et hujus causam Dominus assignans dicit Ezech. 18 : Omnes animæ meæ sunt.

Ad primum ergo dicendum, quod utrumque dictum videtur esse referendum ad pœnas temporales vel corporales, in quantum filii sunt quædam res parentum, et successores prædecessorum : vel si referantur ad pœnas spirituales, hoc dicitur propter imitationem culpæ : unde in Exod. additur : His qui oderunt me. Et in Matth. dicitur : Et vos implete mensuram patrum vestrorum. Dicit autem puniri peccata patrum in filiis, quia filii in peccatis parentum nutriti, prioribus sunt ad peccandum, tum propter consuetudinem, tum etiam propter exemplum, patrum quasi auctoritatem sequentes. Sunt etiam majori pœna digni, si pœnas patrum videntes, correcti non sunt. Ideo autem addidit, in tertiam et quartam generationem : quia tantum consueverunt homines vivere, ut tertiam et quartam generationem videant, et sic mutuo videre possunt et filii peccata parentum ad imitandum, et patres pœnas filiorum ad dolendum.

Ad secundum dicendum, quod pœnæ illæ sunt corporales, et temporales, quas justitia humana uni pro peccato alterius infligit, et sunt remedia quædam, vel medicinæ contra cul-

pas sequentes, ut vel ipsi qui puniuntur, vel alii cohibeantur a similibus culpis.

Ad tertium dicendum, quod magis dicuntur puniri pro peccatis aliorum propinqui, quam extranei, tum quia pœna propinquorum quodammodo redndat in illos qui peccaverunt, ut dictum est, in quantum filius est quædam res patris. Tum etiam quia et domestica exempla, et domestica pœnæ magis movent ; unde quando aliquis nutritus est in peccatis parentum, vehementius ea sequitur, et si ex eorum pœnis non est deterritus, obstinatio videtur : unde et est majori pœna dignus.

Prima conclusio : *Pœna satisfactoria potest aliquis puniri pro alterius peccato, quantum voluntate sunt unum.*

Secunda conclusio : *Pœnis corporalibus potest unus pro alio puniri : hujusmodi tamen punitio solum habebit rationem pœnæ respectu illius qui peccavit ; respectu vero ejus qui non peccavit, habebit tantum rationem medicinæ.*

Tertia conclusio : *Pœnis spiritualibus nunquam puniatur unus pro alio.*

Omnes istæ conclusiones declarantur sufficienter a D. Thoma : et quo sensu verum sit, Deum pro culpis parentum punire filios, visitareque in istis illorum peccata, etiam usque ad tertiam vel quartam generationem ; ut Scriptura sæpe tradit. Quædam vero difficultas circa tertiam conclusionem ex litera insurgens, soluta est a Cajet. in commentar. hujus articuli. Observandum tamen est circa prædictam conclusionem, quod nomine *pœnæ spiritualis* solum intellegit D. Thomas illam, quæ animæ profectui detrimentum infert : atque adeo quæ vel tollit gratiam habitualement, gloriam, dona, et virtutes : vel impedit eorum augmentum : vel tollit auxilia, quibus cavenda sunt peccata. His vero integris manentibus, etiamsi Deus privaret aliquem aliqua perfectione spirituali, ut gratia prophetiæ, dono linguarum, vel similibus, talis privatio non esset numeranda inter pœnas, quas D. Thomas spirituales vocat, et dicit non esse tantum medicinales : sed reducenda cum pœnis corporeis ad eam quam medicinalem appellat in secunda conclusione. Unde non est negandum, quod hoc genere pœnæ possit unus pro alterius peccato puniri : aut etiam sine respectu ad peccatum proprium, vel alterius, simili pœna ut medicina affici ad majorem in virtute profectum.

## QUÆSTIO LXXXVIII.

*De peccato veniali et mortali in sex articulos divisa.*

*Deinde quia peccatum veniale, et mortale distinguuntur secundum reatum, considerandum est de eis. Et primo considerandum est de veniali per comparisonem ad mortale. Secundo, de veniali secundum se. Circa primum quærentur sex.*

## ARTICULUS I.

*Utrum veniale peccatum convenienter dividatur contra mortale?*

Ad primum sic proceditur. Videtur quod veniale peccatum non convenienter dividatur contra mortale. Dicit enim August. lib. 22, contra Faustum: Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam, dat peccato quod sit mortale: ergo omne peccatum est mortale: non ergo peccatum veniale dividitur contra mortale.

2. Præter. Apostolus dicit. 1 Corinth. 10. Sive manducatis, sive bibitis, sive aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite: sed contra hoc præceptum facit, quicumque peccat, non enim peccatum fit propter gloriam Dei. Cum ergo facere contra præceptum sit peccatum mortale, videtur quod quicumque peccat, mortaliter peccet.

3. Præter. Quicumque amore alieni rei inhaeret, inhaeret ei vel sicut fruens, vel sicut utens, ut patet per August. 1, de doctrina Christ. sed nullus peccans inhaeret bono commutabili quasi utens, non enim refert ipsum ad bonum, quod nos beatos facit, quod proprie est uti, ut August. dicit ibidem: ergo quicumque peccat, fruatur bono commutabili: sed frui rebus utendis est humana perversitas, ut August. dicit in lib. 83 quæst. cum ergo perversitas peccatum mortale nominetur, videtur quod quicumque peccat, mortaliter peccet.

4. Præter. Quicumque accedit ad unum terminum, ex hoc ipso recedit ab alio: sed quicumque peccat, accedit ad bonum commutabile: ergo recedit a bono incommutabili: ergo peccat mortaliter: non ergo convenienter peccatum veniale contra mortale dividitur.

Sed contra est, quod August. dicit in homil. 7, super Joan. quod crimen est, quod damnationem meretur: veniale autem est, quod non meretur damnationem. Sed crimen nominat peccatum mortale: ergo veniale peccatum convenienter dividitur contra mortale.

Respon. Dicendum, quod aliqua, secundum quod proprie accipiuntur, non videntur esse opposita, quæ si metaphorice accipiuntur, opponi inveniuntur, sicut ridere non opponitur ei, quod est crescere: sed secundum quod ridere metaphorice de prato dicitur propter ejus floritionem et virorem, opponitur ei, quod est arescere. Similiter si mortale proprie accipiatur, prout refertur ad mortem corporalem non videtur oppositionem habere cum veniali, nec ad idem genus pertinere. Sed si mortale accipiatur metaphorice, secundum quod dicitur in peccatis, mortale opponitur ei, quod est veniale. Cum enim peccatum sit quædam infirmitas animæ, ut supra habitum est, peccatum aliquod mortale dicitur ad similitudinem morbi, qui dicitur mortalis, ex eo quod inducit defectum irreparabilem per destitutionem alienius principii, ut dictum est. Principium autem spiritualis vitæ, quæ est secundum virtutem, est ordo ad ultimum finem, ut supradictum est, qui quidem si destitutus fuerit, reparari non potest per aliquod principium intrinsecum, sed solum per virtutem divinam, ut supra dictum est: quia inordinationes eorum, quæ sunt ad finem, reparantur ex fine, sicut error qui accidit circa conclusiones per veritatem principiorum. Defectus ergo ordinis ultimi finis non potest per aliquid aliud reparari, quod sit principalius: sicut nec

error, qui est circa principia: et ideo hujusmodi peccata dicuntur mortalia quasi irreparabilia. Peccata autem quæ habent inordinationem circa ea quæ sunt ad finem, conservato ordine ad ultimum finem, reparabilia sunt, et hæc dicuntur venialia. Tunc enim peccatum veniam habet, quando reatus penæ tollitur, qui cessat cessante peccato, ut dictum est. Secundum hoc ergo mortale et veniale opponuntur, sicut reparabile, et irreparabile: et hoc dico per principium interius, non autem per comparisonem ad virtutem divinam, quæ omnem morbum et corporalem, et spiritualement potest reparare, et propter hoc veniale peccatum convenienter dividitur contra mortale.

Ad primum ergo dicendum, quod divisio peccati in veniale et mortale, non est divisio generis in species, quæ æqualiter participant rationem generis, sed analogi in analogata de quibus prædicatur secundum prius et posterius: et ideo perfecta ratio peccati, quam August. ponit, convenit peccato mortali. Peccatum autem veniale dicitur peccatum secundum rationem imperfectam, et in ordine ad peccatum mortale: sicut accidens dicitur ens in ordine ad substantiam, secundum imperfectam rationem entis, non enim est contra legem: quia venialiter peccans, non facit quod lex prohibet, nec prætermittit id, ad quod lex per præceptum obligat, sed facit præter legem: quia non observat modum rationis, quem lex intendit.

Ad secundum dicendum, quod illud præceptum Apostoli est affirmativum, unde non obligat ad semper: et sic non facit contra hoc præceptum quicumque non actu refert in gloriam Dei omne quod facit. Sufficit ergo, quod aliquis habitualiter referat se et omnia sua in Deum ad hoc, quod non semper mortaliter peccet, cum aliquem actum non refert in gloriam Dei actualiter. Veniale autem peccatum non excludit habitualement ordinationem actus humani in gloriam Dei, sed solum actualement: quia non excludit charitatem, quæ habitualiter ordinat in Deum: unde non sequitur, quod ille qui peccat venialiter, peccet mortaliter.

Ad tertium dicendum, quod ille qui peccat venialiter, inhaeret bono temporali non ut fruens, quia non constituit in eo finem, sed ut utens referens in Deum non actu, sed habitu.

Ad quartum dicendum, quod bonum commutabile non accipitur, ut terminus contra positus incommutabili bono, nisi quando constituitur in eo finis. Quod enim est ad finem, non habet rationem termini.

Prima conclusio: est affirmativa.

Secundo conclusio: in solut. ad primum:

*Divisio peccati in veniale et mortale, non est divisio generis in species, sed analogi in analogata.*

ARTICULUS II.

*Utrum peccatum veniale et mortale differant genere.*

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod peccatum veniale et mortale non differant genere, scilicet, quod aliquod sit peccatum mortale ex genere, et aliquod veniale ex genere. Bonum enim et malum ex genere in actibus humanis accipitur per comparationem ad materiam, sive ad objectum, ut supra dictum est: sed secundum quodlibet objectum, vel materiam contingit peccare mortaliter et venialiter: quodlibet enim bonum commutabile potest homo diligere, vel infra Deum, quod est peccare venialiter, vel supra Deum, quod est peccare mortaliter: ergo peccatum veniale et mortale non differant genere.

2. Præt. Sicut dictum est supra, peccatum mortale dicitur, quod est irreparabile; peccatum autem veniale, quod est reparabile: sed esse irreparabile convenit peccato quod fit ex malitia, quod secundum quosdam irremissibile dicitur; esse autem reparabile convenit peccato quod fit per infirmitatem, vel ignorantiam quod dicitur remissibile. Ergo peccatum mortale et veniale differunt, sicut peccatum quod est ex malitia commissum, vel ex infirmitate et ignorantia: sed secundum hoc non differunt peccata genere, sed causa, ut supra dictum est. Ergo peccatum veniale et mortale non differunt genere.

3. Præt. Supra dictum est, quod subiti motus tam sensualitatis quam rationis sunt peccata venialia: sed subiti motus inveniuntur in quolibet peccati genere. Ergo non sunt aliqua peccata venialia ex genere.

Sed contra est, quod Aug. in serm. de Purgatorio enumerat quedam genera peccatorum venialium, et quedam genera peccatorum mortalium.

Respondeo dicendum, quod peccatum veniale a venia dicitur. Potest igitur aliquod peccatum dici veniale uno modo, quia est veniam consequentem, et sic dicit Ambros. quod omne peccatum per penitentiam fit veniale: et hoc dicitur veniale, quia non habet in se unde veniam non sequatur vel totaliter vel in parte. In parte quidem sicut cum habet in se aliquid diminuens culpam, ut cum fit ex infirmitate, vel ignorantia, et hoc dicitur veniale ex causa. In toto autem, ex eo quod non tollit ordinem ad ultimum finem, unde non meretur penam aeternam seu temporalem: et de hoc veniali ad præsens intendimus. De primis enim duobus constat, quod non habent genus aliquod determinatum, ita quod aliquod peccatum dicatur veniale ex genere, et aliquod mortale ex genere, secundum quod genus, vel species actus determinatur ex objecto. Cum enim voluntas fertur in aliquid, quod secundum se repugnat charitati, per quam homo ordinatur in ultimum finem, illud peccatum ex suo objecto habet quod sit mortale. Unde est mortale ex genere, sive sit contra dilectionem Dei, sicut blasphemia, perjurium et huiusmodi: sive contra dilectionem proximi, sicut homicidium, adulterium, et similia, unde huiusmodi sunt peccata mortalia ex suo genere. Quandoque vero voluntas peccantis fertur in id, quod in se continet quandam inordinationem, non tamen contrariatur dilectioni Dei et proximi, sicut verbum otiosum, risus superfluum, et alia huiusmodi: et talia sunt peccata venialia ex suo genere, ut supra habitum est. Sed quia actus morales recipiunt rationem boni et mali non solum ex objecto, sed etiam ex aliqua dispositione agentis, ut supra habitum est, contingit quandoque quod id, quod est peccatum veniale ex genere, ratione sui objecti sit mortale ex parte agentis, vel quia in eo constituit finem ultimum, vel quia ordinat ipsum ad aliquid quod est peccatum mortale ex genere, puta, cum aliquis ordinat verbum otiosum ad adulterium committendum. Similiter etiam ex parte agentis contingit, quod aliquod peccatum, quod ex suo genere est mortale, sit veniale propter hoc, scilicet, quod actus est imperfectus, id est non deliberatus ratione, quæ est principium proprium mali actus: sicut supra dictum est de subitis motibus infidelitatis.

Ad primum ergo dicendum, quod ex hoc ipso, quod aliquis eligit id, quod repugnat divinæ charitati, convincitur præferre illud charitati divinæ, et per consequens plus amare ipsum quam Deum: et ideo aliqua peccata ex genere, quæ de se repugnant charitati, habent, quod aliquod diligatur supra Deum, et sic sunt ex genere suo mortalia.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit de peccato veniali ex causa.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit de peccato, quod est veniale propter imperfectionem actus.

Prima conclusio: *Aliqua sunt peccata ex suo genere venialia, et aliqua ex suo genere mortalia: secundum quod genus vel species actus determinatur ex objecto.*

Secunda conclusio: *Illud quod est peccatum veniale ex genere, potest fieri mortale ratione finis.*

Tertia conclusio: *Illud quod est ex genere peccatum mortale, potest fieri veniale propter imperfectionem actus, si plene deliberatus non sit.*

Duo isti primi articuli continent principales difficultates, quæ circa præsentem quæstionem a Theologis examinantur: pro quibus erit

DISPUTATIO XIX.

*De distinctione peccati venialis a mortali.*

Quamvis in præcedentibus, præsertim disp. 4 et 9, disp. 10 et 17, non pauca dixerimus, quæ naturam venialis et mortalis peccati notificare possunt, non erit otiosa specialis circa ea disputatio: quia supersunt aliqua pro dignoscenda illorum differentia, quæ postulant radicitus examinari. Quæ autem difficultatem continent (præter certa vel communia, quæ ut supponenda potius quam ut discutienda referemus) ad duo præcipue reducuntur, nimirum ad principium distinctionis inter prædicta peccata, et ad genus divisionis: quibus examinatis, minutiora alia lucem recipient.

DUBIUM I.

*Quæ sit primaria differentia venialis culpæ a mortali?*

Quamvis inter peccatum veniale et mortale assignari soleant plura discrimina ex diversis capitibus accepta, unum dumtaxat debet esse præcipuum et primum, ad quod cætera consequuntur. Quod tamen haud facile inveniemus, nisi per alia etiam discurremus, et ea breviter examinemus.

## § I.

*Rationes venialis et mortalis peccati : et eorum varia discrimina.*

Utriusque peccati etymologia.

D. Thom.

D. Amb.

1. Nullus dubitat, peccatum mortale a morte dictum esse, non corporis, sed animæ: cumque hujus vita sit per gratiam qua Deo conjungitur, ejus mors dicitur amissio ipsius gratiæ, qua ab illo avertitur et separatur: adeoque peccatum mortale erit omne illud quod gratiam aufert, et animam a Deo aversam relinquit. Veniale vero dictum est a venia et remissione: et habet triplicem acceptionem, ut observat D. Thom. quæst. 7 de Mal. art. 1 et in præsentia art. 2. Potest enim peccatum dici *veniale*, vel quia est veniam consequutum: et hoc est *veniale ab effectu*. Quia ratione D. Ambrosius citatus a D. Thoma dixit, omne peccatum fieri veniale per pœnitentiam, quia per hanc consequitur remissionem. Vel potest dici *veniale*, quia habet in se unde aliquo modo venia dignum sit, seu unde minus veniæ repugnet, et minus eam excludat: et hoc dicitur *veniale ex causa*. Quo pacto se habent peccata ex ignorantia vel infirmitate commissa: defectus enim voluntarii diminuens eorum malitiam, dimittit etiam difficultatem remissionis. Neutrum tamen ex istis venialibus dividitur contra mortale, ut ex se liquet. Unde tertio dicitur peccatum veniale, quia non excludit a subjecto principium veniæ et remissionis: et quia hujusmodi principium est gratia, omnia illa peccata quæ gratiam non auferunt, *venialia* vocantur. Et in hac tertia acceptione sumitur communiter peccatum veniale a Theologis, et dividitur contra mortale.

Estque adhuc triplex: nam aliud dicitur *veniale ex genere*, ut verbum otiosum: quia ex propria materia et objecto, quantumcunque circa illud crescat, non habet unde sit mortale. Aliud *ex parvitate materiæ*, ut furtum rei parvæ: quod ideo veniale remanet, quia non attingit simpliciter materiam sui generis, sed aliquid tenue et modicum. Et aliud *ex imperfecta deliberatione*, quod etiamsi circa objectum ex se mortale, et circa materiam gravem versetur, non sumit inde malitiam mortalem propter imperfectionem actus, qui ob defectum plenæ deliberationis non est capax tantæ malitiæ. Omnia autem hæc comprehenduntur in præsentia, et secundum communem Theo-

logorum acceptionem sub nomine *culpæ venialis*, et a mortali distinguuntur.

2. Dari vero de facto prædicta peccata venialia, et non omnia quæ ab hominibus committuntur, mortalia esse; sicut neque omnia venialia, tenent ut certum omnes Catholici: et docet Concil. Trident. sess. 6, cap. 11, dum ait: *Licet enim in hac mortali vita quantumvis sancti et justi in levia saltem et quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata, quandoque cadant, non propterea desinunt esse justi. Nam justorum illa vox est et humilis et verax: Dimitte nobis debita nostra*, etc. Etenim sicut inter infirmitates corporis quædam sunt graves, quæ mortem inducunt auferendo principium vitæ; quædam vero leves, quæ in eo periculo non constituunt, quamvis ad id disponant: ita inter peccata, quæ sunt morbi animæ, aliqua habent esse gravia, quæ animam occidunt auferendo gratiam, per quam Deo vivit, et ideo mortalia dicuntur: et aliqua levia, quæ licet ad prædictum effectum disponant, non tamen seipsis pertingunt, et hæc sunt venialia. Accedit, quod sicut apud homines non quælibet offensa reputatur gravis, aut sufficit ad tollendam inter eos amicitiam; sed dantur aliquæ leves, per quas, amicitia adhuc conservata, non nihil læduntur: ita in ordine ad Deum, cujus amicitia firmior et stabilior est, non est dicendum omnes offensas esse graves et tollentes prædictam amicitiam; sed aliquas esse leves, per quas illa non solvitur, licet aliquid refrigescat.

3. Quamvis autem veritas hæc perspicua sit, non tamen desunt contra illam aliqui hæreticorum errores, quos breviter tangeamus. Lutherus enim asseruit, præter infidelitatem nullum peccatum esse mortale, sed omnia venialia. Quem errorem damnat Tridentinum ses. citata can. 27, ubi ait: *Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum nisi infidelitatis, etc. anathema sit*. Calvinus etiam lib. contra sacrum Concilium circa prædictum cap. 27, turpissime erravit dicens, omnia peccata de facto mortalia esse propter Dei legem, licet ex se omnia essent venialia. Contra quem scribunt Castro de hæresib. verbo *peccatum*. Hæres. ult. et Vega lib. 14 super Concil. Trident. a cap. 1 usque ad 6. Alia via erravit Wicleff asserens, omnia peccata prædestinatorum venialia esse, reproborum vero omnia esse mortalia. Quem optime impugnat N. Thomas Wald. tom. 2 a cap. 155,

Eorum existentia.

Concil. Trid.

Contra-rii errores.

Concil. Trid.

Castro. Vega.

Wal-dens.

155, usque ad 158. Nec necesse erit in prædictis erroribus evertendis immorari, cum veritas de qua agimus, adeo sit perspicua: sed ut certum et exploratum supponere, tam in prædestinatis quam in reprobis reperiri multoties utraque peccata, neque omnia ex se esse venialia, aut ex lege Dei omnia mortalia; sed ex seipsis multa ad gradum culpæ mortalis pertinere, plurima vero gradum venialis non excedere etiam ex quacumque lege.

4. Nonnullum tamen dubium est etiam apud auctores catholicos, an distinctio inter prædicta peccata sit ex natura rei, vel solum ex divina misericordia? Hoc enim posterius tenuere Gerson. 3 part. tract. de vita spirit. alph. 61. Almain. tract. 3 moral. cap. 20, Rofensis contra Luter. art. 32. Dicunt enim, quodlibet peccatum quantum est ex se, mereri pœnam æternam: quia cum sit offensa Dei, qui est infinitus, est offensa infinita, mereturque proinde pœnam saltem ex parte durationis infinitam: quod proprium est culpæ mortalis. Cæterum ex divina misericordia remittit Deus prædictam pœnam pro aliquibus peccatis, et in pœnam temporalem convertit: quod est peccata ipsa effici venialia. Hanc tamen sententiam communiter rejiciunt cæteri Theologi: et improbabilem appellat Vasq. disp. 142, cap. 1. Ejus vero falsitas constabit ex dicendis toto hoc dub. ubi plura trademus discrimina inter peccatum veniale et mortale, orta ex natura utriusque. Videtur autem prædicta sententia reprobata esse per Bullam Pii V, et Gregorii XIII, contra Michaellem Baium: nam inter reliquas propositiones ibi condemnatas hæc habetur: *Nullum est peccatum natura sua veniale: sed omne peccatum meretur pœnam æternam.* Ad illud de infinitate offensæ peccati venialis, dicemus quæst. sequenti in commentar. art. 1, ubi declarabitur, quomodo licet per prædictum peccatum offendatur Deus, qui est bonum infinitum, quia tamen non offenditur simpliciter, sicut per peccatum mortale, non consurgit inde offensa infinita.

Neque obest, si objicias quod omnia quæ Deus præcipit vel prohibet sub culpa veniali et sub pœna temporali, posset præcipere vel prohibere sub culpa mortali et sub pœna æterna: ob hoc saltem ut nostram exerceret obedientiam, et suum supremum dominium manifestaret: tunc autem omnes transgressiones illorum præceptorum essent peccata mortalia: ergo ex divina miseri-

cordia est, quod non omnia de facto ad istum culpæ gradum pertinent.

5. Non itaque hoc obest. Tum quia ad-<sup>Diluitur.</sup>huc in prædicto casu (cujus possibilitatem non examinamus, sed gratis admittamus) non omnia peccata ad gradum mortalis pertingerent: quia licet omnia versarentur circa objecta sub mortali prohibita, multa tamen non attingerent illa cum plena deliberatione: sine qua nullus actus est capax malitiæ mortalis: nec Deus, servata lege justitiæ, potest damnare tales actus ad pœnam æternam: et si de facto damnet, operaretur quidem ut dominus, non vero ut iudex: neque proinde æterna illa duratio haberet propriam rationem pœnæ, ut tetigimus disp. 17, num. 88. Tum etiam quia ad discernendum utrum peccata venialia ex natura rei differant a mortalibus, non est attendendum an Deus possit prohibere omnia sub mortali et sub pœna æterna: sed an ipsa peccata, attenda eorum natura et materia circa quam versantur, postulent ita prohiberi, aut vero solum postulent prohiberi sub veniali: nam quod ex se unaquæque postulant, id convenit ipsis ex natura rei. Porro certum est, non omnia postulare ex se prohibitionem sub mortali: sed quam plura dumtaxat sub veniali, sicut prohibentur de facto: Deus enim de facto, saltem attenda communi providentia, unumquodque prohibet, secundum quod ejus natura et materia postulat.

Tum denique quia ut recte vidit Vasquez<sup>Vasq.</sup> hoc loco disp. 143, cap. 2, cum dicimus, peccatum veniale et mortale non ex voluntate aut misericordia Dei, sed suapte natura differre, non est ita accipiendum quasi ante omnem Dei voluntatem peccata sive mortalia sive venialia sint talia formaliter, proindeque formaliter differant: peccatum enim quodcumque supponit legem, contra quam committitur: lex vero saltem supponit Dei voluntatem, qua nos ad illius observationem obligare intendit, ut vidimus disp. 7, dub. 1. Sed sensus est, quod supposita lege et voluntate Dei in ea inclusa, ejus transgressio sicut ex natura rei habet quod sit mortale vel veniale juxta gravitatem ipsius legis, circa quam versatur: adeo ut necesse non sit pro assignanda prædicta differentia recurrere ad novam Dei voluntatem, quasi consequentem et advenientem peccato jam commisso, ipsumque vel ejus pœnam remittentem, aut æternam in temporalem commutantem, sicut recurrunt auctores illius sententiæ. Indepen-

Falsa opinio.

Gerson. Almain. Rosen-sis.

Pius V. Greg. XIII.

Objectio.

denter enim ab hujusmodi voluntate vel misericordia quodlibet peccatum eo quod est transgressio legis, habet gradum suæ malitiæ et quædam gratiam excludunt, et pœnam æternam merentur, suntque proinde mortalia; alia vero non excludunt gratiam, neque merentur per se prædictam pœnam, et sic sunt venialia. Diximus *per se* etc. nam quod peccata venialia non dimissa in hac vita, et conjuncta mortalibus puniantur pœna æterna, non convenit illis per se, sed per accidens ex prædicta conjunctione et ex incapacitate subjecti ad satisfaciendum et ad veniam percipiendam, ut dictum est disp. 17, num. 73. Unde ex hoc capite non habetur quod ipsa peccata venialia ex se mortalia essent, aut pœnæ æternæ meritoria, ut Authores quos impugnamus, videntur deducere.

6. Circa hanc autem differentiam ex natura rei, quam inter peccatum mortale et veniale adstruimus, et circa illud in quo potissimum consistat, varios dicendi modos referunt et impugnant Alvarez, Curiel, Vasq., Montes, et alii expositores D. Thom. in præsentī. Primo ergo Scot. in 2, dist. 21, quæst. 1, prædicta peccata distinguit per hoc, quod mortale sit contra præceptum, veniale vero solum contra consilium. Idemque asserere videtur Gabriel in 4, dist. 16, quæst. 1, art. 1, notab. 1.

Hic tamen dicendi modus communiter rejicitur: et merito: nam de ratione omnis peccati est, quod sit violatio alicujus obligationis, et transgressio alicujus legis: ubi enim non est lex, neque prævaricatio esse potest: consilium autem præcise ut tale non inducit obligationem, neque habet vim legis, sed proponitur nobis ut omnino libere amplectendum: ergo cum peccatum veniale sit verum peccatum, non sufficit ad ejus rationem oppositio ad consilium. Et confirmatur: nam si operari contra consilia ex hoc præcise esset peccatum saltem veniale, nullus posset licite et sine tali peccato manere in sæculo, uxorem ducere, divitiarum dominium retinere, et similia, quorum opposita Christus nobis consuluit: hoc autem manifeste est absurdum, et contra illud Pauli 1, ad Corinth. 7: *De Virginitate præceptum Domini non habeo, consilium autem do, etc. Si autem acceperis uxorem, non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccavit, etc.*

7. Dices, operari contra consilia non est bonum, alias esset meritorium et laude dignum: neque etiam est opus indifferens, quia in individuo non datur tale opus:

erit ergo malum, ac proinde peccatum saltem veniale. Et confirmatur: nam operari prædicto modo saltem est aliqua imperfectio: imperfectio autem non videtur posse esse bona, sicut nec meritoria alicujus præmii vel laudis, sed magis reprehensionis et animadversionis: ergo etc.

Respondetur, malum quidem esse operari contra consilium animo contraveniendi ipsi consilio: quia talis animus non potest habere finem bonum; imo habet positive finem malum: oritur enim ex odio aut vilipensione majoris boni; quod est in consiliis. Cæterum omittere id quod consilium dictat, aut facere oppositum ejus quod dictat, secluso illo animo, potest esse bonum, si ex aliqua alia circumstantia prava non vitietur. Quia nullam importat inordinationem, ratione cujus nequeat ad bonum finem ordinari, et honeste fieri. Quamvis non sit ita bonum, sicut illud quod consulitur. Cum enim consilium prout distinctum a præcepto sit de meliori bono, non oportet ut ejus oppositum sit malum (imo si esset malum, jam vitatio istius non caderet solum sub consilio, sed sub præcepto), sed sufficit quod sit minus bonum: hoc autem non tollit, quominus sit vere bonum, vereque meritorium; si fiat ab existente in gratia. Communiter tamen non laudamus ejusmodi opera, quæ opponuntur consiliis: quia laus reservatur pro operibus magnis et perfectioribus: est enim (ut diffinit D. Thom. super Psal. 17): *Sermo dilucidans magnitudinem virtutis*. Et ita opera communia quæ homines faciunt, ut comedere, confabulari, rei familiari intendere, et similia, quamvis bona et honesta sint, non solent esse objectum laudis.

8. Ad confirmationem ut occurramus, explicandum erat quid sit imperfectio, et qualiter a peccato veniali distinguatur? Quod alibi latius tractabitur. Nunc breviter observa, quod quia imperfectio dicitur actus carens aliqua perfectione, potest sumi vel formaliter pro ipsa perfectionis carentia: et hæc nunquam est bona: quia cum bonitas fundetur in entitate, quod non est ens, sed carentia entis, non habet esse bonum: erit autem mala, si sit carentia simpliciter privativa, quia eo ipso erit contra aliquod præceptum: sin minus manebit indifferens: repugnantia enim quæ reperitur in actibus positivis, ut non maneant indifferentes in individuo, non invenitur in negationibus et carentiis. Vel potest sumi (ut sit in objectione et communiter materialiter

Modus dicendi falsus.

Scotus. Gabriel.

1 ad Corinth. 7.

Reptica.

Enervatur.

D. Thom.

Quid sit imperfectio?

materialiter pro actu imperfecto, qui sub-  
sternitur tali carentiæ. Et in hac acceptione  
potest dubitari an sit opus bonum vel ma-  
lum, supposito, ut supponitur non esse in-  
differens.

Varia  
acceptiones.

In quo vix reperimus difficultatem nisi  
de modo loquendi. Potest enim adhuc hæc  
vox *imperfectio* sumi tripliciter. Primo om-  
nino negative, ut dicat carentiam perfec-  
tionis nullo modo debitæ. Qua ratione om-  
nis actus creatus quantumvis alias perfectus  
sit, poterit dici imperfectus: quia eo ipso  
quod est limitatus et finitus, caret aliqua  
perfectione, et potest in sua bonitate cres-  
cere. Hæc tamen acceptio non deservit ad  
præsens: quia communis usus loquendi  
inter ipsos etiam actus creatos et finitos  
agnoscit aliquos satis perfectos, quos abso-  
lute sic vocamus, et ab iis qui dicuntur  
*imperfectiones*, omnino distinguimus.

Secundo sumi potest privative per pri-  
vationem absolute et simpliciter dictam.  
Et hoc modo dicitur *imperfectio* actus qui  
caret aliqua perfectione sibi debita abso-  
lute et simpliciter, seu ex aliqua lege obli-  
gante ad culpam et in foro conscientiæ.  
Hujusmodi autem imperfectio semper est  
actus malus: quia privatio simpliciter dicta  
habet rationem malitiæ: unde non distin-  
guitur a peccato nisi in quantum nomen pec-  
cati extenditur tam ad gravia quam ad le-  
via; imperfectio vero de solis levibus dicitur:  
nam mortalia nullus consuevit *imperfectio-  
nes* appellare. Ista vero acceptio licet  
sit usitatior quam præcedens (sæpe enim  
ipsa peccata venialia *imperfectiones* voca-  
mus) non tamen est communis, præsertim  
apud spiritualis vitæ Magistros: qui ut  
plurimum distinguunt imperfectionem a  
culpa, etiam veniali, et veluti mediam inter  
hanc et actum perfectum considerant.

9. Unde est tertia acceptio et communis,  
juxta quam imperfectio sumitur neque om-  
nino negative nec simpliciter privative, sed  
privative secundum quid et quodammodo:  
statque pro illis actibus, qui licet sint mora-  
liter boni, non tamen in eo gradu quem  
perfectio studium ad ejus profectum re-  
quirat, et quem de virtute alicujus ad per-  
fectionem accurate tendentis vel in ea con-  
stituti prudens opinio sperat, seu qui vir-  
tutis et perfectionis studium sua integritate  
demonstret. Dicimus autem hujusmodi ac-  
tus *imperfectus privative secundum quid*:  
quia licet non careat ea rectitudine, quam  
communis prudentia stricto jure postulat,  
ut illos ad finem ultimum dirigat (quod

sufficit ut absolute sint boni, et ut caren-  
tia in eis reperta, non sit simpliciter pri-  
vatio) carent tamen illo bonitatis gradu,  
per quem haberent suum subjectum ad per-  
fectionem et ad spiritualem profectum de-  
ducere, quique ipsi subjecto ut tendenti ad  
talem profectum, attentis omnibus, congruit  
et decet: certum quippe est non quemlibet  
actum etiam alias bonum ad hujus-  
modi gradum pertingere: quicumque autem  
non pertingit, incongruus est ad perfec-  
tionem assequendam. Cum enim in via  
virtutis (juxta SS. Patrum tritam sententiam)  
non progredi, regredi sit, inde est ut multi  
actus etiam alias boni ab spiri-  
tualis profectu retardent, dum in quodam  
remisso et infimo virtutis gradu volunta-  
tem detinent, parumque aut nihil ad ultra  
progrediendum coadjuvant. In quo quamvis  
nulla lex stricte et in conscientia obligans  
violetur, prætermittitur tamen lex quædam  
decentiæ et congruitatis, qua illos qui vir-  
tuti student, et profectui perfectionis in-  
cumbunt, obstrictos intelligimus ad meliora  
sectanda. Et hæc est imperfectio quæ oppo-  
nitur consiliis, non vero præceptis: et de  
qua procedit objectio. Quare dicendum est  
talem imperfectionem absolute esse actum  
bonum, et non malum, neque indifferen-  
tem: et consequenter posse esse vitæ æternæ  
meritorium. Non tamen communiter lau-  
datur aut consulitur: quia laus et consi-  
lium, ut nuper diximus, respiciunt opera  
perfectiora. Neque etiam vituperatur ut  
aliquid culpabile: quamvis in viris spiri-  
tualibus quasi minus decens eorum studio  
nonnihil reprehendatur: quæ reprehension-  
es potius sunt exhortationes ad perfec-  
tiora, quam veræ increpationes aut vitupe-  
rationes.

10. Rejecto igitur hoc discrimine penes  
oppositionem ad præcepta vel consilia,  
quia verum non est, primum eorum quæ  
vera agnoscimus inter prædicta peccata,  
consistit in hoc, quod mortale est contra  
legem et contra præcepta; veniale vero so-  
lum est præter legem et præter præcepta.  
Hanc differentiam tradit D. Thom. in præ-  
senti art. 1 ad 1, et 2, 2, quæst. 105, art. 1  
ad 1, quæst. 7 de Mal., art. 1 ad 1, et in 2,  
dist. 42, quæst. 1, art. 4 ad 3, et ad 4,  
quem sequuntur in præsenti Cajet. Medina,  
Curiel, Montes. Greg. Mart. et alii. Opor-  
tet autem magis explicare in quo hæc dif-  
ferentia consistat: ex sinistra namque in-  
telligentia impugnatur ab aliquibus, qui in  
re a doctrina D. Thomæ non dissentiant.

Primum  
discrimen  
venialis  
et  
mortalis  
peccati.  
D. Thom.  
Cajet.  
Medina.  
Curiel.  
Montes.  
Greg.  
Mart.

Putant enim, sensum prædictæ doctrinæ esse, quod peccatum veniale nulli legi opponatur, neque sit per eam prohibitum. Quod tamen sustineri non potest : quia certum est, mendacium, v. g. prohiberi per legem non mentiendi, et esse contra talem legem : sicut etiam cætera venialia habent suas leges, per quas prohibeantur, et quibus opponantur. Unde loquendo de istis legibus, prædicta peccata non sunt dicenda *præter legem*, sed *contra legem*. Dicuntur vero *præter legem*, quia non sunt contra substantiam divinæ legis, neque contra ejus finem aut effectum præcipuum, sicut sunt mortalia, ut declarat D. Thom. loco cit. ex Quæst. de Mal. et ex 2, dist. 42.

D. Thom.

Declara-  
tur.

Pro quo nota, quod nomen *legis* aliquando sumitur pro hac vel illa lege determinata absque aliarum inclusione : aliquando vero pro tota lege qua dirigimur et ordinamur ad ultimum finem humanæ vitæ : secundum quam rationem amplectitur omnes leges particulares et omnia earum præcepta velut partes integrales, ex quibus coalescit. Et ista acceptio est valde frequens in Scriptura et apud SS. Patres : eaque utitur D. Thom. locis ubi supra. Secundo nota, in lege sic accepta aliquid se habere veluti substantia ipsius legis ; illud nimirum sine quo talis lex nequit homines ad finem ultimum perducere, ac proinde nec lex ipsa consistere : et hæc sunt præcepta obligantia sub mortali : qui enim hæc non servat, eo ipso avertitur a prædicto fine : adeoque non consequitur præcipuum et substantialem effectum legis. Aliquid vero se habet ut modus vel accidens spectans quidem ad perfectionem et complementum legis, non tamen ad substantiam : quia sine illo potest lex licet cum aliquo detrimento professores suos ad prædictum finem perducere : et hujusmodi sunt præcepta obligantia tantum sub veniali. Sive enim hæc observentur, sive non, dummodo alia graviora non prætermittantur, consequentur homines finem legis, et ejus principalem effectum : manebitque proinde lex ipsa incorrupta secundum substantiam. Loquendo ergo de lege primo modo, peccatum veniale vere et proprie est contra illam : quia vere et proprie prohibetur per aliquam legem. Et hoc tantum convincunt objectiones, quæ contra prædictam D. Thomæ doctrinam solent efformari. At vero posteriori modo loquendo, prædictum peccatum non est contra legem simpliciter : quia non est contra substantiam legis, neque eam corrumpit : dum

non tollit neque corrumpit præcipuum et substantialem ejus effectum, qui est directio ad finem ultimum : sicut tollit et corrumpit peccatum mortale. Potest tamen dici *contra legem* secundum quid : quia opponitur ejus integritati et perfectioni in iis quæ non sunt de substantia legis : et hoc appellat D. Thom. *esse præter legem*. Et quoniam apud Scripturam et Patres, ut diximus, frequentius lex sumitur hoc posteriori modo quam illo priori, idcirco S. Doctor prædictæ acceptioni se accommodans, absolute ait, solum peccatum mortale esse contra legem ; veniale vero non nisi præter legem.

Vel dicas (et fere in idem recidit) D. Thomam loqui de lege et de præceptis quæ sunt simpliciter necessaria ad assequendum finem ultimum : quia multoties in Scriptura et Patribus hæc dumtaxat nomine *legis* et *præceptorum* insighuntur, juxta illud Jacobi 2 : *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*. Ubi plane est sermo de præceptis obligantibus sub mortali : et hæc vocantur *tota lex*. Unde quia peccata venialia non opponuntur hujusmodi legi et præceptis, sicut opponuntur mortalia, dixit D. Thom. esse præter legem et præter præcepta, non contra illa. In quo non negat, quod prædicta peccata sint contra suas proprias leges obligantes sub veniali : sed quia non sunt simpliciter necessariae ad prædictum finem, non veniunt simpliciter nomine *legis*, nec ratione illarum peccatum dicitur esse contra legem simpliciter, sed tantum secundum quid. Aliam expositionem satis congruam invenies apud Cajetanum in præsentia, a qua nostræ parum distinguuntur.

Declara-  
tur alia  
via.

Jacob. 2.

11. Secundo differunt prædicta peccata : quia mortale deordinat voluntatem usque ad perversionem ordinis in finem ; veniale vero citra talem perversionem, atque adeo salvo prædicto ordine. Qui modus dicendi frequens est apud D. Thomam. Et ad eum reducit alius, quo aliquando usus fuit : nimirum quod peccatum mortale est deordinatio circa finem ; veniale vero circa ea quæ sunt ad finem, salvo ordine finis. Potestque hoc idem discrimen aliter declarari : ut dicamus, peccatum mortale esse conversionem ad objectum contrarium et repugnans ultimo fini : veniale vero esse conversionem ad ea quæ sunt extra ipsum finem, non tamen omnino illi repugnant. Ex eo enim quod peccatum mortale est prima illa conversio, habet deordinare voluntatem

luntatem



luntatem deordinatione pertingente usque ad finem ultimum : sicut ex eo quod veniale non dicit illam conversionem, sed aliam posteriorem, habet quod sua inordinatio citra finem sistat, et ejus ordinem non pervertat.

12. Differunt tertio : quia mortale opponitur gratiæ et charitati, destruitque illas ; veniale vero solum opponitur charitatis fervori, et neque ipsam charitatem neque gratiam corrumpit. Coinciditque cum hoc discrimine illud unde prædicta peccata suas denominationes desumunt, scilicet quod mortale tollit principium vitæ spiritualis, et ita causat mortem spiritualem in anima, nec relinquit in subjecto aliquid, quod sit principium suæ remissionis : veniale autem non tollit prædictum principium, sed relinquit in subjecto id per quod possit veniam adipisci, juxta dicta numero 1. Hoc igitur discrimen coincidit cum tertio : quia prædictum principium est ipsa gratia et charitas, ut explicuimus disputatione 17, dubio 3.

Quarto differunt : quia peccatum mortale inducit reatum pœnæ æternæ et pœnæ damni : quod non inducit veniale. Quinto quia mortale est aversio voluntatis a Deo sicut a fine ultimo ; veniale vero quamvis divertat utcumque ab illo, non tamen avertit. Et ad hoc forte reducitur, quod per mortale constituitur finis ultimus in bono creaturæ ; per veniale vero non ita. Sexto quia mortale est offensa Dei gravis ; veniale vero vel non est offensa, vel est tantum levis. Septimo denique, ut omittamus alia discrimina minoris momenti, differunt prædicta peccata, quia mortale maculat simpliciter animam ; veniale vero vel nullam maculam relinquit, vel tantum secundum quid et valde improprie dictam. Hæc omnia discrimina assignat D. Thom. inter mortale et veniale peccatum in præsentī artic. 1 et 2, et supra quæst. 72, art. 5, quæst. 87, artic. 5 ad 1, et infra quæst. 89, art. 1, quæst. 7 de Mal. art. 1, in 2, dist. 42, quæst. 1, art. 4, aliisque locis : quædam in quibusdam, et alia in aliis. Agnoscuntque fere omnia illa satis communiter Theologi. Superest videamus, quod eorum sit primum et caput cæterorum. Pro quo adhuc nota, quod aliqua differentia potest dici prima, vel in ratione differentiæ formalis : quia est primum, quo res formaliter ut talis et in suo esse formali constituta, distinguitur ab alia. Vel in ratione differentiæ radicalis : quia est radix

et origo ipsius rei et differentiæ formaliter constitutivæ et distinctivæ talis rei. De utraque igitur dicemus.

## § II.

### *Assertio pro differentia formali.*

13. Dicendum est, differentiam primariam formalem qua peccatum veniale a mortali discernitur, esse illam quam primo loco ex D. Thoma explicuimus num. 10, a qua non differt secunda, quam ex eodem tradidimus num. 11, reliquæ vero prout a prædictis distinguuntur, tantum sunt secundariæ et accidentales. Hanc conclusionem saltem quoad primam et secundam partem tuentur plures discipuli D. Thomæ in præsentī, uti Medina, Alvar. disp. 188, Greg. Mart. dub. 3, conclus. 3, et alii. Oportet autem prædictam conclusionem et quod in ea asserimus, apertius declarare, ut facilius probari possit. Consistebat itaque prima illa differentia in eo quod peccatum mortale simpliciter est contra legem, et veniale præter legem, seu contra legem secundum quid, ut explicuimus. Ut autem verificetur aliquem actum esse contra legem simpliciter, duo requiruntur, nimirum et quod lex cui opponitur, sit de numero illarum, quæ simpliciter *leges* vocantur, eo quod omnino necessariæ sunt ad finem ultimum assequendum : et quod talis actus simpliciter tendat contra prædictam legem, seu simpliciter illam transgrediatur. Nam *ly simpliciter* positum in prædicta differentia, afficit tam modum essendi contra legem, quam legem ipsam : atque adeo ex parte cujuslibet deficiat, deficiet a ratione culpæ mortalis. Cæterum ut verificetur esse contra legem secundum quid, satis est quod unum illorum deficiat : atque adeo quod vel lex non sit simpliciter necessaria ad finem ultimi assequitionem : vel quod actus non violet simpliciter talem legem, neque simpliciter ei opponatur.

14. Ex primo capite deficiunt a ratione peccati mortalis omnia illa, quæ dicimus *venialia ex genere* : ut simplex mendacium, verbum otiosum, superfluum ludus, et similia : quia leges quibus peccata ista prohibentur, non sunt leges (ut ita dicamus) substantiales seu pertinentes ad substantiam integræ legis : eo quod illarum observatio non est simpliciter necessaria ad finem ultimum : et propterea merito solum secundum quid

Medina-  
Alvar.  
Greg.  
Mart.  
Exponitur  
conclusio.

leges vocantur, et a numero legum simpliciter excluduntur. Unde quamvis prædicta peccata his legibus simpliciter opponantur, et simpliciter eas transgrediantur, adhuc dicuntur contra legem secundum quid, prout ly *secundum quid* tenet se ex parte legis.

Ex secundo vero capite deficiunt a ratione peccati mortalis cætera omnia, quæ vel ob parvitatem materiæ, vel ob defectum plenæ deliberationis venialia vocamus : ex parvitate quidem materiæ, ut furtum rei parvæ : et ex imperfecta deliberatione, ut motus contra fidem semiplene deliberatus. Quamvis enim leges, quibus hæc peccata opponuntur, sint leges simpliciter, et simpliciter necessariæ ad finem ultimum assequendum ; non tamen simpliciter violantur per talia peccata ; neque hæc simpliciter illis contrariantur. Non enim lex justitiæ, quæ prohibet acceptionem rei alienæ, simpliciter violari dicitur per acceptionem unius ovi, v. g. quia neque ovum *res aliena* simpliciter, sed *reclusa* censetur. Neque etiam lex aliqua quantumvis stricte obligans, et quantumvis materia gravis sit, censetur simpliciter violari per actum non simpliciter liberum : nam sicut leges solis agentibus liberis imponuntur, ita ab iis solum violari censentur, qui libere simpliciter operantur : qui vero solum operantur libere secundum quid, seu cum semiplena tantum deliberatione, hoc dumtaxat modo nempe secundum quid possunt illas violare. Innititur enim tota vis ad violandam legem in libertate et voluntarietate actus tendentis contra illam : et ideo cui deficit plena libertas, ex hoc ipso inefficax est ad plenam violationem. Ex quo patet prædictam differentiam adæquatam esse, sufficienterque quælibet peccata venialia a quibusvis mortalibus distinguere : quia quæcunque non sunt simpliciter contra legem utroque illo modo, venialia sunt ; quæcunque vero utroque modo simpliciter legi opponuntur, sunt mortalia.

Ratio pro conclusionem. 15. Probemus jam hujusmodi differentiam esse primam, quæ prædicta peccata formaliter discernit. Nam illa est prima differentia divisiva alicujus generis vel prædicati communis, quæ prius et immediatius advenit tali generi vel prædicato, quæque magis per sese habet ad rationem quæ dividitur : sed peccato secundum rationem communem quæ dividitur in mortale et veniale, nihil prius aut magis per se advenit in ordine ad diversificandum illud, quam prædictus modus essendi contra legem vel

simpliciter vel secundum quid : hic igitur erit prima differentia distinguens formaliter talia peccata. Major et consequentia constant. Minor vero probatur : quia peccatum secundum rationem communem ad mortale et veniale diffinitur per hoc quod sit contra legem, ut vidimus supra quæst. 71, art. 1 ; huic autem quod est *contra legem esse*, nulla alia differentia prius advenit, quam talis vel talis modus essendi contra legem : sicut quia animal secundum suam communem rationem diffinitur quod est *vivens sensibile radicaliter*, nulla differentia prius illi advenit aut magis per sese habet, quam talis vel talis modus sentiendi : ergo : etc.

Confirmatur : sicut se habet *simpliciter ad simpliciter*, ita *magis ad magis*, et *secundum quid ad secundum quid* : quæ regula universaliter vera est in iis quæ sunt per se (licet fallat multoties in illis quæ sunt per accidens) cum ergo peccato ex sua communi ratione per se primo conveniat esse aliquo modo contra legem, fit ut peccato quod est tale simpliciter, scilicet mortali per se primo conveniat esse contra legem simpliciter : et peccato quod est tale secundum quid, sicut est veniale, per se primo conveniat esse contra legem secundum quid : quod est *esse præter legem* : atque adeo quod hæc sit prima illorum differentia formalis.

16. Dices : formalis ratio peccati potius consistit in tendentia ad objectum dissonum, quam in habitudine ad legem : ergo prima ejus differentia non debet desumi ex diverso modo essendi contra legem ; sed ex diversitate objectorum, seu ex diverso modo illa attingendi.

Respondetur, rationem peccati consistere in tendentia ad objectum non utcumque, sed ut stat sub prohibitione legis tanquam dissonans et repugnans tali prohibitioni : et ratione hujus dicitur esse contra legem ; non vero ratione alicujus habitudinis, qua directe legem respiciat. Et ideo in idem redit, quod prima ejus differentia sumatur ex diverso modo contrarietatis ad legem, atque ex diverso modo tendentiæ et habitudinis ad objectum legi dissonum. Unde hæc objectio non militat contra primam partem conclusionis, sed probat secundam.

17. Quam ut jam declarem, et priorem magis confirmemus, observa, quod cum prima et communissima peccati divisio sit in mortale et veniale, differentiæ respectu hujus divisionis sumendæ sunt ab eo, quod fuerit

Anima-  
versio  
pro con-  
firmanda  
assertio-  
ne.

fuerit communius et universalius sub communissima ratione peccati, atque adeo ex illo quo prius diversificari intelligimus prædictam communissimam rationem. Cumque hæc communissima ratio sit in habitudine ad objectum ut dissonum et disconueniens rectæ rationi tanquam ad specificativum, primæ ejus differentiæ sumendæ sunt ex prima diversitate prædictæ dissonantiæ et disconuenientiæ. Prima autem hujus diversitas non potest immediate attendi ex materiæ diversitate sine recursu ad modum obligationis legis (sicut attenditur alia posterior, qua differt unum peccatum mortale ab alio etiam mortali, et unum veniale ex genere ab alio similiter veniali ex genere): quia sæpe intra eandem materiam dissonat magis rectæ rationi unus actus, quam alius, propter majorem legis obligationem: ut in materia gulæ magis dissonat comedere extra tempus contra legem Ecclesiæ præcipientem jejunium, quam contra legem naturalis abstinentiæ prohibentem superfluam comestionem: estque illud mortale, et hoc veniale. Neque etiam potest attendi ex solo gradu obligationis legis, sine respectu ad quantitatem materiæ et ad modum attingentiæ actus: quia contra eandem legem, v. g. justitiæ peccat mortaliter qui attingit materiam gravem plene advertens; et venialiter qui solum tangit materiam levem, aut solum advertit semiplene. Debet igitur assignari aliquid, quod omnia hæc comprehendat: illudque erit ratio diversitatis, quam inquirimus. Non autem apparet aliud, nisi quod assignatum fuit in prima differentia: nimirum pro peccato mortali, quod lex per quam prohibetur, obliget simpliciter in ordine ad finem ultimum, et quod simpliciter violetur tam ex parte quantitatis materiæ, quam ex modo attingendi actus: quod absolute vocamus *esse simpliciter contra legem*: pro veniali vero, quod aliquod istorum deficiat: quod vocamus *esse contra legem secundum quid*. Estque hoc omnino idem quod assignatum fuit in secunda differentia: videlicet quod mortale versetur circa objectum contrarium ultimo fini, deordinetque voluntatem usque ad ipsum finem; secus autem veniale: nam per illud per quod aliquod peccatum tendit ad objectum contrarium ultimo fini, transgreditur simpliciter legem necessariam ad talem finem, et per id ipsum deordinat voluntatem usque ad eundem finem.

18. Et ut hæc secunda assertionis pars

melius intelligatur et confirmetur, nota secundo, quod ubi aliqua lex et ejus observatio est omnino necessaria ad assecutionem finis ultimi, adeoque talis lex et observatio habet cum eo necessariam connexionem, consequenter eadem malitia quæ deordinat voluntatem circa talem legem, deordinat etiam circa ipsum finem; cum impossibile sit voluntatem manere prave affectam et inordinatam circa medium, et non manere eodem modo affectam et inordinatam circa finem, quando inter finem et medium adest connexio omnino necessaria. Quare sicut quodvis peccatum per illammet rationem qua tendit ad objectum prohibitum lege, tendit contra ipsam legem, vel simpliciter vel secundum quid, juxta modum attingendi ipsum objectum, et juxta gradum obligationis legis: ita per eandem rationem est deordinatio voluntatis pertingens usque ad finem vel citra finem sistens. Et per eandem similiter est deordinatio vel circa finem, vel circa ea quæ sunt ad finem: quia deordinatio quæ non pertingit usque ad finem, sed citra finem sistit, solum potest esse deordinatio circa aliqua quæ ad finem sunt, non tamen cum eo habent necessariam connexionem. Atque adeo omnes hujusmodi differentiæ in eandem coincidunt.

Sed objicies: aliqua peccata versantur circa finem, et tamen sunt venialia defectu deliberationis: ut motus odii Dei semideliberatus: et aliqua mortalia non versantur circa finem, sed circa media: ut furtum, quod versatur circa divitias propter utilitatem ad alios fines: igitur differentia assignata, quod mortale deordinet circa finem, veniale vero circa ea quæ sunt ad finem, non subsistit. Et confirmatur: nam vel nomine finis intelligitur solus ultimus, qui est Deus; vel intelliguntur etiam alii fines proximi et intermedii? Si primum, constat plura esse peccata mortalia, quæ non versantur circa talem finem: ut furtum, adulterium, homicidium, et similia. Si vero dixeris secundum, constat etiam plura esse venialia, quorum objecta appetuntur ut fines proximi: hoc enim modo appetitur gloria indebita a vana glorioso, et delectatio reperta in cibo a guloso, etc. non ergo ex prædicto capite possunt venialia a mortalibus sufficienter distingui.

19. Respondetur ad objectionem pro prima parte, nullum actum non plene liberum attingere formaliter rationem finis ultimi, adhuc per modum fugæ et aversionis; quamvis materialiter versetur circa id quod

Animad-  
versio  
alia.

Objectio.

Enoda-  
tur.

alias est ultimus finis : quia ratio finis ut talis, præsertim ultimi, neque cognoscitur, neque attingitur sine perfecta cognitione et plena deliberatione. Unde tales actus non habent vim deordinandi voluntatem circa prædictum finem, neque avertendi ab eo, aut ad alium convertendi : fundatur enim prædicta vis in plenitudine dominii et libertatis, quæ inest homini ad deliberandum et determinandum de seipso, et de fine quem debet amplecti : et ideo deordinatio quæ perfectam libertatem non supponit citra finem sistit. Et ex hoc dici potest deordinatio circa ea quæ sunt ad finem : quatenus non tangit ipsam finis rationem, sed solum ea quæ circumstant et de materiali se habent. Quamvis non sit necesse, ut de hujusmodi peccatis venialibus dictum a D. Thoma intelligatur, quod *versantur circa ea quæ sunt ad finem* ; sed de aliis quæ sunt venialia ex genere, ut observat in præsentia Cajet., sufficit enim quod prædicta conditio solis venialibus competat, quamvis non omnibus. Differentia vero omnibus communis est, quod eorum deordinatio non pertingat ad finem secundum rationem ejus formalem, sed inferius sistat.

Ad secundam partem ejusdem objectionis respondetur, illa quæ sunt ad finem, aliquando habere necessariam connexionem cum illo, eo quod ad ejus assequutionem indispensabiliter requiruntur. Aliquando vero non ita, sed potest finis sine illis absolute consequi. In primo casu non ponunt in numero cum ipso fine, sed pro eodem reputantur : quia defectus et inordinatio contingens circa media omnino necessaria, non sistit ibi, sed pertingit usque ad finem : atque adeo in idem redit, quod voluntas deordinetur circa talia media, et quod ejus deordinatio usque ad finem pertingat : et de istis procedit objectio. In secundo vero casu non est idem iudicium de illis quæ sunt ad finem, ac de ipso fine : quia ob defectum connexionis necessariæ potest deordinatio circa illa versari, quin ad istum pertingat. Et quæ ita se habent, condistinguuntur omnino a fine, et dicuntur solum *ad finem*, vel *circa finem*. Et de istis accipienda est doctrina D. Thomæ et nostra conclusio.

20. Ad confirmationem dicas, nomine *finis* intelligi ultimum : sed quia ad ipsum reducuntur omnia illa, a quibus necessario dependet, et cum quibus habet necessariam connexionem, cujusmodi sunt plures alii

fines intermedii et proximi, ideo de omnibus istis idem iudicium ferimus, et omnes ad præsens nomine *finis* intelliguntur. Sic autem loquendo de fine ultimo, nullum est peccatum mortale, quod non versetur circa illum ; et nullum versatur circa illum cum plena deliberatione, quod sit tantum veniale. Quamvis plura venialia versentur circa alios fines proximos vel intermedios, qui non habent cum ultimo prædictam connexionem.

Tertia pars assertionis, qua cætera discrimina num. 12, inter peccatum veniale et mortale assignata, a ratione differentia primariæ excludit, ex eo facile probatur, quia omnia procedunt a posteriori, sumunturque ab effectibus prædictorum peccatorum : ut constabit discurrendo per singula. Etenim hoc quod est expellere vel non expellere gratiam et charitatem, quæ sunt principium vitæ spiritualis, utrumque se habet ut effectus consequens diversam peccati malitiam, vel diversum malitiæ gradum, atque adeo supponere debet differentiam constitutivam et distinctivam talis malitiæ aut gradus. Et idem est de reatu pænæ : ut recte vidit D. Thomas citat. quæst. D. Th. tione 7 de Mal. articulo 1, ubi cum dixisset, quod prædicta peccata *differunt quidem secundum reatum* : nam peccatum mortale meretur pœnam æternam ; peccatum vero veniale pœnam temporalem, subdit : *Sed ista differentia consequitur rationem peccati mortalis et venialis : non autem constituit ipsam. Non enim ex hoc est tale peccatum, quia talis pœna ei debetur ; sed potius e converso, quia peccatum est tale, ideo talis pœna ei debetur. Similiter etiam differunt quantum ad effectum : nam peccatum mortale privat gratiam ; veniale vero non. Sed neque ista est differentia quam quærimus : quia ista differentia consequitur ad rationem peccati : ex eo enim quod peccatum est tale, talem effectum habet ; et non e converso.*

21. Dices : quamvis expellere gratiam et charitatem sit peccati effectus, tamen opponi et contrariari illis pertinet ad essentiam : quia peccatum mortale ex sua primaria ratione, per quam a veniali distinguitur, habet talem oppositionem. Respondetur, quod etsi peccatum mortale per prædictam rationem habeat oppositionem cum gratia et charitate ; non tamen hæc oppositio est formaliter illam et ratio primaria, sed aliquid consequens : et ideo quamvis non cognosceretur gratia possibilis,

bilis, aut oppositio ad illam, ut in pura natura, adhuc daretur et intelligeretur distinctio peccati venialis a mortali, et excessus gravitatis unius supra aliud. Sicut et in multis aliis, quæ inter se opponuntur, quamvis unum per suam essentiam fundet oppositionem cum alio, non tamen hæc oppositio aut munus fundandi illam pertinet ad conceptum primarium talis essentia; sed utrunque consequitur, vel formaliter, vel saltem virtualiter aut secundum modum concipiendi.

Similiter dicendum est de quinto discrimine, quod sumitur ex aversione: nam hæc etiam (loquendo de aversione formali) est effectus peccati mortalis, et supponit primariam ejus malitiam: sive sermo sit de aversione *in facto esse*, quæ est privatio gratiæ; sive de aversione *in fieri*, quæ est malitia privativa in actu peccati reperta, et ad malitiam positivam consequuta. Et idem est de constitutione finis ultimi in creatura: nam hæc constitutio (quæ regulariter non est formalis, sed interpretativa) supponit aversionem a Deo: inde enim interpretamur, voluntatem per peccatum mortale amare creaturam ut ultimum finem, quia dum ita peccat, avertitur a Deo vero fine ultimo. Præterquam quod illud quod solum est tale virtualiter vel interpretative, sicut est prædicta constitutio, semper supponit aliquid formale, in quo fundatur et continetur: et ita non potest esse primum, quod rem constituit aut distinguit. Diximus *loquendo de aversione formali* etc. quia si loquamur de aversione causali, hæc est ipsa conversio ad objectum prohibitum, quatenus habet vim avertendi: ob idque dicitur *conversio aversiva*, ut explicuimus disp. 6, num. 53 et 54. Quare hanc aversionem causalem seu conversionem aversivam non negamus pertinere ad primam peccati differentiam; dicimus vero coincidere cum illa, de qua in prima et secunda parte conclusionis.

Sextum et septimum discrimen etiam sumuntur ab effectibus. Nam offensa formalis non est ipsa ratio constitutiva peccati; sed quidam effectus per modum moralis læsionis, quem in Deo juxta prudentem æstimationem resultare intelligimus, ut vidimus disputatione 7, num. 24. Imo nec ratio offensa activæ est omnino prima quæ invenitur in peccato; sed consequitur, saltem nostro modo concipiendi, ad rationem malitiæ, ut explicuimus ibidem numero 22. Macula vero non differt a peccato mor-

tali habituali, quod est terminus et effectus peccati actualis: et ita jam supponit ipsum peccatum actuale constitutum et a veniali distinctum. Sola ergo differentia a nobis in assertione tradita nihil aliud supponit in prædictis peccatis ut talibus; et ita ipsa dumtaxat potest esse primum, quo formaliter distinguuntur.

### § III.

#### *Examinatur differentia radicalis.*

22. Diximus, formalem differentiam inter mortale et veniale peccatum in eo sitam esse, quod alterum sit simpliciter contra legem, alterum vero secundum quid: tuncque esse contra legem simpliciter, quando et lex seu ejus observatio est simpliciter necessaria ad assequutionem finis ultimi, et violatur simpliciter per actum tendentem contra illam: tunc vero esse contra legem secundum quid, quando aliquid istorum deest. Ad detegendam ergo differentiam quam vocamus *radicalem*, investigandum est, unde ortum ducat, et quod lex sit ita necessaria, et quod prædicto modo violetur. Hoc posterius non est difficile: quia cito apparet duplex caput, quare aliquis actus violet simpliciter, aut solum secundum quid suam legem. Primum est perfectio vel imperfectio ipsius actus in ratione liberi: nam si sit plene liber, simpliciter tangit, et simpliciter violat legem qua prohibetur: si vero tantum sit liber semiplene, secundum quid dumtaxat tangit et violat illam, ut explicuimus numero 14.

Nec quæras pro peccatis, quæ solum ex imperfecta deliberatione venialia sunt, aliam radicem differentia a mortalibus præter prædictum defectum plenæ deliberationis: ex eo enim redditur incapax quicumque actus ad procedendum simpliciter contra legem, quæcunque ea sit, et ad recipiendam malitiam mortalem: sicut ex defectu omnimodæ deliberationis efficitur incapax cujusvis malitiæ et violandi quovis modo legem.

23. Secundum caput est parvitas materia rei prohibita per legem. Nam si id quod actus peccaminosus tangit in re prohibita, non sit tanti momenti, ut habeatur pro parte ejus notabili, nec multum ad ejus substantiam et ad finem intentum referat, eo ipso lex illa non violatur simpliciter, sed secundum quid: quia id in quo violatur, secundum quid tantum est res prohi-

bita per talem legem : illud vero, quod absolute vocatur *res prohibita*, etiam seclusa illa parte, integrum permanet. Et hæc est radix differentiae omnium, quæ diximus *venialia ex materia parvitate*.

Quæ autem pars censenda sit modica, et quæ notabilis in qualibet materia, voluerunt aliqui certa lege definire : ut scilicet materia parva dicatur, quæ octavam partem totius non excedit ; quæ vero excedit, censeatur materia gravis. Hæc tamen regula valde incerta est et obscura : et quamvis teneat in aliquibus, fallit in multis. Difficillimum namque aut etiam impossibile erit partem illam octavam respectu omnis totius certo designare. Et adhuc ea designata, non est unde probetur, quod pars major non possit aliquando esse materia levis ; et pars minor non possit esse gravis. Verbi gratia, in eo qui tenetur solvere officium divinum, non constat an pars octava sumenda sit respective ad totum officium diei ex septem horis canonicis coalescens, an vero respective ad quamlibet horam : et quovis modo sumatur, non verificatur prædicta regula. Octava enim pars totius officii non potest esse materia levis, quia excedit quæcumque horam minorem : pars autem duplo major quam octava alicujus horæ minoris non est materia gravis, cum non excedat unum ex tribus psalmis talis horæ. Similiter si bona unius hominis pertingant usque ad mille argenteos, alterius vero non nisi usque ad octo, respectu prioris erit materia gravis pars duplo minor octava ; respectu autem posterioris etiam, pars aliquantulum major quam octava poterit esse levis. Quin etiam respectu ejusdem, pars quæ alias censeretur levis, poterit aliquando esse gravis, ob majorem indigentiam quam patiat, ablata illa parte : et ita in aliis. Fallit ergo in multis prædicta regula.

24. Alii alias tradunt ex diversis capitibus petitas : nec minor pars studii Theologorum moralium in earum determinatione insumitur : placetque potius pro majori hujus rei notitia lectorem ad illos remittere, quam circa hæc moralia in præsentiarum detineri : pro quibus et non tantum pro scholasticis satis superque tractatus noster superius se diffudit, jureque expostulat, ut ad finem properemus. Videri itaque possunt Navar. in Manuali capite 17, Corduba in summ. quæstione 109, Lessius de justitia et jure lib. 2, capite 12, dubitatione 6, Vasquez hac prima secundæ disputatione 158, capite 6, Cardinalis de Lugo tom. 1, de jus-

titia et jure disputatione 16, sectione 2, Diana variis in locis. Et Thomas Sanchez Thomas  
Sanch. lib. 1 summ. capite 4, per totum : ubi inter alia satis ad rem hæc tradit numero 2 et 3 : *Quando vero sit materia gravis, et quando levis, certa regula præscribi nequit, sed id prudentis arbitrio relinquendum. At duplex generalis regula ad id discernendum tradi potest. Prior est : Materia quæ multum ad finem subjectionis imponentis præceptum conducit, est gravis, et sufficiens ad constituendam transgressionem mortalem : secus quando parum ad eum finem conducit : tunc enim materia levis reputabitur ; quare ad gravitatem et levitatem non est materia præcepti secundum se sola inspicienda, sed inspecto etiam fine, ad quem a superiore ferente legem ordinatur, etc. Posterior regula est : Valde attendendæ sunt circumstantiæ, ex quibus Superior ad imponendum de aliqua materia præceptum ducitur, ad judicium de illa formandum. Quia sæpe contingit, ut materia sit secundum se levis, et obligationis sub mortali incapax : at ex circumstantiis boni communis adjunctis, quas superior intendit, sit gravis, et cadat sub obligatione ad mortale etc. Ex quibus num. 6, recte deducit, materiam aliquam posse esse gravem respectu unius subjectionis, et levem respectu alterius : Quod (inquit) ex diversis utriusque finibus Idem. consurgit : potest enim fini unius multum conferre, et sic respectu illius erit gravis : at modicum fini alterius, et ob id respectu illius erit levis etc.*

25. Superest quæramus differentiam radicalem pro illis peccatis, quæ diximus *venialia ex genere* : ut verbum otiosum, simplex mendacium, et similia : quæ quantumvis deliberate fiant, et integram materiam sui objecti attingant, ex proprio genere habent, ut ad gradum culpæ mortalis non ascendant. Hæc enim ideo diximus esse venialia, et distingui a mortalibus, quia leges quibus prohibentur, non sunt simpliciter necessariae ad assequutionem finis ultimi : sicut sunt illæ quibus prohibentur omnia mortalia : ob idque nec dicuntur leges simpliciter, sed secundum quid. Quare ad inveniendam istorum differentiam radicalem, investigandum est, unde proveniat, quod aliqua lex sit vel non sit simpliciter necessaria ad prædictum finem. Quod non caret difficultate. Quamvis enim unumquodque ex prædictis peccatis venialibus habeat materiam distinctam a materia cujuslibet mortalis, imo a materia cujuslibet alterius venialis, et ex hac materiarum diversitate

Quæ dicatur materia parva.

Navar.  
Cordub.  
Lessius.  
Vasq.  
Lugo.  
Diana.

diversitate quodlibet eorum desumat suam differentiam atomam et specificam, juxta dicta supra disputatione 8, non tamen hæc est differentia aut radix differentię quam inquirimus: siquidem per eam distinguitur unumquodque peccatum veniale ab alio etiam veniali, sicut distinguitur ab alio mortali: non enim minus differt ratione suę specialis materię verbum otiosum a perjurio, quam a simplici mendacio: differentia autem quam inquirimus, debet esse talis, ut in ea convenient omnia venialia ex genere, neque per ipsam inter se dividantur; dividantur vero omnia a quolibet mortali, etiam antequam consideremus differentiam atomam uniuscujusque. Præterquam quod differentia quę sumi potest ex diversitate materię uniuscujusque peccati, jam supponit in illis quę venialia sunt, distinctionem a mortalibus per aliquod principium altius et communius: et supposita hac distinctione communi, subdividit divisione atoma unum veniale ab alio veniali, et unum mortale ab alio mortali: non igitur ista est quam inquirimus, sed illa communis omnibus et solis venialibus ex genere, et distinctiva ab omnibus mortalibus, qua ratione mortalia sunt, ex altiori et communiori principio deprompta.

26. Pro cujus adinventione observa, aliter in hac re philosophandum esse circa leges naturales, et aliter circa leges positivas: naturales enim utpote a rebus ipsis petitię et in earum naturis fundatę, in eisdem rebus supponere debent causam et radicem quare aliquę sint simpliciter necessarię ad finem ultimum, proindeque sub mortali obligent; aliquę vero non ita sint necessarię, neque ita obligent: nec recurrendum est pro hujusmodi discrimine ad voluntatem legislatoris: quia legislator non aliter intendit obligare per prædictas leges, quam ipsę res postulant. At vero leges positivę quamvis satis consonent naturis rerum, non tamen ita eis adęquantur, aut ab ipsis postulantur, ut hæc sit sufficiens ratio talium legum, et modi obligationis earum. Sed hoc totum devolvitur ad legislatoris voluntatem, cui liberum fuit sic vel aliter eas disponere, et gradum obligationis taxare. In peccatis ergo quę hujusmodi legibus prohibentur, non est necesse aliam radicem quærere, cur quędam sub gravi obligatione, quędam vero sub levi prohibeantur, præter legislatoris voluntatem: cui placuit præcipere vel prohibere aliqua objecta sub necessitate simpliciter ad assequutionem finis

ultimi; aliqua vero sub necessitate tantum secundum quid. Certum quippe est, posse legislatorem sive humanum, sive divinum ferre eas leges in sibi subditos, quę ad assequutionem prædicti finis convenientes et idoneę sibi visę fuerint, et sub eo necessitatis et obligationis gradu quem expedire judicaverit: ipsiusque legislatoris judicio committi quę sint præcipienda, et quę prohibenda, et sub quo obligationis tenore; sine eo quod necesse sit ex naturis rerum aut ex lege naturali pro aliquo prædictorum rationem necessariam desumere: quamvis regulariter ipsi naturali legi et naturali rerum ordini ita congruat, et ab eis veluti expetatur; non tamen determinetur. Quęcunque autem legislator sub gravi obligatione prohibeat vel præcipiat, etiamsi: alias neque necessaria essent ad assequutionem prædicti finis, neque illi adversarentur, ex ipsa prohibitione vel præcepto redditur eorum prosequutio vel vitatio materia simpliciter necessaria ad talem finem: sicut vitatio vel prosequutio illorum quę præceperit vel prohibuerit sub obligatione dumtaxat levi, efficitur materia necessaria solum secundum quid.

27. Dices, etiamsi legislator positivus velit inferre gravem obligationem, si tamen materia præcepta vel prohibita, attentis omnibus, exigua et levissima sit, non ita obligabit: ut ex satis communi Theologorum sententia docet Sanchez ubi supra numero 4, ergo etiam in legibus positivis non est sufficiens ratio legislatoris voluntas ad quantitatem obligationis. Objectio. Sanch.

Respondetur, antecedens esse verum in legislatore humano, qui in legibus statutis prudentię creatę regulis adstringitur: nec potest supra hujusmodi regulas aliquid præcipere vel prohibere: dictat enim prudentia, ut pro re exigua et quę, attentis omnibus, parum refert ad finem per legem intentum, non imponatur gravis obligatio, sed proportionata ipsi rei et conducentię ejus ad talem finem, ac proinde levis. Cæterum legislator divinus qui nullis prudentię nostrę regulis coarctatur, sed sua infinita sapientia et supremo dominio omnia creata transcendit, quamlibet rem etiam minimam potest præcipere vel prohibere sub gravi obligatione: ipsa quippe ejus voluntas, etiamsi alius finis desit, erit sufficiens ratio talis obligationis: nec necesse erit quærere, cur sic jussit? nisi quia sic voluit. Eoque ipso talis res quantumvis alias minima, erit materia necessaria ad

finem ultimum. Quare dum diximus, radicem quantitatis obligationis in legibus positivis esse voluntatem legislatoris, intelligendum est, servata proportione : ita scilicet ut legislator humanus, qui non ex propria potestate, sed ex participatione divinæ, et per prudentiam legislativam a Dei prudentia derivatam leges condit, observet illa quæ ipsa legislativa prudentia dictat : aliter enim non ut legislator, sed ut tyrannus procedit : et ideo veras leges non condet. Legislator autem divinus, qui supra omnia est, absque ulla limitatione ad nutum suæ voluntatis res valeat disponere. Quamvis attenda sua communi providentia, rerum ordini se accommodet : raroque aut nunquam pro re omnino exigua gravem obligationem imponat.

Signa  
intentionis  
legislatoris.

28. Quando autem intentio legislatoris sive humani sive divini sit obligare sub mortali, et quando sub veniali, venandum est vel ex ipsis verbis, quibus leges feruntur, quæ sæpe id declarant : vel ex pœna quam transgressoribus statuunt : nam quæ sub comminatione mortis, aut pœnæ æternæ, aut exclusionis a regno Dei, aut sub obtestatione divini iudicii, aut sub pœna excommunicationis majoris ; aut alterius gravis censuræ, similive modo feruntur, proculdubio intendunt obligare sub mortali. Et similiter id intendunt, quæ prohibent vel præcipiunt res valde conducentes ad salutem animæ, ad utilitatem Ecclesiæ, et ad pacem Reipublicæ, quamvis nullam pœnam statuunt. Quod si nullo ex his capitibus quantitas obligationis appareat, recurrendum erit, vel ad consuetum modum accipiendi prædictas leges, vel ad doctorum hominum assensum : vel etiam poterit id venari per respectum et similitudinem ad illa quæ lege naturali præcipiuntur, vel prohibentur, juxta doctrinam quam jam subjungimus.

Quid de  
legibus  
naturalibus.

Reducitur ergo præcipua hujus materiæ difficultas ad leges naturales, in quibus, ut numero vigesimosexto diximus, venanda est quantitas obligationis ex rebus præceptis vel prohibitis, etiam non habito recursum ad legislatoris voluntatem : quæ per hujusmodi leges non aliter præcipit aut prohibet, quam ut ipsæ res postulant. Pro his ergo differentia radicalis et ratio a priori cur quædam objecta prohibeantur vel præcipiantur sub mortali, quædam vero sub veniali, petenda est ex connexionem vel repugnantiam ad finem legis : qui est debitus ordo voluntatis creatæ ad Deum, et recta

habitus ad proximum per humanum convictum. Quare illa censenda sunt prohibita sub mortali, quæ ex seipsis repugnant prædicto ordini et habitudini, et illa sub mortali præcepta, a quibus talis ordo et habitudo necessario dependerit, et sine quibus nequeunt salva consistere : illa vero prohibentur sub veniali, quæ licet aliquantulum a consequitione prædicti finis retardent, non tamen illum destruunt neque ipsi contrariantur, et illa sub veniali præcipiuntur, sine quibus finis consequitio detinetur, non tamen ab eis simpliciter dependet.

29. Pro quo nota, duplicem esse finem legis (et est sermo de fine ultimo). Alter est finis omnino principalis, ad quem per ipsam legem tandem omnia referuntur : et hic est solus Deus, vel ejus possessio, in qua beatitudo nostra consistit. Alter est finis effectus, quem ipsa lex sua observatione constituit, et ad quem operandum tendit, ut homines medio ipso ad finem illum principalem perducatur. Ad hujusmodi autem finem ultimum, seu ultimum legis effectum pertinent illa duo quæ diximus, nempe debitus ordo seu subjectio humanæ voluntatis ad Deum, a quo est, et cui vivit ; et recta ejus habitudo ad proximum, cui convivit : omnia enim quæ in humana vita geruntur, eo spectare debent, ut duo prædicta integra et illæsa serventur. Et quia hæc duo sunt propria materia charitatis, dicitur Rom. 13, quod *plenitudo* seu *finis legis est dilectio* : et primæ ad Timotheum 1 : *Finis præcepti est charitas* : et iterum ad Rom. 13 : *Qui diligit proximum* (scilicet post Deum) *legem implevit*. Quamvis enim dilectio proximi ulterius ad dilectionem Dei ordinetur, et ita hæc sit ultimior ; utraque tamen sub ratione finis ultimi effecti continetur : non solum propter indispensabilem connexionem, qua nequit haberi una sine alia : sed etiam propter unitatem rationis formalis sub qua terminantur, et propter quam ad eandem virtutem charitatis pertinent. Et quia fini illi principali non nisi per hujusmodi finem effectum anima conjungitur, neque aliter quam per ejus destructionem ab illo avertitur, idcirco differentiam peccati mortalis a veniali immediatus desumimus ex connexionem vel repugnantiam ad hunc posteriorem quam ad primum.

Porro debitus ordo creatæ voluntatis ad Deum non modo includit dilectionem ejus super omnia, sed etiam omnia per quæ ipsa voluntas Deo subjicitur ; et prædicta dilectio immediate fovetur : ut honor, reverentia,



tia, pietas, humilitas, fides, spes, et similia, quæ sunt actus virtutum versantium circa Deum, integrantque prædictum ordinem. Unde ex hoc capite habent esse peccata mortalia omissiones privativæ omnium hujusmodi actuum, et omnes actus contrarii, ut odium Dei, infidelitas, idololatria, desperatio, blasphemia, superbia etc. Sub recta vero habitudine circa proximum continentur illa, per quæ constituitur et conservatur justitia : a qua dependet humanus convictus, et ejus pax : non enim possent homines pacifice convivere, nisi unicuique quæ sua sunt, servarentur. Et ita ex isto capite pertinent ad genus culpæ mortalis omnia illa, quæ paci et justitiæ adversantur : sicut adversantur quæcunque lædunt proximum, sive in vita, ut homicidium, sive in fama, ut detractio, sive in bonis externis, ut furtum, cæteraque id genus. Et a fortiori ad id pertingunt quæ lædunt bonum commune Reipublicæ : quia est bonum omnium et ab eo potissimum humanus convictus et societas pendet : ex quo capite est in genere mortali quod quis seipsum interimat : quia infert nocentum Reipublicæ, ejus est pars. Imo quamvis unus tantum homo esset in orbe terrarum, delinqueret mortaliter occidendo seipsum : quia non ipse sed Deus est dominus vitæ : cui proinde injustitiam irrogat, qui illam propria autoritate dispendit. Alia vero quæ neque dilectioni Dei, neque bono proximi aut Reipublicæ opponuntur, sunt tamen inordinata, ex genere suo non excedunt culpam venialem. Hujusmodi sunt actus et verba otiosa, mendacia jocosa vel officiosa, superfluous cibus, superfluous potus, superfluous ludus, inordinatus amor gloriæ, honoris, divitiarum, et alia innumera, quæ per prædictam regulam haud difficile agnosces, et a mortalibus discernes.

30. Desumpsimus vero totam hanc doctrinam ex D. Thoma in 2, distinct. 42, quæstiun. 1, articulo 4, ubi sic ait : *Quando aliquis peccat in his sine quibus recte servatis non remanet subjectio hominis ad Deum, et fœdus humanæ societatis, tunc est peccatum mortale ex genere, etc. sicut patet quod non potest homo debite Deo esse subjectus, si Deo non credat, si ei non obediat et hujusmodi. Similiter etiam societas humanæ vitæ servari non posset, nisi unicuique servaretur quod suum est : et ideo furtum et alix species injustitiæ, sunt peccata mortalia ex genere, et similiter est in omnibus aliis. Ea vero sine quibus societas humana servari potest, non*

*faciunt peccatum esse mortale ex genere : quamvis etiam deformis actus sit : sicut superfluous ludus et aliquid hujusmodi : et talia dicuntur venialia ex genere.*

Luculentius vero hoc idem prosequitur cit. quæstiun. 7 de Mal. ubi post alia satis ad rem, ita concludit : *Contingit quod aliquod peccatum contrarietur charitati, vel non contrarietur ex ipso genere operis, quod est ex parte objecti vel materiæ, quæ est contraria charitati, vel non contraria. Sicut enim aliquis cibus est ex se contrarius vitæ, puta, cibus venenosus : aliquis autem cibus non est contrarius vitæ, licet impedimentum aliquod afferat ad rectam habitudinem vitæ, puta, cibus grossus et non bonæ digestionis, vel etiam si sit bonæ digestionis, quia non sumitur secundum mensuram debitam : ita etiam in actibus humanis aliquid invenitur, quod de se contrariatur charitati Dei et proximi : illa scilicet per quæ tollitur subjectio et reverentia hominis ad Deum, ut blasphemia, idololatria, et hujusmodi, et etiam ea quæ tollunt convictum societatis humanæ, sicut furtum, homicidium, et hujusmodi. Non enim possent homines convivere ad invicem, ubi passim et indifferenter ista perpetrarentur. Et ista sunt peccata mortalia ex suo genere, quæcunque intentione vel voluntate fiant. Quædam autem sunt, quæ licet inordinationem aliquam contineant, non tamen directe excludunt alterum prædictorum. Sicut quod homo dicat mendacium non in fide, neque ad nocendum proximo, sed ad delectandum vel etiam ad juvandum : vel si quis excedat in cibo vel potu, et alia hujusmodi : unde ista sunt venialia peccata ex genere.*

Idem.

31. Objicies tamen ex doctrina § præ-Objectio. dent. tum quod cum ibi agentes de differentia formali inter peccata venialia et mortalia, negaverimus consistere penes oppositionem vel non oppositionem ad gratiam et charitatem ; non debuimus modo differentiam radicalem penes contrarietatem vel non contrarietatem ad charitatem Dei aut proximi constituere : quandoquidem differentia radicalis remotior esse debet a prædicta oppositione, quam formalis. Tum etiam quod quamvis non esset possibilis virtus charitatis, aut eam possibilem esse non intelligeremus (quo casu daretur oppositio alicujus peccati ad illam) adhuc intelligeremus distingui prædictam oppositionem tam formaliter quam radicaliter : ergo tam differentia radicalis quam formalis debet esse independens a prædicta oppositione. Eo præsertim quia peccata mortalia oppo-

nuntur charitati nisi ut sunt peccata mortalia formaliter, nec sunt talia formaliter, nisi ut supponuntur jam graviter prohibita per legem, in quo consistit differentia eorum formalis : cum ergo differentia radicalis prior sit hujusmodi prohibitione et formali differentia, debet etiam oppositionem illam antecedere.

*Dubium.* Respondetur, objectionem hanc solum convincere quod prædicta differentia radicalis non consistat in oppositione formali ad charitatem, quæ etiam ad differentiam formalem subsequitur : imo neque in oppositione fundamentali immediata et proxima, in qua sita est ipsa formalis differentia. Non autem convincit quod non consistat in oppositione fundamentali radicali et mediata : quia hæc oppositio convenit ipsis objectis peccaminosis secundum se, etiam antequam lege prohibeantur ; aut formaliter peccaminosa reddantur : quatenus ex se ipsis habent inferre nocumentum illi bono, de quo curat charitas ; sive detur charitas, quæ curet de tali bono, sicut datur de facto ; sive non detur, ut in pura natura. Unde independenter ab existentia vel possibilitate ipsius charitatis, et antecederet ad legis prohibitionem potest intelligi prædicta oppositio radicalis quoad illud, quod re ipsa est, et quod non reperitur in objectis solum venialiter peccaminosis. Licet ut stat formalissime sub conceptu et denominatione radicis, non intelligatur, nisi connotata charitate et oppositione formali ad illam : quia radix sub isto conceptu non intelligitur, nisi connotato illo quod radicatur. Ex hoc tamen nihil contra nos, quia prædictam radicalem differentiam solum constituimus in eo, quod re ipsa est radicalis oppositio ad charitatem, non vero ut stat formaliter sub conceptu et denominatione radicis.

*Enucleatur solutio.* 32. Ut vero hæc solutio et doctrina tradita melius intelligatur, observa, quod habitudo humanæ voluntatis ad Deum et ad proximum potest intelligi rectificata, vel intra naturalem tantum ordinem, ut rectificaretur in statu solius naturæ ; vel intra ordinem supernaturalem, ut charitas rectificat de facto : atque adeo possumus concipere quod sit recta et ordinata, abstrahendo a modo rectitudinis, naturalis scilicet vel supernaturalis. Eo autem ipso quod illam ita intelligamus, etiamsi de charitate et rectitudine supernaturali non cogitemus, concipimus radicalem differentiam peccatorum mortalium a venialibus. Nam quæ prædictæ rectitudini in ea abstractione con-

trariantur, et eam destruunt, vel ut melius dicamus, quæ ex se sunt destructiva talis rectitudinis, hæc sunt mortalia ex genere : sive prædicta contrarietas et vis destructiva ulterius usque ad charitatem pertingat, sicut pertingit de facto ; sive nulla sit charitas quæ posset destrui. Quæcunque vero non habent vim contrariandi illi rectitudini, aut eam destruendi, sed alio inordinate divertunt, hæc sunt ex genere venialia. Imo non est necesse intelligere oppositionem formalem ad prædictam rectitudinem, etiam ut a naturali et supernaturali abstractentem, sed sufficit si concipiamus oppositionem radicalem : scilicet quod objecta quæ dicimus *mortalia*, habeant ex se male afficere voluntatem circa Deum vel proximum : quod non habent quæ dicimus venialia : ad quod sequitur quod mortalia opponantur formaliter prædictæ rectitudini, et ex inde charitati : a qua provenit de facto ; et per consequens quod utramque corrumpant : venialia vero nulli earum contrariantur, et nullam destruant. Adeoque hæc formalis oppositio vel non oppositio, prædictaque destructio vel non destructio ex consequenti se habent ad differentiam radicalem quam diximus. Quia tamen convertuntur cum illa, et quoad nos notiores sunt, solet talis differentia per eas declarari.

## DUBIUM II.

*Utrum divisio peccati in mortale et veniale sit essentialis : et an analogica, vel univoca ?*

33. Non dubitamus, multa peccata venialia, illa nimirum quæ sunt talia ex genere, essentialiter a mortalibus distingui : nam quæ habent materias et objecta distincta, sicut habent hæc peccata, ex ipsis desumunt essentialem distinctionem. Neque est cur objectum unius peccati venialis, mendacii v. g. distinguat illud essentialiter a verbo otioso, et a quolibet alio peccato veniali habente distinctum objectum ; et non distinguat illud a furto, et a quolibet alio mortali diversum objectum respicienti. Quare præsens dubium quoad hanc primam partem primario procedit de illis peccatis venialibus, quæ conveniunt in objecto (saltem materiali) cum mortalibus ; tantumque ab eis differunt vel propter materiæ parvitatem, sicut furtum leve a furto gravi : vel propter actus imperfectionem, sicut consensus

sensus in adulterium semiplene liber a consensu plene deliberato. Absoluta autem difficultate quoad hæc posteriora peccata, poterit resolutio applicari suo modo illis aliis venialibus ex genere : quia licet satis constet ea distingui essentialiter a mortalibus per propriam uniuscujusque materiam, et per differentiam atomam ex tali materia desumptam; non tamen sic constat, utrum antecedenter ad prædictam differentiam atomam, propriæque materiæ considerationem, ex ipsa ratione communi peccati venialis prædicta gaudeant distinctione? Si autem peccata venialia ex materiæ parvitate vel ex imperfecta deliberatione, quibus eadem est specifica materia cum suis mortalibus, essentialiter ab eis differant; cum talis distinctio non ex diversitate materiæ sed ex prædicta ratione communi ortum ducat, oportet ut etiam in venialibus ex genere, quibus eadem ratio communis est, locum habeat : ac proinde quod hujusmodi venialia duplici ex capite essentialiter a mortalibus differant : nempe ex communissima ratione peccati venialis, et ex propria materia uniuscujusque : cum tamen illa priora solum differant ex prædicta ratione communi.

34. De quibus autem venialibus secunda pars dubii procedat, non possumus declarare, quousque prior examinetur : quia dum non constat, en ea de quibus agitur, distinguantur essentialiter, non recte quæritur, an eorum divisio sit univoca vel analogica. Sunt enim hæc membra solius divisionis essentialis, qua prædicatum commune et superius partitur in sua inferiora ut totum potentiale, vel æqualiter, quæ est divisio univoca seu generis in species; vel inæqualiter, quæ est divisio analogi in analogata. De divisione vero illorum quæ solum accidentaliter distinguuntur, non recte quæritur, an sit æquivoca, vel analogica? sed an sit subjecti in accidentia; vel accidentis in subjecta?

Observo autem, in peccatis actualibus plures rationes inveniri, secundum quas possunt distingui vel non distingui unum ab alio. Nam invenitur primo ipsa entitas physica actus peccaminosi : sive sit actus voluntatis, sive appetitus sensitivi aut alterius potentiæ. Secundo malitia moralis positiva, quæ est propria ratio constitutiva ipsius peccati. Tertio malitia privativa, quæ in eodem peccato consequitur : a quibus non differt (loquendo de peccato mortali) aversio *in fieri*. Quarto macula et aversio

*in facto esse*, quæ remanent in anima, nec differunt a peccato habituali et a gratiæ privatione. Quinto ratio offensæ, quæ in Deo veluti resultat. Et denique ipsum munus occidendi aut indisponendi animam, a quo sumpta est appellatio *mortalis* vel *venialis*. Quoad aliquas igitur hujusmodi rationum nemo ambigit, distingui essentialiter peccata venialia a mortalibus : ut quoad rationem maculæ et quoad rationem offensæ (quæ in peccato mortali sunt tales simpliciter, in veniali vero solum secundum quid, vel improprie) quoad rationem aversionis, et quoad munus occidendi animam, quæ non inveniuntur nisi in solis mortalibus. Quoad hujusmodi enim rationes ex terminis ipsis constat distingui prædicta peccata, et inter se opponi. Quoad entitatem autem physicam ex illis quæ diximus in tractatu de bonitate et malitia disp. 6, dub. 2, debemus supponere, sæpe non distingui essentialiter peccatum mortale a veniali : quia si idem numero actus sive interior, sive exterior potest transire a bono in malum, manente eadem entitate physica, ut ibi probavimus; non est cur non possit transire a malitia veniali in mortalem, retenta et indistincta prædicta entitate. Quod tamen minime haberet locum, si quoad prædictam entitatem essentialiter differrent, ut est per se notum. Reducenda est itaque difficultas ad malitiam moralem positivam, quæ est prima ratio constituens peccatum in ratione peccati : et quod de hac diximus, intelligendum erit de malitia privativa, propter affinitatem et connexionem utriusque.

## § I.

*Deciditur prima pars dubii.*

35. Dicendum est primo, peccatum secundum prædictam malitiam essentialiter dividi in mortale et veniale, adeoque nullum veniale, cujuscunque conditionis sit, esse per se in eadem specie cum aliquo mortali. Hanc credimus esse sententiam D. Thomæ in præsentis artic. 6, ubi ait, quod cum peccatum, quod ex genere suo esset mortale, fit veniale propter indeliberationem consensus, solvitur species : atque adeo non manet illa species malitiæ, quæ esset in consensu plene deliberato, sed alia diversa. Et art. 5, ait, quod non potest de peccato veniali fieri mortale, nisi per aliquid quod mutet speciem : et idem repetit

2, 2, quæst. 110, art. 4 ad 5, et quæst. 7 de Mal. art. 1 et 3. Si autem inter aliquod peccatum mortale et aliquod veniale esset sola distinctio accidentalis, non requiretur necessario mutatio aut dissolutio speciei, ut unum in alterum transiret: sed sufficeret mutatio quoad differentiam individualem, vel quoad aliqua accidentia, quæ sunt extra speciem. Atque ita sentiunt in præsentibus Cajetan. articul. 6, Gregor. Mart. artic. 2, dub. 1, Alvarez disp. 189, Araujo supra quæst. 18, circa art. 10 et 11, et est communior sententia inter Thomistas. Quam etiam tenent Durandus in 2, distinct. 42, quæst. 6, et Suarez tractatu de Peccatis, disp. 2, sect. 5, loquitur autem de venialibus ex genere et ex imperfecta deliberatione. Navar. in summa latina prælud. 9, num. 6, et alii.

Cajet.  
Greg.  
Mart.  
Alvar.  
Araujo.  
Durand.  
Suarez.  
Navar.

Ratio  
assertio-  
nis.

Probatur ratione: illa est divisio essentialis, quæ traditur per differentias per se et ejusdem generis cum divisio: sed divisio peccati in mortale et veniale traditur per hujusmodi differentias: igitur est essentialis. Major de omnibus conceditur, et est satis perspicua: nam differentia quæ per se habet ad prædicatum quod dividit, constituit unum per se, adeoque unam speciem cum tali prædicato: et consequenter plures ejusmodi differentia nequeunt non plures species constituere et specificè distinguere, in quo consistit divisio essentialis. Minor autem suadetur. Tum quia ad rationem communem peccati, quæ consistit in hoc quod est esse contra legem, omnino per se habet talis vel talis modus essendi contra illam, scilicet vel simpliciter, sicut est peccatum mortale, vel secundum quid, sicut est veniale. Tum etiam quia malitia moralis, quæ est ratio constitutiva peccati in communi, non est nisi quædam inordinatio, qua voluntas prave afficitur, et male se habet, in ordine ad finem humanæ vitæ: ad hujusmodi autem pravam affectionem per sese habet, vel quod pertingat, usque ad ipsum finem, sicut pertingit malitia mortalis; vel quod citra finem sistat, sicut sistit venialis: erunt igitur istæ differentia per se et essentialia talium peccatorum.

Confir-  
matio

36. Confirmatur et explicatur animadvertendo, quod in respectivis, uti sunt peccata, distinctio essentialis attenditur secundum ea quæ per se respiciunt, scilicet secundum objecta: et ideo tunc differunt essentialiter, quando objecta ipsa respiciuntur ab illis secundum diversam formaliter rationem: tuncque differentia dis-

tinctiva actuum per sese habent ad rationem communem, quando rationes a quibus desumuntur, per sese habent in ipsis objectis. Quæ est doctrina D. Thomæ supra quæst. 18, art. 5, et q. 54, art. 2, et alibi sæpe.

Deinde nota ex eodem S. Doctore supra qu. 21, art. 2 ad 2, hoc esse discrimen inter peccatum seu malum morale, et malum artificiale, quod istud posterius solum attenditur per ordinem ad finem particularem, quem operans intendit, secundum se acceptum, nulloque habito respectu ad finem ultimum humanæ vitæ: et ideo quoties artifex consequitur prædictum finem particularem, etiamsi a fine ultimo deficiat, aut circa eum inordinate se habeat, non peccat in genere artis, quamvis peccet in genere moris. At vero malum morale licet sumatur ab objecto seu fine proximo, non tamen ut secundum se præcise accepto, sed ut dicit habitudinem aliqujus disconvenientia ad finem ultimum humanæ vitæ: et ideo quamvis operans non assequatur finem particularem a se intentum, ob idque peccet in genere artis, non tamen peccat in genere moris, nisi ejus actio deviet a fine ultimo, sitque illi improporcionata. Quod recte explicuit D. Thom. loco cit. ubi sic ait: *Cum peccatum sit per deviationem ab ordine ad finem, ut dictum est, in actu artis contingit dupliciter esse peccatum. Uno modo per deviationem a fine particulari intento ab artifice: et hoc peccatum erit proprium arti: puta si artifex intendens facere bonum opus, faciat malum; vel intendens malum, faciat bonum. Alio modo per deviationem a fine communi humanæ vitæ: et hoc modo dicitur peccare, etiamsi intendat facere malum opus, et faciat per hoc ut alius decipiatur. Sed hoc peccatum non est proprium artificis in quantum artifex, sed in quantum homo est. Unde ex primo peccato culpatur artifex in quantum artifex, sed ex secundo culpatur homo in quantum homo. Sed in moralibus ubi attenditur ordo rationis ad finem communem humanæ vitæ, semper peccatum et malum attenditur per deviationem ab ordine rationis ad finem communem humanæ vitæ, etc.*

37. Hinc confirmatur et declaratur nostra ratio. Nam licet malitia moralis sumatur ab objecto vel fine proximo, non tamen ut considerato præcise secundum se, sed ut stat sub habitudine disconvenientia et improporcionis ad ultimum, nihilque est illi magis per se quam hujusmodi habitudo: atque

atque adeo differentiae per sese habentes ad talem habitudinem, nequeunt non esse differentiae essentiales et per sese habentes respectu praedictae malitiae : sed differentiae peccati venialis et mortalis per sese habent ad illam habitudinem finis ultimi : ergo etc. Cætera patent : minor vero suadetur, quia respectu disconvenientiae ad aliquem finem omnino per se est, quod sit aversiva et destructiva finis, sicut est malitia mortalis; vel quod sit solum indispositiva et retardativa, sicut est malitia venialis. Et hoc est quod aliis terminis supra diximus : nempe de ratione peccati mortalis esse quod deordinet voluntatem usque ad finem ultimum, tollendo ejus ordinem, de ratione vero venialis quod deordinet citra talem finem. Nam hæc posterior deordinatio in eo sita est, quod indisponat et retardet a finis consequitione, sine eo tamen quod ipsum finem aut ejus ordinem corrumpat, sicut corrumpit prima deordinatio.

Confirmatur et explicatur secundo : nam eo ipso quod malitia mortalis deordinet voluntatem usque ad finem ultimum destruendo ipsum finem, malitia autem venialis solum indisponat et retardet a finis consequitione, ita se habent sicut finis et id quod est ad finem ; et sicut dispositio et forma ad quam disponit : sed quod est ad finem, distinguitur essentialiter a fine, et dispositio a sua forma : ergo idem dicendum est de praedictis malitiis mortali et veniali.

38. Dices, ex ratione facta, et ex ejus prima confirmatione solum haberi, quod peccatum mortale et veniale differant sicut *magis et minus*, seu penes majorem et minorem gravitatem : ex eo enim quod mortale gravius est, pertingit sua inordinatione usque ad destructionem finis, citra quam sistit veniale ob gravitatem minorem : hoc autem non sufficit ad distinguenda illa essentialiter, quia *magis et minus* non variant speciem. Ad secundam vero confirmationem dici posset, neque dispositionem et formam, neque finem, et id quod est ad finem distingui semper essentialiter : quia multoties eadem forma v. g. scientia sub statu imperfecto disponit ad seipsam, ut statum perfectum assequatur : et primo modo dicitur *dispositio*, secundo vero *habitus*. Similiter id ipsum quod est medium respectu unius finis, potest habere rationem finis respectu alterius medii, et in tract. de Ult. fine disp. 3 ostendimus. Quare ex praedicta confirmatione potius inferen-

dum videtur, quod quia peccatum mortale et veniale habent se sicut finis et id quod est ad finem, vel sicut forma et dispositio, non semper essentialiter distinguantur.

Sed hæc non enervant nostras probationes. Quia quod inordinatio peccati mortalis pertingat usque ad finem, et ipsum destruat ; inordinatio vero peccati venialis citra finem sistat, non utcumque dicunt majorem et minorem gravitatem, aut gravitates differentes præcise secundum *magis et minus* ejusdem rationis : sed dicunt gravitates diversæ rationis, essentialiterque inæquales. Aliter enim differunt duæ inordinationes, quarum una pertingit usque ad finem, alia vero citra finem sistit, quam duæ aliæ quarum utraque vel usque ad finem pertingat, vel citra finem sistat : et tamen istæ possunt distingui penes *magis et minus* in eadem specie : ut differunt duo peccata mortalia ejusdem speciei, aut duo venialia similiter unius speciei : igitur illæ majorem habent distinctionem quam præcise secundum *magis et minus* intra eandem speciem.

39. Quod autem dicitur ad secundam confirmationem, nullius momenti est : quia licet illud quod est medium respectu unius finis possit esse finis respectu alterius medii, at respectu ejusdem semper differunt finis et medium : quia nihil potest esse medium respectu sui ipsius. Quinimo etiam respectu diversorum ratio medii et ratio finis semper dicunt respectus formaliter et essentialiter differentes, quamvis in eodem subjecto materialiter sæpe concurrant. Porro malitia mortalis et venialis non se habent ut illud subjectum, in quo materialiter concurrunt ratio medii et ratio finis, sed ut ipsæmet rationes finis et medii : neque solum ita se habent respectu diversorum, sed una respectu alterius : et ita nequeunt non essentialiter distingui.

Similiter quod dicitur ad eandem confirmationem de dispositione et forma, parum vel nihil refert : quia quamvis aliqua forma et aliquis habitus sub statu imperfecto possit disponere ad seipsam secundum statum perfectum, sub nullo tamen statu illa forma est solum dispositio, sed adhuc sub *esse* imperfecto est vera forma et verus habitus, sicut scientia etiam sub statu imperfecto est verus habitus distinctus in specie ab aliis qualitatibus, quæ ad rationem habitus non pertingunt. Illæ vero qualitates quæ præcise sunt dispositiones, semper differunt essentialiter a formis et habi-

Complut. tibus, pro quibus disponunt : ut ostendunt N. Complut. in logica agentes de prima specie qualitatis disp. 15, quæst. 3. Cum autem nos diximus, peccatum veniale habere se ad mortale ut dispositionem ad formam, intelligendum est de dispositione hoc posteriori modo, seu quæ non est simul forma etiam substatu imperfecto : quia revera inordinatio peccati venialis sub nullo statu est illa inordinatio quæ destruit finem ultimum, cujus destructio comparatur formæ.

40. A posteriori etiam posset probari nostra conclusio : nimirum ex distinctione inter effectus utriusque peccati. Nam macula, offensa, aversio a Deo, reatus pœnæ damni et pœnæ æternæ, et habitus vitiosus, qui sunt effectus cujuslibet peccati mortalis, essentialiter distinguuntur a quibuslibet effectibus peccati venialis : nullum enim hujusmodi peccatum causare potest maculam, offensam, aversionem, reatum, aut habitum vitiosum ejusdem speciei cum illis quæ ex mortalibus proveniunt : diversitas autem essentialis in tot effectibus satis indicat similem diversitatem in suis causis, quæ sunt ipsa peccata secundum suas malitias morales. Hanc tamen probationem consulto non prosequimur : et quia priores aliæ sufficiunt : et quia longiori mora opus erat ad ejus efficaciam demonstrandam.

## § II.

### *Posterior dubii pars absolvitur.*

D. Thom. Dicendum est secundo, prædictam divisionem non esse univocam seu generis in species, sed analogi in analogata. Hæc conclusio est expresse D. Thomæ in præsentibus art. 1 ad primum et quæst. 7 de Mal. art. 1 ad primum, et in 2, dist. 42, quæst. 1, art. 3, ubi illam statuit et probat his verbis : *Duplex est modus dividendi commune in ea quæ sub ipso sunt, sicut est duplex communitatis modus : est enim quædam divisio univoci in species per differentias quibus æqualiter natura generis in speciebus participatur, sicut animal dividitur in hominem, et equum, et hujusmodi ; alia vero divisio est ejus quod est commune per analogiam, quod quidem secundum perfectam rationem prædicatur de uno dividendum, et de altero imperfecte et secundum quid, sicut ens dividitur in substantiam et accidens, et in ens actu, et in ens potentia : et hæc divisio est quasi media inter æquivocum et univocum, et talis divisio est peccati in mortale et*

*veniale, quia ratio peccati perfecte in mortali invenitur : in veniali vero non nisi imperfecte et secundum quid : unde minimum quod potest esse de ratione peccati in aliquo actu, est in veniali, sicut minimum quod potest esse de natura entis, est in ente in potentia et in ente per accidens, et hoc ipsa nomina ostendunt, quia venia non debetur peccato nisi secundum quod aliquam imperfectionem peccati habet : mors autem debetur peccato in quantum peccatum est : et ideo mortale peccatum perfectum quid in genere peccati dicit : veniale autem imperfectum.*

Et ideo hanc sententiam tuentur communiter Thomistæ, Capreol. et Hispalen. in 2, dist. 43, quæst. 1, conclus. 1 et in solut. ad argum. Cajet. et Medina in præsentibus art. 1, ubi etiam Alvarez disp. 189, Greg. Mart. dub. 5 et alii.

42. Ratio vero desumpta ex D. Thoma locis cit. et ex dictis in hac disp. potest ita efformari. Illa est divisio analogi in analogata, secundum quam divisum inæqualiter descendit ad membra dividenda et inæqualiter de illis prædicatur ; e contra vero illa est divisio univoca, secundum quam divisum æqualiter convenit membris dividendis, et æqualiter prædicatur de ipsis : sed ratio peccati quæ est divisum in prædicta divisione, non convenit æqualiter mortali et veniali, sed potius valde inæqualiter, et hoc modo de illis prædicatur : igitur non est divisio univoca, sed analogata. Major communiter supponitur. Minor vero probatur. Tum quia prædicta ratio quæ consistit in hoc quod est *esse contra legem*, peccatis mortalibus convenit simpliciter, venialibus autem solum secundum quid, ut ostendimus dub. præced. num. 10 et num. 13 et sequentibus : valde autem inæqualia sunt *secundum quid et simpliciter*. Tum etiam quia valde inæquales sunt malitia quæ est destructiva finis, et malitia quæ solum est indispositiva ad illum : sicut ipse finis, et ea quæ sunt ad finem, valde sunt inæqualia : sed hoc modo se habent malitia mortalis et malitia venialis, ut § præced. ostendimus, ergo etc.

Confirmatur et explicatur : nam ita dividitur malitia in eam quæ est destructiva finis seu ordinis ad finem, qualis est malitia mortalis, et in eam quæ solum est indispositiva, qualis est venialis, sicut bonum dividitur in bonum honestum vel delectabile quod est finis, et in bonum utile quod est medium ad finem : sed hæc non est divisio univoca, sed analogata : media enim non

Capreol.  
Hispal.  
Cajet.  
Medina  
Alvarez  
Greg.  
Mart.

Ratio  
pro as-  
sertionem

Confir-  
matio.

non dicuntur *bona* absolute et secundum se, sicut dicitur finis, sed per analogiam et habitudinem ad ipsum finem, ut ostendimus in tract. de Ult. fine disp. I a num. 10, ergo etc.

43. Nec refert si dicas, totam eam inæqualitatem quæ inter peccatum mortale et veniale reperitur, provenire ab eorum differentiis, et non a ratione communi peccati: inæqualitas autem proveniens a differentiis non obstat univocationi in ratione communi: alias nulla prædicata communia essent univoca, cum omnia hujusmodi prædicata dividantur per differentias in inæquales species.

Non itaque hoc refert: quia inæqualitas proveniens a differentiis, tunc non obest univocationi in ratione communi, cum ipsa ratio communis est aliquis conceptus simpliciter abstractus et præcisus a differentiis; secus vero quando talis ratio non potest simpliciter præscindi ab illis, ut contingit in præsentibus. Pro quo nota, hoc esse præcipuum discrimen inter univoca et analogia, quod in illis ratio communis dicit unum conceptum simpliciter præcisum et abstractum a rationibus differentialibus; in istis vero non datur talis conceptus, sed ipsa ratio communis in qualibet abstractione, cujus est capax, claudit actu rationes differentiales, tantumque ab eis differt penes majorem vel minorem expressionem: prout recte explicant Cajet. opusc. de nomin. analog. et N. Complut. in Logica disp. 10, quæst. 4.

Ex quo fit ut in univocis inæqualitas a differentiis proveniens, non ingrediatur ipsam rationem vel conceptum communem; sed conservata unitate et æqualitate illius conceptus, quasi extra ipsum maneat, et ei tantum veluti assistat. In analogis vero inæqualitas differentiarum ingrediatur prædictam rationem et conceptum communem: quia talis conceptus veluti integratur ex ipsis inæqualibus differentiis. Unde nihil potest ibi concipi cum unitate et æqualitate simpliciter: qui nihil potest concipi abstractum et præcisum simpliciter a prædictis differentiis. Fit deinde, ut in univocis illa ratio communis absolute et simpliciter prædicetur de omnibus suis inferioribus: quia cum differentiæ dividentes et diversificantes sint extra illam, quantumvis ipsæ inæquales sint, non reddunt eam intra suum communem conceptum inæqualem, neque proinde efficiunt, ut talis conceptus secundum sibi propria non totus et æqua-

liter ad omnia inferiora descendat, et de omnibus secundum totum quod actu est, adeoque absolute et simpliciter prædicetur. Quo contra se habet in analogis: ubi cum inæqualitas differentiarum pervadat ipsam rationem communem, nullus ibi relinquitur conceptus æqualis et impartitus, et qui de omnibus inferioribus uno et æquali modo enuntietur: sed enuntiat de illis secundum magis vel minus, simpliciter vel secundum quid, juxta differentiarum inæqualitatem.

44. Hinc ergo liquet, non obesse nostræ assertioni illud quod in evasione habetur. Nam inæqualitas quæ ita ingreditur rationem communem, ut hæc non possit de omnibus suis inferioribus simpliciter prædicari, et tam absolute de uno quam de altero, non compatitur cum univocatione in ipsa ratione communi: quippe in nulla consideratione relinquit unum conceptum impartitum, in quo inferiora simpliciter conveniant: sed inæqualitas peccati mortalis et venialis ita ingreditur communem peccati rationem, ut non permittat, eam absolute et simpliciter de utroque prædicari, sed de mortali prædicatur hoc modo, de veniali vero respective et secundum quid: sicut ens prædicatur de substantia et accidente, et bonum de honesto et de utili: obest igitur prædicta inæqualitas univocationi, et constituit analogiam.

Dices secundo, peccata venialia ex genere simpliciter esse contra illas leges quibus prohibentur: mendacium enim simpliciter est contra legem non mentendi: ergo saltem hæc venialia convenient univoce cum mortalibus. Sed neque hoc refert: quia leges illæ quibus prædicta venialia immediate prohibentur, sicut non sunt simpliciter necessariae ad finem ultimum, sed secundum quid et ad melius, ita secundum quid dumtaxat (quoad præsens) vocantur *leges*. Et hoc sufficit, ut prædicta peccata non sint simpliciter contra legem, sicut sunt mortalia: quia *ly simpliciter* debet se tenere tam ex parte legis, quam ex parte modi tendendi contra illam, ut explicuimus num. 14.

45. Si vero inquiras, utrum hæc analogia quam inter peccatum veniale et mortale constituimus sit solius attributionis, sicut est analogia *sani* ad animal et ad medicinam: juxta quam ratio analogi invenitur intrinsece in principali analogato; minus vero principalia denominantur ab eo extrinsece propter dependentiam et habitudi-

Efflu-  
gunt.

impu-  
natur.

ajet.  
nplut.

Alia  
evasio.

Præclu-  
ditur.

Nova  
questio.

nem ad ipsum : aut potius sit analogia proportionalitatis propriæ, secundum quam ratio analogi invenitur intrinsece licet inæqualiter in omnibus analogatis : sicut ratio entis invenitur in substantia et accidente? Respondetur, utroque analogiæ genere analogari prædicta peccata. Priori quidem quia peccatum veniale dependet in sua ratione a peccato mortali, ad quod disponit et dicit habitudinem, ut infra magis declarabimus, et ratione hujus dependentiæ et habitudinis potest attribui eidem peccato mortali, et peccati denominationem ab eo desumere : in quo analogia attributionis consistit. Posteriori vero quia illamet habitudo quam importat peccatum veniale ad mortale per modum dispositionis ad ipsum, intrinsece est mala et deformis, saltem secundum quid et diminute, sicut intrinsece hoc modo est contra legem : servatque eandem proportionem ad constituendum peccatum veniale in ratione peccati secundum quid, quam servat malitia peccati mortalis ad constituendum ipsum in ratione peccati simpliciter : in quo sita est analogia proportionalitatis propriæ : ut recte declarant N. Compluten. loco cit. Unde etiam ostendunt non esse inconveniens, quod idem nomen utroque analogiæ generis de suis inferioribus prædicetur : de factoque ita prædicari *ens* et *bonum* de Deo et de creaturis, de substantia et de accidente, de ente in potentia et de ente in actu, multaque alia analogia.

### § III.

#### *Sententia opposita primæ assertioni.*

46. Contrariam sententiam nostræ primæ assertioni, videlicet peccata venialia ex imperfecta deliberatione aut ex parvitate materiæ quantum ad malitiam moralem non distingui essentialiter a mortalibus, quæ circa eandem materiam versantur, atque adeo neque prædictam divisionem quantum ad hujusmodi peccata essentialiter esse, tumentur aliqui ex discipulis D. Thomæ circa præsentem art. 2, ubi Curiel § 2, Zumel conclus. 1 et 3, et Montesin. disput. 18, quæst. 4, num. 63 et 64. Atque idem etiam tumentur Salas disp. 16, sect. 19, Lorca disp. 59, et Suarez disp. 2, sect. 5, loquens de venialibus ex parvitate materiæ : et est valde probabile.

Pro quo arguitur primo ex D. Thoma supra quæst. 72, art. 5, in corp. ubi statuit, differentias venialis et mortalis non consti-

tuere diversitatem specificam peccatorum. Et in solut. ad 1, de peccato veniali ex imperfecta deliberatione sic dicit : *Nihil prohibet in eadem specie inveniri aliquod peccatum mortale et veniale, sicut primus motus in genere adulterii est peccatum veniale.* Et quæst. 18, art. 11, agens de circumstantiis, quæ non mutant speciem, ut *magnum et parvum*, ita ait : *Tollere alienum in magna vel parva quantitate non diversificat speciem peccati.*

47. Propter hæc D. Thomæ testimonia diximus esse valde probabilem istam sententiam. Adhuc tamen non convincunt, ut eam pro vera habeamus : quia prædicta testimonia possunt convenienter exponi sine præjudicio nostræ assertionis. Ad primum enim ex quæst. 72, art. 5, dicendum est, Angel. Doctorem loqui de differentia, quæ est secundum reatum pœna æternæ vel temporalis : ut constat ex titulo et ex corpore articuli. Hæc autem non est differentia primaria prædictorum peccatorum, sed secundaria et consequens, ut diximus num. 20, et ita non tollit, quominus per aliam differentiam primariam, quam num. 10 et num. 13 explicuimus, differant essentialiter. Illa autem verba ex solut. ad 1 solum probant, quod aliqua peccata venialia pertineant reductive ad species peccatorum mortalium cum quibus conveniunt in materia ; non vero quod in se habeant formaliter tales species. Quia enim peccata venialia ex imperfecta deliberatione et ex parvitate materiæ sunt aliquid incompletum in genere peccati, et in materia illius objecti ad quod tendunt ; non sunt per se in recta linea prædicamenti, ubi genera et species completa collocantur sed reducuntur ad illam speciem ad quam disponunt, et qui ratione materiæ magis appropinquant : quæ est species peccati mortalis. Sicut embrio reducitur ad speciem hominis, et punctum ad speciem lineæ : quia cum sint aliquid incompletum proindeque incapacia constituendi per se proprias species, reducuntur ad illas species completas, ad quas suapte natura tendunt : non quidem ut habentia formaliter tales species, etiam sub aliis accidentibus vel statu imperfecto ; sed ut tendentia ad illas in alia essentia et specie essentialiter incompleta et imperfecta : quæ proinde adveniente specie completa omnino destruitur : nullaque prædicata quidditativa manent eadem numerice aut specificè. Vel dicas, D. Thomam appellasse peccatum veniale et mortale ejusdem speciei, *materialiter* : quatenus

Solutio.

D.Tho

Soluti

Com-  
plut.Curiel.  
Zumel.  
Montes.  
Salas.  
Lorca.  
Suarez.Primum  
argu-  
mentum.



tenus versantur circa materias secundum se non specificè distinctas: quamvis ex parte modi attingendi, unde specificatio formalis desumitur, essentialiter distinguantur.

48. Ad secundum testimonium ex quæst. 18, respondetur, D. Thomam loqui de *magno* et *parvo* præcise ut talia sunt, seu quæ nullam aliam involvunt differentiam, nisi penes *magis* vel *minus* sub eodem modo oppositionis ad rationem: quo pacto se habent furtum majus et furtum minus, quando vel utrunque est intra quantitatem sufficientem ad culpam mortalem, vel utrunque non excedit quantitatem culpæ venialis. Cæterum non negat, quod si *magnum* et *parvum* simul afferant aut consequantur aliud discrimen, ratione cujus *magnum* deordinet voluntatem usque ad finem ultimum, sicut deordinat peccatum mortale; *parvum* vero solum deordinet citra talem finem, sicut deordinat veniale, possint ratione istius discriminis constituere peccata specificè diversa. Consonatque huic solutioni ipsi D. Thom. quæst. 7 de Mal. art. 1 ad 19. Nam cum ita objecisset: *Magis et minus non diversificant speciem: sed peccatum mortale et veniale differunt specie: ergo non differunt per hoc quod est magis vel minus.* Respondet: *Dicendum, quod magis et minus quando consequuntur rationes diversas, diversificant speciem: et ita est in proposito.*

49. Secundo arguitur. Illa peccata sunt ejusdem speciei, quorum objecta specificè non differunt: sed objectum peccati mortalis et objectum peccati venialis ex imperfecta deliberatione aut ex parvitate materiæ non differunt specificè: igitur neque ipsa peccata. Major et consequentia constant. Minor vero suadetur: nam objectum furti quod est res aliena, ejusdem speciei est in ratione talis, sive sit magni sive modici valoris: non enim mutat speciem pecuniæ vel rei alienæ, quod pertingat ad valorem quatuor argenteorum, vel sistat in valore unius argentei. Et similiter in delectatione morosa quæ sumitur de homicidio cogitato, idem est objectum, scilicet ipsum homicidium, sive adsit plena deliberatio, sive tantum semiplena: ergo, etc.

Confirmatur: tum quia non magis differt furtum grave a furto levi, quam furtum gravissimum a furto gravi: sed hæc solum differunt accidentaliter penes *magis* et *minus*: non enim est alterius speciei furtum centum aureorum a furto unius aurei vel duorum: ergo illa nequeunt essentialiter distinguere. Tum etiam quia non magis dif-

fert actus elicitus cum plena cognitione ab actu elicitum cum semiplena, quam amor elicitus cum cognitione clarissima et perfectissima, sicut est amor Dei in patria, ab amore elicitum cum cognitione obscura et imperfecta, sicut est amor viæ: sed isti duo amores non differunt essentialiter, sed solum penes majorem vel minorem perfectionem intra eandem speciem: ergo, etc.

50. Respondetur ad argumentum concedendo majorem, intellectam de objectis formalissime in esse objectorum; secus vero in esse rei. Sed neganda est minor in eodem sensu. Ad probationem dicendum est, in utroque casu distinguere essentialiter illa objecta in esse objectorum moralium: quia in hac ratione attenditur eorum differentia penes habitudinem improportionis ad ultimum finem: et quia hæc habitudo in objecto mortaliter peccaminoso est improportio aversiva et destructiva ipsius finis, in objecto vero peccaminoso venialiter est improportio solum indispositiva, constituunt objecta formaliter diversa in ratione objectorum, refunduntque in actus ad illa terminatos distinctionem essentialem. Differt tamen inter objectum quod est veniale ob parvitate materiæ, et illud quod efficitur veniale ex imperfecta deliberatione, quia in primo ratio distinctiva sumitur ex imperfectione ipsius materiæ attactæ, quæ ob suam levitatem non est capax avertendi a fine ultimo, aut illi contrariandi: et ideo ex se habet fundare improportionem et deordinationem solummodo indispositivam, et excludere aversivam. In secundo vero totum hoc provenit ex imperfectione actus, et ex modo attingendi: inde enim refunditur in objectum prædicta improportio indispositiva, et excluditur aversiva.

51. Ex quo ad primam partem confirmationis respondetur, quod licet in esse rei magis aut saltem non minus differat furtum grave et gravissimum, quam leve et grave; non tamen in ratione objecti mortalis; quia duo priora furta conveniunt in habitudine improportionis ad finem, et in specie et modo talis habitudinis: cum utrunque dicat improportionem aversivam et destructivam finis, totaque eorum differentia consistit penes *magis* vel *minus* talis improportionis. Duo vero posteriora differunt in specie et modo prædictæ habitudinis, et non solum secundum *magis* vel *minus*: quia unum importat improportionem indispositivam, aliud vero improportionem aversivam: et quia in ratione objecti moralis

Enodatio argumenti.

Solutio confirmationis.

constituuntur per hujusmodi habitudinem, fit ut in ratione talium furtum grave et furtum leve specificè et essentialiter differant; non autem furtum grave et gravissimum. Ad secundam partem negatur etiam antecedens: quia cognitio plene deliberata, sive sit clara sive obscura, potest applicare objectum sub eadem formali ratione: eadem enim bonitas formalissime quæ in patria clare cognoscitur per visionem beatificam, cognoscitur in via obscure per fidem. At vero cognitio semiplene deliberata nequit applicare eandem rationem formalem objectivam, quam deliberata applicat: hæc namque potest applicare et proponere rationem finis ultimi, et aversionem ab illo, ad quam illa non potest pertingere.

#### § IV.

##### *Alia sententia contra secundam assertionem.*

52. Secunda sententia nobis opposita affirmat, divisionem peccati in mortale et veniale non esse analogam, sed univocam. Hanc tuentur Durand. in 2, ubi supra. Et in præsentibus Vasq. disp. 144, cap. 3, ubi etiam Lorca, Curiel, Montes. Zumel et alii, quos adduximus § præced. Habet autem locum hæc sententia præsertim in peccatis venialibus ex genere: nam venialibus ex imperfecta deliberatione aut ex parvitate materiæ vix est qui distinguens illa essentialiter a mortalibus, tribuat univoce rationem peccati. Quinimo omnia venialia sub aliqua ratione analogice tantum convenire cum mortalibus censent fere omnes prædicti authores. Nam si peccatum (inquiunt) theologice consideretur, in quantum scilicet repugnat charitati et vitæ spirituali, et in quantum est Dei offensa, analogice tantum et secundum quid dicitur de venialibus. Si vero consideretur quantum ad malitiam moralem constitutivam ipsius peccati (quam appellant considerationem metaphysicam) dicunt prædicari de omnibus univoce: et ex hac parte adversantur nostræ sententiæ, quia adhuc in prædicta consideratione metaphysica negamus univocationem.

Arguunt autem prædicti Authores primo, quia in sacra Scriptura peccata venialia absolute et sine addito vocantur *peccata*: ut videre est 1 Joan. cap. 1: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*, etc. Ubi sermo est de justis non habentibus nisi venialia. Et Jacobi 1: *Con-*

*cupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem*, etc. Ubi prima verba denotant peccatum veniale existens in concupiscibili ante consensum rationis; posteriora vero mortale, quod fit per talem consensum. Et de veniali ex genere, uti sunt verba otiosa, dicitur Proverb. 10: *In multiloquio non deerit peccatum*. Quæ etiam vel similes loquutiones apud SS. Patres non semel reperiuntur. Si autem peccatum veniale absolute et simpliciter est peccatum, non est cur non univoce cum mortali conveniat.

53. Respondetur, aliud esse an peccatum veniale appelletur peccatum absolute, hoc est, nullo diminuente adjecto: aliud vero an appelletur peccatum simpliciter, prout *ly simpliciter* distinguitur contra *secundum quid*. Primum probant prædictæ Scripturæ loquutiones: non tamen inde convincitur quod sit peccatum simpliciter et univoce cum mortali: quia multa quæ sunt talia solum secundum quid et analogice, appellamus sine prædicto adjecto. Absolute enim et sine addito dicimus, quod *quantitas est ens*; et quod *qualitas est ens*, et sic de multis aliis accidentibus; quamvis nullum eorum sit ens simpliciter et univoce cum substantia, sed secundum quid et analogice. Secundum autem neque est verum, neque probatur per argumentum factum: quia nullibi peccatum veniale appellatur peccatum cum hac extensione *simpliciter*, per quam tollitur diminutio. Quinimo sicut *quantitas* licet aliquando absolute dicatur *ens*, non tamen ita appellatur, quando sumitur comparative ad substantiam; sed semper in hac collatione additur aliquid diminuens et distinguens ab ente simpliciter: ita quamvis peccatum veniale aliquando absolute nominetur *peccatum*, non tamen quoties agitur de illo comparative ad mortale: sed tunc semper utimur aliquo addito diminuente, ut *peccatum veniale*, vel *peccatum leve*, vel *peccatum secundum quid*. Quando vero nihil additur, et sermo est de veniali, ex subiecta materia dignoscitur, ut in locis in argumento adductis. Alias loquutio stabit pro mortali: juxta illud: *Analogum per se sumptum stat pro famosiori significato*.

54. Secundo arguit Durand. quia actus voluntatis simpliciter cadens supra materiam simpliciter indebitam, est peccatum simpliciter: sed multa venialia sunt hujusmodi, illa nimirum quæ sunt talia ex suo genere: ergo, etc.

Respondetur negando minorem: quia materia

Durand.  
Vasq.  
Lorca.  
Curiel.  
Montes.  
Zumel.

Argu-  
mentum  
primū.

1. Joan. 1

Jacob 1

Solutio

Secun-  
dum ar-  
gumen-  
tum.

Enerva-  
tio.

materia ex genere suo venialis, non est materia debita vel indebita simpliciter, sed secundum quid dumtaxat. Illa enim dicitur materia debita simpliciter, quæ simpliciter est necessaria ad assecutionem finis ultimi; et illa dicitur simpliciter indebita, quæ simpliciter repugnat et contrariatur tali fini: materia autem ex suo genere venialis neutro modo habet se ad prædictum secundum finem: quia vel solum est necessaria secundum quid et ad melius esse, vel solum secundum quid et dispositive illi repugnat, ut ex dictis constat.

Tertium. 55. Tertio sic in arguitur; omnibus quæ analogice dicuntur, ratio nominis nulli competit nisi per attributionem ad unum, quod per prius et simpliciter dicitur tale: sed peccatum veniale non dicitur peccatum per attributionem ad peccatum mortale, quia si non esset aliquod peccatum mortale, nihilominus esset dare peccatum veniale: ergo ratio peccati non convenit illis analogice.

Solutio ex Cajet. Hoc argumentum solvit Cajet. in præsentibus sequentibus verbis: *Ad secundum dicitur, quod sicut omnis morbus dicitur infirmitas in ordine ad privationem vitæ, quæ est infirmitas mortalis et simpliciter: ita omne peccatum dicitur peccatum in ordine ad peccatum quod privat sine, quod est principium vitæ moralis. Et ut ex diffinitione in litera ex August. patet, cum peccatum sit dictum, factum vel concupitum contra legem Dei, et mortale sit contra legem Dei sine additione aliqua, veniale vero cum additione, scilicet secundum quid, est enim contra legem Dei secundum quid: et constat quod contra legem Dei secundum quid non potest intelligi, non præintellecto contra legem Dei absolute, sicut neque album secundum quid sine albo simpliciter, oportet ut peccatum veniale non solum secundum rem, sed secundum nominis rationem in ordine ad mortale dicatur: propter quod in litera dicitur, quod veniale dicitur peccatum secundum rationem imperfectam et in ordine ad peccatum mortale. Et licet peccatum veniale possit esse in hoc vel illo absque mortali, simpliciter tamen non potest esse absque mortali: sicut neque infirmitas curabilis absque incurabili, qualis est mortalis: imo si non esset peccatum mortale, nec veniale esset: sicut si non esset mors, non esset ægritudo.*

56. Adde, prædictum argumentum, etiam si concederetur utraque præmissa, non probare univocam convenientiam peccati venialis cum mortali: sed ad summum excludere analogiam attributionis: hæc enim

est quæ innititur dependentiæ unius analogati ab alio, et attributioni secundorum analogatorum ad analogatum principale. Ultra hanc tamen analogiam datur alia inter prædicta peccata, scilicet analogia proportionalitatis propriæ, quæ non innititur prædictæ dependentiæ et attributioni, sed aliunde causatur: est tamen sufficiens ad tollendam univocationem: ut bene ostendunt N. Complutens. in Logica, disp. 10, num. 43. Cæterum quia in hoc dub. num. 45, utramque analogiam inter peccatum veniale et mortale asseruimus, militat in nos prædictum argumentum, nisi adhibeatur Cajetani solutio: per quam sufficienter manet enervatum.

Com-  
plut.

Denique arguitur ex eodem Durando; quia virtutes quibus opponuntur peccata venialia ex genere, simpliciter sunt virtutes, et univoce conveniunt cum illis, quibus opponuntur mortalia: ergo etiam ipsa peccata venialia conveniunt simpliciter et univoce cum mortalibus: contrariorum enim idem esse debet modus divisionis, et tot modis debet dici unum, quibus dicitur aliud.

Argu-  
mentum  
ulti-  
mum.

Huic argumento dupliciter respondet Cajet: *Primo negando minorem: quia (inquit) etiam in virtutibus dici potest simpliciter et secundum quid. Eutrapelus namque secundum quid, in hoc scilicet, et non simpliciter virtuosus dicitur: sicut sanus pede non simpliciter, sed secundum hanc partem sanus dicitur. Secundo respondet: Quamvis melius dicatur, quod non est eadem ratio de virtute et de vitio, sicut nec de bono et malo: quia bonum uno modo, ex causa scilicet integra, malum autem omnifariam contingit. Et propterea appetitus bonus circa materias hujusmodi contingentes, proprie loquendo, non ad bonitatem secundum quid, sed ad bonitatis consummationem spectat: appetitus autem malus in hujusmodi non ad consummationem malitiæ, sed ad secundum quid malitiam spectat, propter rationem dictam. Alata autem regula de oppositis non tenet, quando non est eadem ratio multiplicationis utrinque: non enim oportet ens simpliciter, scilicet substantiam multiplicari, sicut ens secundum quid, scilicet accidens in novem genera distinguitur: quia non est utrinque eadem ratio. Et sic est in proposito. Et hæc posterior solutio quæ Cajetano magis placet, plus nobis arridet.*

Cajet.

Idem.

## ARTICULUS III.

*Utrum peccatum veniale sit dispositio ad mortale?*

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod peccatum veniale non sit dispositio ad mortale. Unum enim oppositum non disponit ad aliud: sed peccatum veniale et mortale ex opposito dividuntur, ut dictum est. Ergo peccatum veniale non est dispositio ad mortale.

2. Præter. Actus disponit ad aliquid simile in specie sibi: unde in 2 Eth. dicitur, quod ex similibus actibus generantur similes dispositiones et habitus: sed peccatum mortale et veniale differunt genere, seu specie, ut dictum est: ergo peccatum veniale non disponit ad mortale.

3. Præter. Si peccatum dicatur veniale, quod disponit ad mortale, oportebit quod quæcumque disponunt ad mortale peccatum, sint peccata venialia: sed omnia bona opera disponunt ad peccatum mortale: dicit enim August. in regula, quod superbia bonis operibus insidiatur, ut pereant: ergo etiam bona opera erunt peccata venialia: quod est inconveniens.

Sed contra est quod dicitur Eccles. 18: Qui spernit minima, paulatim deluit: sed ille qui peccat venialiter, videtur minima spernere. Ergo paulatim disponitur ad hoc, quod totaliter deluat per peccatum mortale.

Respon. Dicendum, quod disponens est quodammodo causa: unde secundum duplicem modum cause, est duplex dispositionis modus. Est enim causa quædam movens directe ad effectum, sicut calidum calefacit. Est etiam causa indirecte movens, removendo prohibens: sicut removens columnam dicitur removere lapidem superpositum: et secundum hoc actus peccati dupliciter ad aliquid disponit. Uno quidem modo directe, et sic disponit ad actum similem secundum speciem. Et hoc modo, primo et per se peccatum veniale ex genere non disponit ad mortale ex genere, cum differant specie: sed per hunc modum peccatum veniale potest disponere per quandam consequentiam ad peccatum, quod est mortale ex parte agentis. Augmentata enim dispositione vel habitu per actus peccatorum venialium, in tantum potest libido peccandi crescere, quod ille qui peccat, finem suum constituat in peccato veniali. Nam unicuique habenti habitum, in quantum huiusmodi, finis est operatio secundum habitum: et sic multoties peccando venialiter disponitur ad peccatum mortale. Alio modo actus humanus disponit ad aliquid removendo prohibens: et hoc modo peccatum veniale ex genere potest disponere ad peccatum mortale ex genere. Qui enim peccat venialiter ex genere, prætermittit aliquem ordinem: et ex hoc quod consuescit voluntatem suam in minoribus debito ordini non subijcere, disponitur ad hoc, quod etiam voluntatem suam non subijciat ordini ultimi finis, eligendo id quod est peccatum mortale ex genere.

Ad primum ergo dicendum, quod peccatum veniale et mortale, non dividuntur ex opposito, sicut duæ species unius generis, ut dictum est: sed sicut accidens contra substantiam dividitur: unde sicut accidens potest esse dispositio ad formam substantialem, ita et veniale peccatum ad mortale.

Ad secundum dicendum, quod peccatum veniale non est simile mortali in specie: est tamen simile ei in genere, in quantum utrumque importat defectum debiti ordinis, licet aliter, et aliter, ut dictum est.

Ad tertium dicendum, quod opus bonum non est per se dispositio ad mortale peccatum, potest tamen esse materia, vel occasio peccati mortalis per accidens: sed peccatum veniale per se disponit, ut dictum est.

**Prima conclusio:** *Peccatum veniale ex genere non disponit directe primo et per se ad peccatum mortale ex genere.*

**Secunda conclusio:** *Peccatum veniale ex genere potest per quandam consequentiam disponere ad peccatum mortale ex parte agentis.*

**Tertia conclusio:** *Peccatum veniale ex genere disponit ad mortale etiam ex genere indirecte et removendo prohibens.*

Sensum omnium istarum conclusionum aperit D. Thomas in corpor. artic. Loquitur autem de peccato veniali tantummodo ex genere, prætermittens venialia ex imperfecta deliberatione, et ex materiæ parvitate: forte quia de istis citra dubium est, quod directe, et per se ducant et disponant ad mortalia, propter convenientiam cum illis in materia. Sicut qualitas facile mobilis relictæ ex primo actu virtutis vel vitii, directe et per se est dispositio ad habitum difficile mobilem, propterea quod una est materia utriusque; quamvis propter diversum modum essendi essentialiter distinguantur: ita quia peccatum quod ex parvitate materiæ velex imperfecta deliberatione redditur veniale, respicit eandem materiam cum mortali, licet ex modo respiciendi essentialiter differant; idcirco prædictum veniale directe et per se ad mortale disponit.

In secunda conclusione distinguit D. Thomas peccatum quod est mortale ex parte agentis, ab eo quod est mortale ex genere: et appellat *mortale ex parte agentis*, quando voluntas constituit finem ultimum in aliquo objecto, quod secundum se est tantum veniale. Tunc enim ratio quare datur ibi culpa mortalis, non est objectum vel res amata secundum inordinationem quam ex se affert, aut secundum improprietatem, quam secundum se dicit ad finem ultimum, sicut accidit in aliis quæ dicimus *mortalia ex genere*: sed est modus ita se habendi circa tale objectum et diligendi illud, ac si esset ultimus finis, nullusque alius finis plus illo amaretur. Quod qualiter contingat, declarabimus artic. frequenti. Circa literam huius articuli legendus est Cajetan. qui in peccato veniali ex genere distinguit duas rationes: alteram secundum quam est conversio et affectio ad bonum delectabile; alteram vero secundum quam est aversio et deviatio a regula rationis: tribuitque illi priori munus disponendi per se ad mortale ex parte agentis per redundantiam et consequentiam, ut S. Doctor loquitur: posteriori vero munus disponendi per accidens, removendo prohibens. De quo procedit tertia conclusio.

## ARTICULUS IV.

*Utrum peccatum veniale possit fieri mortale?*

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod peccatum veniale possit fieri mortale. Dicit enim August. exponens illud Joann. Qui incredulus est filio, non videbit vitam: Peccata minima, id est, venialia, si negliguntur, occidunt: Sed

Sed ex hoc dicitur peccatum mortale, quia spiritualiter occidit animam : ergo peccatum veniale potest fieri mortale.

2. Præ. Motus sensualitatis ante consensum rationis est peccatum veniale, post consensum vero est peccatum mortale, ut supra dictum est : ergo peccatum veniale potest fieri mortale.

3. Præ. Peccatum veniale et mortale differunt, sicut morbus curabilis et incurabilis, ut dictum est : sed morbus curabilis potest fieri incurabilis : ergo peccatum veniale potest fieri mortale.

4. Præ. Dispositio potest fieri habitus : sed peccatum veniale est dispositio ad mortale, ut dictum est : ergo veniale peccatum potest fieri mortale.

Sed contra. Ea, quæ differunt in infinitum, non transmutantur in invicem : sed peccatum mortale et veniale differunt in infinitum, ut ex prædictis patet : ergo veniale non potest fieri mortale.

Respondeo dicendum, quod peccatum veniale fieri mortale, potest tripliciter intelligi. Uno modo, quod idem actus numero primo sit peccatum veniale, et postea mortale, et hoc esse non potest : quia peccatum principaliter consistit in actu voluntatis, sicut et quilibet actus moralis, unde non dicitur unus actus moraliter, si voluntas mutetur, quamvis etiam actio secundum naturam sit continua. Si autem voluntas non mutetur, non potest esse quod de veniali fiat mortale. Alio modo potest intelligi, ut id quod est veniale ex genere, fiat mortale, et hoc quidem possibile est : in quantum constituitur in eo finis, vel in quantum refertur ad mortale peccatum, sicut ad finem, ut dictum est. Tertio modo potest intelligi ita, quod multa venialia peccata constituent unum peccatum mortale : quod si sic intelligatur, quod ex multis peccatis venialibus integraliter constituatur unum peccatum mortale, falsum est : non enim omnia peccata venialia de mundo possunt habere tantum de reatu, quantum unum peccatum mortale, quod patet ex parte durationis : quia peccatum mortale habet reatum pœnæ æternæ : peccatum autem veniale reatum pœnæ temporalis, ut dictum est. Patet etiam ex parte pœnæ damni : quia peccatum mortale meretur carentiam visionis divinæ, cui nulla alia pœna comparari potest, ut Chrysost. dicit. Patet etiam ex parte pœnæ sensus, quantum ad vermen conscientie : licet forte quantum ad pœnam ignis non sint improprietabiles pœnæ. Si vero intelligatur, quod multa peccata venialia faciunt unum mortale dispositivè, sic verum est, sicut supra ostensum est, secundum duos modos dispositionis, quo peccatum veniale disponat ad mortale.

Ad primum ergo dicendum, quod Augustinus loquitur in illo sensu, quod multa peccata venialia dispositivè causant mortale.

Ad secundum dicendum, quod ille idem motus sensualitatis, qui præcessit consensum rationis, nunquam fit peccatum mortale : sed ipse actus rationis consentientis.

Ad tertium dicendum, quod morbus corporalis non est actus, sed dispositio quædam permanens : unde eadem manens potest mutari. Sed peccatum veniale est actus transiens, qui resumari non potest, et quantum ad hoc non est simile.

Ad quartum dicendum, quod dispositio, quæ sit habitus, est sicut imperfectum in eadem specie : sicut imperfecta scientia dum perficitur, fit habitus : sed veniale peccatum est dispositio alterius generis : sicut accidens ad formam substantialem in quam nunquam mutatur.

Prima conclusio : *Idem numero actus qui semel est peccatum veniale, non potest fieri mortale.*

Secunda conclusio : *Peccatum quod de suo genere est veniale, potest fieri mortale, si vel ad aliquod mortale ordinetur, vel in eo ultimus finis constituatur.*

Tertia conclusio : *Nulla peccata venialia quantumvis multiplicata et repetita, possunt constituere unum peccatum mortale integraliter, seu per modum partium : quamvis possint concurrere ad illud positive.*

### Commentarius.

Prima conclusio intelligitur de actu qui sit unus numero in genere moris, ut ipse D. Thomas satis declarat. Quia cum in hoc genere peccatum veniale et peccatum mortale essentialiter distinguantur, ut vidimus dub. præced. nequit unum transire in aliud absque variatione essentiali, non solum numerica, sed etiam specifica. Cæterum quod actus qui sit unus numero in esse physico, ita varietur in esse moris, ut a malitia veniali in mortalem transeat, vel e converso, ex nullo capite repugnat : sicut quod transeat a bono in malum, ut alibi ostendimus. Unde cum D. Thomas in presenti <sup>D. Thom.</sup> et quæst. 7 de Mal. art. 3 ad 5, ait, motum sensualitatis, qui ob præcedentiam ad consensum rationis fuit tantum peccatum veniale, non fieri mortale adveniente tali consensu, intelligendus est de motu qui sit idem numero vel specie in prædicto genere moris ; non vero in genere physico dumtaxat. Vel sensus est, quod talis motus non fit peccatum mortale per se, quamvis fiat mortale a superveniente consensu : ut non obscure indicat S. Doctor loco cit. de Malo, dum addidit particulam *per se*, quæ non habetur in præsentibus.

Secunda conclusio est omnino indubitata. Et quoad primam partem nimirum quod si peccatum ex genere suo veniale ordinetur ad aliquod mortale ex genere, accipiat inde mortalem malitiam, nullam continet difficultatem, quia manifestum est, actus humanos accipere ex fine ad quem ordinantur, bonitatem vel malitiam ipsius finis : et ideo ubi iste fuerit mortaliter peccaminosus, nequibit non communicare actibus ad se ordinatis malitiam mortalem. De quo latius diximus in tract. de bonit. et malit. disp. 5 et 6.

Quoad secundam vero partem declarandum magis est, qua ratione contingat constitui finem ultimum in objecto peccati venialis. Potest enim hoc fieri dupliciter. Primo si voluntas formaliter et expresse diligit illud objectum tanquam suum ultimum finem, appetitans illud formaliter super omnia : qui sane dilectionis et appetitionis modus rare continget : semperque supponet in intellectu errorem formalem : quandocumque autem contigerit, est ita clarus, ut majori explicatione non egeat. Secundo si voluntas appetietur illud objectum super omnia solum interpretative : quia in modo diligendi ita se habet, ac si

ipsum esset finis ultimus : seu quia propter illud ipsa voluntas avertitur et separatur a suo vero ultimo fine. Hic autem modus appretiationis interpretativæ super omnia, non est ita clarus sicut præcedens : consistit vero in eo quod voluntas in tantum diligit aliquod objectum, et taliter afficiatur erga illud, ut non recuset ob tale objectum committere aliquid, quod sit ex suo genere peccatum mortale. Quod adhuc potest dupliciter accedere : vel quia voluntas de facto eligit tale peccatum mortale propter prædictum finem assequendum : ut si quis ad ostendendam inaniter suam fortitudinem injuste alium occideret. In quo casu non difficile apparet prædicta appretiatione interpretativa : nam qui de facto ob aliquem finem committit gravem Dei offensam, satis convincitur præferre in sua æstimatione talem finem ipsi Deo, qui est verus finis ultimus, adeoque habere se circa illum eo genere appretiationis et affectus, quo diligendus est solus ultimus finis. Vel potest prædicta appretiatione contingere ex eo quod voluntas licet de facto nullum eligat objectum ex suo genere mortale, est tamen ita affecta ad objectum peccati venialis, ut oblata occasione, præeligeret illud, ne isto privaretur.

Quod si expresse adsit iudicium et consensus hujus præelectionis, nulla alia opus est conjectura ad asserendam appretiationem de qua agimus. Si vero tale iudicium vel consensus non detur, et alias nihil committatur de facto, quod ex suo genere sit mortale, vel periculo incidendi in mortale expositum ; quantumvis intense et affective objectum veniale diligatur, non satis percipimus, quomodo ibi sit appretiatione interpretativa super omnia, aut supra Deum : cum nihil appareat, per quod venari possimus, an voluntas sit, vel non sit ita affecta ad prædictum objectum, ut occasione oblata, præferret illud Deo et ejus dilectioni. Quare ut jure interpretemur, quod voluntas ponat finem ultimum in objecto peccati venialis, seclusa formali constitutione et præelectione quam diximus, necessarium ducimus quod vel de facto committat aliquod ex genere suo mortale, vel ejus periculo aut secundum rem aut ex modo operandi se exponat, vel quod animo quem habet prosequendi prædictum objectum, non imponat terminum aut mensuram excludentem commissionem, vel periculum culpæ mortalis, animadvertensque, saltem in confuso, modum suum operandi sine prædicta mensura et termino, non se cohibeat, sed in animo

illo permaneat. Quod non raro contingit iis qui nimio zelo vel ardore illa quæ appetunt, vel intendunt, prosequuntur, quique nervis omnibus in id incumbunt, ut voti sui compotes evadant. Quo pacto vero exponat se quis peccandi periculo ex modo operandi, quamvis secundum rem tale periculum non adsit explicuimus disp. 13 a num. 81.

Si autem quæras, cujus speciei sit peccatum illud mortale, per quod constituitur finis ultimus in objecto peccati venialis ? Dicendum est, quod in priori casu, quando scilicet voluntas formaliter et expresse diligeret illud objectum ut ultimum finem, est peccatum mortale contra charitatem : sicut est odium Dei : et sicut est quicumque amor quo aliqua res creata sive mala sive bona, sive ex genere suo mortalis sive venialis prædicto modo diligitur. Præter hujusmodi vero speciem contrariam charitati, adest ibi illa species malitiæ quæ est propria talis objecti : quæ proinde, quando objectum ex genere suo vel ex parvitate materiæ est veniale, limites venialis non excedit : excederet autem, si objectum ex genere suo et quantitate materiæ esset mortale. Exemplum sit, si quis constituat finem ultimum in verbo otioso, erit ibi simul cum malitia mortali contra charitatem, malitia venialis loquendi otiose : et si prædictum finem constituerit in homicidio, esset malitia mortalis homicidii : si autem in amico vel in alia re secundum se bona, nulla erit malitia propria talis objecti, sed sola malitia quam diximus contra charitatem.

In posteriori vero casu, ubi voluntas solum interpretative prædictam constitutionem facit, certius est reperiri ibi malitiam venialem propriam objecti (supposito quod istud ex genere vel ex parvitate materiæ veniale sit) et ulterius solam malitiam mortalem illius peccati mortalis, quod vel committitur de facto propter prædictum objectum, vel cujus periculo saltem ex modo operandi voluntas exponitur, vel quod expresse præeligitur amissioni talis objecti. Non enim tunc objectum veniale potest ex se aliam malitiam tribuere, nisi illam quam ex se habet, quæ solum est malitia venialis : mortalem vero ea solum ratione potest tribuere, quia superinduit deformitatem illius peccati mortalis, ad cujus executionem, præelectionem, vel periculum movet : ac proinde solum tribuet malitiam ejusdem speciei cum prædicto peccato mortali, cujus deformitatem superinduit. Quod si attentis omnibus non possit designari certum aliquod

quod peccatum mortale, cujus periculo se exponat ille qui ita operatur; et nihilominus constet eum operari expositum peccato mortali vage et in confuso, quia non adhibet mensuram excludentem omne peccatum mortale et ejus periculum, malitia mortalis ibi reperta vel pertinebit ad vitium temeritatis contrarium prudentiæ, juxta dicta cit. disput. 13, num. 82, vel nullum erit speciale vitium ad quod pertineat, ut de quibusdam aliis peccatis innominatæ speciei diximus disput. 13, num. 81, dantur enim plures actus tam boni quam mali, pro quibus nulla ponitur determinata virtus, aut determinatum vitium, sed reducuntur ad naturalem voluntatis inclinationem, et ad ejus communem defectibilitatem.

Tertia conclusio intelligenda est de peccatis venialibus formaliter, seu quoad ipsas eorum malitias: ut sit sensus, quod ex multis malitiis quarum quælibet seorsum sumpta, sit tantum venialis, nequit conflare vel componi una malitia mortalis. Et ita intellecta conclusio optime convincitur ratione, qua D. Thomas utitur in corp. articuli. Cæterum loquendo ex parte materiæ, non est dubium, quin plures materiæ, quarum quælibet seorsum sumpta, esset levis et venialis; si simul accipiuntur, constituent materiam gravem et sufficientem ad culpam mortalem: ac proinde quod actus cadens supra talem materiam sit peccatum mortale. Quin etiam sæpe accidit, ut materia quæ secundum se spectata, levis esset, et non excederet culpam venialem; si tamen connotet præcedentiam aliarum similiter levium et venialium, ex hac connotatione et ex morali conjunctione cum illis reddatur materia gravis, et actus cadens supra talem materiam cum prædicta connotatione sit peccatum mortale. Hac enim ratione ille qui committit plura furta levia, quamvis materia uniuscujusque secundum se modica sit, potest in ultimo illorum mortaliter delinquere: quia materia illa secundum se levis, potest reddi gravis ex connotatione præcedentium, cum quibus moraliter conjungitur. Quod qualiter contingat tam in hoc quam in aliis peccatorum generibus, explicant Theologi morales præsertim circa septimum decalogi præceptum et in materia de restitutione: ubi resolvunt plures casus passim occurrentes: a quibus nos consulto abstinemus, ne vel communia transcribamus vel nova superaddere gestientes circa hæc mortalia quæ præsentis instituti minus propria sunt, prolixè defineamur.

## ARTICULUS V.

*Utrum circumstantia possit facere de veniali mortale?*

Ad quantum sic proceditur. Videtur quod circumstantia possit de veniali peccato facere mortale. Dicit enim August. in sermone de purgatorio, quod si diu teneatur iracundia, et ebrietas si assidua sit, transeunt in numerum peccatorum mortalium: sed ira et ebrietas non sunt ex suo genere peccata mortalia, sed venialia, alioquin semper essent mortalia: ergo circumstantia facit peccatum veniale esse mortale.

2. Præter. Magister dicit 24, dist. 2, lib. sent. quod delectatio si sit morosa, est peccatum mortale: si autem non sit morosa, est peccatum veniale: sed morositas est quedam circumstantia: ergo circumstantia facit de peccato veniali mortale.

3. Præter. Plus differunt malum et bonum, quam veniale peccatum, et mortale quorum utrumque est in genere mali: sed circumstantia facit de actu bono malum, sicut patet cum aliquis dat elemosynam propter inanem gloriam: ergo multo magis potest facere de peccato veniali mortale.

Sed contra est, quod cum circumstantia sit accidens, quantitas ejus non potest excedere quantitatem ipsius actus, quam habet ex suo genere: semper enim subjectum prævenit accidenti. Si igitur actus sit ex suo genere peccatum veniale, non poterit per circumstantiam fieri peccatum mortale, cum peccatum mortale in infinitum quodammodo excedat quantitatem venialis, ut ex dictis patet.

Respon. dicendum, quod sicut supra dictum est, cum de circumstantiis ageretur, circumstantia in quantum hujusmodi, est accidens moralis actus: contingit tamen circumstantiam accipi ut differentiam specificam actus moralis, et tunc amittit rationem circumstantiæ, et constituit speciem moralis actus: hoc autem contingit in peccatis, quando circumstantia addit deformitatem alterius generis: sicut cum aliquis accedit ad non suam, est actus deformis deformitate opposita castitati, sed si accedat ad non suam, quæ est alterius uxor, additur deformitas opposita justitiæ, contra quam est, ut aliquis usurpet rem alienam. Et secundum hoc hujusmodi circumstantia constituit novam speciem peccati, quæ dicitur adulterium: impossibile est autem, quod circumstantia de peccato veniali faciat mortale, nisi afferat deformitatem alterius generis. Dicitur enim, quod peccatum veniale habet deformitatem per hoc, quod importat deordinationem circa ea quæ sunt ad finem: peccatum autem mortale habet deformitatem per hoc, quod importat deordinationem respectu ultimi finis. Unde manifestum est, quod circumstantia non potest de veniali peccato facere mortale manens circumstantia: sed solum tunc quando transfert in aliam speciem: et fit quodammodo differentia specifica moralis actus.

Ad primum ergo dicendum, quod diurnitas non est circumstantia trahens in aliam speciem, similiter nec frequentia vel assiduitas, nisi forte per accidens ex aliquo supervenienti. Non enim aliquid acquirit novam speciem ex hoc, quod multiplicatur vel protelatur, nisi forte in actu protelato vel multiplicato superveniat aliquid, quod variet speciem, puta inobedientia, vel contemptus, vel aliquid hujusmodi. Dicendum est ergo, quod cum ira sit motus animi ad nocendum proximo, si sit tale nocumentum, in quod tendit motus iræ, quod ex genere suo sit peccatum mortale, sicut homicidium vel furtum, talis ira ex genere suo est peccatum mortale: sed quod sit peccatum veniale, habet ex imperfectione actus, in quantum est motus subitus sensualitatis: si vero sit diurna, redit ad naturam sui generis, per consensum rationis. Si vero nocumentum in quod tendit motus iræ, esset veniale ex genere suo, quia cum aliquis in hoc irascitur contra aliquem, quod vult ei dicere verbum aliquod leve et jocosum, quod modicum ipsum contristet, non erit ira peccatum mortale: quantumcumque sit diurna, nisi forte per accidens, puta si ex hoc grave scandalum oriatur, vel propter aliquid hujusmodi. De ebrietate vero dicendum est, quod secundum suam rationem habet, quod sit peccatum mortale: quod enim homo absque necessitate reddat se impotentem ad utendum ratione, per quam homo in Deum ordinatur, et multa peccata occurrentia vitat, ex sola voluptate vini, expresse contrariatur virtuti: sed quod sit peccatum veniale, contingit propter ignorantiam quandam vel infirmitatem, puta cum homo nescit virtutem vini aut propriam debilitatem, unde non putat se inebriari: tunc enim non imputatur ei ebrietas ad peccatum, sed solum superbia.

dantia potus. Sed quando frequenter inebriatur, non potest per hanc ignorantiam excusari, quin videatur voluntas ejus eligere magis pati ebrietatem, quam abstinere a vino superfluo, unde redit peccatum ad suam naturam.

Ad secundum dicendum, quod delectatio morosa non dicitur esse peccatum mortale, nisi in his, quæ ex suo genere sunt peccata mortalia : in quibus si delectatio non morosa sit peccatum veniale, est ex imperfectione actus, sicut et de ira dictum est : dicitur enim ira diuturna, et delectatio morosa propter approbationem rationis deliberantis.

Ad tertium dicendum, quod circumstantia non facit de bono actu malum, nisi constituens speciem peccati, ut supra etiam habitum est.

*Prima conclusio : Nulla circumstantia manens in ratione circumstantiæ potest facere de peccato veniali mortale.*

*Secunda conclusio : Circumstantia quæ addit novam malitiæ speciem, potest transferre actum de peccato veniali in mortale : neque tunc omnino accipitur ut circumstantia, sed magis ut differentia specifica moralis actus.*

De materia hujus articuli egimus tom. præced. in animadversionibus pro art. 10 et 11, quæst. 18, ubi explicuimus, qua ratione circumstantia possit tribuere vel mutare peccati speciem. Indeque venandum est, quæ circumstantiæ possint de veniali transferre in mortale : siquidem nulla quæ speciem non mutat, potest id efficere. Ut autem mutet speciem, non est necesse, quod genus objecti varietur ; sed sufficit, quod etiam intra idem genus peccati mortalis varietur vel quantitas materiæ a levi in gravem, vel modus actus a semiplena deliberatione in omnino plenam, juxta doctrinam quam disp. præced. dub. 2, tradidimus.

#### ARTICULUS VI.

*Utrum peccatum mortale possit fieri veniale?*

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod peccatum mortale possit fieri veniale. Æqualiter enim distat peccatum veniale a mortali, et e contrario. Sed peccatum veniale fit mortale, ut dictum est : ergo etiam peccatum mortale potest fieri veniale.

2. Præter. Peccatum veniale et mortale ponuntur differre secundum hoc, quod peccans mortaliter diligit creaturam plus quam Deum, peccans autem venialiter diligit creaturam infra Deum : contingit autem, quod aliquis committens id, quod est ex genere suo peccatum mortale, diligit creaturam infra Deum : puta si aliquis nesciens fornicationem simplicem esse peccatum mortale, et contrariam divino amori, fornicetur, ita tamen quod propter divinum amorem paratus esset fornicationem prætermittere, si sciret fornicando se contra divinum amorem agere : ergo peccabit venialiter : et sic peccatum mortale potest veniale fieri.

3. Præter. Sicut dictum est, plus differt bonum a malo, quam veniale a mortali : sed actus qui est de se malus, potest fieri bonus, sicut homicidium potest fieri actus justitiæ, sicut patet in iudice qui occidit latronem : ergo multo magis peccatum mortale potest fieri veniale.

Sed contra est quod æternum nunquam potest fieri temporale : sed peccatum mortale meretur pœnam æternam : peccatum autem veniale temporalem pœnam : ergo peccatum mortale nunquam potest fieri veniale.

Respondeo dicendum, quod mortale et veniale differunt sicut perfectum et imperfectum in genere peccati, ut dictum est. Imperfectum autem per aliquam additionem potest ad perfectionem venire : unde et veniale, per hoc quod additur ei deformitas pertinens ad genus peccati mortalis, efficitur mortale : sicut cum aliquis dicit verbum otiosum, ut fornicetur. Sed id quod est perfectum, non potest fieri imperfectum per additionem et ideo peccatum mortale non fit veniale per hoc, quod additur ei aliqua deformitas pertinens ad genus peccati venialis : non enim diminuitur peccatum ejus qui fornicatur, ut dicat verbum otiosum, sed magis aggravatur propter deformitatem adjunctam. Potest tamen id quod est ex genere suo mortale, esse veniale propter imperfectionem actus, quia non perfecte pertingit ad rationem actus moralis, cum non sit deliberatus, sed subitus, ut ex dictis patet : et hoc fit per subtractionem quandam, scilicet deliberatæ rationis, et quia a ratione deliberata habet speciem moralis actus, inde est quod per talem subtractionem solvitur species.

Ad primum ergo dicendum, quod veniale differt a mortali, sicut imperfectum a perfecto, ut puer a viro. Fit autem ex puero vir : sed non convertitur. Unde ratio non cogit.

Ad secundum dicendum, quod si sit talis ignorantia, quæ peccatum omnino excuset, sicut est furiosi vel amentis, tunc ex tali ignorantia fornicationem committens, nec venialiter, nec mortaliter peccat. Si vero sit ignorantia non invincibilis, tunc ignorantia ipsa est peccatum, et continet in se defectum divini amoris, in quantum negligit homo addiscere ea, per quæ potest se in divino amore conservare.

Ad tertium dicendum, quod sicut Aug. dicit in lib. contra Mendacium : Ea quæ sunt secundum se mala, nullo fine bene fieri possunt : homicidium autem est occisio innocentis ; et hoc nullo modo bene fieri potest. Sed iudex qui occidit latronem, vel miles qui occidit hostem reipublicæ, non appellantur homicidæ, ut August. dicit in lib. de lib. arbit.

*Prima conclusio : Peccatum mortale non fit veniale per hoc quod addatur ei aliqua deformitas ad genus peccati venialis pertinens.*

*Secunda conclusio : Illud quod ex genere suo est peccatum mortale, potest reddi veniale per perfectionis subtractionem, ut si actus non sit plene deliberatus.*

Utraque hæc conclusio est satis nota ex se, et ex litera D. Thomæ. Secunda autem extendenda est ad venialia ex parvitate materiæ : nam hæc etiam fiunt talia per subtractionem et per defectum a debita quantitate, cum ex suo genere mortalia essent. De istis vero peccatis ex parvitate materiæ nihil expressit hic D. Thomas : quia supposita doctrina secundæ conclusionis circa venialia ex imperfectione actus, non opus fuit majori declaratione, ut illam doctrinam prædictis venialibus ex parvitate materiæ applicaretur.



## QUÆSTIO LXXXIX

*De peccato veniali secundum se, in sex articulos divisa.*

*Deinde considerandum est de peccato veniali secundum se. Et circa hoc quaruntur sex.*

## ARTICULUS I.

*Utrum peccatum veniale causet maculam in anima?*

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod peccatum veniale causet maculam in anima. Dicit enim August. lib. de penitentia, quod peccata venialia, si multiplicentur, decorem nostrum ita exterminant, ut a cœlestis sponsi amplexibus nos separent: sed nihil aliud est macula, quam detrimentum decoris. Ergo peccata venialia causant maculam in anima.

2. Præter. Peccatum mortale causat maculam in anima propter inordinationem actus, et affectus ipsius peccantis: sed in peccato veniali est quædam deordinatio actus et affectus: ergo peccatum veniale causat maculam in anima.

3. Præter. Macula animæ causatur ex contactu rei temporalis per amorem, ut supra dictum est: sed in peccato veniali anima inordinato amore contingit rem temporalem: ergo peccatum veniale inducit maculam in anima.

Sed contra est, quod dicitur Ephes. 5: Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam. Glos. id est, aliquod peccatum criminale. Ergo proprium peccati mortalis videtur esse, quod maculam in anima causet.

Respondeo dicendum, quod sicut ex dictis patet, macula importat detrimentum nitoris ex aliquo contactu, sicut in corporalibus patet, ex quibus per similitudinem nomen maculæ ad animam transfertur. Sicut autem in corpore est duplex nitor, unus quidem ex intrinseca dispositione membrorum et coloris: alius autem ex exteriori claritate superveniente; ita etiam in anima est duplex nitor. Unus quidem habitualis quasi intrinsecus. Alius autem actualis quasi exterior fulgor. Peccatum autem veniale impedit quidem nitorem actualem, non tamen habitualem: quia non excludit neque diminuit habitum charitatis et aliarum virtutum, ut infra patebit, sed solum impedit earum actum, macula autem importat aliquid manens in re maculata: unde magis videtur pertinere ad detrimentum habitualis nitoris, quam actualis, unde proprie loquendo, peccatum veniale non causat maculam in anima. Et si alicubi dicatur maculam inducere, hoc est secundum quid; in quantum impedit nitorem, qui est ex actibus virtutum.

Ad primum ergo dicendum, quod August. loquitur in eo casu, in quo multa peccata venialia dispositive inducunt ad mortale: aliter autem non separarent ab amplexu cœlestis sponsi.

Ad secundum dicendum, quod inordinatio actus in peccato mortali corrumpit habitum virtutis, non autem in peccato veniali.

Ad tertium dicendum, quod in peccato mortali anima per amorem contingit rem temporalem quasi finem: et per hoc totaliter impeditur influxus splendoris gratiæ, qui provenit in eos, qui Deo adhærent ut ultimo fini per charitatem: sed in peccato veniali non adhæret homo creaturæ, tanquam fini ultimo, unde non est simile.

**Prima conclusio:** *Peccatum veniale proprie loquendo non causat maculam in anima.*

**Secunda conclusio:** *Potest dici, quod peccatum veniale causat maculam secundum quid, in quantum impedit nitorem, qui est ex actibus virtutum.*

## Commentarius.

1. Nomen maculæ juxta primævam impositionem, et omnino propriam acceptio- nem, non dicitur nisi in corporalibus: quando scilicet aliquod corpus nitidum ex contactu alterius obscuri perdit suum nitorem et pulchritudinem, ut declarat D. Thomas supra quæst. 86, art. 1. Per meta-<sup>D. Thom.</sup> phoram vero et similitudinem traductum est ad animam et res spirituales: quæ dum per voluntatem et amorem inordinate adhærent rebus temporalibus, quasi obscura tangunt, contactuque hujusmodi fœdantur et obscurantur, amisso illo nitore et splendore, qui sibi inerat per gratiam et virtutes. Verum quamvis acceptio hæc *maculæ* absolute sit metaphorica et impropria: semel tamen traducta jam metaphora, in ipsis rebus spiritualibus distinguimus maculam proprie et simpliciter dictam, et maculam secundum quid et improprie dictam: quia *ly proprie*, et *ly simpliciter* non excludunt prædictam metaphoram: sed illa præsupposita, denotant, reperiri in re cui applicantur, simpliciter et sine diminutione illas rationes et condiciones ad quas significandas metaphora traducta est. E contra vero *ly improprie* et *ly secundum quid* denotant, quod adhuc supposita metaphora, non adsunt ibi prædictæ rationes et condiciones, nisi diminute et imperfecte.

Juxta hunc ergo sensum dum Theologi tractant de culpa mortali, indubitanter dicunt, causare simpliciter maculam in anima: quia simpliciter aufert gratiam et virtutes infusas, quarum nitore et pulchritudine perficiebatur: de qua macula jam diximus in comment. ad art. 1 et 2, quæst. 86. Dum vero ad venialem culpam accedunt, non ita aperte et asseveranter loquuntur: quia non tam cito apparet, quo pacto tollat ab anima aliquid pulchritudinis et nitoris, aut quam in ea maculam relinquat: cum neque tollat

gratiam aut virtutes infusas, neque earum aliquid corrumpat.

2. Sed quamvis ob hanc rationem nullus agnoscat maculam simpliciter a peccato veniali causatam; ob aliam tamen fere omnes fatentur causari ab illo maculam secundum quid: eamque sitam esse non in privatione gratiæ, sicut macula peccati mortalis, sed in carentia vel diminutione fervoris charitatis, aut in aliquo impediendo prædictum fervorem. Et quamvis D. Thom. non tam videatur hoc asserere, quam admittere (quia potius intendebat excludere a peccato veniali maculam simpliciter dictam, ut illud hoc ex capite a peccato mortali distingueret; quam examinare, an ipsum veniale aliquam maculam introducat) nequaquam tamen dubitandum est Sanctum Doctorem huic communi sententiæ suffragari. Nam eam aperte tradit in 4, dist. 16, quæst. 2, art. 2, quæstiunc. 1 ad 1, distinguens inter maculam culpæ venialis et culpæ mortalis his verbis: *Dicendum, quod macula potest esse dupliciter: uno modo per privationem pulchritudinis, et sic in veniali non manet aliqua macula, quia non tollit gratiam, quæ est animæ decor. Alio modo per hoc quod pulchritudo quæ est gratiæ, impeditur ne exterius appareat: sicut per pulverem pulchritudo faciei fœdatur: et talis macula est in veniali, quia impeditur decor gratiæ, ne in actibus exterius ostendatur.* Idem docet 3 par. quæst. 87, art. 2 ad 3, cujus verba infra referemus.

D. Thom.

3. Ratio vero cur asserenda sit hæc macula peccati venialis, est satis perspicua: nam transacto prædicto peccato quoad actum, debemus assignare aliquid, ratione cujus ille qui sic peccavit, quando sibi non dimittitur, maneat reus talis peccati, non solum reatu pœnæ, sed etiam reatu culpæ: non enim prædictum peccatum etiam quoad culpam dimittitur, aut reatus ejus tollitur per solam cessationem ab actu, ut est per se notum: quicquid autem assignaverimus pro prædicto reatu, habebit secum rationem maculæ: quia macula et reatus culpæ non separantur. Nec fieri potest, ut anima quæ deliquit, appareat omnino munda et immaculata coram Deo, quando apud ipsum tenetur rea alicujus culpæ.

Ex quo fit, prædictam maculam non posse esse ipsum actum peccati venialis, secundum quod in se formaliter existit: siquidem permanet, etiam illo transacto. Et ideo necessario debet esse aliquid habituale vel quasi habituale ex tali actu relictum, quod tandiu

permanet, quando manserit in dimissum prædictum peccatum. Quod quidem *habituale* (ob rationem statim tradendam) communiter D. Thomas explicat per ordinem ad actus, dicens esse diminutionem fervoris charitatis, et opponi ipsi charitati, non quantum ad habitum, sicut opponitur macula mortalis; sed quantum ad actus quos charitas fervens elicit et imperat.

4. Ut autem melius intelligatur, quid sit hoc habituale, et qua ratione per prædictam diminutionem fervoris charitatis declaretur, observa, quod transacto formaliter actu peccati venialis, tria tantum possunt in voluntate vel appetitu relinqui. Primo aliqua qualitas physica, quæ sit habitus vel dispositio vitiosa ad similes actus inclinans. Nam sicut actus peccati mortalis repetitus generat habitum vitii inclinantem ad similia peccata, et non repetitus saltem generat dispositionem facile mobilem; ita de actu peccati venialis possumus discurrere, juxta doctrinam quam tradidimus supra disp. 4.

Deinde possumus cogitare, quod ex peccato veniali maneat voluntas moraliter conversa et prave affecta ad objectum talis peccati, voluntarieque illi adhærens, non quidem ut fini ultimo, sed ut alicui inordinate amato citra aversionem a tali fine: quousque per actum contrarium inde revocetur. Hæc autem conversio et adhærentia moralis non est aliquid distinctum re ipsa ab entitate voluntatis et ab actu peccaminoso præterito: sed ipsa voluntas connotans talem actum ut non retractatum, adhæret seipsa prædicto objecto, et permanet ita moraliter conversa; illo vero retractato, mutataque voluntate in contrarium, evanescit talis adhærentia et conversio. Nisi velis dicere, quod prædicta adhærentia et conversio est ipsemet actus præteritus, quatenus licet physice transierit, dum tamen non retractatur, censetur moraliter permanere.

5. Tertio possumus cogitare, quod sicut naturalis inclinatio ad bonum diminuitur per peccatum mortale; non quidem ex parte subjecti, quasi ab eo aliqua entitas auferatur; sed ex parte termini per appositionem impedimenti, quo talis inclinatio redditur minus habilis, minusque expedita ad boni prosecutionem, ut explicuimus supra in comment. art. 2, quæst. 85, ita per peccata venialia diminuuntur quodammodo habitus virtutum infusarum, non ex parte entitatis, quasi aliquem gradum intensionis amittant, sed ex parte termini: quia per multiplicationem

Idem. multiplicationem prædictorum peccatorum, et per adhærentiam voluntatis ad illorum objecta tales habitus redduntur minus habiles et minus expediti ad suas operationes eliciendas : manetque eorum vis operativa veluti compressa et contracta in seipsa, ut non ita prompte et faciliter in actum prorumpat. Et hoc est quod dixit D. Thomas loquens specialiter de habitu charitatis, 3 part. quæst. 87, art. 1, ibi : *Per peccatum autem veniale retardatur affectus hominis, ne prompte in Deum feratur.* Et in 4, cit. dist. 16, quæst. 2, art. 1, quæstiunc. 2 ad 3, dicit, quod peccatum veniale obnubilat claritatem gratiæ, in quantum ejus processus ad exteriora impeditur. Permanetque hic effectus in prædictis habitibus, quousque per actus virtutum perfectiores prædicta peccata venialia retractentur, et hac retractione voluntas inde avertatur, et ad objecta honesta revocetur. Sicut in plantis et aliis viventibus vegetativis videmus, quod ad præsentiam gelu et frigoris retrahunt vim operativam, et vix vitaliter moventur, quousque adveniente solis calore, solvitur et expeditur prædicta vis, redditurque habilior ad agendum. Circa hæc tamen vide supra in commentar. cit. num. 6 et disp. 4, num. 8, ubi hanc diminutionem habituum ex parte termini, integra manente eorum entitate et intensione, magis explicuimus.

Ex modo ergo et ex ibi dictis constat ad præsens, quod per peccata venialia relinquitur in voluntate quædam diminutio virtutum (præsertim vero charitatis a qua moventur cæteræ) non quoad entitatem aut intensionem circa informationem subjecti, sed quoad habilitatem et expeditionem circa elicientiam suorum actuum : quæ quidem recte dicitur *diminutio fervoris charitatis* : quia hujusmodi fervor non attenditur potissime penes informationem subjecti etiam intensam ; sed penes promptitudinem et expeditionem, tum ad eliciendos proprios actus, tum etiam ad imperandos actus aliarum virtutum, quæ in habente gratiam non operantur nisi ex influxu et motione ipsius charitatis.

6. Habemus igitur tria relicta ex peccato veniali et manentia post ejus actum : nempe habitum et dispositionem ad similes actus inclinantem, moralem conversionem et adhærentiam voluntatis vel appetitus ad objectum talis peccati, et diminutionem fervoris seu habilitatis charitatis ad eliciendos proprios actus, et imperandum cæteris virtutibus. Ex quibus primum rejiciendum

esse a ratione maculæ, constat ex dictis disput. 17, num. 16 et 17 ; nam quæ ibi diximus ad probandum, reatum etiam peccati temporalis non posse consistere in habitu vel dispositione vitiosa, a fortiori id convincunt de macula et reatu culpæ etiam venialis.

Idem. Secundum vero non esse omnino rejiciendum, sumitur ex D. Thomæ 3 par. quæst. 77, art. 2 ad 3, ubi sic ait : *Sicut in corpore contingit esse maculam dupliciter, uno modo per privationem ejus quod requiritur ad decorem, puta debiti coloris, aut debiti proportionis membrorum, alio modo per superinductionem alicujus impediens decorem, puta, luti aut pulveris : ita etiam anime inducitur macula non modo per privationem decoris gratiæ per peccatum mortale, alio modo per inclinationem affectus inordinatam ad aliquid temporale, et hoc fit per peccatum veniale : et ideo ad tollendam maculam mortalis peccati requiritur infusio gratiæ ; sed ad tollendam maculam venialis peccati requiritur aliquis actus procedens ex gratia, per quem removeatur inordinata adhærentia ad rem temporalem.* Quibus verbis non modo indigitur prædictam moralem adhærentiam ad objectum peccati venialis remanentem post ejus actum, ut explicuimus, sed etiam insinuat, quod talis adhærentia sit illa macula, quam prædictum peccatum relinquit : sicut privatio gratiæ est macula quam relinquit mortale.

Idem. 7. Sed quamvis hoc sit probabile, probabilius tamen et conformius doctrinæ ejusdem D. Thomæ censemur consistere in illo quod tertio loco explicuimus, scilicet in diminutione charitatis quoad habilitatem et expeditionem ad eliciendos suos actus, et imperandum aliis virtutibus : quæ propter rationem nuper datam merito dicitur *privatio* aut *diminutio fervoris charitatis* : prædictam vero moralem adhærentiam potius se habere ut fundamentum inducens et conservans ipsam maculam, quam ut rationem ejus formalem et constitutivam. Tum quia D. Thomas loco nuper adducto potius dicit, prædictam adhærentiam esse illud, per quod inducitur macula peccati venialis, quam esse ipsam maculam. Tum etiam quia loco cit. ex 4, dist. 16, ubi de prædicta macula specialius agit, satis aperte ostendit, consistere in illa diminutione fervoris, qua fit, ut gratiæ et charitatis pulchritudo minus appareat in exercitio actuum. Quod etiam insinuat in præsentem, et quæst. 7 de Malo, art. 11 et aliis in locis, ubi agit de remissione pecca-

torum venialium. Nisi velis, tam illam moralem adhæSIONem, quam hujusmodi fervoris diminutionem appellari formaliter *maculam venialem*, quia utraque suo modo secundum quid animam deformat, et reddit Deo minus acceptam : illa quidem inordinate ad creaturam convertendo, ista vero a charitatis fervore et ab actuali Dei unione separando aut retardando. Sicut in ipso actu peccati tam conversio inordinata, quam privatio debitæ conversionis habet formaliter rationem malitiæ. In quo quia res est parvi momenti, non immoramur.

Habemus vero ex dictis, quod hæc macula peccati venialis quovis modo explicetur, solum est macula secundum quid : quia non fœdat animam simpliciter, neque tollit formam per quam inest ei pulchritudo, scilicet gratiam et charitatem; sed tantum obnubilat et quasi tegit, ut minus luceat in actibus : habetque se ad animam existentem in gratia, sicut ad faciem venustam pulvis, quo non nihil sordescit, nec tamen ejus pulchritudo destruitur. Quo sensu dixit S. Leo Pap. serm. 4. Quadrages. quod : *Dum per varias actiones vitæ hujus sollicitudo distenditur, necesse est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere.*

8. Alius effectus peccati est offensa Dei, quæ in ipso Deo veluti resultat, et permanet quousque per satisfactionem et gratiam remittatur. Et quidem de offensa quæ consequitur ex peccato mortali, jam diximus disp. 6, dub. 2 ; offensam vero peccati venialis, cujus ratio non ita facile deprehenditur, huic loco examinandam remisimus propter paritatem et connexionem cum materia hujus articuli. Sicut autem sola macula quæ inducitur per peccatum mortale, est talis simpliciter ; quæ vero inducitur per veniale, tantum est macula secundum quid, ita dicendum est de offensa, quia nec negari potest, quod per peccata venialia Deus aliquantulum offendatur, sicut ipsa venialia aliquid sunt contra ejus legem : nec talis offensa potest esse offensa simpliciter, cum non tollat divinam amicitiam et gratiam ; licet fervorem ejus diminuat. Et ita intelligendus est D. Thomas quæst. 7 de Mal. art. 2 ad 10, ubi ait : *Quod peccatum veniale cum non importet aversionem, proprie loquendo non habet rationem offensæ.* Addens enim *proprie loquendo* : satis insinuavit se loqui de offensa proprie et simpliciter tali, et hanc dumtaxat a peccato veniali excludere ; concedere vero illi offensam secundum quid et minus proprie dictam. Unde

neque audiendi sunt, qui omnino negant, Deum offendi per peccata venialia ; neque qui asserunt offendi simpliciter per illa : sed media via incedendo, concedenda est illis ratio offensæ secundum quid, neganda vero ratio offensæ simpliciter, sicut dictum est de macula. De quo videri potest Suarez in tract. de Peccatis disputatione 2, sectione 5, dub. 2.

9. Possunt autem circa hanc venialem offensam duo dubitari : nimirum ubi sit tanquam in subjecto, et in quo ratio ejus consistat. Ex quorum solutione dependet solutio alterius quod nonnulli inquirunt, an scilicet prædicta offensa sit simpliciter infinita, sicut est offensa mortalis ; vel potius finita et determinata ? Ad primum ergo dicendum est, offensam venialem formaliter seu passive acceptam non subjectari in peccatore offendente vel in ejus actu, sed in Deo qui offenditur per illam : eo proportionali modo quo disp. 7, dub. 2, diximus de offensa mortali. Nam prima ratio ibi facta de utraque offensa convincit. Et quamvis secunda solum procedat de mortali, a paritate tamen rationis deducitur idem debere esse subjectum offensæ venialis.

Imo ex ibidem dictis circa essentiam offensæ mortalis venanda est ratio et essentia venialis, de qua procedit secundum dubium. Utraque igitur consideranda est in Deo ad modum privationis seu læsionis, non secundum rem illatæ, sed secundum affectum peccantis intentatæ. Differunt autem, quia offensa mortalis consideratur ut privatio seu læsio simpliciter illius juris quod Deus possidet, ut ab homine pro fine ultimo habeatur, et ut talis colatur, et super omnia ametur. Dum enim is qui mortaliter peccat, præfert in suo affectu creaturam Deo, et aversus ab isto, convertitur ad illam sicut ad ultimum finem, consequenter tollit, quantum est ex parte prædicti affectus, ipsam rationem finis ultimi, privatque illum jure quod possidet, ut pro tali fine habeatur. At vero offensa venialis adhuc ex affectu peccantis non privat Deum hoc jure absolute et simpliciter, sed ad summum secundum quid : quia qui venialiter delinquit, quamvis divertatur, non tamen avertitur ab illo, neque præfert ei creaturam, neque isti tribuit rationem finis ultimi : sed sarta tectaque in Deo hac ratione, quasi diminuit et coarctat prædictum jus, ne actu extendatur ad opus venialiter peccaminosum : eo quod nullum tale opus

S. Leo.

D. Thom.

opus est actu referibile in Deum ; licet possit referri in illum habitualiter. Itaque ratio offensæ venialis sita est in quadam non extensione et veluti coarctatione divini juris et divini domini, qua fit ut opus venialiter malum non subjiciatur actu et directe prædicto dominio, nec fiat propter Deum, sed maneat extra ejus causalitatem finalem quantum ad actualem relationem, licet non quantum ad habitualementem, ut magis explicuimus in tract. de ultimo fine, disputat. 4, dub. 4.

10. Ex quo fit, prædictam offensam (etiam eo modo quo est in Deo, scilicet moraliter et ex affectu peccantis) non esse in illo ut privationem absolute et simpliciter talem alicujus divinæ perfectionis aut rationis, sed ut privationem solum secundum quid : quia non tollit ab eo absolute et simpliciter prædictum jus vel dominium ; sed hoc simpliciter et quoad substantiam (ut ita dicamus) conservato per terminationem ad omnia alia, tollit dumtaxat extensionem ad illud determinatum opus, quod est peccatum veniale. Neque adhuc quoad istud tollit simpliciter prædictam extensionem sed solum quantum ad relationem actualem, integra et illæsa permanente quantum ad habitualementem. Privatio autem quæ non tollit simpliciter aliquam formam vel perfectionem, sed solum prædicto modo coarctat illam, non potest dici privatio aut malum simpliciter, sed secundum quid.

Deinde fit, prædictam offensam non esse intrinsece et simpliciter infinitam, sicut est offensa mortalis, sed potius finitam et limitatam, atque adeo finita et limitata satisfactione ad æqualitatem compensabilem. Et ratio est quam modo tradidimus : quia privatio in qua consistit, non tollit a Deo aliquam perfectionem vel rationem infinitam, eo modo quo infinitatem exprimit ; sed impedit dumtaxat quandam ejus terminationem ad rem creatam, ut modo nostro concipiendi exprimit respectum finitum et connexionem non necessariam cum tali re. Quamvis enim prædicta terminatio ex parte formæ et in esse rei sumpta, sit ipsa divina perfectio, adeoque infinita simpliciter ; at tamen ut stat sub denominatione et munere illius terminationis, non exprimit conceptum infinitum, neque aliquid a quo ipsa perfectio quoad suam entitatem aut quoad aliquam terminationem exprimentem infinitatem dependeat. Et ideo ejus privatio prout sic non potest dici infinita simpliciter seu intrinsece, quia non privat

aliquo infinito in eo, in quo infinitatem exprimit ; sed in eo dumtaxat, quod si non esset plus quam exprimit, et plus quam privatur, non esset infinitum, sed finitum. Per quod facile evacuatur aliquæ objectiones, quæ ex præsentī doctrina poterant suboriri : quasque, Deo dante, proponemus et diluimus in tract. de Incarnatione, ubi ex professo agendum est de utraque offensa, mortali scilicet et veniali, et de incapacitate puræ creaturæ ad satisfaciendum æqualiter pro prima, secus vero pro secunda.

ARTICULUS II.

*Utrum convenienter peccata venialia per lignum, fœnum, et stipulam designentur ?*

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter peccata venialia per lignum, fœnum, et stipulam designentur. Lignum enim, fœnum et stipula, dicuntur superædificari spirituali fundamento : sed peccata venialia sunt præter spirituale ædificium, sicut etiam quælibet falsæ opiniones sunt præter scientiam ; ergo peccata venialia non convenienter designantur per lignum, fœnum et stipulam.

2. Præter. Ille qui ædificat lignum, fœnum et stipulam, sic salvus erit quasi per ignem : sed quandoque ille qui committit peccata venialia, non erit salvus etiam per ignem, puta, cum peccata venialia inveniuntur in eo qui decedit cum peccato mortali : ergo inconvenienter per lignum, fœnum, et stipulam peccata venialia designantur.

3. Præter. Secundum Apostolum, alii sunt qui ædificant aurum, argentum et lapides pretiosos, id est, amorem Dei, et proximi, et bona opera : et alii qui ædificant lignum, fœnum et stipulam : sed peccata venialia committunt etiam illi qui diligunt Deum, et proximum, et bona opera faciunt. Dicitur enim I Joann. 2: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus : ergo non convenienter designantur peccata venialia per ista tria.

4. Præter. Multo plures differentiæ et gradus sunt peccatorum venialium, quam tres : ergo inconvenienter sub his tribus comprehenduntur.

Sed contra est, quod Apostolus I ad Corinth. 3 dicit de eo qui superædificat lignum, fœnum, et stipulam, quod salvus erit quasi per ignem, et sic patietur penam, sed non æternam : reatus autem pœnæ temporalis proprie pertinet ad peccatum veniale, ut dictum est : ergo per illa tria significantur peccata venialia.

Respon. Dicendum, quod quidam intellexerunt fundamentum esse fidem informem, super quam aliqui ædificant bona opera, quæ figurantur per aurum, argentum, et lapides pretiosos : quidam vero peccata etiam mortalia, quæ figurantur secundum eos per lignum, fœnum, et stipulam. Sed hæc expositionem improbat Augustinus in libro de fide et operibus : quia ut Apostolus dicit ad Galatas quinto : Qui opera carnis facit, regnum Dei non consequetur, quod est, salvum fieri. Apostolus autem dicit, quod ille qui ædificat lignum, fœnum, et stipulam salvus erit quasi per ignem : unde non potest intelligi quod per lignum, fœnum et stipulam peccata mortalia designentur. Dicunt ergo quidam, quod per lignum, fœnum, et stipulam significantur opera bona, quæ superædificantur quidem spirituali ædificio, sed commiscet se eis peccata venialia : sicut cum aliquis habet curam rei familiaris, quod bonum est, commiscet se superfluis amor vel uxoris vel filiorum vel possessionum, sub Deo tamen, ita scilicet quod pro his homo nihil vellet facere contra Deum. Sed hoc iterum non videtur convenienter dici. Manifestum est enim quod omnia opera bona referuntur ad charitatem Dei, et proximi : unde pertinetur ad aurum, argentum, et lapides pretiosos : non ergo ad lignum, fœnum, et stipulam. Et ideo dicendum est, quod peccata venialia, quæ admiscet se procurantibus terrena, significantur per lignum, fœnum, et stipulam. Sicut enim hujusmodi congregantur in domo, et non pertinent ad substantiam ædificii,

et possunt comburi a deficio remanente : ita etiam peccata venialia multiplicantur in homine, manente spirituali edificio, et pro istis patitur ignem vel temporalis tribulationis in hac vita, vel purgatorii post hanc vitam, et tamen salutem consequitur aeternam.

Ad primum ergo dicendum, quod peccata venialia non dicuntur superaedificari spirituali fundamento, quasi directe supra ipsum posita : sed quia ponuntur juxta ipsum : sicut accipitur Psalm. 136 : Super flumina Babylonis, id est, juxta, quia peccata venialia non destruunt spirituale aedificium, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod non dicitur de quocunque aedificante lignum, fœnum, et stipulam, quod salvus sit quasi per ignem : sed solum de eo qui aedificat supra fundamentum, quod quidem non est fides informis, ut quidam aestimabant, sed fides formata charitate, secundum illud Ephes. 3 : In charitate radicati et fundati. Ille ergo qui deccedit cum peccato mortali et venialibus, habet quidem lignum, fœnum, et stipulam, sed non sunt superaedificata supra fundamentum spirituale : et ideo non erit salvus sic quasi per ignem.

Ad tertium dicendum, quod illi qui sunt abstracti a cura temporalium rerum, et si aliquando venialiter peccent, tamen levia peccata venialia committunt, et frequentissime per fervorem charitatis purgantur. Unde tales non superaedificant venialia, quia in eis modicum manent : sed peccata venialia ipsorum qui circa terrena occupantur, diutius manent, quia non ita frequenter recurrere possunt ad huiusmodi peccata venialia delenda per charitatis fervorem.

Ad quartum dicendum, quod sicut Philosophus dicit in primo de cœlo: Omnia tribus includuntur, scilicet principio, medio, et fine : et secundum hoc omnes gradus peccatorum venialium ad tria reducuntur, scilicet ad lignum, quod diutius manet in igne : ad stipulam, quæ citissime expeditur : ad fœnum, quod medio modo se habet, secundum quod peccata venialia sunt majoris vel minoris adhaerentiæ vel gravitatis, citius vel tardius per ignem purgantur.

### Conclusio est affirmativa.

Istum articulum movit D. Thomas, ut exponeret locum Apostoli I ad Corinth. 3, cujus fit mentio in argumento, *Sed contra*. Eiusque occasione tradit doctrinam satis utilem pro distinctione et cognitione peccatorum venialium, ita tamen perspicuam et facilem, ut nec disputatione, nec commentario indigeat.

### ARTICULUS III.

#### *Utrum homo in statu innocentie potuerit peccare venialiter ?*

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod homo in statu innocentie potuerit peccare venialiter : quia super illud I ad Timoth. 2 : Adam non est seductus, dicit Glos. Inexpertus divine severitatis in eo falli potuit, ut crederet veniale esse commissum : sed hoc non credidisset, nisi venialiter peccare potuisset : ergo venialiter peccare potuit, non peccando mortaliter.

2. Præter August. dicit 11 super Gen. ad litteram : Non est arbitrandum quod esset hominem dejecturus tentator, nisi præcessisset in anima hominis quedam elatio comprimenda : elatio autem dejectionem præcedens, quæ facta est per peccatum mortale, non potuit esse nisi peccatum veniale. Similiter etiam in eodem August. dicit, quod virum sollicitavit aliqua experiendi cupiditas, cum mulierem vidisset sumpto vetito pomò non esse mortuam. Videtur enim fuisse in Eva aliquis infidelitatis motus in hoc, quod de verbis Domini dubitavit, ut patet per hoc quod dixit : Ne forte moriamur, ut habetur Gen. 3; hæc autem videntur venialia peccata : ergo homo potuit venialiter peccare, antequam mortaliter peccaret.

3. Præter. Peccatum mortale magis opponitur integritati primi status, quam peccatum veniale : sed homo potuit peccare

mortaliter non obstante integritate primi status : ergo etiam potuit peccare venialiter.

Sed contra est, quod cuilibet peccato debetur aliqua pena : sed nihil penale esse potuit in statu innocentie, ut August. dicit 14 de Civit. Dei : ergo non potuit peccare aliquo peccato, quo non eieceretur ab illo integritatis statu : sed peccatum veniale non mutat statum hominis : ergo non potuit peccare venialiter.

Respon. Dicendum, quod communiter ponitur, quod homo in statu innocentie non potuit venialiter peccare. Hoc etiam non est sic intelligendum, quasi id quod nobis est veniale, si ipse committeret, esset sibi mortale propter altitudinem sui status. Dignitas enim personæ est quedam circumstantia aggravans peccatum, non tamen transfert in aliam speciem, nisi forte superveniente deformitate inobedientiæ, vel voti, vel alicujus hujusmodi : quod in proposito dici non potest. Unde quod est de se veniale, non potuit transferri in mortale, propter dignitatem primi status. Sic ergo intelligendum est, quod non potuit peccare venialiter, quia non potuit esse, ut committeret aliquid quod esset de se peccatum veniale, antequam integritatem primi status amitteret peccando mortaliter. Cujus ratio est, quia peccatum veniale in nobis contingit, vel propter imperfectionem actus, sicut subiti motus in genere peccatorum mortalium : vel propter inordinationem existentem circa ea quæ sunt ad finem, servato debito ordine ad finem. Utrumque autem horum contingit propter quandam defectum ordinis ex eo, quod inferius non continetur firmiter sub superiori. Quod enim in nobis insurgat subitus motus sensualitatis, contingit ex hoc quod sensualitas non est omnino subdita rationi. Quod vero insurgat subitus motus in ratione ipsa, provenit in nobis ex hoc, quod ipsa excentio actus rationis non subditur deliberationi, quæ est ex altiori bono, ut supra dictum est. Quod vero humanus animus inordinetur circa ea quæ sunt ad finem, servato debito ordine ad finem, provenit ex hoc, quod ea quæ sunt ad finem, non ordinantur infallibiliter sub fine, qui tenet summum locum quasi principium in appetibilibus, ut supra dictum est. In statu autem innocentie, ut in primo habitum est, erat infallibilis ordinis firmitas, ut semper inferius contineretur sub superiori, quamdiu summum hominis contineretur sub Deo, ut etiam August. dicit 14 de Civit. Dei : et ideo oportebat quod inordinatio in homine non esset, nisi inciperet ab hoc, quod summum hominis non subderetur Deo, quod fit per peccatum mortale. Ex quo patet quod homo in statu innocentie non potuit peccare venialiter, antequam peccaret mortaliter.

Ad primum ergo dicendum, quod veniale non sumitur ibi secundum quod nunc de veniali loquimur, sed dicitur veniale quod est facile remissibile.

Ad secundum dicendum, quod illa elatio, quæ præcessit in animo hominis, fuit primum hominis peccatum mortale : dicitur autem præcessisse dejectionem ejus in exteriorem actum peccati. Huiusmodi autem elationem subsequuta est et experiendi cupiditas in viro et dubitatio in muliere, quæ ex hoc solo in quandam aliam elationem prorupit, quod præcepti mentionem a serpente audivit, quasi nollet sub præcepto contineri.

Ad tertium dicendum, quod peccatum mortale in tantum opponitur integritati primi status, quod corrumpit ipsum, quod peccatum veniale facere non potest. Et quia non potest simul esse quæcumque inordinatio cum integritate primi status, consequens est quod primus homo non potuerit peccare venialiter, antequam peccaret mortaliter.

### Conclusio est negativa.

#### Commentarius.

1. Doctrina et resolutio hujus art. tempore D. Thom. communis erat, ut ipse in præsentem et alibi testatur. Quamvis Gulielm. Antisiodor. qui D. Thom. præcessit, pro contraria opinione referatur lib. 2 sum. tract. 10, c. 3 et 4, quam postea sequuti sunt Scot. in 2, dist. 21, q. 1. Gabriel Guillem. Antis. Scotus Gabriel ibid.

Almain. tract. 3 moral. c. 21 et 22. Suar. tract. de peccatis disp. 2, sect. 7 et alii. Verissima tamen est et semper communior sententia D. Thomæ, quam tuentur omnes ejus discipuli : tum in 2, dist. 21, ubi Capreol. et Hispal. tum etiam in præsentî articulo, ubi Conrad. Cajet. Medina, Alvar. Curiel. Zumel. Montes. Gregor. Mart. et alii : quibus etiam subscribunt, alios referentes Vasq. disp. 148, art. 2, et Salas disp. 17, sect. 3. Convincitur autem duplici ratione D. Thomæ : quarum prima desumpta ex August. lib. 14 de civit. Dei, habetur in argum. *Sed contra.* Cum enim status ille innocentiae esset status omnimodæ perfectionis et felicitatis, nullum malum sive culpæ sive pœnæ erat cum eo compossibile : unde peccatum quod ab homine tunc committi poterat, debebat esse talis conditionis, ut per illud prædictus status deperderetur, nec non deperditus maneret simul cum tali malo : non autem poterat deperdi per peccatum dumtaxat veniale, quia neque istud dignum esset tam acerba pœna, neque attingeret superiorem partem hominis, ubi residebat originalis justitia : ergo nec tale peccatum committi poterat ab homine existente in statu illo, priusquam committeretur aliquod mortale per quod amitteretur.

Thom. 2. Secunda ratio habetur in corp. art. et latius q. 7 de Mal. art. 7, et in 2, dist. 21, q. 2, et art. 3, ex quibus locis sequentem discursum depromimus. Etenim in statu innocentiae ita erant in homine omnia ordinata, ut quaelibet pars inferior immobiliter teneretur sub sua superiori, quandiu suprema ejus pars teneretur immota sub Deo : hæc quippe erat felicitas et perfectio illius status, ut nulla corporis dispositio extraheret ipsum a dominio et obedientia animæ, neque appetitus sensitivus extraheretur ab imperio rationis, neque ratio inferior, quæ est suprema pars hominis per humilitatem et amorem maneret Deo subordinata : atque adeo quilibet motus et quaelibet affectio sive bona sive mala debebat a prædicta ratione superiori inchoari, et circa ejus objectum primo versari : cumque objectum superioris rationis sit Deus et ultimus finis, circa quem quilibet inordinatus affectus est ex genere suo peccatum mortale, et destructivum illius status, oportuit ut ante hujusmodi peccatum nulla posset reperiri ibi inordinatio circa quodcunque aliud objectum, ac proinde neque peccatum aliquod veniale.

At dicunt aliqui, ex vi hujus rationis excludi a prædicto statu peccata venialia ex imperfecta deliberatione, quia hæc non contingunt, nisi cum appetitus sensitivus antevertit rationem, et ejus judicium perturbat, cui defectui non erat ibi locus propter perfectam continentiam appetitus sub ratione. At vero peccata venialia ex genere vel ex parvitate materiæ non excluduntur per prædictam rationem, quia talia peccata possent ante omnem surreptionem et motum appetitus sensitivi a judicio rationis imperari.

3. Sed hæc evasio satis emanescit ex illis quæ diximus supra disp. 16, n. 159, quia in prædicto non erat sola ordinatio appetitus sensitivi sub ratione, sed etiam in ipsa ratione et parte rationali pars seu ratio inferior, cujus objectum sunt res temporales, erat plene subdita parti et rationi superiori, cujus objectum sunt rationes æternæ : ut explicuimus sup. q. 74, a. 6 et 7. Unde sicut propter perfectam subordinationem appetitus sensitivi ad rationem, nullus inordinatus motus vel actus poterat ab ipso appetitu, vel ab ejus perturbatione inchoari, quin prius a judicio et imperio rationis procederet, et in ordine ad objectum ipsius rationis : ita propter similem subordinationem rationis inferioris ad superiorem, nullus inordinatus actus provenire poterat ab ipsa ratione inferiori circa suum objectum, nisi ratio superior circa objectum suum deordinaretur, et a rectitudine illius deficeret. Porro objecta circa quæ possunt contingere peccata venialia ex genere, solum sunt res temporales, adeoque objectum inferioris rationis : peccata vero quæ possunt contingere circa objectum rationis superioris, omnia sunt ex genere suo mortalia, quia circa rationes æternas nullus est defectus qui ex genere suo non contrarietur fini ultimo et ab illo avertat. Quinimo circa ipsas rationes æternas non posset deficere prædicta ratio, nisi deviando prius a potissima illarum, quæ est ultimus finis particularis : manente enim hujus finis recta intentione, nihil poterat judicium rationis approbare, nisi quod tali fine congrueret, cui nihil inordinatum congruit. Per quod excluduntur etiam venialia ex parvitate materiæ : quia circa intentionem finis ultimi nulla est materiæ parvitas. Vide superius cit. disp. 16, n. 159.

4. Quamvis autem D. Thomas in hoc art. totum hoc quoad substantiam comprehenderit, expressius tamen id tradit in 2, dist. 21,

D. Thom. q. 2, art. 3, ubi sic ait : *Talis erat primi status rectitudo, ut superior pars rationis Deo subjiceretur, cui subjicerentur inferiores vires, quibus subjiceretur corpus : ita quod prima subjectio erat causa secundæ, et sic deinceps : manente autem causa, maneret effectus : unde sicut quandiu homo erat subditus Deo nihil in corporis partibus contingere poterat contrarium animæ, ita etiam nihil in viribus animæ contingere poterat, quod superior ratio non ordinaret in Deum quod autem in Deum recte ordinatum est, veniale peccatum non est, et ita veniale peccatum in primo statu contingere non poterat, sicut nec mors, nisi prius ordo mentis ad Deum tolleretur, quod sine peccato mortali fieri non potuit.*

Idem. Tum etiam Quæst. 7 de Mal. art. 7, ubi addit majorem hujus doctrinæ explicationem, et solvit præcipuam objectionem, quæ contra illam poterat efformari, his verbis : *Sed quia etiam in superiori ratione contingit esse peccatum veniale secundum præmissa, posset alicui videri, quod saltem illud veniale peccatum in statu innocentix in Adam esse potuit. Sed et in hoc eadem ratio invenitur, si quis diligenter consideret. Nam cum potentix distinguantur secundum objecta, secundum ordinem objectorum est etiam ordo potentiarum. Contingit autem in objectis rationis esse ordinem superioris et inferioris et in speculativis et practicis. Sicut enim principium indemonstrabile est supremum in speculandis, ita finis se habet in operabilibus : unde quandiu superior ratio hominis bene se habuisset circa finem, nullo modo deficere potuisset circa ea quæ sunt ad finem, propter indefectibilem ordinem inferiorum ad superiora secundum conditionem illius status. Sicut et in speculativis quandiu homo habet rectam existimationem circa principia, nisi sit defectus in connexionione principiorum ad conclusiones, non poterit aliquis defectus incidere circa conclusiones. Manifestum est autem ex supradictis quod peccatum mortale est per aversionem a fine, peccatum autem veniale est inordinatio quædam circa ea quæ sunt ad finem : unde impossibile erat hominem in statu innocentix peccare prius venialiter, quam mortaliter. Videatur Ang. Doctor toto illo art. 7, ubi proponit et solvit omnia argumenta, quæ in contrarium facere videntur, pluraque alia : a quibus proinde referendis abstinemus.*

## ARTICULUS IV.

*Utrum Angelus bonus vel malus possit peccare venialiter?*

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod Angelus bonus vel malus possit venialiter peccare. Homo enim cum Angelis convenit in superiori animæ parte, quæ mens vocatur : secundum illud Gregor. in homil. Homo intelligit cum Angelis : sed homo secundum superiorem partem animæ potest peccare venialiter : ergo et Angelus.

2. Præ. Quicumque potest quod est plus, potest etiam quod est minus : sed Angelus potuit diligere bonum creatum plus quam Deum, quod fecit peccando mortaliter : ergo etiam potuit bonum creatum diligere infra Deum ordinate, venialiter peccando.

3. Præ. Angeli mali videntur aliqua facere, quæ sunt ex genere suo venialia peccata, provocando homines ad risum, et ad alias hujusmodi levitates : sed circumstantia personæ non facit de veniali mortale, ut dictum est, nisi speciali prohibitione superveniente, quod non est in proposito : ergo Angelus potest peccare venialiter.

Sed contra est, quod major est perfectio Angeli, quam perfectio hominis in primo statu : sed homo in primo statu non potuit peccare venialiter : ergo multo minus Angelus.

Respon. Dicendum, quod intellectus Angeli, sicut in primo dictum est, non est discursivus, ut scilicet procedat a principiis in conclusiones seorsum utrumque intelligens, sicut in nobis contingit : unde oportet quod quodcumque considerat conclusiones, consideret eas prout sunt in principiis. In appetibilibus autem, sicut multoties dictum est, fines sunt sicut principia : ea vero quæ sunt ad finem, sunt sicut conclusiones : unde mens Angeli non fertur in ea quæ sunt ad finem, nisi secundum quod stant sub ordine finis : propter hoc ex natura sua habent, quod non possit in eis esse deordinatio circa ea quæ sunt ad finem, nisi simul sit deordinatio circa finem ipsum, quod est per peccatum mortale. Sed Angeli boni non moventur in ea quæ sunt ad finem, nisi in ordine ad finem debitum, qui est Deus : et propter hoc omnes eorum actus sunt actus charitatis, et sic in eis non potest esse peccatum veniale. Angeli vero mali in nihil moventur, nisi in ordine ad finem peccati superbia ipsorum : et ideo in omnibus peccant mortaliter quæcumque propria voluntate agunt. Secus autem est de appetitu naturalis boni, qui est in eis, ut in primo dictum est.

Ad primum ergo dicendum, quod homo convenit quidem cum Angelis in mente sive in intellectu : sed differt in modo intelligendi, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod Angelus non potuit minus diligere creaturam quam Deum, nisi simul referens eam in Deum, sicut in ultimum finem, vel aliquem finem inordinatum, ratione jam dicta.

Ad tertium dicendum, quod omnia illa quæ videntur esse venialia demones procurant, ut homines ad sui familiaritatem attrahant, et sic deducant eos in peccatum mortale : unde in omnibus mortaliter peccant propter intentionem finis.

*Conclusio : Neque in Angelis bonis, neque in malis potest esse peccatum veniale : quia boni semper moventur ex fine charitatis, et sic in omnibus bene operantur : mali vero semper moventur ex fine suæ superbix, et ita in omnibus quæ libere agunt, peccant mortaliter.*

*Commentarius.*

Quamvis ratio D. Thomæ pro hac conclusione aliquibus neotericis minus firma videatur ; recte tamen considerantibus efficacissima apparet. Nam quod omnes actus voluntatis angelicæ ex actuali intentione ultimi finis particularis procedant, debeantque



que proinde participare bonitatem vel malitiam talis finis, satis convincitur, tam ex paritate, qua utitur S. Doctor ad actus angelici intellectus, et ad prima ejus principia. Tum etiam ex actualitate et immaterialitate ipsius Angeli. Sicut enim in nobis, quia intellectus et voluntas sunt valde potentiales, et in infimo spiritualitatis gradu, incipit cognitio et volitio a communioribus et potentialibus, nec semper ea actu cognoscimus vel appetimus, sed quandoque in actu, quandoque solum in potentia, indeque per discursum et applicationem, ad magis actualia et specialia descendimus: ita quia Angelus et ejus potentiæ sunt valde actuales et immateriales, debet eorum cognitio et volitio initium sumere a rationibus magis actualibus, et magis determinatis, ejus tamen efficaciam et virtutis, ut possint inde seipsos ad alia applicare et movere: quo pacto se habet finis ultimus particularis, quem semel omnimoda libertate eligunt. Debent igitur in hujusmodi finis cognitione et volitione semper actu persistere, et exinde in reliquas operationes moveri. Quæcunque autem volitio vel operatio orta ex actuali intentione ultimi finis particularis contrahit necessario moralitatem talis finis, atque adeo vel bonitatem charitatis, si finis sit Deus, ut in bonis Angelis, vel malitiam superbiæ, si finis sit superbiæ objectum, ut in dæmonibus. Nec necesse habemus latius hic confirmare hujusmodi doctrinam, quia in tract. de Angelis disp. 10 et 11, plura diximus, quæ efficaciter persuadent, eam esse conditionem angelicæ naturæ, quam modo explicuimus.

Notanda vero est disparitas inter rationes hujus et præcedentis articuli: nam homini in statu innocentiam negatur facultas ad delinquendum venialiter, ex eo quod ibi non poterat committere illa quæ sunt ex genere suo peccata venialia: si namque hæc committeret, proculdubio venialiter delinqueret. Angelo vero non ideo negatur prædicta facultas, quasi talia venialia (loquendo de Angelo malo) committere non possit; sed quia quæcumque committat, redduntur mortalia ex modo illa committendi, et ex fine, propter quem committuntur. Nota etiam quod D. Thom. solum applicat suam doctrinam Angelis qui ad supernaturalem finem fuerunt elevati, quique vel per peccatum lapsi sunt, vel per charitatem in Dei amicitia permanserunt: quia de facto nullus est qui ad istorum vel illorum numerum non pertineat. Si autem

velimus quæstionem extendere ad casum, quo Deus crearet aliquos Angelos in solis suis naturalibus, et sine prædicta elevatione, etiam tenenda est pars negativa: quia Angelus sic conditus neque mortaliter neque venialiter peccare posset: ut ostendimus in prædicto tract. de Angelis, disput. 9, dub. 3.

## ARTICULUS V.

*Utrum primi motus sensualitatis in infidelibus sint peccata mortalia?*

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod primi motus sensualitatis in infidelibus sint peccata mortalia. Dicit enim Apostolus ad Roma. 8, quod nihil est damnationis his, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant, et loquitur ibi de concupiscentia sensualitatis, ut ex præmissis apparet: hæc ergo causa est quare concupiscere non sit damnabile his, qui non secundum carnem ambulant, consentiendo scilicet concupiscentiæ, quia sunt in Christo Jesu: sed infideles non sunt in Christo Jesu: ergo in infidelibus est damnabile: primi igitur motus infidelium sunt peccata mortalia.

2. Præter. Anselm. dicit in lib. de gratia et lib. arb. Qui non sunt in Christo sentientes carnem, sequuntur damnationem etiamsi non secundum carnem ambulant: sed damnatio non debetur nisi peccato mortali: ergo cum homo sentiat carnem secundum primum motum concupiscentiæ, videtur quod primus motus concupiscentiæ in infidelibus sit peccatum mortale.

3. Præter. Anselm. dicit in eod. lib. Sic est factus homo, ut concupiscentiam sentire non deberet: hoc autem debitum videtur homini remissum per gratiam baptismalem, quam infideles non habent: ergo quocumque infidelis concupiscit, etiamsi non consentiat, peccat mortaliter contra debitum faciens.

Sed contra est, quod dicitur Actuum 10: Non est personarum acceptor Deus: quod ergo uni non imputat ad damnationem, nec alteri: sed primos motus fidelibus non imputat ad damnationem: ergo etiam nec fidelibus.

Respon. Dicendum, quod irrationabiliter dicitur, quod primi motus infidelium sint peccata mortalia, si eis non consentiatur: et hoc patet dupliciter. Primo quidem quia ipsa sensualitas non potest esse subjectum peccati mortalis, ut supra est habitum: est autem eadem natura sensualitatis in infidelibus et fidelibus: unde non potest esse, quod solus motus sensualitatis in infidelibus sit peccatum mortale. Alio modo ex statu ipsius peccantis: nunquam enim dignitas personæ dimittit peccatum, sed magis auget, ut ex supra dictis patet: unde neque peccatum est minus in fidei, quam in infidei, sed multo majus. Nam et infidelium peccata magis merentur veniam propter ignorantiam, secundum illud 1 ad Timoth. 1: Misericordiam Dei consequutus sum, quia ignorans feci in incredulitate mea: et peccata fidelium aggravantur propter gratiæ sacramenta, secundum illud Hebr. 10: Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui sanguinem Testamenti, in quo sanctificatus est, pollutum duxerit.

Ad primum ergo dicendum, quod Apostolus loquitur de damnatione debita peccato originali, quæ aufertur per gratiam Jesu Christi, quamvis maneat concupiscentiæ fomes: unde hoc quod fideles concupiscunt, non est in eis signum damnationis originalis peccati, sicut est in infidelibus. Et hoc etiam modo intelligendum est dictum Ans. Unde patet solutio ad secundum.

Ad tertium dicendum, quod illud debitum non concupiscendi, erat per originalem justitiam: unde id quod opponitur tali debito, non pertinet ad peccatum actuale, sed ad peccatum originale.

*Conclusio est negativa.*

Quamvis tempore D. Thomæ non defuerint qui in infidelibus etiam primos sensualitatis motus (supposita gravitate objecti) ad mortalem culpam damnaverint, indeque occasionem sumpserit S. Doctor ad instituendum præsentem articulum, ut contrariam veritatem demonstraret; modo tamen nullus est qui ab ejus doctrina recedat, aut eam in quæstionem deducat. Est tamen circa motus sensualitatis non deliberatos non levis difficultas, an omnes sive in fidelibus, sive in infidelibus sint peccata venialia; vel potius dentur aliqui ita primo primi et deliberationis expertes, ut etiam a prædicta malitia excusentur? Tenendum vero esse hoc posterius, ostendimus supra disp. 10, dub. 3.

## ARTICULUS VI.

*Utrum peccatum veniale possit esse in aliquo cum solo originali?*

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod peccatum veniale possit esse in aliquo cum solo originali. Dispositio enim præcedit habitum: sed veniale est dispositio ad mortale, ut supra dictum est: ergo veniale in infideli, cui non remittitur originale, invenitur ante mortale: et sic quandoque infideles habent peccata venialia cum originali sine mortalibus.

2. Præter. Minus habet de connexionione et convenientia veniale cum mortali, quam mortale peccatum cum mortali: sed infidelis subjectus originali peccato potest committere unum peccatum mortale, et non aliud: ergo potest committere peccatum veniale et non mortale.

3. Præter. Determinari potest tempus in quo puer primo potest esse actor peccati actualis, ad quod tempus cum pervenerit, potest ad minus per aliquod breve spatium stare, quin peccet mortaliter, quia hoc etiam in maximis sceleratis contingit. In illo autem spatio quantumcumque brevi potest peccare venialiter: ergo peccatum veniale potest esse in aliquo cum originali peccato absque mortali.

Sed contra est, quia pro peccato originali puniuntur homines in limbo puerorum, ubi non est pœna sensus, ut infra dicitur. In inferno autem detruduntur homines propter solum peccatum mortale: ergo non erit locus, in quo possit puniri ille, qui habet peccatum veniale cum originali solo.

Respon. Dicendum, quod impossibile est, quod peccatum veniale sit in aliquo cum originali peccato absque mortali. Cujus ratio est, quia antequam annos discretionis perveniat, defectus ætatis prohibens usum rationis, excusat eum a peccato mortali: unde multo magis excusat eum a peccato veniali, si committat aliquid, quod sit ex genere suo tale. Cum vero usum rationis habere incœperit, non omnino excusatur a culpa venialis et mortalis peccati, sed primum, quod tunc homini cogitandum occurrit, est deliberare de seipso: et si quidem seipsum ordinaverit ad debitum finem, per gratiam consequetur remissionem originalis peccati. Si vero non ordinet seipsum ad debitum finem, secundum quod in illa ætate est capax discretionis, peccabit mortaliter, non faciens quod in se est, et ex tunc non erit in eo peccatum veniale sine mortali, nisi postquam totum fuerit sibi per gratiam remissum.

Ad primum ergo dicendum, quod veniale non est dispositio ex necessitate præcedens mortale, sed contingenter: sicut quandoque labor disponit ad febrem, non autem sicut calor disponit ad formam ignis.

Ad secundum dicendum, quod non impeditur peccatum veniale esse simul cum solo originali propter distantiam ejus, vel convenientiam, sed propter defectum usus rationis, ut dictum est.

Ad tertium dicendum, quod ab aliis peccatis mortalibus

potest puer incipiens habere usum rationis, per aliquod tempus abstinere; sed a peccato omissionis prædictæ non liberatur, nisi quam cito potest se convertat ad Deum. Primum enim quod occurrit homini discretionem habenti, est quod de seipso cogitet, ad quem alia ordinet sicut ad finem. Finis enim est prior in intentione, et ideo hoc est tempus pro quo obligatur ex Dei præcepto affirmativo, quo Dominus dicit: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos, Zachariæ primo.

Conclusio: *Impossibile est quod peccatum veniale sit in aliquo cum solo originali peccato sine alio peccato mortali.*

## DISPUTATIO XX.

*De impossibilitate peccati venialis cum solo originali.*

I. Resolutio hujus postremæ difficultatis, qua D. Thomas toti præsentis materiæ finem imponit, multis visa est difficilis, et aliquibus extraneis ab ejus schola minime probatur: cum propter id quod supponit de præcepto conversionis in Deum, ubi homo primo pervenit ad usum rationis: tum propter aliud quod ex tali præcepto deducit, videlicet non posse hominem ad rationis usum pervenientem, prius peccare venialiter, quam vel prædictum præceptum adimpleat, et adimplendo justificetur, vel voluntarie omittat adimplere, eaque omissione mortaliter delinquat: quo fit ut cum pervenerit ad peccandum venialiter, vel exuerit jam peccatum originale media prædicta conversione, atque adeo non sint simul talia peccata; vel commiserit aliquod peccatum mortale, cum quo et non cum solo originali peccatum veniale simul existat. Non enim prædicti auctores satis percipiunt aut veritatem antecedentis, aut illationis bonitatem. Discipuli vero D. Thomæ et ejus fideles interpretes utramque libenter suscipiunt: quia utramque vident hoc loco firmiter assertam, et alibi multoties ab eo repetitam. Meritoque a Thomistarum classe eum rejiciendum putant, qui a vestigiis S. Doctoris hac in parte recesserit. Ut autem in prædicta difficultate distinctius procedamus, duplex dubium instituemus: in quorum primo existentiam et conditionem prædicti præcepti, in secundo vero illationem D. Thomæ et conclusionem præsentis articuli radicis examinare curabimus.

## DUBIUM I.

*Utrum quilibet homo perveniens ad usum rationis teneatur statim sub culpa mortali in Deum se convertere: et qualis debeat esse ista conversio?*

Præceptum conversionis in Deum, de quo quærit dubium, idem est ac præceptum dilectionis ipsius, non qualiscunque, sed efficacis et super omnia: quia neque voluntas aliter in Deum convertitur, quam amando et diligendo ipsum: neque alius amor quam efficax et super omnia potest ad intentum præsentis disputationis deservire, ut ex dicendis constabit. An vero debeat esse amor Dei expressus, vel solum implicitus, naturalis, vel supernaturalis, naturæ, aut gratiæ viribus eliciendus, non potest hic supponi, sed in secunda dubii parte examinari: ubi etiam quod modo supponimus de amore efficaci et super omnia, magis constabit.

## § I.

*Dicitur prima pars dubii pro sententia Ang. Doctoris.*

2. Dicendum est primo, omnem hominem ad usum rationis pervenientem teneri statim sub culpa mortali convertere se in Deum, diligendo illum efficaciter et super omnia, prout est capax in illa ætate. Hæc assertio est D. Th. in præsentis articulo, ubi ita palam loquitur, ut nulla ratione possit ejus mens in dubium revocari. Eandemque statuit in 2, dist. 28, q. 1, art. 3 ad 5, et dist. 42, q. 1, art. 5 ad 7, et in 4, dist. 45, q. 1, art. 3 ad 6, de Mal. q. 5, art. 2 ad 8, et q. 7, art. 10 ad 8, de Verit. q. 24, art. 12 ad 2, et q. 28, art. 3 ad 4, aliisque in locis. Quem propterea sequuntur unanimiter ejus discipuli, Capreol. in 2, dist. 40, q. 1, art. 3, ad argum. Scoti, D. Anton. 1 part. tit. 13, cap. 2, § 3, Conradus, Cajet. Medina in commentariis hujus artic. ubi etiam Curiel dub. 2, Greg. Mart. dub. 1, Araujo dub. 2, Alvarez disp. 191, Zumel disp. 2, part. 2, concl. 3, Montes. disp. 18, q. 2, Silvester in sum. verb. *Oratio*, Sotus de just. et jur. q. 3, art. 10, Victoria relect. 13, de puero perven. ad usum rat. Bannez 2, 2, q. 10, dub. 2. Atque idem tenere Vincentius in specul. moral. dist. 21, par. 3, dub. 6, Abulens. super cap. 25, Matth. q. 749, Dionys. Carthus. in 2, dist. 28, Navar. in Manuali cap. 11, n. 7, Martin. de Ledesma 1 par. 4, q. 28, Tolet.

lib. 4 sum. c. 9, n. 9, Ludovic Lopez, 1 par. instructorii cap. 40, Corduba lib. 2, quæst. 5 ad 4, Vega super Concil. Trident. lib. 9, cap. 42, Manuel Rodrig. tom. 1 sum. in 2 editione cap. 11, Ægidius Trull. tom. 1 super Decalog. lib. 1, cap. 5, num. 3 et alii.

Probatum primo ex sacra Scriptura, tum ex illo Zachar. 1: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.* Quod Ang. Doctor in solut. ad 3 hujus art. ita ad præsens inducit: *Primum quod occurrit homini discretionem habenti, est quod de seipso cogitet, ad quem alia ordinet sicut ad finem: finis enim est prior in intentione: et ideo hoc est tempus (tempus scilicet primæ discretionis) pro quo obligatur ex Dei præcepto affirmativo quo Dominus dicit. Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.* Zach. 1. Tum etiam ex illo Matth. 6: *Quærite primo regnum Dei, et justitiam ejus, etc.* Quod testimonium assumpsit ad idem S. Doctor q. 7 de Malo, art. 10 ad 9, his verbis: *Licet præcepta affirmativa communiter loquendo non obligent ad semper: tamen ad hoc est homo naturali lege obligatus, ut primo sit sollicitus de sua salute, secundum illud Matth. 6: Primum quærite regnum Dei. Ultimus enim finis naturaliter primo cadit in appetitu, sicut prima principia naturaliter primo cadunt in apprehensione.*

3. Dices, primum ex his testimoniis intelligi de conversione a peccatis personalibus, quæ fit per pœnitentiam: posterius vero non continere prædictum præceptum, sed solum consilium dimittendi omnia temporalia propter regnum cœlorum, et propter perfectionem evangelicam. Sed hoc parum refert: nam cum idem Scripturæ locus plures sensus literales admittat, totque illi tribuendi sint, juxta communioem Theologorum regulam, quot ex ejus verbis, salva serie contextus, et sine absurdi vel erroris periculo possunt deduci; non infertur ex eo quod concedendus sit prædictis testimoniis iste posterior sensus (quem libenter admittimus) negandum esse illum priorem: qui neque ullo ex capite dissonat contextui, neque alicujus erroris vel absurdi periculo manet obnoxius. Quinimo ut intelligamus, prædictum sensum esse verum et legitimum, satis superque est quod Ang. Doctor ita intellexerit illa testimonia, nullo ex aliis Patribus in contrarium reclamante vel contradicente: ut revera nullus reclamat, neque prædictæ intelligentiæ contradicit. Non enim minoris facienda est autoritas Divi Thomæ quoad intelligentiam sacra

Edu-  
gium.

Refellitur.

Thom.  
ton.  
grad.  
let.  
lina.  
riel.  
eg.  
ri.  
ujo.  
far.  
hel.  
ates.  
est.  
us.  
or.  
mez.  
nc.  
tens.  
rt.  
es.  
et.  
ov.  
p.  
ub.  
a.  
ri.  
id.  
l.

Scripturæ, quam Augustini, Hieronymi, Gregorii, aut alicujus alterius ex Ecclesiæ Doctoribus: ex quorum operibus, potius quam ex proprio Marte credendum est illum suam expositionem et intelligentiam desumpsisse. Quod si exponente ita Ambrosio, Hieronymo, aut Augustino nullus impune intelligentiam rejiceret, cur rejicienda erit expositio D. Thom. per quem Hieron. August. Ambros. et cæteri Ecclesiæ Patres apertius et formalius nobis loquuntur?

Accedit, quod in ipsa sacra Scriptura præcipitur nobis celeris et præpropere conversio ad Deum; reprehenditurque ejus dilatio, *Eccles. 5: Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem.* Cur ergo non intelligemus in hoc et similibus locis ubi prædicta conversio commendatur, contineri præceptum non differendi, sed exequendi talem conversionem, ubi primo ad id adest tempus et occasio, sicut adest in instanti usus rationis?

Ratio  
pro as-  
sertione

4. Deinde probatur ratione in hunc modum. Præceptum diligendi Deum super omnia obligat aliquando homines ad sui adimplentionem per actum conversionis in illum, ut tota lex naturalis et divina proclamatur: debetque proinde assignari certum tempus talis adimplentionis, sicut assignatur in aliis præceptis affirmativis: sed in nullo tempore adest per se major ratio prædictæ obligationis, quam cum homo pervenit ad usum rationis: ergo tunc urget talis obligatio. Major et consequentia constant. Minor vero probatur. Tum quia prædictum præceptum est primum quod continetur in lege: juxta illud *Matth. 22: Hoc est maximum et primum mandatum, etc. Diliges Dominum Deum tuum, etc.* ob idque dici solet *præceptum præceptorum*, quia cætera omnia illud supponunt, et in eo radican- tur: adimplentioni autem primi præcepti debitum est primum tempus capax talis adimplentionis, ita ut nullius alterius adimplentio prius urgere possit: cum igitur post primum instans usus rationis nullum tempus sit, in quo non possit urgere alicujus alterius præcepti adimplentio, consequens est, ut proprium tempus adimplentionis primi præcepti sit prædictum instans.

Matth.  
22.

1 ad  
Tim. 1

Tum etiam quia prædictum præceptum est finis præceptorum omnium et totius legis, juxta illud 1, ad *Timoth. 1: Finis præcepti est charitas*: finis autem licet in executione sit posterior, in amore tamen et acceptatione intendentis finem debet esse

prior, utpote propter quem cætera diliguntur: debet igitur antecedenter ad omnia diligere et acceptari.

Tum præterea, nam hujusmodi præceptum traditum est hominibus, ut ratione illius dirigant suos actus in ordine ad bonum honestum, cujus amor in ipso præcepto continetur: atque adeo tunc primo debet adimpletio ejusurgere, ex quo homo potest libere operari: ne videlicet mens rationalis et homo ipse, cum jam ut homo et ut rationalis vivere inceperit, suis operationibus extra ipsum bonum honestum absque regula et gubernaculo per bona delectabilia vage- tur. Cum ergo hoc contingat a primo instanti usus rationis, valde consonum est, ut pro illo instanti proponatur hominibus prædictum præceptum, illoque adstringantur: ob hoc saltem ut ex tunc habeant certam operandi regulam, certumque et fixum scopum, quo suas operationes dirigant. Etenim dum homo per rationis usum in hunc mundum moralis conversationis pervenit, quasi ingreditur vastissimum mare anfractibus et periculis plenum, ubi innumera sibi ex tunc jam objecta occurrunt, quædam honesta et rationi consona, quædam delectabilia et dissona rationi: unde manifeste exponitur periculo errandi et a rationis regula deflectendi, nisi ex tunc præfixum et intentum habeat finem ultimum, in quem ejus actus sunt dirigendi, et per quem sunt regulandi, ut honeste fiant. Sicut gubernator navis incipiens per anfractuosum mare discurrere, exponeretur submersionis periculo, nisi ex quo primo mare ingreditur, præfigeret sibi certum scopum, quo navem dirigeret. Illud ergo est tempus maxime opportunum et necessarium, ut prædictum præceptum obliget. Desumpsimus vero hanc probationem ex D. Tho. qu. 28 de Verit. *D. Th. art. 3 ad 4*, ubi sic ait: *Cum quilibet teneatur peccatum vitare, et hoc fieri non possit nisi præstito sibi debito fine, tenetur quilibet, cum primo suæ mentis est compos, ad Deum se convertere, et in eo finem constituere, et per hoc ad gratiam disponitur.*

4. Adde, quod si discurramus per alia tempora post illud primum, in nullo alio reperiemus tot rationes et congruentias, ut prædictum præceptum obliget. Quinetiam eo transacto vix erit ratio assignandi potius hoc tempus quam illud, ut intuenti constabit. Quod enim aliqui dicunt obligare solum in articulo mortis, communiter reprobat- ur: quia cum præceptum dilectionis Dei traditum sit ad rectam vitæ humanæ insti- tutionem

tutionem per relationem operationum nostrarum in Deum tanquam in ultimum finem, et ad conciliandam conservandamque amicitiam cum illo, rationi dissonat, ut in solo vitæ exitu obliget, totumque vitæ spatium extra talem obligationem sit.

5. Ex quo potest desumi non inefficax confirmatio nostræ assertionis et rationis factæ pro illa. Quia inter plures et diversos modos dicendi circa designationem temporis prædictæ obligationis, quos assertores contrariæ sententiæ excogitarunt, nullus invenitur qui sufficienti ratione fulciatur, aut qui ipsismet authoribus omnino satisfiat : ut videre est apud Thom. Sanchez lib. 2 sum. c. 45, ubi relatis prædictis dicendi modis usque ad octo, omnes illos rejicit et impugnat, vel tanquam insufficientes, vel tanquam firmo aliquo fundamento destitutos. Neque minus impugnationi obnoxius manet nonus, quem ille approbat dicens, prædictum tempus esse, cum graves odii Dei tentationes instant, et periculum illis succumbendi adest, nisi tentatus actum amoris Dei eliciat. Porro hunc dicendi modum insufficientem esse liquet : tum quia obligatio ad actum quæ præcise est ratione tentationis casu occurrentis et urgentis, non est obligatio per se, sed per accidens : sicut per accidens et non per se est quod talis tentatio tunc occurrerit, et alia via superari non possit : tempus autem quod quærimus, non est illud in quo præceptum dilectionis Dei urgeat per accidens, sed in quo obliget per se : quia certum est assignandum esse aliquod tempus hujus per se obligationis. Tum etiam quia prædicta obligatio debet esse communis omnibus adultis, et omnes illos constringere, sicut ipsum præceptum commune est, et omnibus imponitur : sed illa occasio in qua urgent graves odii Dei tentationes, et periculum illis succumbendi, non est communis omnibus adultis : plurimi enim sunt qui toto vitæ tempore nullis hujusmodi tentationibus vexantur : non igitur hac via assignatur sufficienter tempus prædictæ obligationis.

5. Neque obest, si dicas, quod etiam tempus primi usus rationis a nobis assignatum non affert prædictam obligationem per se, sed solum per accidens : nimirum ratione periculi deviandi a regula rationis, incidendique in alia peccata, dum homo non præintendit et præfigit sibi certum finem bonum, in quem suas operationes dirigat, ut in tertia probatione nostræ rationis dicebamus : ergo neque ex hoc capite debuimus

modum dicendi nuper relatum impugnare, neque prædictam obligationem pro omnibus hominibus et sub culpa mortali statuere. Etenim præceptum obligans solum per accidens ob periculum delinquendi contra alia præcepta, non plus obligat, quam ipsa præcepta contra quæ adest periculum delinquendi : in multis autem ex iis qui perveniunt ad rationis usum, vel nullum adest tunc periculum delinquendi contra alia præcepta ; vel saltem non semper adest periculum delinquendi contra illa quæ obligant sub mortali, sed ad summum contra aliqua obligantia sub veniali : sicut est præceptum non loquendi aut operandi otiose, et similia.

6. Non itaque hoc obest : stat enim quod præceptum de quo agimus, obliget in instante usus rationis ob periculum delinquendi contra alia præcepta, et nihilominus obliget per se et ratione sui, atque adeo quoad omnes et sub culpa mortali. Pro quo nota, ex duplici periculo posse oriri obligationem exequendi aliquem actum, ut diligendi Deum, vel fundendi orationem in aliquo tempore determinato : aut ex periculo intrinseco orto per se ex absentia talis actus ; aut ex periculo extrinseco aliunde ortum ducente. In primo casu obligatio præcepti est per se, atque ita gravis et universalis, sicut exigit natura sua propria materia talis præcepti : in secundo vero est per accidens, non nisi qualem alia præcepta, quorum violationis periculum imminet, exposulant. Dicitur autem periculum intrinsecum ortum per se ex absentia actus, quando iste non casu et contingenter aut ex hujus vel illius peculiaris accidentis occursu, sed ex natura rei et ex ordine divinorum præceptorum requiritur ad illud evitandum : neque alia via quam per talis actus positionem potest juxta communem rerum ordinem caveri : ipsumque periculum non urget dumtaxat contra hoc vel illud præceptum determinatum, sed communiter et indifferenter contra omnia, vel contra plura. Tum quippe ipse rerum ordo per se postulat, ut detur præceptum de tali actu ibi et tunc exercendo : et hoc est, tale præceptum obligare per se. Periculum vero extrinsecum et non per se ortum ex defectu actus dicitur quando non ordo rerum aut divinorum præceptorum, sed occasio aliqua accidentaliter occurrens postulat, ut adhibeatur talis actus ad tale periculum cavendum ; ob idque sæpe tollitur sine actu per solam absentiam ipsius occasionis : unde

Doctrina  
pro solu-  
tione.

Confir-  
matio.

Thom.  
nich.

Objectio.

quod actus tunc adhibeatur, non est peti- tum a præcepto ejus per se, sed per acci- dens, ratione dumtaxat alicujus alterius præcepti, cujus adimpletio per prædictam occasionem impeditur. Sicut cum aliquis ex accidenti tentatione cernitur in periculo violandi castitatem, nisi orationem fundat: totum enim hoc periculum est extrinsecum, utpote ortum non per se ex absentia ora- tionis, sed ex occasione tentationis, qua cessante, etiam oratione non adhibita, præ- dictum periculum evanesceret.

Diluitur  
objectio. Ad rem ergo: periculum quod imminet deviandi a rationis regula et in multis delinquendi ex omissione conversionis in Deum pro primo instante usus rationis, non oritur præcise ex aliqua occasione accidentali- ter occurrente, sed ex ipso rerum ordine: quia dum homo per prædictam conversio- nem non præfigit sibi certum finem et regu- lam intra lineam boni honesti, ex ipsa finis et regulæ destitutione manet in periculo aberrandi ab illis, et inordinate per bona delectabilia divagandi. Unde in tali casu et periculum oritur per se ex defectu prædictæ conversionis, et obligatio ad illam est ex ipso ordine rerum et præceptorum: adeoque tale periculum est periculum intrinsecum, et obligatio operandi propter cavendum illud est obligatio per se debetque proinde esse ita universalis, sicut ipsum præceptum diligendi Deum, quod omnes constringit: et ita gravis, ut sit sub culpa mortali: quia tantam obligationem habet per se inducere materia prædicti præcepti.

## § II.

### *Ratio alia pro eadem assertionem.*

Doctrina  
pro effor-  
manda  
ratione. 7. Secunda ratio probans nostram asser- tionem est quæ traditur a D. Thoma in hoc art. Pro cujus intelligentia nota, nomine *instantis usus rationis*, pro quo prædictam obligationem statuimus, a nobis non intel- ligi aliquod unum instans physicum et om- nino indivisibile; sed totam illam duratio- nem, qua homo indiget ad discernendum inter bonum rationis et bonum sensibile, et ad deliberandum quod ex prædictis bo- nis sit sibi amplectendum. Quæ duratio quia regulariter brevissima est, totaque exi- gitur ad primum rationis usum plene exer- cendum, moraliter dicitur unum et primum instans; quamvis physice verum tempus, adeoque plura instantia includat. In hoc igitur morali instante primus actus occur-

rens homini est cognitio et judicium intel- lectus respectu boni communis, sub ratione dumtaxat convenientis ad proprium sup- positum, quæ est ratio boni physici, præ- cindendoque pro tunc a ratione honesti aut delectabilis, consoni vel dissoni rectæ rationi, quæ sunt rationes boni et mali morales. Ad hujusmodi vero actum intel- lectus sequitur in voluntate actus amoris ejusdem boni communis sub prædicta ra- tione boni physici. Et quia uterque iste actus inditur ab Authore naturæ, cujus est extrahere primo intellectum et voluntatem de potentia ad actum, uterque sine discursu aut electione habetur obidque potest adesse, et de facto adest in primo instante physico prædicti instantis morales: ibique jam usus rationis inchoatur.

Deinde sequitur alius actus intellectus, quo discernit inter bonum et malum morale, seu inter illud quod consonat rectæ rationi, et naturæ hominis, ut homo et rationalis est; et illud quod dissonat tali rationi et naturæ, placet vero appetitui sensitivo, et est juxta naturæ defectibilitatem. Adestque etiam iste actus sine discursu et medita- tione, per principia synderesis ab eodem Authore naturæ indita. Et penes hujusmodi actum dicere solemus consistere primum rationis usum: quia in eo primo splendet discretio boni et mali morales, quæ est pri- marium munus practicæ rationis. Existente vero in intellectu hujusmodi actu, statim tangitur homo interna sollicitudine, ut de- liberet et determinet de seipso, in quod ex prædictis bonis se ordinet, seu quod ex illis prosequendum sibi eligat et amplectatur. Et ubi hæc deliberatio completur, vel com- pleri debet, ibi terminatur prædictum ins- tans morale. Quod proinde in aliquibus erit brevius, in aliquibus vero latius, juxta celeritatem et acumen ingenii uniuscujus- que: ratione cujus et aliarum circumstan- tiarum quibusdam datum est citius, quibus- dam vero tardius discurrere et deliberatio- nem illam complere. Sicut etiam non est omnino idem tempus aut eadem ætas, ubi hæc pueris occurrunt: sed aliquibus ante septimum vel sextum annum, et aliquibus non nisi post illum, citius vel tardius: quod ex naturali corporis compositione, et organorum ubi sensus resident dispositione multum dependet.

8. Porro primum quod ad præsentiam illius judicii synderesis discernentis bonum a malo morali hominem sollicitat, esse ut deliberet de seipso, in quod ex prædictis

se ordinet, non omnino supponitur hic a D. Thoma; sed sufficienter probatur in solutione. ad 3, verbis illis: *Primum enim quod occurrit homini discretionem habenti est, quod de seipso cogitet, ad quem alia ordinet sicut ad finem: finis enim est prior in intentione.* Quam rationem et ejus vim optime enucleavit Cajet. in comment. hujus articul. § *Ad cujus evidentiam.* Occurrens cuidam rationi dubitandi quam in contrarium adduxerat his verbis: *Advertendum est, quod in occurrente primo fine inveniuntur duo, scilicet quod appetitur; et cui appetitur* (Supponit Cajet. et merito, quod voluntati in primo instante usus rationis naturaliter occurrit ut amandum bonum in communi, ut modo diximus). *Primum* (prosequitur) *est amatum amore concupiscentiæ: secundum amore amicitia. Et quia amabile quidem bonum, unicuique autem proprium, et amabilia quæ sunt ad alios, veniunt ex amabili ad se, primum cui appetitur, est ipsemet appetens. Et quia concupitum ordinatur ad amatum amicitia, et non e converso: ideo primus simpliciter finis occurrens appetenti est ipsemet qui est finis omnium concupiscibilem, ad quem omnia concupiscibilia naturaliter ordinantur. Quia ergo finis est prior in intentione, et ipsemet puer est finis primo amatus amicitia, cui primo concupiscitur de facto, oportet quod primum de facto occurrens pueri voluntati, sit ipsemet, ad quem alia concupiscibilia ordinet. Completo autem hoc naturali cursu, quo puer vult naturaliter sibi bonum ac beatitudinem, consequens est ut statim de præcipue amato quod jam occurrit, id est, de seipso sollicitus sit, quid ei appetendum sit. Ex hoc enim pendet quid operandum, quid sollicitandum, quid patientium, et quicquid aliud subest ejus potestati. Et quoniam ipse secundum seipsum est magis amatus, quam ipsemet secundum partes seu partiales rationes suas, consequens est quod primum sollicitans puerum est deliberare quid sibi secundum seipsum totum, non secundum hunc vel illum respectum appetendum est. Hoc autem est deliberare de seipso, et ordinare se ad finem: quia id quod sibi præcipue amato secundum se totum est appetendum, est finis ad quem ipse ordinatur. Unde si sibi appetendum censuerit bonum honestum in confuso, ut ætas illa consuevit, bene deliberavit de seipso, finem suum in veram beatitudinem collocans, quamvis imperfecte et inchoative.*

Et inferius: *Ex his autem dicitur ad objecta contra primum, quod de facto occurrere*

*seipsum ut finem amatum amicitia, dum primo concupiscitur bonum, ratione convincitur: quia omne concupitum alicui concupiscitur: et cum constet quod non alteri, ergo sibi. Similiter quod de facto occurrerit ipsemet ut deliberabilis, quantum ex rerum ordine probatum est, quia est præcipue amatus: et quia rerum ordo nulla tunc culpa perversus est, ideo naturæ ordinem facti series quantum ad occursum sequitur.* Quibus verbis, licet aliquibus minus perspicua visa sint, nihil addendum duximus, ne expositione nostra minus perpolita Cajetanici eloquii sapor obtundatur.

9. Ex his ergo arguitur pro nostra assertionem. Nam cum homo primo de se deliberat, in quem finem aut bonum se ordinet, tenetur eligere bonum honestum, et ordinare se ipsum in tale bonum; oppositum vero malum respuere: sed homo deliberat de se ipso in primo instante morali usus rationis, utpote de primo amato amore amicitia: tenetur igitur in illo ad prædictam electionem faciendam, atque adeo ad dilectionem Dei saltem implicitam, quæ ut num. 20 dicemus, clauditur in tali electione. Minor et consequentia constant. Major vero probatur. Tum quia od hoc ostenditur tunc homini ab Authore naturæ bonum honestum et malum contrarium, ut ipse cognita utriusque ratione eligat quod suæ naturæ et naturali lumini suæ rationis consonat; respuat vero quod dissonat: ergo tenetur ita eligere, ne naturalis illa propositio effectu pro quo exhibita fuit frustretur, sed potius ipsum consequatur. Tum etiam quia quando Deus primo ostendit homini quid sit bonum, et quid sit malum, ipseque utriusque rationem sufficienter deprehendit, tunc proponit et ostendit illi sufficienter suam legem naturalem dictantem bonum esse sequendum, et malum fugiendum: ergo tenetur ipse homo ex tunc talem legem amplecti proponendo efficaciter vivere secundum illam, adeoque eligere sibi prosecutionem boni et fugam mali. Quemadmodum cum primo proponitur alicui lex evangelica, ipseque veritatem talis legis sufficienter agnoscit, tenetur amplecti illam, et proponere vivere secundum ipsam saltem in communi: et nisi ita faciat, mortaliter delinquet, ut Theologi satis communiter fatentur.

10. Ad hæc (et est probatio D. Thomæ fere in omnibus locis ubi de hac re tractat) cum homo primo agnoscit indigentiam propriæ spiritualis salutis, et in quo hæc salus

Formatur ratio.

Additio ex D. Thom.

D. Thom.

Cajet.

Idem.

saltem in confuso et in communi consistat, tenetur eam procurare, et facere quod in se est, ut illam consequatur : sed in instante morali usus rationis agnoscit homo se indigere spirituali salute, hujusmodique salutem (saltem in communi) sitam esse in amore boni honesti : tenetur ergo pro tunc ad talem amorem eliciendum. Consequentia liquet. Utraque autem præmissa habetur ex doctrina quam tradidimus. Major quidem, nam homo tenetur primo et ante reliqua omnia de ejus salute curare, quod secundum ordinem naturæ primo diligit : diligit autem primo seipsum secundum prædictum ordinem : ergo tenetur primo et antequam se ad alia distrahat, curam habere de propria salute. Minor vero, quia per illud lumen synderesis quo homo in prædicto instante discernit inter bonum et malum morale, agnoscit simul se esse propter aliquem finem ultimum diligendum et assequendum, debereque hujusmodi finem esse bonum honestum et rationi consentaneum, ac super reliqua omnia diligibile : (quamvis in particulari non deprehendat, quoad usque major lux adveniat, ubi sit tale bonum) videtque insuper, propriam salutem seu bonum suæ mentis situm esse in recta habitudine et ordinatione voluntatis ad prædictum finem, quæ fit per ejus amorem : hæc enim omnia utpote prima et universalissima ac per se notissima principia rationis practicæ, notificantur statim omnibus et singulis ad rationis usum pervenientibus, ut ex tali cognitione possint ad cætera minus per se nota discurrere : cognoscit ergo tunc unusquisque indigentiam suæ salutis, et in quo hæc salus saltem in communi consistat.

Alia probatio.

11. Denique probari potest major illa nostræ rationis : quia cum primo Deus hominem prædicto modo illuminat ostendendo illi suam legem naturalem, quasi notificat illi dominium morale quod habet in ipsum, sumitque possessionem humanæ voluntatis, quæ ex tunc sibi debetur : ergo tenetur ex tunc ipsa voluntas amplecti talem legem, et ejus obediendiæ se submittere : non enim sine hac submissione possidetur moraliter a Deo, neque Deus suum morale dominium in illam exercet. Fit autem talis submittio per electionem boni honesti, in quo clauditur volitio vivendi secundum rectam rationem et secundum ejus dictamen et legem : tenetur igitur ex tunc prædicto modo eligere.

Confirmatur : nam Angelus adstrictus

fuit præcepto diligendi Deum et convertendi se in illum in primo instante suæ plenæ libertatis, quod fuit secundum suæ creationis, et correspondet primo nostro instanti morali : ergo etiam nos tenebimur in hoc nostro instante similem dilectionem et conversionem elicere : cum eadem ratio utrobique militet : nempe quod omnis creatura rationalis ubi primo exercet plenum dominium suæ voluntatis, et agit ut omnino libera, tenetur se suo creatori submittere, et primum amorem ac primum voluntatis fructum illi consecrare. Valde enim rationi consentaneum est, ut Deus talis creaturæ auctor pro creationis beneficio exigat ab illa ex tunc hujusmodi pensionem, et primitias libertatis a se creatæ sibi et non alteri conquirat.

Confirmatio.

12. Dices primo, posse intellectum pueri pervenientis ad illud instans ligati aliqua passione, aut aliqua perturbatione vel distractione impediri, ut non plene deliberet, quod ex bonis tunc propositis sit sibi eligendum : aut esto plene deliberet, poterit judicium electionis aliquantulum suspendere, et ad neutrum se determinare. Dum autem vel non plene deliberat, vel per deliberationem judicium non determinat, non videtur teneri ad prædictam electionem.

Evasio

Sed contra : quia cum primum illud instans de quo agimus, non sit instans physicum et indivisibile, sed quoddam instans morale, tandiu protrahendum, est, quousque puer plene deliberet : ipse quippe actualis deliberatio, quæ tunc naturaliter occurrit, habet se ut pars et complementum illius instantis : unde ex quacunque causa prædicta deliberatio impediatur, non censetur completum tale instans : et ideo diximus supra, quod prædictum instans non est æquale in omnibus sed in aliquibus longius, in aliquibus brevius : quia non omnes aut eadem ingenii et discursus celeritate gaudent, aut æqualiter passionibus et impedimentis rationem tunc ligantibus expediuntur. Unumquodque autem tunc primo urgebit præceptum convertendi se in Deum per amorem boni honesti, quando ex cognitione istius boni plene deliberat. Nec potest dici quod omissa deliberatione de seipso, possit puer tunc deliberare primo circa alia : nam ipsa natura sollicita in primis de proprio bono, naturaliter tunc inducit cogitationem circa tale bonum, eaque intellectum præoccupat, et impedit digressionem casualem ad alia, quousque de se deliberet.

Præcluditur.



beret. Per quod tollitur quædam replica, quæ ex dictis posset emergere. Vide infra num. 58.

13. Contra illud de suspensione iudicii electivi post deliberationem etiam urget, quia eo ipso quod puer, cognita ratione boni honesti et mali oppositi, plene deliberet, tenetur non suspendere iudicium et electionem, sed iudicare bonum esse eligendum, et malum respuendum, et ita eligere : idem enim præceptum quod jubet talem electionem, urget etiam pro determinatione iudicii requisiti ad illam, et utriusque omissio est contra tale præceptum. Eo presertim quia existente prædicta deliberatione, nulla potest esse ratio suspendendi iudicium de eligendo bono honesto, aut ipsam electionem, nisi vel quia placet et acceptatur oppositum malum, et hoc nullus dubitat repugnare rectæ rationi : vel quia dubitatur quod eorum sit eligendum : et hoc etiam est prohibitum : quia contra rectam rationem est deliberate dubitare inter bonum et malum, quod eorum amplectendum, vel fugiendum sit : cum ipsa ratio naturalis evidenter unicuique ostendat, bonum esse sequendum, et malum fugiendum. Tenetur ergo puer in prædicto primo instante non suspendere iudicium aut electionem, sed determinate iudicare, et de facto eligere. Præsertim cum ipsum lumen rationis tunc primo homini communicatum pulset et urgeat pro tali iudicio et electione.

Alia evasio. 14. Dices secundo, sufficienter submitti voluntatem humanam divinæ legi, si viderit se adstrictam ad fugiendum malum et ad non peccandum, et hoc efficaciter proponat ; quamvis non urgeatur tunc præcepto eligendi bonum ; quia sicut natura incipit ab imperfectioribus, ita Deus prius præcipit minus perfecta, sicut est non peccare, quam perfectiora, sicut est bonum honestum eligere.

Refellitur. Sed neque hoc enervat nostram rationem. Potius enim ordo quem servat natura in humanis actibus, quemque proinde præcepta Dei naturalia observare debent, suadet oppositum. Nam quod voluntas fugiat malum, oriri debet ex amore boni : ut ostendit D. Thom. hac 1, 2, quæst. 25, artic. 2 : *Quia bonum quæritur* (inquit) *ideo refutatur oppositum malum*. Non enim voluntas aut appetitus vim habet ad effugiendum malum, nisi in virtute boni quod amat. Ergo si homo ubi primo bonum et malum cognoscit, tenetur hoc posterius effugere, a fortiori tenebitur illud prius diligere et

amare : et sicut natura prius movet ad amandum bonum, quam ad respuendum malum, ita prius præcipit diligere illud, quam istud respuere.

15. Confirmatur : nam finis omnium præceptorum divinæ legis est unio voluntatis cum Deo, et cum bono honesto, quæ fit per ejus dilectionem et amorem : ad hujusmodi enim unionem perficiendam præcepta omnia ordinantur, ut docet D. Thomas, 2, 2, quæst. 44, art. 1, ob idque diximus tom. sexto in tractat. de bonit. et malit. disput. 4, num. 19, nihil Deum posse præcipere, quod prædictam unionem impediatur : quia nihil potest præcipere contra id quod in omnibus præceptis intenditur. Et hæc eadem unio et amor est etiam eorundem præceptorum initium : quia nullum perfecte et ut oportet adimpletur, nisi ex prædicto amore : sed finis quoad intentionem et amorem præcedit omnia, quæ sunt ad finem : sicut etiam initium præcedit illa quibus virtutem subministrat : debitum ergo est ut præceptum talis amoris et dilectionis reliqua omnia antecedit.

Dices, potius hinc fieri debere hoc præceptum ultimo loco adimpleri : quia finis quamvis in intentione sit primus, est ultimus in executione : debet ergo executio illius, quod se habet ut finis, postremo loco præcipi. Sed hoc nullius momenti est : nam cum dicitur, primum in intentione esse ultimum in executione, intelligendum est de executione quæ ab intentione distinguitur, uti est executio consecutionis rei intentæ : secus vero de executione quæ in ipsa intentione clauditur, eo quod est executio ipsiusmet intentionis : nam talis executio, utpote in intentione ipsa inclusa, debet æque præcedere. Porro præceptum dilectionis Dei et boni honesti tanquam finis ultimi, de quo nunc agimus, non est præceptum de illorum consequutione, sed de amore et intentione dumtaxat : unde tale præceptum debet etiam quoad executionem primo loco obligare. Quia nihil aliud est obligare primo loco hujusmodi præceptum quoad executionem, quam obligare primo loco ipsum finem quoad intentionem et amorem, seu esse primo loco intentum et amatum. Ex quibus satis superque probatam credimus existentiam prædicti præcepti pro illo primo instante morali, quæ est prima pars dubii : superest videamus, qualis esse debeat conversio et amor cadens sub tali præcepto, quod pertinet ad secundam.

Confirmatio.

D. Thom.

Replica.

Diluitur.

Refellitur.

D. Thom.

## § III.

*Secunda dubii pars absolvitur.*

16. Licet authores omnes quos pro præcedenti assertionem adduximus, omnino conveniant in statuenda obligatione dilectionis Dei pro primo instante usus rationis; non tamen eodem modo hujusmodi obligationem et dilectionem declarant: sed potius adhuc inter eos vertitur in dubium, an exigatur ad illam adimplendam amor Dei formalis et explicitus: an vero sufficiat implicitus et virtualis contentus in ipso amore boni honesti in communi? Et rursus, an talis amor solum exigatur ex parte Dei ut authoris et finis naturalis, vel etiam ut supernaturalis? Et iterum an sit eliciendus viribus gratiæ, vel solius naturæ? Imo sunt qui dubitent, an requiratur amor absolutus et efficax vel sufficiat inefficax et per modum velleitatis? Quæ omnia ex doctrina Angelici Doctoris breviter resolvemus.

Atque ab hoc ultimo incipiendo, omnino tenendum est non sufficere amorem inefficacem, sed requiri efficacem et absolutum. Tum quia rationes usque modo factæ ad suadendam obligationem prædicti amoris, proculdubio convincunt de amore efficaci: hic solus est amor super omnia, qualem exigunt merita finis ultimi, et qualis requiritur ad instituendam vitam humanam, dirigendosque humanos actus in prædictum finem. Tum etiam quia juxta doctrinam Ang. Doctoris amor in primo instante debitus, debet esse talis conditionis, ut non compatiantur secum culpam mortalem etiam originalem, ut sequenti dub. ostendimus: amor autem solum inefficax non excludit talem culpam, ut est per se notum: non ergo per hujusmodi amorem adimpletur sufficienter prædictum præceptum.

17. Quo supposito, circa alia quæ primo et secundo loco inquisivimus, communior sententia tenet sufficere amorem Dei finis naturalis implicitum, contentum in ipso amore et electione boni honesti, et in proposito vivendi secundum rectam rationem. Ita Cajet. Alvar. Curiel, Zumel, Martinez, Araujo, Montes. et plures alii ex his quos num. 2 retulimus. Non tamen desunt qui asserunt requiri amorem Dei explicitum: imo requiri amorem Dei ut authoris et finis supernaturalis. Quæ sententia tribui solet D. Antonino, Capreolo, Soto, et aliis Thomistis. Quos tamen non difficile ad concordiam reducemus: forte enim dissidium ex

defectu distinctionis procedit. Pro quo nota, sæpe contingere ut aliquod præceptum per se, seu quantum est ex se obliget in aliquo tempore determinato; et nihilominus ille quem obligat, si non adimpleat, excusetur ab ejus omissione seu transgressione: vel quia invincibiliter ignorat tale præceptum, vel quia absolute non potest illud adimplere: de quo plura diximus disput. 5, dub. 6 et disp. 12, dub. ult.

Hoc præsupposito, dicendum credimus, præceptum dilectionis Dei quod per se obligat omnes ad rationis usum pervenientes, non solum præcipere, quantum est ex se, amorem ejus implicitum, sed etiam explicitum, neque solum amorem illius ut finis et authoris naturæ, sed etiam (supposita præsentem hominum elevatione ad supernaturalem ordinem) ut finis et authoris supernaturalis. Excusantur tamen multi propter ignorantiam invincibilem ab omissione prædicti præcepti, quantum ad amorem Dei explicitum etiam ut finis naturalis; et plures adhuc quantum ad amorem finis supernaturalis: quæ quidem excusatio admitenda non est quantum ad amorem implicitum respectu Dei ut finis naturalis. Diximus *supposita præsentem hominum elevatione ad supernaturalem ordinem*: quia si homo sine tali elevatione conderetur, ut in pura natura, præceptum diligendi Deum sive implicite sive explicite, solum comprehenderet amorem ejus naturalem: ad supernaturalem vero nequaquam se extenderet.

18. Probatur esse ita dicendum: et primo quoad primam partem. Nam præceptum diligendi Deum prout in lege traditum est, aperte dictat amorem ejus formalem et explicitum, ut ostendunt ipsa verba quibus intimatur Matth. 22, et Deuter. 6: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua*, etc. Et insuper non solum dictat amorem ejus ut finis naturalis, quem naturali ratione assequimur, sed etiam ut supernaturalis, quem cognoscimus per fidem, juxta communem Catholicorum acceptionem, qui nomine *dilectionis Dei* toties in Scriptura nobis præceptæ amorem supernaturalem intelligunt. Sed hoc præceptum secundum se totum obligat omnes homines, ex quo habent rationis usum: ergo, etc. Minor probatur: nam tale præceptum secundum se totum obligat omnes, ubi primo sunt capaces, ut illis proponatur et manifestetur: sunt autem capaces ab instante usus rationis, multisque re ipsa in eo instante totum illud manifestatur, et ab

Requiri-  
tur amor  
efficax.

An suffi-  
ciat im-  
plicitus  
et natu-  
ralis?

Cajet.  
Alvar.  
Curiel.  
Zumel.  
Martín.  
Araujo.  
Montes.  
D. Ant.  
Capreol.  
Sotus.

Resoluto.  
tio.

Probati  
primæ  
partis.

Matth.  
22.  
Deut. 6.

ipsis de facto adimpletur, cognoscentibus ex tunc explicite per fidem Deum trinum et unum, authorem gratiæ, remuneratorem et glorificatorem, ut ab ipsa fide proponitur: igitur quantum est ex se, omnes ab instante illo constringit.

Et confirmatur: nam supposito quod amor Dei explicitus et ut authoris supernaturalis aliquando sit debitus, ut omnes supponunt, rationes a nobis factæ sufficienter convincunt, opportunissimum tempus talis obligationis esse prædictum instans nullumque succedere in toto vitæ spatio magis vel æque opportunum, ut intuenti constabit: ergo, etc.

Animad-  
versio. Sed observandum est, quod licet teneamur præcepto utriusque amoris, naturalis scilicet et supernaturalis; sufficienter tamen quoad utrumque adimpletur per unicum actum amoris supernaturalis: quia in isto, utpote superioris et perfectioris ordinis, continetur eminenter amor naturalis: sicut etiam ejus præceptum propter prædictam rationem virtualiter clauditur in præcepto supernaturali: et ideo hoc adimpleto, sufficienter censetur illud adimpleri. Non tamen e converso: quia præceptum et amor naturalis ordinis non continent supernaturalia.

Probatio  
secunda. 19. Quoad secundam vero partem, nempe excusari multos ab adimplerione prædicti præcepti quantum ad amorem Dei explicitum pro primo illo instante usus rationis, pluresque adhuc excusari ab illo quoad amorem finis supernaturalis, etiam suadet. Quia multi sunt qui in illa ætate nondum cognoverunt Deum explicite, neque ejus nomen aut rationem audierunt, sed laborant (saltem brevi aliquo tempore) ignorantia ejus invincibili: et plures adhuc sunt, qui nihil audierunt aut cognoverunt de illo ut authore et fine supernaturali: nemo autem potest explicite amare, quod explicite non cognoscit, cum nihil volitum quin præcognitum: unde ipsa ignorantia invincibilis qua laborant, excusat illos ab adimplerione talis præcepti quoad prædictum amorem, redditque ejus omissionem non voluntariam. Non tamen omnes ita excusantur: quia multi etiam sunt ex iis præsertim qui inter catholicos et animarum salutis studiosos nutriuntur, qui ante illam ætatem plura audiunt et apprehendunt de Deo et de Articulis nostræ fidei, quibus sufficienter instruuntur, ut in illo instante per irradiationem luminis fidei vel synderesis efforment verum et explici-

tum de ipso Deo iudicium, etiam supernaturalis, ex quo ad similem ejus amorem expressum et formalem incitentur: qui proinde non excusabuntur ab omissione præcepti, nisi eliciant talem amorem. Et propterea ait D. Thom. in præsentibus et alibi, quod puer in prædicto instante tenetur Deum diligere prout in illa ætate fuerit capax: quia solum tenetur juxta notitiam quæ tunc sibi communicatur. Atque adeo si notitia fuerit explicita, tenebitur ad explicitum amorem; si vero implicita, ad implicitum, sicut etiam si habuerit notitiam Dei ut finis dumtaxat naturalis, solum adstringetur ad hujus amorem; si vero ut supernaturalis, tenebitur quoque ad amorem istius finis.

20. Tertia autem assertionis pars, vide-  
Probatio  
tertia. licet neminem excusari ab obligatione prædicti præcepti quantum ad amorem Dei implicitum, solum procedit (saltem pro nunc) de amore ejus ut authoris et finis naturalis: qui sane amor continetur in illo quo diligitur bonum honestum in communi, et in proposito efficaci vivendi secundum rectam rationem. Nam cum hæc potissimum dicit et jubeat, Deum diligendum esse super omnia, præcipuaque ratio boni honesti in ipso Deo consistat, quisquis expresse et efficaciter diligit bonum honestum, et hoc quod est *vivere secundum rectam rationem*, ibi jam implicite et virtualiter diligit ipsum Deum. Porro ab obligatione istius saltem amoris neminem excusari, ubi ad rationis usum pervenerit, ex dictis in utroque præcedenti § probatum reliquimus. Siquidem ex illis constat, omnibus ad tale instans pervenientibus manifestari per lumen synderesis bonum honestum, et obligationem amplectendi ipsum, sequendique legem naturalem, quæ tunc etiam quoad prima ejus præcepta et principia ostenditur et intimatur: neque censetur completum tale instans, quousque totum hoc cum plena advertentia et deliberatione innotescat.

Neque ibi locum habere potest ignorantia aut inadvertentia, quæ in aliis præceptis frequenter excusat. Tum quia nisi puer sit actu cognoscens, et discernens bonum honestum ab opposito malo, ac proinde tactus interiori sollicitudine illa deliberandi de seipso, quam diximus num. 8, nondum ratio pervenit ad suum primum usum, siquidem hic consistit in tali discretione et deliberatione: dum autem sic discernit et deliberat, velit, nolit, advertit practice, et in actu exercito obligationem eligendi illud, quod tanquam bonum sibi proponitur,

et adhærendi ei, ut contra oppositum malum se tueatur. Pertinet enim tunc ad Authorem naturæ manifestare et intimare hujusmodi obligationem tanquam præceptum omnino primum, et initium cæterorum præceptorum, totiusque ordinis practici, ut inde homo per deliberationem et discursum reliqua præcepta deducat.

21. Neque ad intimandam talem obligationem opus est nova Dei luce, aut novo rationis actu : sed sufficienter innotescit per illum, quo cognoscitur bonum et malum morale, et inter utrunque discernitur, una cum cogitatione quæ statim subit, ut homo de seipso deliberet. Per hujusmodi enim actum proponitur electio illius boni ut res magni ponderis et momenti, simpliciterque ex tunc necessaria ad recte et ordinate vivendum : taliterque hæc propositio, quasi vicaria Authoris naturæ sollicitat et impellit voluntatem ad prædictam electionem, et taliter pro ea clamat et reclamatur, proluxaque et importuna existit, ut valde dissonet rationi his impulsibus non acquiescere. In quo ipso practice et in actu exercito cognoscit ut gravem et ponderosam prædictam obligationem. Tum etiam quia cum ad ipsum Authorem naturæ spectet manifestare et intimare hominibus suam legem naturalem, ubi primo confert eis rationis usum, ne ut jam homines et rationales sine regula et gubernaculo vivere incipiant : (quod in divinæ providentiæ defectum vergeret) et talis Author nunquam deficiat in iis, quæ ad ipsum specialiter spectant, nullatenus permittet, quod aliquis in illo instante prædictam legem et primum ejus præceptum ignoret, aut alio distractus ejus manifestationem et intimationem non animadvertat. Nullus igitur hujusmodi defectum ab adimplerione istius præcepti tunc excusabit.

22. Dices, multos viros doctos, omnes nimirum quos pro contraria sententia infra referemus, ignorare invincibiliter hoc præceptum, dum probabiliter non adesse opinantur : falsa enim opinio, si sit probabilis, causat ignorantiam invincibilem, et ad eam reducit, ut diximus disp. 13, num. 10, cur ergo ita imperiti, sicut parvuli ad usum rationis pervenientes, habere non poterunt similem ignorantiam? Aut cur non poterunt assentire contrariæ opinioni, sicut viri illi docti assentiuntur : præsertim si tales pueri ab aliquo eorum prædictam opinionem edocerentur.

Respondetur esse diversam rationem :

quia pueris ad instans discretionis pervenientibus proponitur ab Authore naturæ pro illo instante prædictum præceptum practice et in actu exercito ita clare et evidenter, ut non relinquat eis locum dubitandi, aut assentiendi contrariæ opinioni, si forte ab aliquo suis rationibus fulcita proponeretur : omnes enim istæ rationes utpote falsæ, in conceptu illius claræ lucis evanescerent, et non possent movere intellectum. Quia vero prima illa propositio in ratione propositionis evidentis, et prout ab Authore naturæ facta, finitur cum illo instante, aut paulo post (jam enim naturæ Author muneri suo satisfacit), opus est ad novam illius præcepti cognitionem acquirendam uti ratiocinatione et discursu, quia a passionibus vel rationibus dubitandi aliunde insurgentibus sæpe obnubilatur. Hacque ratione ipsimet, qui pueri et aliorum multorum imperiti, prædictæ veritati adhæserunt, grandiores et circa alia peritiores facti, ab illa recedunt, et ejus ignorantiam invincibiliter incurrunt. Quin etiam nos ipsi qui veram tenemus sententiam, minori firmitate et certitudine ei modo assentimus, quam acquievimus in instante usus rationis. Quia tunc cognitio naturalis utpote innixa evidenti lumini, omni formidini et rationi dubitandi locum præcludebat : modo vero discursus per quem eandem veritatem assequimur, deficiente illo lumine, solum concludit eam ut probabilem, et cum alterius partis formidine.

Et si urgeas, quia nullus meminit talis notitiæ habitæ in illo instante. Respondetur, quod nec recordabitur illa caruisse ; cum tamen certum sit vel caruisse, vel non caruisse illa. Unde ex hac oblivione pro neutra parte potest sumi argumentum : transiit enim in illo instante cum prædicta notitia ejus memoria : ut contingit in multiis aliis, iis præsertim supra quæ non reflectimur.

23. Dicamus de tertio, quod inter dubitandum proposuimus : an scilicet amor Dei, qui ab omnibus debetur in primo instante usus rationis, sit talis actus, qui possit elici viribus solius naturæ, vel non nisi viribus gratiæ? est autem sermo de amore Dei ut finis naturalis, sive implicito sive explicito : nam amorem finis supernaturalis citra dubium est exigere supernaturales vires, facultatemque naturæ superexcedere. Sed quia ab hoc multi propter ignorantiam excusantur juxta dicta num.

19, non infert in præsentem eam specialem difficultatem, quam ille prior, a quo neminem excusatum iri ostendimus. A qua dubitatione non satis Theologi se expediunt propter argumenta difficilia quæ utrinque insurgunt. Si enim dixerimus prædictum amorem non posse elici absque viribus et auxiliis gratiæ, urget in oppositum, quod hujusmodi auxilia non dantur omnibus: sicut nec fides, cujus illuminatio tenet primum locum inter auxilia supernaturalis ordinis: ob idque multi remanent infideles negative, quia nihil de fide audierunt, neque cognoverunt; et tamen si daretur omnibus prædicta illuminatio et auxilium, nullus maneret infidelis solum negative. Unde vel non omnes adstringerentur prædicto præcepto, contra id quod asseruimus: vel multi tenerentur ad aliquid quod facere non possent, contra indubitam Theologorum regulam, quod Deus neminem obligat ad id, quod sibi est impossibile: et quod nullus peccat in eo, quod vitare non potest.

24. Quod si Charybdim istam evitare cupientes dixerimus oppositum, scilicet prædictum amorem posse elici viribus solius naturæ, quæ omnibus sunt communes, sicque præceptum de quo agimus, posse ab omnibus adimpleri; in periculosiorem Scyllam forte incidemus. Nam præterquam quod satis communiter negatur, præsertim a Thomistis, posse hominem in natura lapsa ex solis naturæ viribus diligere Deum efficaciter et super omnia, uti debet esse amor de quo loquimur: inde etiam fieret posse puerum ad usum rationis pervenientem adimplere prædictum præceptum, et non ideo remitti ei culpam originalem, adeoque posse peccare venialiter, manendo in tali culpa, antequam aliquam mortalem committat: quandoquidem nullus actus solius naturæ viribus elicitus habet infallibilem connexionem cum gratia justificationis, et cum prædictæ culpæ remissione: ob idque dixit D. Thom. infra quæst. 109, art. 6 et tenent communiter ejus discipuli, axioma illud *Faciendi quod est in se, Deus non denegat gratiam*, intelligi de illo qui facit quod in se est, adjutus gratiæ auxiliis, non vero ex solis viribus naturæ. Porro adimplentem prædictum præceptum debere statim justificari, et non amplius in originali culpa permanere, est doctrina indubitata D. Thomæ, omninoque necessaria ad tuendam conclusionem præsentis articuli, ut dubio sequenti videbimus. Huic dubitationi,

cujus difficultas non paucos a Thomistica sententia deterruit, oportet plenius satisfacere, quam præstari solet ab aliquibus: pro quo distinctionis gratia novam addeamus sectionem.

#### § IV.

##### *Prima dubitationis solutio.*

25. Possemus facilius dubitationi occurrere independenter a doctrina sequenti dubio statuenda de impossibilitate peccati venialis cum solo originali: quia independenter ab illa verum est, extare pro primo instante usus rationis præceptum, quod in hoc dubio stabilimus. Neque ob id potissimum hujusmodi præceptum asserimus, ut prædictam doctrinam possimus defendere, ut putant aliqui ex adversariis: sed potius quia ex illo, optimis alias rationibus comprobato, legitime infertur talis doctrina, eam tuemur. Veruntamen ut bonitas prædictæ illationis ex hoc jam loco apparere incipiat, et quæ modo dixerimus, statuendis postea viam et rationem aperiant, curabimus præsentem resolutionem conclusioni dubii sequentis omnino adæquare, et non pauca quæ ibi calamum retardare possent, hic præmittere.

Respondetur ergo primo, actum dilectionis Dei, ad quem omnes tenentur in instante usus rationis, non posse elici solis naturæ viribus: sed indigere auxilio et viribus gratiæ suppletis virium naturalium defectum: et hac ratione connexum esse cum remissione originalis culpæ et cum gratia justificante: quia facienti quod est in se ex prædictis viribus, Deus non denegat istam gratiam. Hæc solutio est satis communis inter discipulos D. Thomæ: nam illam tradunt Alvar. Montes. et Araujo in præsentem, et Bannez 1 part. quæst. 23, art. 3, dub. 3, concl. I. Ferrara lib. 3, contra gent. c. 159 et alii.

Alvar.  
Montes.  
Araujo.  
Bannez.  
Ferrara.

26. Ad illud vero quod in oppositum urgere videbatur, dicunt nonnulli, prædicta auxilia non dari omnibus, si ly *dari* sumatur ut est correlativum ad *accipere*: quia non omnes de facto illa recipiunt, dari vero omnibus, prout ly *dari* est idem quod *offerri*, et præparata esse, ut omnes qui voluerint, recipiant: quia Deus quantum est ex parte sua, omnibus habet præparata prædicta auxilia, et omnibus illa offert, tribuitque de facto, se ipsi postulaverint, et recipere velint. Et hoc aiunt sufficere ut de

Quidam  
modus  
dicendi.

omnibus absolute dicatur, quod possunt prædictum præceptum adimplere, imputeturque illis ad peccatum, si non adimpleant: quia vere dicimur posse id quod possumus per auxilia in manu Dei nobis præparata, juxta commune proloquium ex Philosopho 3, Ethic. cap. 3: *Illud possumus quod per amicos possumus*. Et hac ratione peccatores non habentes in se charitatem, sine qua nullus potest Deum ut finem supernaturalem super omnia diligere, tenentur nihilominus ad talem dilectionem, quia habent illam semper a Deo oblatam et in manu ejus præparatam. Putantque authores istius modi dicendi favere sibi D. Thomam 2, 2, quæst. 2, art. 5 ad 1 ubi ait: *Quod si in potestate hominis esse dicatur aliquid excluso auxilio gratiæ, sic ad multa tenetur homo, ad quæ non potest sine gratia præparante, sicut ad diligendum Deum et proximum, et similiter ad credendum articulos fidei. Sed tamen hoc potest cum auxilio gratiæ: quod quidem auxilium quibuscunque diviniter datur, misericorditer datur; quibus autem non datur, ex justitia non datur, in pœnam præcedentis peccati saltem originalis, etc.*

3 Ethic.  
3.

D. Thom.

Refel-  
litur

D. Thom.

Sed hæc doctrina, licet alias verum sensum habeat, non tamen ut ad præsens intentum applicatur. Tum quia juxta illam omnibus adultis, etiamsi nihil audierint de fide, imputaretur ad peccatum infidelitatis, si non credant mysteria supernaturalia: essentque proinde infideles contrarie, et non negative (cujus oppositum statuit D. Thom. 2, 2, quæst. 10, art. 1) siquidem omnibus habet Deus præparata et oblata auxilia sufficientia ad credendum, conferretque de facto, si ipsi postularent, et recipere vellent. Tum etiam quia ut homo dicatur posse aliquid per auxilia, quæ Deus illi obtulit et præparavit, necesse est ut ea oblatio et præparatio ipsi homini innotescat, et ab eo credatur, ut ex hac fide et notitia possit excitari ad postulanda et consequenda prædicta auxilia: cui enim nulla eorum notitia confertur, non est in ejus potestate uti similibus auxiliis, sicut neque ea petere aut consequi: ac proinde præparatio illa et oblatio respectu talis habet se quasi non esset. Unde non est quo pacto dicatur posse per talia auxilia, aut per eorum oblationem et præparationem, quod non posset, si oblata et præparata non fuissent. Porro si sit aliquis, qui perveniens ad rationis usum, nullum supernaturale auxilium recipiat, carebit omnino prædicta

notitia, quæ inter auxilia supernaturalis ordinis numeranda est. Non enim per lumen naturale, sed per lumen fidei potest homo cognoscere, esse sibi a Deo oblata et præparata auxilia gratiæ ad implendum ea, quæ non potest per vires naturæ.

27. Per quod patet ad illud de peccatoribus non habentibus charitatem. Nam si sint de numero illorum, qui nihil de fide audierunt, ob idque invincibiliter ignorant præparasse Deum hominibus gratiam et charitatem, qua possint eum ut finem supernaturalem super omnia diligere, consequenter dicendum est, hujusmodi peccatoribus non imputari ad culpam omissionem talis actus, sicut neque omissionem actus credendi mysteria supernaturalia: neque damnabuntur propter tales omissiones, ut docet D. Thom. 2, 2, cit. art. 1, ex quæst. 10. Si vero sint de numero illorum, quibus sufficienter proposita sunt mysteria nostræ fidei, præsertim illa quibus docemur præparationem et oblationem divinorum auxiliorum ad prædictos actus, tenebuntur ad illos: quia ratione illius notitiæ possunt petere, et petendo consequi talia auxilia; et dum non petunt, per ipsos stat quod non consequantur. Unde in istis, et non in illis prioribus locum habet axioma: *Id possumus, quod per amicos possumus*.

Idem.

Quod vero adducitur ex 2, 2, quæst. 2, art. 5, parum refert. Tum quia posset intelligi D. Thom. de illis qui habent prædictam notitiam, ut possint postulare auxilia ad assequenda et credenda alia mysteria fidei, quæ ignorant, an sibi abscondantur, et ad illos actus dilectionis Dei et proximi eliciendos. Tum etiam quia S. Doctor solum dicit, teneri homines ad multa, quæ non possunt sine auxilio gratiæ. Quod vero ut ita teneantur, sufficiat auxilium oblatum et non collatum, non ait: sed inquit, quod quibuscunque datur, misericorditer datur; quibuscunque vero negatur, ex justitia negatur in pœnam præcedentis peccati saltem originalis: insinuans quod ex professo traditurus erat inferius quæst. 10, art. 1, videlicet infidelitatem illorum quibus fides sufficienter proposita non fuit, proindeque non acceperunt auxilia sufficientia ad credendum, non habere rationem culpæ, sed pœnæ. Juxta quam D. Thomæ doctrinam potius dicendum est, vel omnibus perveniens ad usum rationis dari de facto auxilium supernaturale, quo possint adimplere præceptum dilectionis Dei urgens pro illo instante, si semel id non possunt absque

Idem.

que tali auxilio, ut ait hæc prima solutio : vel non omnes qui adimplere omittunt, peccare in tali omissione. Et quia hoc posterius non potest a Thomistis concedi, merito omnes quos nuper citavimus, prius illud affirmant.

28. Sumiturque ex illo Joan. cap. 1 : *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ubi proculdubio sermo est de illuminatione pertinente ad ordinem gratiæ : ob idque specialiter tribuitur adventui et meritis Christi, de quo loquitur Joannes : et dicitur per eam illuminari omnem hominem, quando in hunc mundum venit : hoc est (ut exponit N. Cyrillus) quando per usum rationis incipit vivere ut homo, ingrediturque moraliter in hunc mundum tanquam dominus suorum actuum. Ante rationis enim usum quamvis puer sit physice in rerum natura, non tamen vivit ut homo in mundo, sed præcise ut animal, incapax usque tunc vitii et virtutis et totius humanæ conversationis. Concedenda est ergo pro omnibus prædicta illuminatio.

Quæ etiam suaderi videtur ex illo Apost. 1 ad Timoth. 2 : *Qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Quod testimonium potissimum locum habere debet respectu illorum, qui ad rationis usum perveniunt, ante quem nullus est capax agnoscendi veritatem. Si autem omnes istos vult Deus salvos fieri, debet huic voluntati correspondere in omnibus aliquis effectus, in quo ipsa resplendeat, atque adeo qui sit ejusdem ordinis cum ipsa æterna salute a Deo volita, sicut est solum auxilium supernaturale. Debetque hic effectus eis tribui, ubi primo sunt capaces inquirendi talem salutem, et ab ea deficiendi, uti sunt ab instante usus rationis ; ne defectus iste si contigerit, tribuatur defectui talis auxilii.

Denique hoc suadet ex summa Dei bonitate et ex liberalitate atque suavitate divinæ providentiæ : ad quam, supposita elevatione hominum ad supernaturalem finem, spectare videtur, ut omnibus ejus beneficii capacibus, antequam propria voluntate in peccata labantur, conferat sufficiens auxilium, quo si bene usi fuerint, peccata ipsa vitare, et ad prædictum finem pervenire possint. Cumque hoc nullus possit sine prædicto auxilio (quicquid enim solis naturæ viribus fit, non habet connexionem aut proportionem cum tali fine), exigit proculdubio bonitas et suavitas divinæ providentiæ, ut omnibus conferatur.

Ex quo fit, prædictam collationem quamvis supernaturalem, non esse dicendam miraculosam : quia supposita elevatione quam diximus ad supernaturalem ordinem, communis hujus ordinis providentia ita exposulat : quæ autem secundum communem providentiam fiunt, non sunt miraculosa.

29. Sed ecce urget replica quam supra tetigimus : quia si prædictum auxilium sit supernaturale, importabit utique aliquam illuminationem fidei : hæc enim primum locum tenet inter auxilia supernaturalis ordinis juxta Augustini et aliorum Patrum doctrinam : si autem talis illuminatio datur de facto omnibus ad usum rationis pervenientibus, et ab eis recipitur, quotquot illa usi non fuerint, et non crediderint, peccabunt contra fidem non credendo, eruntque proinde infideles contrarie : cujus oppositum debemus supponere.

Dices forte, prædictum auxilium non exigi ex parte intellectus : quia iste sufficienter per suum lumen naturale cognoscit, debere Deum diligere super omnia : sed solum ex parte voluntatis, quæ per peccatum originale mansit ita debilis et infirma, ut non possit propriis viribus exequi illud ipsum quod naturalis ratio dictat. Quamvis enim vulnera illius peccati utranque potentiam tetigerint : minus tamen sauciata mansit ratio quam voluntas, ut docet D. Thom. infra quæst. 109, art. 2 ad 3. Quod si ita sit, prædictum auxilium non importabit illuminationem fidei ad intellectum pertinentem, sed aliquam motionem affectivam de linea voluntatis, adeoque non tollet, quo minus recipiens ipsum possit manere cum infidelitate negativa.

Sed hoc non placet. Tum quia testimonia sacræ Scripturæ quibus probavimus existentiam talis auxilii, potius loquuntur de illuminatione intellectus, quam de motione voluntatis : et ideo si hæc posterior neganda non est, prior illa a fortiori debet concedi. Tum etiam quia cum voluntas per omnia sequatur ductum intellectus et iudicium omnino practicum, repugnat quod aliqua illius affectio vel motio ad supernaturalem ordinem pertineat, nisi istius illuminatione eundem ordinem tangat. Quod autem dicitur de peccato originali et ejus vulneribus, parum refert : quia juxta hanc primam solutionem adhuc in statu naturæ puræ, ubi voluntas non esset per peccatum vulnerata, neque infirmior intellectus, non posset propriis viribus elicere prædictam dilectionem, nisi superaddetur ei auxilium

Replica.

Respon-  
sio quæ-  
dam.

D.Thom.

Non  
placet.Verus  
dicendi  
modus.  
Joan. 1.1 ad  
Tim.2.

aliquod ipsi non debitum : tuncque eadem esset ratio, ut adderetur etiam intellectui, ut intuenti patebit : ergo quod modo voluntas magis sauciata manserit per peccatum originale, quam intellectus, non tollet quominus utraque potentia prædicto auxilio indigeat : non enim in hoc statu poterit intellectus solis suis viribus relictus, quod in illo non posset.

Vera solutio.

30. Dicendum ergo est, auxilium de quo agimus, requiri ex parte utriusque potentiae : non tamen, ut ad intellectum spectat, esse fidem simpliciter, aut aliquod lumen completum ; sed lumen quoddam modale et incompletum participatum ex fide : per quod ipsum naturale lumen synderesis elevatur et coadjuvatur ad attingendum proprium objectum, scilicet bonum honestum, vel Deum ut finem et authorem naturalem altiori et perfectiori modo, quam propria virtute posset attingere. Sicut enim a voluntate in appetitum inferiorem derivatur quidam modus libertatis, et ab intellectu in cogitativam quidam modus iudicii et discursus, non ut potentiae istae inferiores eliciant actus, qui simpliciter et secundum substantiam sint actus intellectus aut voluntatis, neque ut circa objecta spiritualia versentur, sed ut suosmet actus sensitivos nobiliori et perfectiori modo informatos, seu nobiliter modificatos eliciant. De quo plura diximus disput. 10, num. 72 ; ita illuminatio de qua agimus, est quidam modus et participium fidei, quem Deus intellectui infundit, non ut eliciat actus fidei, vel qui secundum substantiam sint supernaturales, aut qui circa mysteria fidei vel circa objectum simpliciter supernaturale versentur : sed ut suosmet actus secundum substantiam naturales quibus bonum honestum naturale et Deum ut finem naturalem attingit, nobiliori et perfectiori modo eliciat : nempe cum majori firmitate et certitudine, majorique cum appetitione talis boni et finis : ex quibus oritur ut sit in illis actibus major efficacia ad movendam voluntatem, et ejus amorem excitandum.

tur duo.

31. Atque hinc fit prædictam illuminationem, quando in ea sistitur, non tollere infidelitatem negativam, neque efficere non credentes infideles contrarie : quia cum non ostendat mysteria supernaturalia quæ fides credit, neque eorum notitiam tribuat, adhuc hæc mysteria manent invincibiliter ignorata, quousque alia via notificentur : nihil enim aliud est infidelitas negativa

quam hæc ignorantia in eo, qui caret fide. Fit etiam, quod cum D. Augustinus et alii Patres aiunt, primum justificationis initium esse fidem, non intelligunt dumtaxat illam quam vocamus fidem simpliciter, et quæ notificat mysteria supernaturalia ; sed etiam prædictam illuminationem : quæ cum sit ejus participium, reducitur ad ipsam, et potest eodem nomine appellari.

Alia replica posset hic insurgere, inquirendo an prædicta illuminatio sit clara sicut scientia, vel obscura sicut fides ? Si enim sit clara, non videtur quod sit supernaturalis : quia in præsentis notitia supernaturalis ita communis non pertingit ad claritatem : si autem obscura, objectum ejus erit creditum, et non visum : et ita non distinguetur ab ipsa fide.—Hæc tamen replica ex dictis manet enervata : quia supponit, elevationem de qua agimus, esse aliquem habitum vel lumen completum attingens per se aliquod objectum sibi proprium, circa quod vel clare vel obscure versetur. Cum autem solum sit incompleta alterius luminis modificatio, neutrum illud ad eam pertinet : sed ejus munus est juvare tale lumen, ut firmiter et perfectius valeat proprium objectum attingere.

Replica ex dictis enervata.

32. Neque etiam obest, si objicias, quod si prædicta illuminatio est supernaturalis, debet habere objectum supernaturale, a quo speciem et supernaturalitatem desumat. Respondetur enim, satis esse ad supernaturalitatem illius illuminationis, quod Objectio. modus tendendi in objectum sit supernaturalis, et quod ipsa sit participatio fidei Diluitur. supernaturalis ; quamvis objectum in esse rei naturale sit : non enim ab objecto sic sumpto sumitur supernaturalitas prædictæ illuminationis, sed a modo tendendi in illud, et ex habitudine ad fidem, cujus est participatio talis modus. Quod si velis, istum refundi in ipsum objectum, et hac ratione reddere illud supernaturale, non quidem in esse rei, sed præcise et formalissime in esse objecti vel termini ita tacti, ut in multis aliis contingit, inficias non ibimus : neque inde contra modo statuta aliquid insurget.

33. De auxilio vero pertinente ad voluntatem dicimus esse affectionem seu motionem quandam similiter incompletam et modalem, per quam voluntas et ejus naturalis virtus roboratur et adjuvatur, ut bonum honestum, et Deum ut naturalem finem efficaciter diligere valeat ; quod non posset tali motione seclusa. Erit autem hæc Quid de auxilio voluntatis motio



motio quoddam participium virtutis charitatis : quia cum hæc eminentèr contineat non solum amorem finis supernaturalis, sed etiam amorem super omnia finis naturalis, quælibet motio voluntati infusa in ordine ad istum amorem eliciendum, debet in ipsam charitatem ut participatio ejus reduci. Servabit vero quoad suam specificationem id ipsum proportionabiliter quod diximus de illuminatione. Neque hujusmodi charitatis participium æquipares illi, quod ipsa charitas manens in voluntate communicat reliquis virtutibus, ut illas reddat vivas et formatas, quod a charitate et gratia nunquam separatur : nam eadem forma potest multis et diversis modis participari, in quibus non servetur eadem ratio et mensura.

## § V.

*Ejusdem dubitationis alia solutio.*

34. Secundo ad propositam dubitationem respondetur, sufficere naturales vires quas homo adhuc in natura lapsa conservat, ut possit adimplere supradictum præceptum, quantum satis est ut ad talem adimpletionem teneatur, imputeturque ipsi ad culpam ejus omissio. Huic solutioni subscribunt ex discipulis D. Thomæ Joannes Gonzalez 1 part. quæst. 23, art. 8, disp. 77, sect. 3, num. 22, Gregor. Mart. in præsentis dub. 1, in sol. ad 3, et alii. Supponit autem prædicta solutio duo ex materia de Gratia, quæ ibi examinanda sunt. Primum est, quod etiam si homo conderetur in pura natura, ubi neque contraheret originale peccatum, neque essent illi præparata gratiæ auxilia ; obligaretur nihilominus præcepto diligendi Deum ut finem naturalem super omnia : gauderetque proinde viribus sufficientibus ad talem dilectionem, et ad adimplendam totam legem naturalem, saltem pro aliquo parvo tempore, et extra casum gravis tentationis. Secundum est, quod homo per peccatum originale non amisit aliquid physice et in esse rei de suis naturalibus viribus, sed illa dumtaxat quæ Deus Adamo gratiose contulerat, et posteris promiserat supra naturæ exigentiam : atque adeo quicquid haberet in statu naturæ puræ quantum ad potentiam physicam, totum id conservat in statu naturæ lapsæ : saltem dum non incurunt aliqua peccata personalia, quæ ejus vires diminuunt. Ob idque dixit Cajetan. et dicunt satis communiter Theologi, homi-

nem peccato originali infectum, et hominem in pura natura conditum, tantum differre sicut spoliatum et nudum : quatenus carentia omnis gratuiti doni, quæ in statu naturæ lapsæ est privatio, eo quod talia dona erant debita seu promissa, in statu naturæ puræ esset simplex carentia et negatio, quia nullum tale donum adhuc ex promissione tunc deberetur. Primum ex his assertis defendit Alvar. lib. 6 de Auxil. disput. 51, numer. 19, secundum vero communius recipitur a Theologis : neutrique negari potest magna probabilitas. Quousque tamen in materia de Gratia illa examinemus, continebimus ultimum judicium inter hanc et præcedentem solutionem, tantumque ut probabilem utranque sustinebimus.

35. Habetur autem ex modo dictis pro hac secunda, quod licet homo infectus culpa originali non possit diligere Deum super omnia ut finem naturalem ; hæc tamen impotentia non est impotentia per se, seu impotentia physica : quia non provenit ex eo quod naturæ deficiant vires proportionatæ et sufficientes ad talem dilectionem secundum se spectatam : sed est impotentia per accidens, proveniens ex aliquibus impedimentis, quæ prædictæ dilectioni accidentaliter conjunguntur, redduntque illam homini impossibilem, non absolute et in sensu diviso, sed in sensu composito ipsorum impedimentorum. Provenit enim talis impotentia ex eo quod homo per prædictum peccatum est aversus a Deo ut finesupernaturali, cum qua aversione non compatitur conversio efficax in ipsum, etiam ut finem naturalem. Et quia talis aversio seu impedimentum non potest tolli nisi per gratiam, idcirco neque prædicta conversio, attentis omnibus, potest dari sine illa, saltem ut removente prohibens. Et ideo prædicta impotentia dicitur *moralis*, et non *physica*, quia non consurgit ex defectu physiciæ virtutis, sed ex concurrentia prædicti impedimenti.

Atque hinc fit, talem impotentiam neque tollere quominus dilectio illa possit cadere sub præcepto, neque officere libertati requisitæ ad peccandum : quia ad utrumque istorum sufficit potentia per se, seu potentia ad actum in sensu diviso et secundum se spectatum, quamvis non detur ad illum ut compositum vel componendum cum impedimentis et circumstantiis aliunde concurrentibus. Fit etiam, quod cum communiter dicitur, hominem in natura lapsa non posse sine gratia diligere Deum super omnia,

etiam ut finem naturalem, intelligendum est de potentia morali, quæ attendit omnes circumstantias ex quibusvis capitibus occurrentes: non autem de potentia physica, quæ præcise respicit naturam actus secundum se, et quæ conveniunt illi per se. Nam hæc posterior potentia quamvis negetur ab aliquibus, ab aliis etiam satis probabiliter asseritur. Per quod patet ad primum quod opposuimus num. 24, dum proponeremus dubitationem, innuentes hanc secundam solutionem.

Occursus  
ad  
object.

36. Ad secundum respondetur, adimplem prædictum præceptum fore statim infallibiliter justificandum: quia non stat ea adimpletio cum aliqua culpa mortali. Sed unde proveniat, aut in quo fundetur infallibilis connexio justificationis cum prædicta adimplerione, non omnes eodem modo explicant. Aliqui enim dicunt, satis esse quod homo ille faciat totum quod potest ex solis viribus naturæ, ut Deus id cernens præsto illi sit per auxilia sufficientia et efficacia gratiæ, per quæ se disponat ad gratiam ipsam consequendam. Non quidem ita ut prædicta auxilia, multoque minus ipsa gratia dentur intuitu illius operationis naturæ tantum viribus elicitiæ, sive tanquam propter dispositionem, sive tanquam propter meritum adhuc de congruo: nullo enim ex istis modis operatio solius naturæ potest ad gratiam conferre: sed habet se talis operatio tanquam removens prohibens, et ut conditio sine qua non esset certa collatio auxiliorum gratiæ. Deus enim ex se et ex sua summa libertate offert omnibus prædicta auxilia, confertque de facto, nisi stet per ipsos, seu nisi ipsi ad eorum receptionem aliquo peccato se impediunt: ut autem non se ita impediunt, oportet ut instante usus rationis faciant quod possunt ex viribus naturæ quas habent ad diligendum Deum super omnia: aliter peccabunt in omissione talis amoris, et per hanc omissionem apponent impedimentum receptioni prædictorum auxiliorum. Quod impedimentum non erit, si talem amorem eliciant: adeoque iste trahet secum illa auxilia, non ut meritum aliquod, neque ut dispositio per se adhuc mediata, sed ut conditio removens prohibens, ut dictum est. Et hoc voluisse videtur D. Thomas libro 3 contra gentes capit. 159, ubi sic ait: *Deus, quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare, etc. Sed illi soli gratia privantur, qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant: sicut sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei qui*

D. Thom.

*oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur, etc. Sentit ergo quod nisi homo peccando se impediat, infallibiliter Deus illi tribuet gratiam.*

Qui autem hac via incedunt, non ideo axioma illud, *Facienti quod in se est, etc.* intelligunt de operante ex solis viribus naturæ: sed dicunt, nomine gratiæ ibi non intelligi auxilia supernaturalia et prævia, quibus disponitur ad justificationis gratiam, sed ipsam gratiam justificantem: et hanc inquiunt non negari se disponenti et facienti quod in se est ex prædictis auxiliis. Cæterum cum hoc stat quod auxilia ipsa prævia non tantum sufficientia, sed etiam efficacia dentur infallibiliter facienti quod potest ex solis viribus naturæ modo explicato.

37. Sed quamvis hæc doctrina etiam in via D. Thomæ non videatur improbabilis; tutior et probabilior est quæ negat certam et infallibilem connexionem gratiæ vel auxiliorum ejus cum aliquo actu elicito viribus solius naturæ, nihil gratiæ ibi concurrente. Et sane cum actus de quo loquimur, sit efficax conversio in Deum ut finem naturalem, et hæc non possit stare cum originali peccato, neque istud auferri sine gratia, nequaquam admittendus est casus, in quo existat talis actus, nisi simul gratia concurrat: atque adeo in quo homo non fidelis faciat totum quod in se est, et quod potest viribus naturæ, nisi adjuvetur per auxilia gratiæ ad faciendum simul aliquid supra prædictas vires, per quod ad gratiam recipiendam se disponat, sicque ex auxilio supernaturali disposito gratia ipsa confertur. Neque enim repugnantiam involvit, quod homo auxilio supernaturali destitutus, gaudensque dumtaxat viribus suæ naturæ, possit elicere prædictam dilectionem Dei secundum se spectatam, seu in sensu diviso, quæ dicitur *potentia physica*: et nihilominus dilectio ipsa fieri non possit concurrentibus solis naturæ viribus, neque homo hujusmodi viribus uti sine auxilio gratiæ, propter impedimentum aliquod aliunde occurrens, et per accidens se habens ad talem dilectionem secundum se consideratam, et ad potentiam physicam illam respicientem: ut possemus multis exemplis comprobare, quæ brevitas causa omittimus.

Juxta hanc ergo doctrinam nihil excogitabitur, quod obstet huic secundæ solutioni. Non enim sequitur (ut supra objectum fuit) vel quod puer ad usum rationis perveniens et præceptum adimplens, possit nihilominus non justificari ab originali culpa. Vel quod gratia

Tuti  
occu  
ren  
modu

gratia justificationis aut aliqua supernaturalia auxilia dentur infallibiliter facienti quod est in se ex solis viribus naturæ. Est enim hæc propositio de subjecto non suppone: quia fieri non potest, ut aliquis solis naturæ viribus utens faciat totum quod est in se, et totum quod potest adhuc ex prædictis viribus. Sicut fieri non potest, quod in adimptione actuali supradicti præcepti, quæ secundum se et divisim considerata fieri posset viribus naturæ, non admisceantur de facto auxilia supernaturalia disponentia ad gratiam, et gratia ipsa collata in eodem instante ad removendam originalem culpam, quæ prædictam adimptionem impediabat, ut explicatum est.

38. Quod si hæc secunda solutio sic declarata veris innitatur principiis (de quo suo loco) proculdubio præeligenda erit. Tum quia suavius juxta eam exponitur obligatio præcepti de quo agimus, et qualiter ejus non adimptio sit peccatum mortale, sine recursum ad auxilium supernaturale omnibus collatum, ad quod confugit prima solutio. Tum etiam quia inconueniens videtur admittere contingentiam casus, in quo aliquis homo faciens totum quod in se est, et non deficiens in aliquo quod possit viribus suæ naturæ, nihilominus non fuerit gratiam consequutus. Qui sane casus vitatur omnino juxta hanc secundam solutionem, non autem juxta primam. Pro quo etiam facit, quod adhuc juxta priorem solutionem incedendo, necesse est recurrere ad doctrinam nuper traditam, ut operatio illa ad quam puer redditur potens per auxilium supernaturale omnibus collatum, habeat connexionem infallibilem cum gratiæ infusione, et cum remissione culpæ originalis. Non enim hæc connexio fundari potest in solo prædicto auxilio, cum plurimi illo donati non justificentur. Sed fundari debet in eo, quod illemet actus conversionis in Deum finem naturalem, ad quem dat vires tale auxilium, stare nequit cum aversione a fine supernaturali clausa in originali peccato: et ex hoc capite opus est gratia remouente talem aversionem, ut detur locus conversioni.

39. Et si urgeas, quia si omnibus de facto se convertentibus datur ad prædictam remotionem gratia justificans, superfluet istis illud aliud auxilium omnibus commune, non habens connexionem cum ipsa gratia: quippe omnes actus eliciendi tunc a puero, suavius et perfectius elicientur ab eadem gratia tunc collata per modum auxilii, et a

comitibus virtutibus infusis, quam ab auxilio illo distincto. Responderi posset primo, dari etiam istis prædictum auxilium ad supplendum naturæ defectum in ordine ad amorem Dei naturalem: ut non sit opus pro eliciendo hoc amore uti virtute charitatis: a qua simul elicitur alius amor altior et superior Dei finis supernaturalis, qui omnino per se exigitur ad justificationem.

Secundo et melius respondetur, quod licet omnibus ad usum rationis pervenientibus conferat Deus auxilium supernaturale, ut possint se in illum convertere; non tamen hoc auxilium est ejusdem rationis in omnibus. Nam illis quos scit de facto convertendos, seu quorum conversionem ipse efficaciter decrevit, confert loco auxilii ipsam gratiam justificantem una cum virtutibus infusis, ut in replicando tactum est: quibus collatis, non est opus auxilio sufficienti ab eis distincto, et ideo non confertur. Cæteris vero quos scit de facto non convertendos, quia non decrevit efficaciter eos convertere, confert prædictum auxilium distinctum a gratia, quo licet possint uti, et utendo adimplere prædictum præceptum potentia physica et in sensu diviso, nunquam tamen utentur, neque adimplebunt de facto: quia deerunt auxilia efficacia, et remotio prohibentis. Neque idcirco frustra Deus ex parte sua confert tale auxilium, sciens hominem illo non usurum: deserviet enim ut justificetur in sermonibus suis, et vincat cum judicaverit: quia dedit omnibus sufficientia auxilia, ut possent præcepta ejus adimplere, et consequi æternam salutem; per ipsos vero stetit, ne illam consequerentur. Circa connexionem autem quam inter adimptionem prædicti præcepti et infusionem gratiæ juxta utranque solutionem adstruimus, iterum redibit sermo dubio sequenti, ibique magis declarabitur a numero 62.

## § VI.

### *Sententia opposita cum suis argumentis.*

40. Pro opposita sententia negante supradictum præceptum, referri solent ex antiquis Alensis 4 part. quæstion. 65, memb. 3, artic. 4. Henriquez quodlibeto 5, quæstion. 20, artic. 1. Bonavent. in 4, distinction. 21, art. 1, quæstion. 1. Gabriel ibidem quæstion. 1. Durandus distinction. 4, quæstion. 7. Richardus distinct. 14, artic. 3, quæstion. 2. Palud. distinct. 16, quæstion. 1, art. 1 et alii. Non tamen omnes illam

Ener-  
vatur.

Alensis.  
Henric.  
Bona.  
Durand.  
Richard.  
Palud

An præ-  
eligenda  
hæc  
solutio?

Replica.

tuentur, ut constabit legenti. Subscribunt vero illi Vasquez, in præsentī disput. 149, capite 2. Valentia disput. 6, quæstion. 19, punct. 3. Salas disputat. 18, section. 2. Lorca disputation. 63, memb. 2. Suarez tomo 4 in 3 part. disputat. 11, section. 2. Azor. tomo 1 institutionum moralium lib. 4, cap. 10 quæstion. 6 et alii. Arguunt vero primo. Quia præceptum adeo grave et onerosum, sicut est istud de quo agitur, non debet introduci sine fundamento in sacra Scriptura, aut in SS. Patribus : sed nullum adest tale fundamentum : ergo, etc.

Vasq.  
Valent.  
Salas.  
Lorca.  
Suarez.  
Azor.

Primum  
argu-  
mentum.

Respondetur negando minorem : cujus oppositum ostendimus numero 2, aliquibus testimoniis ipsius sacræ Scripturæ. Atque ex ibidem dictis constat, prædictum præceptum consonum esse doctrinæ SS. Patrum. Nam (præterquam quod a nullo negatur, neque alicujus testimonium adduci potest contra nos) nequaquam D. Thomas fidelissimus eorum assecla ita constanter illud asseruisset, nisi vel in eorum scriptis expressum, vel ipsorum doctrinæ valde consonum reperisset. Adde, satis esse quod Scriptura et Patres enuntiant nobis, sicut toties enuntiant præceptum diligendi Deum super omnia, in quo continetur istud de quo agimus : licet non ita expresse et in particulari determinent tempus obligationis ejus : sed hoc Theologis scholasticis, et potissimum Divo Thomæ qui et inter Ecclesiæ Patres ut sanctissimus et sapientissimus, et inter Theologos ut eorum princeps merito censetur, determinandum relinquunt.

Secundum.

41. Arguunt secundo. Quia durum videtur adstringere pueros præcepto adeo oneroso in illa adhuc tenera ætate, ubi eadem quæ cognoscunt, non nisi levissime attendunt, et plerique eorum nullam Dei notiitiam habent : insuperque tale præceptum, quantum est ex parte objecti, sit omnium difficillimum : sicut actus dilectionis Dei, ad quem obligat, est omnium perfectissimus : ergo non est ita asserendum.

Respondetur negando antecedens : nullus enim rigor est, sed justitia et æquitas, quod puer etiam in illa ætate obligetur ad id quod facere potest, et cujus sufficientem habet virtutem, propriaque ratio satis clare et firmiter dictat illi esse faciendum, ut ostendimus numero 20 et 21. Cum vero 19 diximus, pueros solum obligari inexcusabiliter ad diligendum Deum, sicut in illa ætate ipsum cognoscunt : cumque nullus non cognoscat eum saltem implicite in ipsa cognitione boni honesti, quæ nullum præ-

terit, non est cur aliquis ab amore ejus implicito excusetur ; quamvis multi excusentur ab explicito, ut ibidem diximus. Quod autem prædictum præceptum ex parte objecti sit difficile propter ejus eminentiam, parum refert : quia tota hæc difficultas non superat vires, quas habet puer in illa ætate tam ex parte voluntatis, quam ex parte advertentiæ intellectus. Neque ratione ipsius ætatis sit major, sed potius minor : facilius enim tunc fertur voluntas in bonum honestum, quando nullum adhuc personale peccatum aut vitium incurrit, quam postea, cum per vitiorum affectiones fuerit in contrarium malum inclinata. Atque adeo sicut hæc major difficultas postea non excusaret a tali præcepto ; sic neque illa minor debet tunc excusare.

42. Tertio, quia ut aliquis teneatur ad aliquem actum certo tempore exercendum, debet adventum illius temporis cognoscere : aliter enim non poterit eo tempore ex certa intentione operari : sed non omnes, imo vix aliquis cognoscat, quo instante ad usum rationis perveniat : ergo non omnes tenentur diligere Deum in illo instante, Tertium

Respondetur, omnes pervenientes ad usum rationis cognoscere et experiri, se habere talem usum : sicut etiam omnes tunc cognoscunt et experiuntur, se naturali ratione urgeri, ut amplectantur bonum honestum, et in illud convertantur. In quo ipso practice et in actu exercito cognoscunt primum illud instans, et obligationem tunc currentem, et explicuimus num. 21, quamvis in actu signati communiter utrunque ignorent.

Quarto, si prædicta obligatio curreret in illo instante, et omnes constringeret, adimpleretur de facto ab aliquibus, et non ab omnibus violaretur : malum enim et peccatum non contingit in omnibus : sed nullus est qui recordetur talis adimpletionis : ergo non omnes prædicta obligatione adstringuntur. Quartum.

Confirmatur : nam si staret prædictum præceptum, non minus obligaret pueros baptizatos, quam non baptizatos : atque adeo tenerentur baptizati qui illud non adimpleverunt, imo et qui adimpleverunt, dum hujus non recordantur, aperire in confessione sacramentali eam omissionem : quod tamen non videtur communiter receptum.

43. Respondetur ad argumentum negando consequentiam : non enim est sufficiens signum non adimpletionis in omnibus,

bus, quod nullus se adimplevisse recordetur; sicut quod nullus recordetur se non adimplevisse, non est signum quod omnes adimpleverint: imo certum est plurimos non adimplevisse. Non ergo negamus quod aliqui adimpleverint, et præsertim illi de quibus credimus nullum peccatum mortale commisisse, sed baptismalem innocentiam semper conservasse. Ut de Angelico N. Doctore Aquinate, de Seraphica M. N. Teresia, de V. Parente Joanne a Cruce, et de multis aliis pie credimus. Obliviscuntur tamen cito talis adimpletionis, quia non reflectuntur supra illam: sicut de oblivione ipsius præcepti diximus num. 22.

Ad confirmationem respondetur, homines baptizatos excusari multoties a confessione explicita illius peccati propter oblivionem aut ignorantiam invincibilem, quam, transacta illa prima duratione, communiter incurrunt. Neque ob id tale peccatum non subjicitur confessioni et clavibus Ecclesiæ: censetur enim confessum implicite in prima confessione: sicut alia quæ semel commissa omnino e memoria labuntur. Quod si aliquis post illam oblivionem ratione et discursu sufficienter deprehendat, adfuisse in instante usus rationis prædictum præceptum, et adimpletionem ignoret, ea ratione tenebitur ad confitendum tale peccatum, qua tenetur ad confitenda alia de quibus dubius est, an ea commiserit, vel non commiserit: atque adeo sufficiet ut sub dubio de illo se accuset: et ita faciunt satis communiter viri timorati, ubi primo veritatem nostræ sententiæ vel per seipsos assequuntur, vel a viris doctis edocentur. Poterunt tamen quotquot circa rem hanc non habent evidentiam, a prædicta confessione excusari, adhærendo in praxi contrariæ opinioni, quæ negat prædictum præceptum. Quia cum nostra tametsi vera et probabilior, non sit certa; et ab opposita sint authores et rationes, quæ reddunt eam probabilem: quisquis in praxi huic probabilitati adhæserit, prudenter judicabit, se non incurrisse illud peccatum, neque proinde ad confessionem teneri.

Quintum.

44. Quinto arguitur. Si adesset præceptum de quo agimus, quisquis non adimplevisset illud in instante usus rationis, teneretur postea adimplere; maneretque semper in peccato, imo et actu peccans, donec de facto adimpleat: sicut qui tenetur ad restituendum aliquid, peccat semper actu, quandiu non restituit. Hoc autem nimis durum videtur, et ideo communiter

non admittitur a Theologis: ergo, etc.

Huic argumento respondent aliqui negando absolute majorem: quia præcepta affirmativa, cujusmodi est de quo loquimur, non obligant pro semper, sed tempore determinato, quo transacto, sive quis ea adimpleverit, sive non, cessat obligatio. Ut patet in præcepto sacrum audiendi, quod determinate obligat pro die festo: et hoc transacto, etiamsi auditum non fuerit, obligatio evanescit, et non urget pro sequenti die. Neque est simile de præcepto restitutionis: quia hoc ita est affirmativum, ut simul claudat præceptum negativum non nocendi proximo obligans pro semper; nocetur autem illi, quandiu restitutio differret, quia taudiu re sua invitatus privatur.

Secundo respondetur concedendo majorem quoad primam partem per se loquendo, et negando illam quoad secundam: quia oblivio vel ignorantia invincibilis prædicti præcepti, quam omnes vel fere omnes incurrunt transacto illo instante, excusat eos, ut deinceps non peccent in ejus omissione: sicut ille qui omittit restituere propter oblivionem invincibilem, excusatur ab obligatione restituendi, quandiu manet oblivio. Si quando vero decursu temporis redeat notitia præcepti, et non constet esse adimpletum, urgebit tunc ejus obligatio, quousque adimpleatur: nisi una cum tali notitia adsit iudicium de probabilitate contrariæ opinionis, cui voluntas prudenter conformetur.

45. Sexto, nullum est præceptum in Sextum. decalogo, ad quod pertineat istud de quo loquimur; cum tamen omnia præcepta legis naturæ ibi contineantur: ergo non datur tale præceptum: esset enim, si daretur, præceptum naturale.

Respondetur pertinere ad præceptum diligendi Deum super omnia: quod est radix et initium omnium præceptorum.

Denique arguunt citati authores contra nos: quia ratio potissima apud Thomistas assignandi hoc præceptum, est, ut vitetur inconveniens, quod ex ejus negatione deducunt: ne videlicet detur in aliquo peccatum veniale cum solo originali: sed hoc inconveniens neque est alicujus momenti, neque cavetur sufficienterposito tali præcepto; ergo prædicta ratio non est efficax.

Ultimum argumentum.

Huic argumento potest occurri negando quamlibet ex præmissis: quod enim major sit falsa, constat ex dictis num. 25; falsitas vero minoris quoad utranque partem ostendenda est dub. sequenti.

## DUBIUM II.

*Utrum peccatum veniale possit esse in aliquo cum solo originali?*

Resolutio hujus dubii ex decisione præcedentis necessario dependebat, sicut consequens ex antecedente: qua proinde præmissa, non erit opus novis uti principiis, sed ex hucusque præjactis, quod legitime inferunt, expressius deducere. Ad majorem tamen abundantiam et extensionem doctrinæ non omitemus rationem ab inconveniente, qua D. Thom. hic et alibi sæpe utitur: a qua tamen cito expediemur.

## § I.

*Sententia D. Thomæ duplici ratione fulcitur.*

46. Dicendum ergo est, peccatum veniale non posse conjungi cum solo originali: sed quemlibet qui venialiter peccat, vel exuisse jam originalem culpam, vel aliam mortalem commisisse. Hæc conclusio est D. Thomæ in hoc 6 art. totque aliis locis citatis supra n. 2, ut nulla ratione possit ejus mens in dubium revocari. Quem proinde sequuntur omnes ejus discipuli, plurimique alii, quos cit. nu. adduximus: neque enim soli Thomistæ (ut aliqui ex adversariis putant, sufficeretque ad hujus sententiæ firmitatem), sed et multi Scotistæ et aliarum scholarum asseclæ ei subscribunt. Probat illam primo Ang. Doctor in argum. *Sed contra*, ab inconveniente, quod ex opposita sequeretur: nimirum dari statum hominis in hac vita, cui non correspondeat certus locus et receptaculum in futura. Hoc enim inconveniens esse, nullatenusque admitendum, ex eo liquet: quia in quolibet statu hujus vitæ contingit hominem mori, et in nullo est a morte securus: in quocunque autem moriatur, debet ejus anima statim ut a corpore separetur, ad certum locum tendere, in quo præmium vel pœnam juxta merita recipiat: et quod anima illa pro aliqua duratione maneat extra talem locum, ab omnibus inconveniens reputatur. Sequi vero tale inconveniens ex opposita sententia, quæ admittit posse dari peccatum veniale cum solo originali, facile suadetur discurrendo per omnia loca, quæ ad recipiendas animas ex hac vita migrantes assignantur in futura. Nam anima illius qui in peccato veniali juncto cum solo originali

Prima ratio.

moreretur, neque evolaret statim ad cælum, ut est per se notum. Neque ad purgatorium descenderet: quia ibi non recipiuntur nisi quæ in gratia decedunt, ut illo igne purgatæ in cælum conscendant. Neque etiam descenderet ad infernum damnatorum: quia pœnæ illius loci tam damni quam sensus excedunt longe merita culpæ originalis, et solius venialis, adæquantque demeritum culpæ mortalis personalis. Neque ad lymbum puerorum, quia ibi nulla datur pena sensus; qua tamen culpa illa venialis puniri deberet. Multoque minus ad lymbum antiquorum Patrum: quia locus iste destinatus fuit dumtaxat pro detinendis usque ad mortem Christi illis Sanctis nulla jam alia pœna dignis. Hæc sunt autem omnia receptacula a Deo assignata pro animabus ab hac vita exeuntibus: igitur pro illa de qua loquimur, nullus locus relinquatur.

47. Ut autem melius constet, non posse vitari hujusmodi inconveniens juxta oppositam sententiam, observandum est, illud non sistere in eo dumtaxat quod anima cum peccato originali et veniali ab hac vita discedens non inveniat tunc receptaculum in futura: sed etiam in eo quod detur aliquis status hominis in hac vita, cui in futura nullus locus correspondeat, ad quem homo ipse secundum præsentem justitiam, et juxta merita in quibus invenitur, sit destinatus. Si enim inter alios status hujus vitæ, quos de lege communi possibles admittimus, nullus est, qui sibi non vindicet certum locum in futura, ad quem quotquot habent talem statum, ex quo sunt in illo, adeoque etiam ante mortem destinantur: cur dicemus, debilem esse illum quem adversarii volunt, in quo existentibus, quatenus in eo sunt, nullus locus correspondeat?

Ex qua observatione facile ruit evasio, qua iidem adversarii conati sunt huic rationi occurrere. Dicunt enim pertinere ad divinam providentiam res ita disponere, ut vel non permittat, eum qui habet peccata venialia cum solo originali, mori in tali statu, quousque aut justificetur, aut aliquod mortale incurrat: sicut non permittit, mori peccatorem prædestinatum, quousque a peccato mortali exeat; neque justum præscitum, quousque in illud incidat. Vel si permittere velit, ut aliquis in statu illo moriatur, tunc assignabit ei locum distinctum a quatuor enumeratis, quo tendat: vel in aliquo illorum ex speciali dispensatione, et cum pœna culpæ proportionata eum collocabit.

Aperitur vis hujus rationis.

Emmugium.

48. Hæc igitur evasio quoad omnes suas partes ex præmissa observatione facile præcluditur : quia sicut dicendum est, divinam providentiam suaviter et accurate omnes rerum ordines disposuisse, sic fateri etiam debemus, quod pro omnibus statibus hujus vitæ assignaverit in futura loca proportionata, quæ, attenta communi lege, illis debeantur et respondeant : sciamusque ita de omnibus hominibus in hac vita degentibus, ad quem locum secundum justitiam præsentem et juxta merita cum quibus invenitur unusquisque pertineat. Hacque ratione opus non sit recurrere ad novam et specialem providentiam (de qua nobis constare non potest) ut vel de omnibus existentibus in illo statu, neminem mori permittat ; vel nova et inaudita loca tempore mortis designet ; vel speciali dispensatione damnet morientem in prædicto statu ad aliorum receptacula, quæ illi ex natura rei et ex communi lege non congruunt.

Nec refert quod dicitur de peccatore prædestinato, et de justo reprobato : quia licet de his divina providentia ita disposuerit, ut nec prior antequam gratiam recuperet, nec posterior antequam eam amittat, moriatur : attamen dum sunt in hac vita, unusquisque habet statum correspondentem alicui ex receptaculis futuræ. Justus enim quandiu talis permanet (sive alias prædestinatus sive reprobatus sit), ex vi status, et secundum præsentem justitiam destinatus est purgatorio, vel cælo ; peccator vero (sive alias reprobatus sive prædestinatus) dum peccator est, ac secundum præsentem justitiam, inferno : licet quia uterque secundum præscientiam divinæ prædestinationis et reprobationis mutaturus sit statum, et peccator prædestinatus convertendus, justus vero reprobatus casurus et mansurus in culpa mortali ; mutanda etiam sint receptacula, et illi tandem cælum vel purgatorium, huic vero infernus corresponsurus. Circa hanc tamen primam rationem nolumus immorari. Tum quia non est potissima, cui sententia nostra innititur : neque a priori sed a posteriori procedit. Tum etiam quia quidquid ad adversariis ad ejus eversionem adducitur, ex nuper dictis poterit falsitatis aut levitatis convinci.

Principalis ergo ratio, et quæ pro Thomistica sententia caput est, traditur ab Angelico Doctore in corpus hujus 6 articuli, et ex doctrina dubii præcedentis potest sic formari. Omnis homo cui non est remissum peccatum originale ante usum rationis,

tenetur quando ad illud instans pervenit, convertere se in Deum per amorem ejus efficacem et super omnia, vel explicitum vel saltem implicitum. Sed nullus qui ita teneatur, potest prius peccare venialiter, quam vel justificetur et mundetur ab ipsa culpa originali, vel peccatum mortale incurrat : ergo nullus poterit peccatum veniale soli originali conjungere. Consequentia est perspicua. Et major satis probata dubio præcedenti, de qua proinde non est hic dubitandum. Minor vero suadetur. Nam si ille qui ita pervenit ad rationis usum, omittat adimplere prædictum præceptum, peccat mortaliter : et sic peccata venialia, quæ in eodem instante, vel deinceps committit, non erunt cum solo originali. Si vero præceptum adimpleat, eo ipso in illomet instante justificabitur per gratiam a culpa originali : quia amor Dei super omnia non est compossibilis cum hac culpa, sicut neque cum aliqua alia mortali : unde peccata venialia quæ deinceps aut forte in illomet instante committet, non jam associabuntur culpæ originali. Antecedenter autem ad illud instans sicut homo non est capax incidendi in peccatum mortale defectu usus rationis, ita neque in veniale : quia ad utrumque necessaria est libertas.

## § II.

### *Prima adversariorum evasio, et objectio contra nostram rationem.*

50. Authores quos dubio præcedenti numero 40, contra nostram sententiam adduximus, hic etiam nobis adversantur. Existimant enim, quod adhuc sententia illa admissa, non probatur ea quam modo statuimus. Negantque proinde minorem nostræ secundæ rationis : quia putant non inferri legitime ex existentia præcepti dilectionis Dei contenti in majori. Redduntque rationem, simulque objiciunt, primo quod ratio in homine non expeditur omnino subito, sed successive et paulatim ligamina ejus tolluntur : priusque pervenit ad usum imperfectum et semiplenum, quam ad plenum et perfectum ; quousque autem ad istum perveniat, nec potest adimplere præceptum dilectionis Dei, neque peccare mortaliter contra illud, quia ad utrumque requiritur plena libertas : potest tamen peccare venialiter per aliquos motus semideliberatos : quia ad hoc sufficit libertas semiplena. Sicut ille qui exit ab ebrietate vel

Ever-  
titur.

Ratio  
præci-  
pua.

somno, prius incipit habere motus semideliberatos sufficientes ad culpam venialem, quam plene evigilet, ut requiritur ad mortalem. Et propterea in communi divisione peccati venialis præter venialia ex genere, et ex parvitate materiæ ponuntur alia, quæ licet ex his capitibus venialia non essent, ex defectu tamen plenæ deliberationis non pertingunt ad gravitatem mortalium. Poterit ergo puer, quando ratio in eo solvi jam cœpit, necdum tamen plene soluta est, committere aliquod peccatum veniale; quod proinde cum solo originali in eo existente concurrat.

Prima solutio.

51. Hanc evasionem et objectionem simul ut elidant nostræ sententiæ defensores, dicunt eorum aliqui, quod quamvis ad peccatum veniale sufficiat libertas semiplena ex parte actus; ex parte tamen principii seu facultatis ad deliberandum requiritur omnino plena: ipsa quippe semiplena libertas in eo sita est, quod ratio possit plene deliberare de objecto quod semiplene advertit, licet actu non sic deliberet. Ut autem plene deliberare possit, necesse est, ut plenus rationis usus jam advenerit, homoque illum expertus sit. Imo addunt nonnulli, quod ut homo dicatur deliberare semiplene circa aliquod objectum, necesse est, ut actu sit cum plena advertentia circa illud: quia qui circa nullum plene advertit non habet sufficiens principium, ut possit practice et expedite movere se ad plene deliberandum; cum tamen semiplena libertas huiusmodi potentiam requirat. Juxta quam doctrinam, quæ est Cajetani in præsentis et aliorum, consequenter dicendum est neque in semidormiente, neque in semiebrio, quousque plene evigilent, neque proinde in puero, antequam rationis usum plene recipiat, inveniri libertatem semiplenam sufficientem ad peccandum venialiter; sed primam eorum libertatem debere esse plenam et sufficientem ad peccandum mortaliter. Quocirca peccata illa quæ dicuntur venialia ex imperfecta deliberatione, quæque passim committimus, non ideo venialia remanent, quia ille a quo committuntur, non habeat actualiter in se libertatem et deliberationem sufficientem ad mortalia; sed quia non exerceat huiusmodi libertatem circa objecta talium peccatorum, sed circa alia, ad quæ distractus, solum retinet circa prædicta objecta advertentiam et libertatem semiplenam, cum facultate ad plene deliberandum fundata in illa alia plena deliberatione.

Cajet.

52. Hæc tamen doctrina, quæ in se est probabilis, et cui alias forte non pigeret subscribere, modo quoad id præsertim quod diximus addi a nonnullis, non utemur. Tum propter minorem ejus certitudinem: paucos enim pro illa ut a nobis explicata reperimus: ob idque non oportet adeo Thomisticam et communem sententiam prædictæ doctrinæ alligatam relinquere. Tum etiam quia non ita suadebimus adversariis, libertatem semiplenam et sufficientem ad peccandum venialiter circa unum objectum, habere semper comitem advertentiam et deliberationem plenam circa aliud, nec posse sine ea reperiri. Præsertim in semiebriis et semidormientibus: quibus antequam plene ad se redeant, satis communiter conceditur libertas semiplena sufficiens ad peccatum veniale; etiamsi tunc circa nullum objectum plene deliberent. Sicut etiam sobrii et vigilantes multoties impetu alicujus passionis ita extra se rapiuntur, ut licet rationis usu non omnino priventur, nihil tamen plene attendant: quibus nihilominus negare aliqualem libertatem, ratione cujus in tali statu peccata venialia committant, voluntarium videretur. Neque fundamentum prædictæ doctrinæ ita convincit, quin dicere possimus, quod licet deliberatio semiplena secum habere debeat potentiam expeditam ad plene et perfecte deliberandum; non tamen requiritur, quod hæc perfectio et plenitudo teneat se ex parte potentiæ, seu quod potentia ipsa sit perfecta, et plene expedita ad actum plene et perfecte liberum; sed sufficit potentia utcumque ad talem actum, etiamsi solum sit expedita imperfecte et secundum quid: sicut ipsa libertas semiplena, pro qua exigitur, tantum est libertas imperfecta et secundum quid. Quod autem ad expediendum hoc modo potentiam non sufficiat advertentia semiplena, sed exigatur plena, haud facile probabitur. Alia ergo via quærenda est impugnatio propositæ evasionis et solutio objectionis.

Desertur.

53. Pro quo nota, quod etsi ad moralitatem, quæ dividitur per bonitatem et malitiam, necessaria sit libertas; diversum tamen quid est moralitas a libertate: nam hæc solum postulat ex parte intellectus indifferentiam judicii, seu judicium proponens objectum, quodcumque hoc sit, cum indifferentia ad utrumlibet: et ideo ubicumque detur hæc indifferentia, dabitur libertas. At vero moralitas sumitur ex habitudine ad suam regulam, quæ est judicium synderesis,

Doctrina pro evictenda objectione.



synderesis, cujus objectum est bonum honestum, et malum oppositum, quatenus illud approbat, et istud reprobat. Unde nisi actus prædictam regulam, ejusque approbationem vel reprobationem concernat, seu nisi is qui operatur, possit actum suum prædictæ regulæ conferre, et ex hac collatione approbare illum vel reprobare, non erit bonus aut malus moraliter, quamvis forte sit liber : ut in illis, qui juxta probabilem sententiam manent in individuo indifferentes, contingere diximus in tractatu de bonit. et malit. disp. 2, dub. 1, et disp. 7 a num. 26. Necesse est ergo ad hoc ut aliquis tanquam agens morale operetur, sicut operatur ille qui quomodolibet peccat, quod possit conferre suum actum et ejus objectum cum regula moralitatis, et cum bono honesto præsentato per hanc regulam, ut ex tali collatione percipiat convenientiam vel disconvenientiam ipsius actus et objecti cum prædicta regula. Quisquis enim nihil istius convenientiæ vel disconvenientiæ percipit in objecto sui actus, non attingit illud ut morale : adeoque non potest aliquam moralem malitiam quantumvis levem et venialem ab eo desumere. Et quia nullus potest percipere convenientiam vel disconvenientiam unius extremi ad aliud, nisi prænotum habeat, et in memoria retineat ipsum extremum, cui aliud dissonat vel consonat, et nisi de eo certificatus sit : sicut nullus potest cognoscere, an aliqua imago repræsentet verbi gratia Cæsarem, aut ab eo dissonet, nisi præcognitam habeat, et in memoria retineat formam et speciem ipsius Cæsaris : idcirco quandiu homo non habet præcognitionem, et manifestatam sibi regulam moralitatis, et communem rationem boni honesti, manetque circa eam certificatus, non potest cognoscere, adhuc imperfecte, et secundum quid, an objectum quod attingit, consonet, vel dissonet prædictæ rationi, sitque proinde vel non sit morale : quia nondum habet cognitam regulam qua id possit detegere : et per consequens non est capax operandi bene vel male moraliter. Porro ut homo primo cognoscat regulam moralitatis et rationem boni honesti, maneatque de his certificatus, necessaria omnino est advertentia plena, et judicium perfectum. Tum quia per advertentiam solum semiplenam non potest intellectus certificari de objecto a se cognito ; sicut nec satis discernere inter ipsum et alia, quæ a tali objecto distinguuntur. Tum etiam quia prima cognitio boni honesti et regulæ moralitatis non po-

test aliunde nobis advenire, quam a Deo per lumen synderesis, cujus actus nequit esse cum semiplena tantum advertentia : quia virtus sive moralis sive intellectualis non elicit actus nisi perfectos.

54. Hinc sumenda est impugnatio propositionis evasionis : nam admissio quod in pueris ad usum rationis pervenientibus ratio seu discursus successive et paulatim solvatur, ob idque prius habeant advertentiam et deliberationem semiplenam, quam plenam, et prius imperfectam quam perfectam libertatem : et admissio etiam quod semiebrii, et semidormientes, et per passionem extra se rapti hac semiplena libertate potiantur, eaque venialiter peccent (neutrum pro nunc aut asserimus aut negamus), non ideo dicendum est, posse prædictos pueros venialiter tunc delinquere. Quia cum omnes alii ante statum illum fuerint aliquando plene sui compotes, et per plenam advertentiam judicii synderesis certiores facti sint regulæ moralitatis et rationis boni honesti, possunt occurrente aliquo objecto dissono cum advertentia tantum semiplena, imperfecte et secundum quid percipere dissonantiam ejus ad prædictam regulam, cujus notitiam in memoria retinent, et quæ virtute prioris cognitionis imperfecte et subobscuræ tunc sibi appareat. Cæterum cum prædicti pueri, antequam rationis usus plene solvatur, nullibi rationem boni honesti, et regulam moralitatis didicerint, nec de iis fuerint aliquando certiores facti (non enim hujusmodi notitia aliter eis communicatur, quam a Deo per lumen synderesis, et cum plena deliberatione, ut nuper diximus), nequeunt ante plenum rationis usum percipere, adhuc secundum quid, et imperfecte convenientiam vel disconvenientiam objectorum sibi occurrentium ad illam regulam, et ad rationem communem boni honesti, ac proinde neque peccare venialiter : cum hoc fieri nequeat sine aliquali perceptione prædictæ disconvenientiæ.

Ad hæc : nullus potest operari moraliter, sive bene sive male, sive perfecte sive imperfecte, nisi prius ingrediatur ordinem moralem, et in eo constituatur per formam et principium hujus ordinis : cumque hæc forma et principium sit illud primum judicium synderesis in memoria retentum, quo certo cognoscitur ratio boni honesti et mali oppositi, et quod bonum est faciendum, et malum fugiendum, fieri non poterit, ut puer antequam prædictum judicium eliciat, per ipsumque in ordine morali

Formatur impugnatio.

constituatur, exerceat aliquam actionem moralem, sive bonam sive malam: etiamsi actio quam exercet, non omnino careat libertate.

55. Nec refert, si dicas, tum quod licet cognitio boni honesti certa et indubitata plenam advertentiam requirat: quia nullus certificatur de eo quod non plene advertit: cognitio tamen aliqua dubia et incerta ac per modum suspicionis haberi poterit cum sola advertentia semiplena: nam sicut se habet simpliciter ad simpliciter, et perfectum ad perfectum; ita secundum quid ad secundum quid, et imperfectum ad imperfectum. Sufficiet autem pueris non habentibus plenum usum rationis, hæc imperfecta notitia boni honesti, ut in objectis occurrentibus utcumque attingant dissonantiam ad prædictum bonum. Tum etiam quod tales pueri antequam plene deliberent, cognoscunt rationem boni physici, quantum sufficit ut in objectis nocivis tunc sibi occurrentibus percipiant disconvenientiam et dissonantiam ad tale bonum; de quo tamen usque tunc per nullum actum plene attentum fuerunt certificati: cur ergo non eodem modo se habebunt circa bonum honestum, et dissonantiam mali oppositi?

Diluitur  
prima.

Respondetur ad primum, quamlibet notitiam dubiam supponere aliquam aliam notitiam certam et firmam, ex respectu ad quam possit veritas detegi, et dubium vel suspicio deponi. Qui enim dubitat aut suspicatur de aliquo homine, an sit talis vel talis, puta an sit sapiens vel ignarus, nobilis vel ignobilis, etc. prænotum jam habet, quod sit vel esse possit aliqua nobilitas et aliqua sapientia, quas nescit et dubitat an convenient vel non convenient illi homini: et similiter qui suspicatur vel dubitat, an teneatur vel non teneatur hac vel illa obligatione, prius cognovit, se esse subjectum legi et superiori, unde possit oriri illa vel alia obligatio: neque aliter occurrerent ei similia dubia aut suspensiones. Unde cum in hujusmodi cognitionibus non sit in infinitum procedendum, necessario deveniendum est ad unam primam, quæ sit principium et simul terminus illius quæ dicitur dubia vel suspecta: quæque proinde non sit suspecta aut dubia, sed firma et certa, aliter neque ipsa esset prima, sed aliam et aliam in infinitum præsupponeret. Quandiu igitur puer nulla certa notitia didicit, an sit, aut quid sit bonum honestum et regula moralis, nullum potest ei advenire dubium vel suspicio circa objecta occurrentia, an

dissonent, vel consonent tali bono et regulæ.

56. Adde, quod dubium et suspicio et quælibet notitia incerta ex se tendunt ad inquisitionem veritatis: quia intellectus in incertis non quiescit: inquisitio autem terminatur in collatione ejus quod inventum est, ad aliquid prius notum, quod in intellectu tanquam regula ipsius veritatis existit: atque adeo de primo ad ultimum inquisitio, suspicio, et dubium, et quæcunque alia incerta cognitio supponere debet cognitionem firmam et certam prædictæ regulæ, in quam resolvatur. Dum ergo in pueris nulla supponitur certa cognitio principii et regulæ moralitatis, nulla oriri potest circa objecta illis occurrentia dubitatio aut suspicio convenientiæ vel disconvenientiæ ad talem regulam.

Adde secundo, quod ut puer peccet adhuc venialiter amplectendo, quod bono honesto dissonat, aut respuendo quod consonat, debet esse certus de hoc principio; nimirum quod tale bonum est faciendum, et oppositum malum fugiendum: nisi enim de hoc primo principio haberemus certitudinem, non consurgeret ex illo obligatio, aut respuendi quod illi bono dissonat, aut quæ consonant amplectendi: quia cum in dubiis potior sit conditio possidentis, nulla obligatio omnino dubia potest urgere voluntatem ad operandum vel omittendum illud ipsum, de quo est dubium: ac proinde nullum potest esse peccatum, quantum est ex parte cognitionis dubiæ, sequi vel non sequi illud, de quo non datur perfectior cognitio.

57. Dices, eo ipso quod aliquis dubitet an teneatur vel non teneatur jejunare v.g. peccabit non jejunando, ergo ex vi cognitionis dubiæ potest obligatio consurgere. Respondetur negando consequentiam. Imo potius qui ita dubitat, non tenetur jejunare, quandiu invincibiliter manet dubius. Tenebitur autem veritatem inquirere, et dubium deponere, aut saltem facere quod in se est, ut sciat an ad jejunium teneatur. Hæc tamen obligatio inquirendi veritatem non oritur ex illo dubio circa jejunium, sed ex alia obligatione indubitata, qua quilibet certo scit se teneri in rebus dubiis ad inquirendam veritatem, ne errandi periculo se exponat.

Diluitur  
secunda.

Ad rem ergo, quamvis puer ante plenum usum rationis nancisceretur cognitionem aliquam boni honesti dubiam et incertam, non idcirco posset tunc peccare venialiter: quia ex vi illius non teneretur ad aliquid faciendum

faciendum vel fugiendum, quousque primum illud principium et præceptum, ex quo omne aliud præceptum et obligatio descendit, certo cognosceret.

58. Ad secundum respondetur, esse disparem rationem: quia circa bonum physicum, quod solum dicit convenientiam ad propriam naturam, certificatur puer naturaliter per ea quæ sensibus percipit: sicut etiam animalia bruta mediis sensibus acquirunt fixam cognitionem de iis, quæ suæ naturæ conveniunt, aut disconveniunt. Unde antequam puero usus rationis adveniat, adest jam fixa et immobilis notitia de tali bono, ex habitudine ad quam, ubi imperfecte deliberare incipit, potest formare dubium vel suspicionem circa objecta, quæ semiplene advertit, quantum ad eorum convenientiam vel disconvenientiam physicam. At vero prima notitia boni honesti non sumitur a sensibilibus, neque acquiritur per sensus; imo neque ab hominibus discitur, sed immittitur a Deo per iudicium synderesis: sine cuius naturali illustratione, quantumvis puer audiat voces et terminos, non percipiet, neque discet rationem talis boni.

Diximus *prima notitia boni honesti*, quia semel cognito per prædictam illustrationem prædicto bono et primo principio, potest ipse puer per magistri educationem et per proprium discursum alia principia minus nota detegere, et conclusiones deducere: indit enim Deus primum illud principium, ut sit fons et seminarium totius cognitionis pertinentis ad ordinem moralem. Atque hinc magis confirmatur quod nuper diximus: scilicet primam notitiam boni honesti non posse esse tantum semiplenam, suspectam, aut dubiam. Tum quia notitia quæ a Deo specialiter immittitur, ut sit seminarium et initium totius sequentis cognitionis, continens in virtute et radice quicquid postea addiscitur, non potest esse ita imperfecta, ut ex se liquet. Tum etiam quia Deus immittit illam mediis actibus synderesis, qui cum sint actus virtutis intellectualis, debent esse perfecti: nam virtus est dispositio perfecti ad optimum, et quæ opus perfectum reddit, ut ex Philosopho suo loco diximus.

59. Si vero urgeas, quod in peccatis venialibus ex imperfecta deliberatione percipitur dissonantia ad bonum honestum; et tamen cognitio illa est tantum semiplena: ergo vel manifestare hanc dissonantiam non pertinet ad virtutem synderesis, vel hæc

virtus potest elicere actus ita imperfectos. Respondetur, perceptionem illam non esse proprie manifestationem, sed quandam apprehensionem prædictæ dissonantiæ, ad quam non concurrat virtus; sed fit per ipsum lumen commune intellectus una cum speciebus repræsentativæ dissonantiæ: ut vero huiusmodi species ita repræsentent, genereturque inde dubium vel suspicio, necesse est adesse in intellectu fixam et immobilem cognitionem boni honesti, cuius memoria cum quadam saltem confusa ejus apprehensione concurrat ad illud dubium terminandum.

Enodatur.

Possemus etiam alia vi præcludere totam hanc evasionem, ostendendo disparitatem inter adultos semiebrios aut semidormientes. et pueros ad rationis usum nondum plene pervenientes: ut negaremus istis omnem libertatem etiam semiplenam, quæ illis conceditur: et consequenter capacitatem ad venialiter delinquendum, antequam pleno gaudentes rationis usu possint peccare mortaliter. Sed hanc viam consulto examinare omittimus, et ut brevitati consulamus: et quia magis placet quam elegimus.

### § III.

*Enodantur alia quæ obstare videntur eidem secundæ rationi.*

60. Secundo opponunt nobis adversarii ad enervandam eandem rationem, quod etiamsi ante instans plenæ advertentiæ nequeat puer peccare venialiter; poterit tamen in illomet instante, antequam vel adimpleat præceptum dilectionis Dei, vel in ejus omissione mortaliter delinquat. Quia cum illud instans non sit metaphysicum et omnino indivisibile, sed morale claudens in se aliquod temporis spatium, satisque fiat prædicto præcepto, si in toto illo instante, vel in ejus termino adimpleatur, potest assignari tempus sufficiens ad peccandum venialiter, etiam cum plena advertentia, antequam urgeat adimpletio: illud nimirum quod ab initio illius instantis moralis usque ad terminum exclusive decurrit. Cur enim in illa intermedia duratione non poterit aut loqui verbum otiosum, aut leve mendacium proferre, aut vanam aliquam cogitationem admittere: quæ etiamsi deliberate fiant, non excedunt culpam venialem?

Secunda objectio.

Et confirmatur: nam cum hæc res sit moralis, moraliter et non metaphysice per-

Confirmatur.

tractanda est : atque adeo satis erit ad hoc ut aliquis non peccet contra illud præceptum, quod vel in prædicto instante morali vel cito post adimpleat ipsum : quia parum in morali consideratione pro nihilo reputatur. Esto vero sit aliqua culpa differre aliquantulum adimpletionem, judicabitur hæc brevissima dilatio materia parva, et ita non excedit culpam venialem : dabitur ergo locus huic culpæ ante gravem violationem prædicti præcepti.

Solutio  
objectio-  
nis.

61. Respondetur ad objectionem negando antecedens. Cujus probationi occurrit bene in præsentis Cajetan. quod licet instans morale pro quo urget præceptum dilectionis Dei, includat tempus sufficiens ad habendam deliberationem ; debet tamen puer ita uti tempore illo ad deliberandum concessio, ut quam primo possit, deliberet de seipso et de ordinatione sui in bonum honestum. Et ideo si non quam primo potest, deliberet, in hoc ipso peccat mortaliter, retardans voluntarie adimpletionem præcepti : sicut peccaret non adimplendo illud statim ac deliberationem perficeret. Porro qui in illo tempore necessario ad deliberandum diverteret attentionem ad verbum otiosum vel mendacium proferendum, vel ad aliquid simile agendum, hoc ipso retardaret voluntarie deliberationem quæ instat, et consequenter præcepti adimpletionem.

Cajet *Cum enim* (ait Cajetan. rem optime declarans) *virtus unita sit major seipsa dispersa, et a majori virtute citius fiat aliquid quam a minori cæteris paribus, consequens est ut citius deliberet non divertens, quam divertens : ac per hoc qui ad aliud aspicit vane, non quam cito potest deliberat, libere suam vim minuens, et sic reus est omissionis præcepti divertendo, non quam cito potest deliberando. Et quamvis non teneatur ante terminum deliberationis eligere, tenetur tamen ante terminum nullum impedimentum apponere charitati : et propterea apponendo peccat mortaliter ante terminum. Sicut deliberationi operam non dans ante instans quod terminasset deliberationem, peccat omissione.*

Addendum vero est, ut tacita quædam replica diluatur, quod ut diximus num. 20, Auctor naturæ et natura ipsa de se sollicita offert tunc puero cogitationem deliberandi de seipso in ordine ad bonum honestum, taliterque hæc cogitatio et cognitio boni honesti, quæ simul adest, clamat et reclamatur pro prædicta deliberatione, ut vel nullo modo, vel nonnisi ex industria et data opera valeat puer ad aliud cogitandum

diverti : et ideo si quæ tunc diversio fieret vel ad dicendum mendacium, vel ad aliud aliquid, per quod deliberatio illa retardaretur, non quasi ex surreptione aut simplena tandem advertentia incidens damnaretur ad solam culpam venialem ; sed ut habita ex animo et data opera imputanda esset ad mortalem.

62. Ad confirmationem dicas, sæpe res morales exigere discussionem et intelligentiam satis metaphysicam, et aliqua esse præcepta in quibus non admittitur materiæ parvitas, etiam quoad tempus adimpletionis. Præceptum enim impositum Angelo ut Deum diligeret pro secundo instante suæ creationis, nullam omnino dilationem admittebat : sicut et præceptum non sumendi cibum aut potum post mediam noctem, quo adstringitur qui celebraturus est, metaphysice obligaret a tempore illo, si ipsum tempus metaphysice cognosceretur. Quæ autem ita stricte et metaphysice obligent, et quæ dilationem aliquam majorem vel minorem permittant, ex uniuscujusque natura et præcipientis intentione venandum est. Porro præceptum de quo agimus, non permittere etiam modicam dilationem post instans morale usus rationis, et hanc esse Dei præcipientis voluntatem, ostendunt rationes, quibus præcedenti dub. probavimus existentiam talis præcepti. Quia cum ejus finis sit, ut homo incipiens operari tanquam agens morale et liberum, habeat sibi præfixum certum scopum, in quem omnes suas actiones dirigat, ex hoc ipso postulatur, ut inter hujusmodi actiones prima sit adimpletio prædicti præcepti, qua cæteris præfigitur talis scopus. Præsertim cum ex una parte nulla possit esse ratio aut necessitas differendi vel per modicum tempus hanc adimpletionem, ut intuenti constabit : ex alia vero possit fieri morali et humano modo in prædicto instante. Nam propterea non restringitur ad unum instans metaphysicum, sed ad prædictum instans morale, sub quo clauditur tempus necessarium, ut morali et humano modo possit deliberare de seipso et in finem debitum se convertere. Adde quod ut numero 41 tetigimus, facilius est puero elicere prædictum actum in illo instante, quando nulla adest indispositio ex aliquo peccato personali relicta, quam eo transacto, ubi talis indispositio posset voluntatem retardare. Unde suavius statuisse videtur divina providentia restringendo præceptum ad prædictum instans morale, quam statuisset ulterius differendo.

Solvitur  
confirmatio.

**Tertia objectio.** 63. Tertio objicies, non sequi ex eo quod puer in illo primo instante adimpleat prædictum præceptum, quod in eodem sit justificandus: potest enim, etiam existente amore Dei naturali ad quem præceptum obligat, justificatio differri, saltem per aliquod breve tempus, in quo proinde dabitur locus, ut puer ante ipsam justificationem venialiter peccet, etiamsi nihil capitale committat: non ergo hac ex parte ratio nostra firma subsistit. Antecedens in quo est difficultas, probatur: quia ad justificationem non sufficit cognitio et amor Dei præcise ut finis naturalis, etiamsi talis cognitio et amor ex auxilio supernaturali procedat; sed requiritur cognitio mysteriorum, quæ fides credit, et amor finis supernaturalis quem diligit charitas: ut autem puer adimpleat præceptum, sufficit prior ille amor et cognitio, quamvis posterior non detur, ut dictum est num. 19, ergo, etc.

**Solutio.** 64. Dices, puero adimplenti prædictum præceptum conferri a Deo infallibiliter fidem et charitatem, ut credat et diligat, sicut requiritur ad assequendam justificationis gratiam, quam nunquam denegat facienti quod in se est, sicut facit ille puer. Sed contra hanc solutionem urget tum, quod non est cur Deus teneatur conferre homini hanc gratiam in eodem instante, in quo facit, quod in se est; sed poterit eam quousque voluerit differre. Tum etiam quod ut homo credat mysteria supernaturalia, debet illa doceri ab aliquo dictante et proponente, sine qua propositione non sufficiet ad credendum ipse habitus fidei interius infusus: nam ut ait Apostolus Roman. 10: *Quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Plurimi autem sunt pervenientes ad usum rationis, qui nihil audierunt de prædictis mysteriis, neque habent a quo illa doceantur: ut patet de illis qui apud gentiles, et barbaros, ubi nulla fulget lux Evangelii, nutriuntur: ergo hujusmodi quamvis prædictum præceptum in primo instante adimpleant, non statim justificabuntur; sed post tempus in quo instruantur, ut possint credere. Tum denique, nam Divus Thomas Quæstione 14, de Veritat. articulo 11, proponens sibi hunc casum, nempe quod aliquis nutritus in silvis vel apud barbaros, ubi nihil de fide nostra audiret, sequeretur per omnia ductum naturalis rationis in appetitu boni et fuga mali, ac proinde adimpleret præceptum de quo agimus, non ait fore justificandum in eodem instante; sed

expectandum potius quousque Deus vel speciali revelatione manifestaret illi prædicta mysteria, vel mitteret illuc prædicatorem, a quo instrueretur. *Si enim aliquis taliter nutritus* (ait in solut. ad primum) *ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria: vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium.* Actorum 10. Idem dicit in solut. ad secundum et in 3, distinctione 25, quæstione 2, articulo 1 et 2. Porro ut prædicator mittatur, et missus perveniat, et perveniens instruat puerum, necessarium est tempus et dilatio aliqua; totoque eo tempore justificatio differretur.

Idem.

Confirmatur hæc eadem objectio; nam totum quod habet ille actus dilectionis Dei, quo præceptum adimplet, habet actus attritionis requisitus ad sacramentum poenitentiae: et nihilominus iste actus non excludit culpam mortalem habitualement, neque affert secum justificationis gratiam, quousque perficiatur ipsum sacramentum: ergo etc. Major probatur: nam attritio illa ut sit sufficiens dispositio et materia proxima sacramenti, debet includere propositum efficax vitandi omnia peccata mortalia, atque adeo servandi notam legem, sine cujus observatione non vitantur: hoc autem et nihil aliud videtur importare præceptum de quo loquimur, solum enim tenetur puer ad amplectendum bonum honestum cum proposito efficaci servandi in omnibus id, quod lex naturalis præcipit et dictat: ergo, etc.

Confirmatio objectio.

65. Respondetur amplectendo solutionem inter objiciendum datam, quæ optima est: ejusque rationem tradidimus numero 37. Nam cum efficax conversio in Deum finem ultimum naturalem (sive elicienda sit naturæ viribus, sive auxilio supernaturalis ordinis) sit impossibilis cum aversione ab ipso Deo ut fine supernaturali, fieri nequit, ut puer infectus originali culpa, quæ est aversio ab isto fine, exerceat prædictam conversionem, nisi simul aut per prius ab ipsa originali culpa mundetur: atque adeo nisi gratia et justificatio ibi concurrat, saltem ut removens illam aversionem et conversionem istam prohibentem. Per quod patet ad primam impugnationem. Nam cum dilectio illa non sit compossibilis cum culpa originali, eo ipso quod Deus conferat puero auxilium efficax ad talem dilectionem eli-

Vindicatur solutio ab impugnationibus

Thom.

ciendam, debet simul vel prius natura conferre gratiam, per quam prædicta culpa auferatur.

Ad secundam respondetur, quod licet Deus omnibus ad usum rationis perveniens concedat auxilium sufficiens ad adimplendum præceptum urgens pro illo instante; auxilium tamen efficax iis solum tribuit, quos simul justificare decrevit, quibus proinde una cum prædicto auxilio confert gratiam justificantem, et simul cum hac fidem explicitam illorum objectorum quæ necessitate medii necessarium est credere ad ipsam justificationem. Quæ autem sint hæc objecta examinatur secunda secundæ quæstione 2, ubi M. Bannez articulo 8, dubitatione 2, satis probabiliter censet sufficere, si credatur explicitè illud, quod ait

M. Ban.

Hebr. 11.

Apostolus ad Hebræos 11: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et quia sperantibus in se remunerator est.* Quæcunque autem explicitè sub prædicta necessitate credenda sint, manifestabit Deus puero justificando, vel per externum doctorem qui illa proponat, vel ea per seipsum interius inspirando: neutrum enim istorum est Deo difficile: et unum vel alterum infertur infallibiliter ex vi decreti efficacis justificandi illum puerum: sicut et hoc decretum infertur etiam saltem a posteriori (a priori enim e contra se habent) ex decreto conferendi auxilium efficax ad actum adimpletivum præcepti.

66. Unde non obest quod dicitur de pueris nutritis apud barbaros sine ulla fidei notitia. Tum quia cum nullum hujusmodi puerorum sciamus adimplevisse illud præceptum, neque id sit verosimilius quam oppositum, nullus potest in argumentum adduci ad probandum, fuisse ab aliquo adimpletum sine prædicta fide explicita. Tum etiam quia licet non omnino negemus, sed pie credamus, Deum cum aliquo ex prædictis pueris usum fuisse ea specialissima misericordia: cum casus ex ore omnium sit rarissimus, non est inconveniens pro casu ita raro contingenti recurrere ad specialem Dei providentiam, vel interius puerum illum sufficienter illuminantem, vel de externo doctore opportune providentem: ita ut in eodem instante usus rationis, in quo puer efficaciter præmovetur ad præcepti adimplerem, habeat sibi proposita objecta supernaturalia, quæ necesse est explicitè credere, ut in eodem instante justificetur. Non enim specialior aut magis extraordinaria censeri debet hæc providentia, quam illa

misericordia, et quam voluntas absoluta conferendi auxilium efficax ad adimplendum præceptum puero ita se habenti.

Neque idcirco negamus, hujusmodi præceptum adimpleri a multis de facto, etiam absque specialissima illa providentia: quia multi sunt inter fideles enutriti et baptizati, quibus, cum ad ætatem illam perveniunt, proposita et notificata jam sunt a parentibus et magistris præcipua mysteria supernaturalia, quantum satis est ut potuerint terminos apprehendere, et tunc soluto rationis iudicio, per lumen fidei infusum baptismo firmiter eis assentiri. Quod non raro sed frequenter contingere, iis præsertim qui accurate educantur, et ab ineunte ætate probis moribus imbuuntur, colligit in præsentem Cajetan. ex ipsa natura charitatis in baptismo infusæ. *Videtur mihi (inquit) quod quia amor Dei non est otiosus, charitas infusa baptizato infanti exit in actum in primo actu naturali: sicut de Angelis dictum fuit. Et quod statim occurrente seipso ut deliberabili, infusa fides deliberandi sollicitudinem foveat, ad præsentandum bonum honestum cooperando, inclinando ad hoc intellectum: et consequenter charitas inclinet appetitum ad honestum prosequendum. Et licet hoc videatur verum ut in pluribus; non oportet tamen sic esse in omnibus, non solum propter libertatem, sed propter complexionem et malam assuetudinem ante actus discretionis. Unde fit quod pars sensitiva magis movebitur ad assuetam delectabilia mala, quam fides et charitas ad honestum. Propter quod non parvi refert, ut assuescat puer ad audienda spiritualia et honesta. Determinatur enim habitus fidei infusus ex propositis ex auditu, et charitas illam sequitur. Idem potest colligi ex natura gratiæ in baptismo etiam receptæ: quæ cum sit fons aquæ salientis in vitam æternam, idque præstet per actus fidei et charitatis, nititur quamprimum potest in hujusmodi actus prosilire.*

67. Tertia impugnatio desumpta ex illa doctrina D. Thomæ compulit aliquos ejus discipulos, ut concederent, puerum illum in silvis aut inter barbaros absque notitia fidei enutritum, sequentemque per omnia ductum naturalis rationis, atque adeo adimplentem prædictum præceptum, non necessario justificandum fore in eodem instante; sed posse intervenire tempus sufficiens, ut aliquis fidei peritus a Deo destinatus adhuc perveniat, et doceat puerum quæ debet credere. Addunt vero, pertinere ad divinam providentiam non permittere, quod in illo

Cajet

Modus  
dicend  
aliquo-  
rum.

intermedio

intermedio tempore talis puer peccet venialiter; ne hujusmodi peccatum cum solo originali conjungat.

Non placet.

Sed nos huic solutioni non acquiescimus. Nam præterquam quod videtur petere principium, reddens pro ratione illius specialis providentiæ id ipsum, de quo est quæstio, et ad quod probandum adducitur: aliunde etiam non cohæret doctrinæ hucusque traditæ: dum admittit dilectionem efficacem et super omnia Dei finis naturalis, quæ necessaria est ad adimplendum præceptum, posse toto illo tempore cum peccato originali conjungi: quod ex dictis constat esse impossibile. Et ideo dicendum est, puerum ita se habentem ut adeptus rationis usum in Deum finem naturalem se converteret, justificandum esse in eodem instante reali, quamvis posterius natura: quatenus ut justificetur præcedere debet in genere causæ materialis, seu per modum removentis prohibens prædicta conversio obstans violationi præcepti, quæ justificationis gratiam impediret. Concurrent enim plura in illo instante, quæ in diverso genere causæ se invicem præcedunt. Nam in genere causæ finalis et formalis prior est ipsa gratia justificans, ad quam cætera omnia ordinantur, et a qua informantur. Eademque ut collata per modum auxilii una cum suis virtutibus infusus præcedit etiam in genere causæ efficientis: quia per illas efficit homo actus disponentes ad justificationem. Quin etiam præcedit in ratione removentis prohibens, scilicet culpam originalem, quæ prædictos actus impediabat. Potestque hæc prioritas reduci vel ad ipsum genus causæ efficientis, vel ad genus causæ materialis. At vero in genere causæ dispositivæ præcedunt prædicti actus; quia nisi illis dispositus, nequit adultus recipere ipsam gratiam. Quod si tales actus considerentur quatenus per illos formaliter adimpletur præceptum conversionis in Deum urgens pro illa duratione, hacque adimplerione cavetur violatio ipsius præcepti, quæ gratiam impediret, præcedunt etiam per modum removentis prohibens, ut num. 36 explicuimus. Neque est inconveniens, ut ubi plura removenda occurrunt, unum et idem præcedat, et præcedatur in hoc genere causæ: quia talis prioritas et posterioritas non est respectu ejusdem, sed respectu diversorum.

68. Neque obest illud quod dicitur de tempore requisito ad mittendum prædicatorem. Tum quia D. Thomas non ait determinate puerum illum esse hoc modo instruendum,

sed vel hoc modo, vel a solo Deo interius illuminante, seu infundente lumen fidei ad credendum, et objecta credibilia simul proponente, quod fieri potest in illomet instante, cum sola prioritate et posterioritate naturæ quam explicuimus. Verba autem Apostoli: *Quomodo credent ei, quem non audierunt?* intelliguntur juxta communem et regularem providentiam, juxta quam Deus hac interna manifestatione uti non vult. Tum etiam quia quamvis prædicta instructio futura esset ministerio externi prædicatoris, posset Deus præsciis futuræ conversionis et necessitatis illius pueri ita res disponere, ut prædicator adesset tempore opportuno, ut pro illo instante instruxisset jam puerum circa illa, quæ tunc deberet credere.

Sed præcipue id quod diximus, non obest: <sup>Gonzal.</sup> quia ut recte observant Gonzalez prima parte, <sup>Alvar.</sup> disputatione 77, sectione 3, numero 23, Alvarez libro 7 de Auxiliis, disputatione 56, numero 22, et alii ex Thomistis, instructio illa pueri in silvis nutriti et facientis quod in se est, pro qua D. Thom. ad prædicatorem externum adventantem recurrit, non est instructio indispensabiliter necessaria ad justificationem, aut de illis mysteriis quæ in omni eventu necesse est credere ad primam gratiam consequendam, sed de aliis sine quibus explicite creditis potest conferri talis gratia: sicut est mysterium Trinitatis, et mysterium Incarnationis, mortis, et resurrectionis Christi, et alia hujusmodi, ad quæ addiscenda et explicite credenda tenetur homo quam primum potest, necessitate præcepti: imo ut multi volunt, necessitate medii omnino requisiti ad ultimam salutem, scilicet gloriam consequendam: quia valde probabile est neminem usque adhuc ex adultis ingressum fuisse cælum, neque ingressurum, nisi prius explicite mysteria illa crediderit; quamvis multi fuerint justificati cum sola fide explicite illius quod nuper diximus, scilicet quod *Deus est, et quod sperantibus in se remunerator est*. Quare recursus ille D. Thomæ ad externum prædicatorem, supponit puerum, ad quem instruendum mittitur, esse jam justificatum per internam Dei illustrationem, et a peccato originali liberum; mittitur vero ad illum ut plenius in fide instruatur. Sumitur autem hæc intelligentia quæ est omnino legitima, ex ipso D. Thoma, nam adducit exemplum in Cornelio, ad quem (ut dicitur Act. 10), missus est Petrus, ut illum in fide erudiret. Porro si <sup>Act. 10.</sup>

D.Thom. quæramus a D. Thoma, utrum Cornelius, quando ad eum missus est Petrus, maneret adhuc infidelis et in peccato, vel potius haberet jam fidem et gratiam : sic respondet 2,2, quæst. 10, art. 4, ad 3 : *De Cornelio tamen sciendum est, quod infidelis non erat : alioquin ejus operatio accepta non fuisset Deo, cui sine fide nullus potest placere.* (Atque adeo neque erat injustus, quia neque sine gratia placet aliquis Deo) *Habebat autem fidem implicitam nondum manifestata Evangelii veritate. Unde ut eum in fide plenius instrueret, mittitur ad eum Petrus.*

Diluitur  
confirmatio.

69. Ad confirmationem principalis objectionis respondetur negando majorem. Quia dilectio ad quam puer tenetur in instante usus rationis, debet esse amor efficax et super omnia boni honesti, in quo virtualiter et implicite continetur amor efficax et super omnia ipsius Dei, juxta dicta num. 20 ; attritio autem non includit hujusmodi amorem : alias non posset compati cum peccato mortali habituali, quo anima manet aversa ab ipso Deo : sed solum est dolor de peccatis commissis cum proposito non ea iterum committendi, propter aliquod motivum longe inferius, minusque universale, quam sit ipsum honestum appetitatum super omnia, ut propter metum pœnarum inferni, vel aliquid simile. Quare propositum non peccandi, quod est de ratione attritionis, non se extendit ad observandam totam legem, neque ad vivendum in omnibus juxta illam, neque etiam ad cavenda omnia peccata absolute et pro quocunque eventu ; sed solum cum hac restrictione et determinatione, in quantum scilicet talis observatio necessaria est ad pœnam inferni evitandam. Et ideo casu quo vel sine prædicta observatione posset ea pœna vitari, vel adhuc cum illa vitari non posset, nullus ex vi solius illius attritionis moveretur ad peccata vitanda, neque ad servandam in omnibus legem naturalem. Et idem est de quolibet alio motivo, ex quo potest oriri attritio prout distincta a contritione. Nullus enim dolor ex simili motivo procedens inducit sufficienter amorem Dei, aut boni honesti super omnia, neque proinde observantiam totius legis, prout etiam amorem istum claudit : quia talis amor essentialiter postulat, ut ejus principale motivum sit tantum ipse Deus, vel bonum honestum : et ideo nullus actus, cujus principale motivum sit aliquid inferius, potest prædictum amorem formaliter aut virtualiter continere.

Cæterum propositum servandi totam le-

gem, et vivendi in omnibus secundum rectam rationem, quo puer adstringitur, extenditur sufficienter ad prædictam observationem absolute et quantum ad omnia quæ lex includit, præferendo illam omnibus aliis motivis quæ excogitari possunt : ita ut in nullo casu et pro nullo eventu excogitabili amittat vim movendi ad talem observationem : quia cum motivum unde oritur, sit ipsum bonum honestum super omnia appetitatum, et hoc motivum in prædicta observatione nunquam possit deficere, moveatque sufficienter ad id quod est supremum in ipsa lege, scilicet amor Dei super omnia, nullus est excogitabilis casus, in quo prædicta observatio deficere valeat ex defectu motivi : sicut etiam nulla ratione potest conjungi cum peccato mortali etiam habituali, propter ipsum amorem Dei super omnia, quem formaliter vel virtualiter includit. Prætermittimus alias leviores objectiones, quas nonnulli inculcant : quia ex doctrina hujus et præcedentis dubii vel solutæ jam manent, vel facillimo negotio diluentur. Sicut etiam referre omittimus pro sententia contraria authores, et argumenta : quia illos numer. 40 jam citavimus : hæc vero reducuntur ab objectiones adversus nostram rationem, quas hucusque dissolvimus : nullum quippe ab adversariis excogitatum est, quod positive et a priori eorum sententiam suadere videatur.

70. Pro nostræ vero majori declaratione posset inquiri : utrum impossibilitas coexistentiæ peccati venialis cum solo originali, quam adstruximus, sit dumtaxat impossibilitas physica, et attentata communi lege, aut vero etiam metaphysica, et quæ nulla lege oppositum permittat?

Cui quæsito breviter respondemus, quod si loquamur de pueris pervenientibus ad usum rationis prout de facto perveniunt, ipseque ordo rerum postulat, nempe cum subjectione ad prædictum præceptum, et cum cognitione istius obligationis, nulla potentia fiet quod veniale peccatum cum solo originali in eis existat : quia nullo modo fieri potest, ut urgente puerum, et ab eo cognita prædicta obligatione, in primo actu morali vel eam non adimpleat, et adimplendo justificetur ; vel non violet, et mortaliter delinquat. Si vero res a Deo aliter disponderentur, ita scilicet ut communicans puero cognitionem boni honesti et mali oppositi, absconderet ei præceptum et obligationem amplectendi tunc positive tale bonum ; aut revelaret illi, se in hac obligatione

Novum  
quæsitum.

9



tione ad horam vel diem cum eo dispensasse (ex nullo enim capite talis absconsio aut dispensatio repugnantiam involvit), nulla esset ratio, quare puer ille, si Deus id permittere vellet, non posset tunc peccare venialiter, antequam vel justificaretur adimplendo præceptum, vel peccaret mortaliter in ejus omissione : adeoque nihil prohiberet conjungi tunc peccatum veniale cum solo originali.

Diximus *si Deus id permittere vellet etc.* quia adhuc in illo casu communis providentia postularet, ut Deus id non permitteret, propter primam rationem a nobis factam ; ne videlicet daretur status hominis in hac vita, cui nullus locus aut receptaculum corresponderet in futura. Sed hæc ratio, ut


liquet, non impedit quominus Deus de lege sua absoluta valet oppositum disponere.

Et hæc sint satis pro hoc tractatu adeo difficili, adeoque prolixo. Cedant utinam quæ in eo dicta sunt, in honorem et gloriam omnipotentis Triados, Laudemque omnium Sanctorum : præcipue vero Beatissimæ semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli : Parentum Eliæ et Teresiæ a Jesu : nec non sanctissimi Præceptoris ac Doctoris N. D. Thomæ : cujus doctrinæ si quid adversum dixerimus, libenter revocamus. Sed et in primis si iis quæ S. Romana tenet Ecclesia (cujus judicio omnia submittimus) aliquid dissonum, vel minus consonum exciderit, iterum et iterum retractamus.

#### EXPLICIT TOMUS OCTAVUS

SIVE ULTIMA PARS TRACTATUS DE VITIIS ET PECCATIS.





# INDEX ALPHABETICUS

## RERUM NOTABILIUM

QUÆ IN HAC ULTIMA PARTE TRACTATUS DE VITIIS ET PECCATIS CONTINENTUR.

A.

ACTIO. Actio immanens potest esse terminus sui ipsius; secus actio transiens. Disp. 18, num. 32.

ACTUS. Non attingunt rationem finis ultimi etiam per modum fugæ. D. 19, n. 19.

ADAMUS. Qua perfectione a Deo conditus? D. 14, n. 10 et d. 16, n. 14 et sequentibus. Fuit caput morale posteriorum. D. 14, n. 35. Quando eam dignitatem acceperit, et conservaverit? n. 36 et 139. Quo pacto iustitiam Originalem acceperit? n. 11. Qualiter habuerit in se posteriorum voluntates? n. 90. Ejus voluntas fuit nobis moraliter intrinseca, n. 54 et 55. Nobis et pro nobis demeruit. D. 14, n. 127. Mereri tamen pro nobis cur non potuit? n. 128. An et quæ mereri nobis potuisset permanens in gratia? n. 129. An et qualiter Adamus per suum primum peccatum causet nostrum Originalem? D. 14, n. 19 et 67 usque ad 95. Quid si non Adamus, sed aliquis ejus filius peccasset? n. 151 et 152. Quid si peccaret post filium a se genitum sive ante, sive post animationem? n. 154 et 156.

Quod fuerit primum peccatum Adami et sub quibus speciebus malitiæ? D. 16, n. 170 et seq. An processerit ex errore? n. 168 et 169. Per quodcumque primum peccatum traduceret ad nos Adamus Originalem culpam, et amitteret dignitatem Capitis. D. 14, n. 135 et 136. An cum peccavit fidem amisit? D. 16, n. 181. Si non peccaret non incurreret mortem? D. 14, n. 10. Nec posset esse Redemptus, D. 15, n. 74 et 76. Qua virtute iustitiam Originalem in posteros traduceret? D. 14, n. 69. Quo pacto eam

virtutem primo peccato amiserit? n. 70. Sub quo pacto præceptum acceperit? n. 36. Vide *peccatum Originans*.

ALLIGATIO. Quid et quotuplex sit? Disp. 18, n. 34 usque ad 38. Quæ ejus vis? n. 62 et 83. Quod ejus subjectum? n. 37 et 38. Qui effectus? n. 63, 65 et 66. Qualiter unus Dæmon alligetur ab alio? n. 51 et 81. Vide *Dæmon*.

AMOR. Est prior aliis effectibus, D. 16, n. 161. Amor Dei alius efficax et alius inefficax, D. 20, n. 16. Alius explicitus, et alius implicitus, n. 17. Alius naturalis, et alius supernaturalis, n. 17 et 18. Ad quem tendantur, qui ad usum rationis perveniunt? ib. Num aliqui excusentur? ib. et n. 16. An possit elici absque gratia? n. 66. Vide *parvulos*, et *auxilium*.

ANIMA RATIONALIS. Animæ separatæ an debeatur virtus loco motiva. D. 18, n. 90. Tristatur ex apprehensione pœnæ corporis futuræ, n. 70. Animæ decedentes in peccato mortali an statim in inferno detrudantur? D. 17, n. 55. Fueritne cum aliquibus dispensatum? n. 61 et seq. Qualiter torqueantur per ignem? D. 18, toto dub. 2.

ANGELI. Non sunt redempti per Christum. D. 15, n. 73; quo sensu a D. Bern. redempti dicantur? n. 114 et 115. Sunt in loco naturali per operationem; secus tamen in violento. D. 18, n. 39. Nequeunt peccare solum venialiter, quæst. 89, art. 4.

ATTRITIO. Quis dolor, et quid includat? D. 20, n. 69.

AVERSIO A DEO. Non stat cum conversione ad Deum, etiam ut finem naturalem. D. 20, n. 63.

AUXILIUM. An detur omnibus in instanti usus rationis ad diligendum Deum, et quale? D. 20, n. 25 et 28, 30 et 34.

## B.

BAPTISMUS. Præsupponit necessario peccatum Originale, velejus debitum. D. 15, dub. 4, §7: An et a quo B. Virgo illum suscepit? ib.

BONUM. Bonum nihil habens mali non potest esse pœna. D. 17, n. 26. Quod bonum diminuatur per peccatum? q. 85, art. 1 et 2.

## C.

CAUSALITAS. Quæ sit causalitas physica, et quæ moralis? D. 14, n. 60 et 99. Causalitas peccati Adami in nostra Originalia, est physica, n. 69 usque ad 90. Non est moralis, n. 120.

CHRISTUS. Non venit redimere nisi illos, qui in Adam peccaverunt. D. 15, n. 61 Eos solum redemit pro quibus mortuus fuit, n. 69. Fuit immunis a culpa Originali, et ejus debito duplici titul., q. 81, art. 3, n. 4 et 5. Meruit nobis; sed non proprie pro nobis. D. 14, n. 27.

CIRCUNSTANTIÆ. Transferunt de veniali, in mortale, q. 88, art. 5.

CONCUPISCENTIA. Multiplex ejus acceptio. D. 16, n. 80. Quid importet sive pro formali; sive pro materiali? n. 82. Quas potentias comprehendat? n. 90 et 91. Qualiter eas afficiat? n. 92. An excludat conformitatem cum regula rationis? n. 95. Qualiter ad peccatum inclinet? n. 96. Quo pacto a sensualitate distinguatur? n. 97. Nequit in hac vita perfecte sanari, ib. Esset ne in statu naturæ puræ? n. 99. Qualiter ortum habeat ex peccato Adami? n. 100. Non est formaliter peccatum; bene tamen causaliter, n. 101 et 102. Est materia peccati Originalis, n. 103 et 106. Cur non peccati personalis? n. 110. An competat animabus separatis? n. 108.

CONVERSIO. An possit separari ab aversione, et manere post justificationem? d. 17, n. 18 et 19. Vide *Aversio*.

CREATIO. Etiam cum præscientia futuri

peccati, vel damnationis est Dei beneficium et exigit gratiarum actionem. D. 15, n. 87,

CULPA. Habet plus de ratione mali quam pœna. Disp. 16, n. 35. Nulla potest prudenter eligi etiam ad vitandam aliam majorem, vel maximam pœnam. D. 17, n. 105 et 107. Vide *peccatum*

CUPIDITAS. Triplex ejus acceptio, q. 84, art. 1, n. 1. Est radix omnium peccatorum, ib. In quo ordine, et genere? n. 2. An omne peccatum in illa radicetur? n. 7.

## D.

DEBITUM. Aliud est physicum, et aliud morale. D. 15, n. 41. Debitum contrahendi Originalem culpam quid importet? d. 15, n. 11. Multiplex ejus acceptio, et divisio, n. 13, 14 et 18. An sit culpa vel pœna? n. 19 et 40. Quousque perduret? n. 20, 28, 37 et 38. Afficit omnes qui in Adam peccaverunt, num. 28. Quæ propositiones verificentur de contrahente debitum, et non peccatum? n. 46. Nulli fuit debitum ingredi pactum Adami, n. 77 usque ad 85. Beata Virgo potuit excipi a debito culpæ Originalis, idque ex meritis Christi, n. 50 et 52. Fueritne excepta de facto? D. 15, toto dub. 4 et sequent.

DIABOLUS. Quo pacto sit nobis causa peccati? q. 80, art. 1 et sequent. Vide *Dæmon*.

DISPOSITIO. Quæ sunt dispositiones ad Originale peccatum? D. 14, n. 89. Qualiter se habeant ad ejus debitum? D. 15, n. 37 et seq. Dispositio ad aliquam formam differt ab ea specificè. D. 19, n. 39.

DÆMON. Dæmones torquentur ab igne gehennali. D. 18, n. 23 et 27. In quo hæc pœna consistat? n. 25 et seq. Fit per alligationem, et qualem? n. 28, 31, 34 et 36. Quid de alligatione unius dæmonis ab alio? n. 48 et seq. Dæmones per primum peccatum adhæserunt Luciferi, ut Principi ad obtemperandum, n. 50. Qualiter ligentur a bonis Angelis? n. 51. Sunt semper in cognitione suæ miseræ, n. 67. Habent pœnas inæquales, n. 85. Vide *pœna et alligatio*.

DOLOR. Oritur ex apprehensione inconvenientis. D. 18 et 64. Dolor Dæmonum et animarum damnatarum quam gravis sit? 65 et seq. Dolor pœnæ damni an sit pœna, et an damni, vel sensus? D. 18, n. 4 et 26.

DOS.

DOS. Dotes corporis gloriosi, unde originentur? Disp. 16, n. 61.

## E.

EFFECTUS. Quid si fuerit privatio vel negatio. D. 14, n. 103.

ELIAS P. N. Præservationis Deiparæ a labè Originea adorator, et vates. D. 15, n. 2. Id ejus melota præsignabat, n. 8.

EXCÆCATIO. Quid sit? q. 79, art. 3 n. 1. Cujus gratiæ absentiam importet? n. 2. In prædestinatis ordinatur ad eorum salutem; secus in reprobis, art. 4. Eadem habes eisdem locis de *induratione*, et *aggravatione*.

EXISTENTIA. An sufficiat existentia moralia ad causalitatem physicam? Disp. 14, num. 96.

EVA. An credens Serpenti amiserit fidem? Disp. 16, num. 181. Si Eva sola peccaret, filii non contraherent originalem culpam, et quare? q. 81, art. 5.

## F.

FIDES. Fides antiquorum qualiter valeret parvulis ad salutem? D. 14, n. 48.

FINIS ULTIMUS. Quid sit, et an irreferibilis ad alterum? D. 16, num. 65. Per quid convertatur voluntas peccatoris ad suum ultimum finem? n. 66 et 69.

FOMES PECCATI. Non supponit pro actu, sed pro inclinatione. D. 15, n. 222. Non fuit in B. Virgine, ib. Non est necessario adnexus debito culpæ Originalis. num. 22.

## G.

GRATIA. Quis sit ejus conceptus primarius? D. 17, num. 8. Duplex gratiæ consideratio. D. 16, n. 130. Aliter est bonum hominis, et aliter bonum Dei, ib. Aufertur secundum utranque rationem quolibet mortali peccato, n. 151. An distinguatur a justitia Originali? N. 57 et 58. In Statu Innocentiæ esset radix virtutum naturalium, n. 61. Quo sensu dictum sit: *Faciendi quod*

*est in se Deus non denegat gratiam?* Disp. 20, n. 37.

## H.

HABITUS. Non datur habitus de genere mali in ordine ad esse. D. 16, n. 45. Habitus convertens voluntatem ad ultimum finem debet esse illa superior, n. 62. Nequit hoc competere habitui malo. n. 63.

HOMO. Non potest generari ex muliere, et bruto, q. 81, art. 14, n. 2. Si casus daretur talis homo non incurreret peccatum Originale. Ibid. Non potest homo per longum tempus vitare peccatum sine gratia. Disp. 16, n. 76. Ad quid teneatur cum pervenit ad rationis usum? D. 20, n. 2 et seq. Quid ei primo cogitandum, et amandum occurrat? num. 7. Sit ne ex se impotens ad amandum Deum ut authorem naturæ, et qua impotentia? n. 35.

## I.

IGNIS INFERNI. Est verus, et corporeus. D. 18, n. 23. Torquet Dæmones, et animas vere, et non imaginarie tanquam instrumentum divinæ virtutis. n. 27 et 29. Quod in illis producat? n. 31. Quæ sit ejus actio prævia? n. 44 et 45. Concurrit ad alligandos Dæmones etiam extra infernum existentes. n. 82. An solum effective vel etiam terminative? Ibid. Quare præ aliis elementis ad id munus assumatur? n. 93.

IGNORANTIA. Dividitur in nescientiam, et ignorantiam proprie dictam. D. 13, n. 1.

IMPASSIBILITAS. Impassibilitas Adami ortum habebat ex Originali justitia. D. 14, num. 74.

IMPERFECTIO. Accipitur tripliciter. D. 19, n. 8 et 9. An distinguatur a peccato veniali? Ib. Imperfectio opposita Consiliis an sit actus bonus? n. 9.

INANIS GLORIA. Est primum peccatum capitale. Q. 84, n. 4.

INCLINATIO. Prædicta inclinatio alia est proxima, et alia radicalis. Q. 85, art. 2. An distinguantur ab essentiis animæ, et potentiarum? Ib. n. 2. An et qualiter di-

minuantur per peccatum? *Ib.* et d. 16 num. 155.

INFERNUS. An aliquis ibi detrusus huc remeaverit? D. 17. n. 61 et seq. Quid de defunctis in mortali peccato, et postea resuscitatis? *Ib.*

INNOCENTIA. Describitur ejus status, et perfectio. D. 16, n. 4 et n. 159. An homo in eo statu posset peccare venialiter? Q. 89, art. 3, n. 2 et 3. Quæ essent virtutes in illo statu? D. 16, n. 61. Vide *Status*.

INNOCENS. Non potest licite occidi etiam ob multorum vitam conservandam. D. 15, num. 238.

INSTANS. Aliud est metaphysicum, et aliud morale. D. 20, n. 7. Primum instans morale, quid includat? *Ib.* Non est æquale in omnibus. n. 12. Ad quid homo in illo obligetur? n. 2 et 16.

INTENSIO. Quæ requiratur in actibus ad generandum habitum. D. 16, n. 22. Qualiter debeat illos afficere? *Ibid.*

## J.

JUDEX. Competit ei taxare pœnam. D. 17, n. 22. Quid sit illi circa hoc attendendum? n. 89.

JUSTITIA. Justitia originalis quo pacto fuit collata Adamo? *Disp.* 16, num. 5. Ejus effectus. *Ib.* Ejus subjectum, n. 6. Differentia ejus a gratia, num. 57. Perficiebat animam duplici ratione. *Disp.* 14, num. 74. Qualiter transfundenda ad Adami posteros? num. 76 et seq.

JUSTIFICATIO. An sit motus vel mutatio? D. 16, n. 73 et 74. Quis ejus terminus a quo? *Ib.* et *disp.* 15, n. 35. An maneat in justificatis aliquid originalis culpæ? D. 15, n. 4. Quid de justificato in instanti usus rationis qui in Adamo peccasset? num. 44 et seq. Vide *Debitum*.

## L.

LEX. Duplex legis acceptio. D. 19, n. 10. Quæ dicatur lex simpliciter, et quæ secundum quid? n. 14. Lex simpliciter potest violari solum secundum quid, n. 22 et 23. Quando actus non sit simpliciter contra

legem? n. 13 et 14. Duplex finis legis, n. 29. Cur quædam sub mortali, quædam solum sub veniali prohibeat. D. 19, n. 26.

LEGISLATOR. An et qualiter possit injungere obligationem sub mortali? D. 19, n. 27. Unde venanda intentio ista obligandi? n. 28.

LIBERTAS. Quo pacto a moralitate distinguatur? D. 20, n. 53. Vide *Appetitus*.

LIMBUS. Detentio Justorum in illo fuit pœna peccati Adami. D. 15, n. 172. Parvuli decedentes cum Originali non habent in limbo nisi pœnam damni. *Disp.* 17, n. 75. Qualiter sint in eo loco ne ab illo patiantur? D. 18, n. 104.

## M.

MACULA. Macula peccati mortalis in quo consistat? Q. 86, art. 2, n. 4. An distinguatur a peccato habituali? *Ib.* An sit aliquid positivum? n. 7. Quam tribuat denominationem? n. 10 et seq. Peccati venialis an sit aliqua macula, et in quo consistat? Q. 89, art. 1, n. 2 et seq.

MALITIA MORALIS. Neutra est infinita. D. 17, n. 91. Quæ sit et in quibus actibus malitia fundamentalis? D. 17, n. 11. Neutra potest habere rationem pœnæ, D. 14, n. 120 et d. 17, n. 28. Quid sit peccare ex certa malitia? Q. 78 a. 1, 2 et 3. De gravitate hujus peccati, a. 4.

MALUM. Malum culpæ quo pacto reparabile? D. 17, n. 21. Non potest esse pœna, n. 26. Malum morale, ex ordine ad quem finem attendatur? D. 19, n. 36. Quid de artificiali? *Ib.*

BEATA MARIA. Beatissimam Virginem Mariam fuisse in gratia sanctificante conceptam, et a culpa originali præservatam. Carmelitæ primi docuerunt. D. 15, n. 2, et seq. Potuit excipi etiam a debito illius culpæ. n. 50 et 52. An in tali casu posset esse redempta? D. 15, toto dub. 3. An de facto tale debitum incurrerit? toto dub. 4 et 6. Quæ sententia magis propitia sit causæ Deiparæ? Toto dub. 5. Quid de debito incurrendi pœnas culpæ Originalis? D. 15, n. 220. Beata Virgo fuit per Christum redempta, n. 162, et reconciliata, n. 163, et baptizata, n. 661.

## MERITUM

MERITUM. Mereri alteri et mereri pro altero, in quo differant? Disp. 14, n. 126.

MORALITAS. Distinguitur a libertate. Disp. 20, n. 53. Quæ si ejus regula? Ibid.

MORS. Non dicit positivum, sed vitæ privationem. D. 16, n. 50. Quo pacto sit effectus peccati Adami? Q. 85. art. 5. Est pœna peccati Originalis. Ibid.

## N.

NATIVITAS. Alia est in utero et alia ex utero. D. 15, n. 3.

NATURA HUMANA. Quæ sit illi inclinatio ad bonum honestum? n. 6 et q. 85. art. 2. Quibus perfectionibus ornaretur in statu justitiæ Originalis? D. 16, n. 4 et 5.

NEGATIO. Negatio pura an possit esse effectus? D. 14, n. 79. Negatio boni an possit esse beneficium? D. 15, num. 87 et 88.

## O.

OFFENSA. Ubi etiam de offensa activa. Quid de offensa veniali? Quæst. 89, art. 1, num. 8 et 10.

## P.

PACTUM. Sub quibus conditionibus inierit Deus pactum cum Adamo circa Originalem justitiam vel culpam? Disp. 14, n. 36. Fuit in beneficium omnium posterorum. Disp. 15, num. 85. Exclusio alicujus ab illo pacto non esset beneficium. Ibid. et num. 90.

PARVULI. Decedentes in Originali habebunt pœnam damni. D. 18, nu. 93. Non tamen pœnam ullam sensus, n. 94. Nullo afficientur dolore ex carentia beatitudinis. num. 98 et 101. Num se illa privatos agnoscant? ib. Assistent iudicio universali. n. 99. Quæ cognitio illis debeatur? n. 100. Est in eis ratio recta, num. 102. Eorum corpora nihil patientur. n. 104. Quis eorum locus post diem iudicii? num. 107. An eorum voluntas sit conversa ad bonum commutabile? Disp. 16, n. 68 et 79. An ob culpam

Originalem sint digni increpatione? Disp. 14, num. 58. Parvuli in statu innocentiae nascerentur cum virtutibus infusis. Disp. 16, num. 60. Ad quid teneantur parvuli cum ad usum rationis perveniunt? Disp. 20, n. 2 et seq. Quod eis præbeatur auxilium ad implendum præceptum dilectionis Dei? n. 25 et 28. Quid de parvulo nutrito in silvis? nu. 67. Vide *Amor et Auxilium*.

PECCATUM. Debet esse per se voluntarium. D. 14, n. 31. Quo pacto illi opponatur? D. 16, n. 110.

Peccatum habituale, quo pacto sit voluntarium? D. 14, num. 31. Non est aliquid positivum. D. 16, num. 62 et 63. In quo consistat? num. 150 et quæst. 86, art. 2, n. 7 et 10 seq. Quam denominationem subjecto tribuat? ib. Qualiter correspondeat illi pœna. D. 14, n. 124. Reducitur ad speciem sui peccati actualis. D. 16, n. 156. Diversificatur per ordinem ad illum. n. 150. Non omnia peccata habitualia sunt æqualia. n. 151 et 152.

Peccatum mortale unde dicatur? D. 19, n. 1. Est simpliciter contra legem. n. 10. Opponitur gratiæ, et charitati. n. 11. Deordinat voluntatem, usque ad finem. n. 12. Avertit illam a Deo. ib. Permanet moraliter dum non retractatur. D. 17, n. 18. Expellit physice gratiam. D. 14, n. 91. Causat et conservat ejus privationem. ib. Includit voluntatem avertendi perpetuo a Deo. D. 17, n. 80.

Quæ peccata sint ex genere mortalia? Disp. 19, num. 28 et seq. An distinguantur essentialiter a venialibus et ex quibus capitibus? n. 33 et 35. Variæ illorum differentiarum. n. 10 et seq. Quæ sit essentialis, et quæ accidentalis? num. 13. Unde attendenda differentia radicalis in iis quæ sola lege naturali prohibentur? n. 26. Unde in illis quæ prohibentur lege naturæ. n. 29. Unde in venialibus ex defectu deliberationis, vel ex parvitate materiæ? n. 22 et 23. Divisio peccati in mortale et veniale an sit essentialis. n. 35. An univoca vel analoga? n. 41 et seq. Peccato mortali debetur pœna æterna lege justitiæ. D. 17, n. 67 et seq. Sed non pœna infinita secundum intensionem. n. 90 et 91. Quid de pœna infinita solum syncathegorematicæ? n. 97. Quid de peccato ut est infinita Dei offensa? n. 104. An cuilibet peccato mortali debeatur major pœna etiam sensus, quam cunctis venialibus? num. 108. An et quomodo aliqui in peccato mortali

decedentes tandem vitam æternam fuerint consequuti? n. 64 et 65.

Peccatum Adami dicitur peccatum Originale originans. D. 14, n. 1. Omnes posteri debent pro illo Deo satisfactionem. D. 15, num. 120. Quæ fuerint in illo malitiæ species, et quo ordine? Disp. 16, toto dub. 6. Continuit virtualiter malitias omnium originalium. Disp. 14, n. 109. Non tamen malitiam infinitam. n. 110 et 111. Existit virtualiter in infectione carnis. num. 117. Debat esse primum, quod Adamus committeret. num. 137. Quo pacto fuerit peccatum posterorum? num. 90. Qualiter causa physica nostri Originalis? D. 14, toto dub. 3. An et quomodo causa demeritoria? n. 121 et 131. Nihil positivum semini Adami communicavit. Disp. 16, n. 20. Neque id in posteros transfudit. num. 19 et 29. Sed solam privationem originalis justitiæ. n. 36 et seq. An transfuderit aliquam pravam corporis, vel virium animi dispositionem. Disp. 14, num. 67 et 68. An fuerit omnium gravissimum? Disp. 16, num. 177. Vide *Adamus*.

Peccatum originale originatum est certum secundum fidem. D. 14, n. 1 et 2. Cur dicatur peccatum naturæ, et non personæ? num. 14 et 46. Est proprie, et vere peccatum. n. 28. Est nobis voluntarium, et quomodo? num. 38 et 39. Quo pacto parvulos afficiat? num. 58. Inest unicuique suum proprium, et non nisi unicum. num. 112 et 145. Habet aliquid culpæ, et aliquid pœnæ. num. 60. Quæ sit ejus causa effectiva? num. 61. Conservat intrinsecum respectum ad peccatum Adami per quem constituitur in esse voluntarii. num. 115 et 116. Contrahitur ab omnibus propter descendentiam ab Adamo per seminalem propagationem. num. 104. Quid si aliquis virtute divina ex humana carne formaretur? Q. 81, art. 4. Quid in variis aliis casibus? ib. num. 5 et 6.

Peccatum Originale non consistit in aliquo positivo. Disp. 16, n. 44 et seq. Quo pacto a D. Thom. vocetur habitus? num. 70. In qua privatione consistat? num. 113 et seq. Quid importet pro materiali? num. 88 et seq. et D. 14, n. 18. Non est peccatum actuale sed habituale. num. 31. Pertinet primario ad speciem superbiæ. Disp. 16, num. 157. Pertinet etiam ad inobedientiam et ad gulam. 164. Est æqualis in omnibus. Q. 82, art. 4. Recipitur immediate in anima. Disp. 16, num. 120. Extenditur

etiam ad potentias, et primo ad voluntatem. Q. 85, art. 3. Inficit peculiari ratione concupiscibilem generativam, et tactum. Q. 83, a. 4. Diminuit naturalem inclinationem ad bonum. Q. 85, art. 2, n. 11. Vulneravit hominem etiam in naturalibus. D. 16, n. 34 et q. 85, art. 3. Cur debeatur illi pœna damni et non sensus? Disp. 18, num. 97. Quo pacto sit effectus peccati Adami? D. 14, toto dub. 3.

Peccatum veniale a venia dictum, et a causa et quomodo? Disp. 19, n. 1. Est Dei offensa secundum quid. ib. et q. 89, art. 1, num. 8. Quo pacto dicatur esse præter legem, et non contra legem? Disp. 19, num. 10. Non opponitur charitati, sed ejus fervori. num. 11. Non avertit a Deo. num. 12. Deordinat voluntatem salvo ordine ad finem, ib. Disponit ad peccatum mortale. Q. 88, a. 3. Distinguitur essentialiter ab illo, et ex quibus capitibus? D. 19, n. 4 et n. 34 et 35. Varia inter utrunque discrimina. n. 12. An et quomodo idem actus qui est peccatum veniale possit fieri mortale? Quæst. 88, art. 4.

Peccata venialia ex parvitate materiæ, quomodo reducuntur ad species mortalium? Disp. 19, num. 47. Quæ esse debeat ea materiæ parvitas? num. 24. Neque ex pluribus venialibus potest unum mortale coalescere. Quæst. 88, art. 4. An venialia peccata diminuunt naturalem inclinationem ad bonum? Q. 85, art. 2, n. 10. Et quid si jungatur cum mortali? D. 17, n. 68, 73, 74 et 88 et Disp. 19, num. 4. Peccatum veniale nequit conjungi cum solo originali, et quare? D. 20, toto dub. 2.

PERMISSIO. An permissio peccati possit esse pœna, et quid si peccatum sit primum? Disp. 17, num. 27.

PERICULUM. Aliud est intrinsecum, et aliud extrinsecum. Disp. 20, num. 6.

PCENA. Supponit culpam sibi proportionatam. Disp. 17, num. 22. Debet esse disconveniens patienti. ibid. et contra ejus voluntatem. num. 25. Est malum proprium creaturæ rationalis sine respectu ad aliam regulam. num. 23. Opponitur proprio ejus bono. num. 95. Cui ejus inclinationi repugnet? n. 39. Honestatur ex ordine ad finem. num. 24. Quæ requirat ut sit justa? n. 87. Non redditur directe pro offensa. n. 83 et 104. Non ordinatur per se ad reparandam offensam, sed malitiam. num. 103. In quo differat a satisfactione? ibid.

Pœna



Pœna debet esse taxata a Judice, et ob quem finem? Disp. 17, num. 21. Habet minus de ratione mali, quam culpæ. D. 16, num. 133. Licet eligere maximam pœnam ad vitandum quantumvis minimam culpam; non tamen e contra. Disp. 17, num. 105. Peccatum secundum rationem malitiæ non potest esse pœna. n. 28. Quid de antecedentibus, concomitantibus, et consequentibus peccatum? num. 27. Quid de actibus voluntatis, quoad entitatem physicam? num. 32. Quid de permissione peccati, et negatione auxiliorum, quibus erat cavendum? n. 27. Quid de actibus, a voluntate imperatis? num. 34. Quid de privatione, in qua peccatum omissionis consistit? num. 53.

Pœna inferni est æterna secundum fidem. D. 17, n. 56. Debetur ex justitia, et per se peccato mortali. num. 67 et seq. Quid de peccatis venialibus, non dimissis in hac vita? num. 73 et 74. Quid de residuo pœnæ peccati dimissi in hac vita quoad culpam? num. 56 et 75. Nulli peccato debetur pœna infinita secundum intensionem. n. 90. Pœna medicinalis, quo pacto peccatum respiciat? Q. 87, art. 7. Non potest esse ex spiritualibus. ib. Quæ imponuntur transgressoribus legum non obligantium sub culpa an proprie sint pœnæ? ibid. Pœnis corporalibus sæpe unus pro alio punitur; secus spiritualibus. Quæst. 87, art. 8. Quid de pœna satisfactoria? ibid.

Pœna damni, quæ dicatur? Dis. 18, n. 2. Potest inferre nocumentum simul, et dolorem, num. 2. Ad quæ se extendat? n. 3. Est infinita secundum quid. Disp. 17, num. 93. Est inæqualis in damnatis. Disp. 18 n. 7. Unde ejus inæqualitas? n. 10 et seq. In decedentibus cum solo originali est omnino æqualis. num. 20. Dilatio visionis beatificæ in animabus purgatorii an sit pœna damni? num. 6. Quid de dolore orto ex ipsa damni pœna? ibid. Pœna sensus unde dicta et quæ sit? Disp. 18, n. 1. Comprehendit pœnam spiritualem. ibid. et etiam aliqua damna. num. 2, et omnia tormenta, quibus corpora torquentur. num. 3. Correspondet tam conversioni peccati, quam aversioni. Disp. 17, num. 95. Non tamen conversioni habituali. Disp. 18, n. 95. Non est æqualis in animabus damnatis. num. 7. Neque in Dæmonibus. num. 55. Neque in animabus purgatorii. num. 85 et 86. An aliquæ ex animabus damnatis gravius torqueantur, quam aliqui dæmones? num. 80. Vide *allegatio, dæmon.*

PRÆCEPTUM. Præceptum, quod fregit Adamus superbiendo fuit simpliciter negativum. Disput. 16, num. 167 et 168. Præceptum non edendi de ligno vitæ, sub quo pacto fuerit Adamo impositum? D. 14, n. 36. Quæ præcepta urgeant in primo instanti usus rationi? D. 20, n. 2 et seq. et n. 17. An aliqui ab eorum adimplerione excusentur? num. 18. An possint adimpleri viribus solius naturæ? num. 23 et seq. De facto nunquam adimplentur sine gratia justificante. num. 37 et num. 65 et 66.

PRÆSERVATIO. Qui præservaretur, tam a culpa Originali, quam ab ejus debito non esset redemptus. D. 15, n. 102. Præservatio per emundationem paterni seminis nulli est a Deo concessa licet fuerit possibilis. n. 34. Non esset gratia facta personæ conceptæ, sed parentibus. ib.

PRIVATIO. An suscipiat magis, et minus? num. 2 et disp. 18, num. 18. Privatio gratiæ habet rationem culpæ simul et pœnæ. Disp. 16, num. 129. Quæ sit ejus causa? num. 132 et 142. Quo pacto sit contra legem? num. 135 et 149. Constituit peccatum originale. num. 122 et etiam habituale personale. ibid. et quæst. 86, art. 2, num. 4 et seq. De privationibus quas homo incurrit per peccatum originale. Disput. 16, num. 11 et num. 122.

Cur nequeat esse pœna? Disp. 17, n. 53. Privatio visionis beatificæ quomodo fiat major pœna ex multitudine vel incremento peccatorum? D. 18, n. 8.

## R.

REATUS. Quid significet? Disp. 15, n. 46 et 17, n. 1. Est habitudo inter peccatum, et pœnam, etc. ibid. Reatus alius culpæ, et alius pœnæ, num. 3, 4 et 5. Alius demeriti, et alius justitiæ. ib. et num. 6, 9 et 10. A quo denominetur homo *reus pœnæ* dimissa culpa? num. 15 et seq. et quæst. 87. artic. 6.

REDEMPTIO. Quid proprie significet? Disput. 15, num. 70. Spirituality redemptio materia non potest esse, nisi peccatum, vel ejus debitum. Disp. 15, fuse toto dub. 3. Beata Virgo Maria fuit vere, et proprie redempta. num. 118. Num redempta fuisset, si nec debitum Originalis culpæ incurrisset? Disputat. 15, toto dubio 4 et 6. Quis fuerit

terminus a quo suæ redemptionis? D. 15, num. 120. Vide *Beata Maria. Angelus.*

RELATIO. Potest immediate efficere substantiam. D. 18, num. 53.

## S.

SCOTUS. Cum sua seraphica familia commendatur ab studio erga causam immunitatis Deiparæ. D. 15, n. 208.

SEMEN ADAMI. Quem haberet vigorem in statu originalis justitiæ? D. 14, n. 69 et sequent. Qualiter eum per peccatum amiserit? num. 69. Est instrumentum ad transfundendam originalem culpam, et qualiter? n. 71 et 72. Non elevatur ad id per aliquid positivum. n. 107 et 108. Vide *Adamus, et peccatum Adami.*

SENSUALITAS. In quo differat a concupiscentia? D. 16, n. 99.

STATUS. Diversi status naturæ humanæ, et conditiones unius cujusque. D. 16, n. 1, usque ad 11 et num. 60 et 61.

SUPERBIA. Quæ sit prioritas sui objecti ad quædam alia? D. 16, dubio 6. Qualiter sit initium omnis peccati? Q. 84, art. 2. An sit vitium capitale? artic. 3.

SYNDERESIS. Quod objectum? Disp. 20, num. 53.

## T.

TRAJANUS. An fuerit suscitatus precibus B. Gregorii. et unde extractus? D. 17, n. 61. De probabilitate hujus historiæ. n. 66.

D. THOMAS. Quid senserit circa præseruationem Beatæ Virginis a culpa originali? Disp. 15, num. 201. Nullibi tenet, quod sit de fide non fuisse præservatam. num. 202. Prudentissime ea in causa se gessit. n. 207.

TRISTITIA. Tristitia, quæ est passio appetitus potest habere rationem pœnæ. D. 17, n. 48, secus, quæ est actus voluntatis. num. 49.

## V.


VOLUNTAS. Habet duplicem inclinationem. D. 17, n. 37.

VOLUNTARIUM. Quem exigit ordinem ad voluntatem? D. 14, n. 30. Aliud est voluntarium formaliter, et aliud terminative. ib. Quodnam sit de ratione peccati? n. 31. Non sufficit ad voluntarium causalitas moralis. num. 65.

USUS. Est ultimus actus voluntatis in ordine exequutionis. D. 18, n. 57. Alius est activus, et alius passivus. ib.

VULNUS. Quæ vulnera incurrerit natura humana per peccatum? Q. 85, a. 3.

FINIS.





BQ 6852 .S2 v.8 I.M.S.

Collegii Salmanticensis  
Cursus Theologicus

